This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

C 649.7.5

Harvard College
Library

FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS XII

IN LUCAM (X-XXI), ET JOANNEM

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCCI

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA

Digitized by Google

Digitized by Google





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

12

IN LUCAM (X-XXI), ET JOANNEM



MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCI



Digitized by Google

Digitized by Google





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

12

IN LUCAM (X-XXI), ET JOANNEM

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCI





Digitized by Google

C649.7.5

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Digitized by Google

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SECUNDUM LUCAM

ARTICULUS XXVI

ENARRATIO CAPITULI DECIMI : POST HÆC AUTEM DESIGNAVIT DOMINUS ET ALIOS SEPTUAGINTA DUOS.

DESCRIPTA in præcedenti capitulo instructione, ac missione, et corroboratione Apostolorum ad prædicandum, jam inferiorum discipulorum informatio, confirmatio, ac destinatio ad prædicandum,
1 describitur. *Post hæc autem,* quæ præcedenti capitulo sunt recitata, *designavit,* id est, a se intus electos foris monstravit, ab aliisque distinxit, et quadam speciali discipulatus sui gratia decoravit, *Dominus* Jesus Christus, qui in quantum Deus, est omnium Dominus summus ac universalis per auctoritatem, imo cum Patre et Spiritu Sancto unus Deus, unusque Dominus. Porro secundum naturam assumptam etiam, omni prælatus est creaturæ, et Dominus est quasi per subservientiam instrumentalem, et potestatem participatam ac dependentem. *Et alios septuaginta duos* discipulos : qui secundum Bedam, præfiguraverunt presbyteros, sicut Apostoli sancti episcopos. Et juxta eumdem, bene septuaginta duo mittuntur, quia totidem mundi gentibus fuerat Evangelium prædicandum : quemadmodum ordinati ac missi sunt duodecim Apostoli, quia duodecim tribubus Israel, utpote aliquibus de duodecim tribubus, fuerant primo prædicaturi. Quam-

A vis enim decem tribus tunc captæ fuissent, multi tamen de qualibet tribuum illarum capti non erant, et in terra duarum tribuum, ac alibi hinc inde habitaverunt.

Et misit illos binos. Cur discipulos ad prædicandum miserit combinatos prætactum est, et jam breviter tangi potest. In cap. vii, 19.
Primo enim hoc fecit ad socialis vitæ commendationem; deinde ob mutuam consolationem et confortationem (frater nempe Prov. xviii, 19.
qui adjuvatur a fratre, quasi civitas mu-
B nita); atque ob veritatis prædicandæ certiorem contestationem, quia in ore duo- Deut. xix, 15.
rum triumve testium stat omne verbum. Aliæ causæ traduntur : quoniam duo sunt caritatis præcepta, et bina fuerunt in ar- Gen. vii, 15.
cam sancti Noe animalia missa; sed hæ causæ sunt quædam adaptationes. Itaque combinatos misit *ante faciem suam,* id est facialem præsentiam corporalem : quum tamen ipse secundum divinitatis incircumscriptibilem majestatem ubique sit præsens; *in omnem civitatem et locum quo*
C *erat ipse venturus,* id est, tam ad loca majora quam minora quæ ipse fuerat accessurus, ut discipuli isti suis prædicationibus, miraculis et exemplis, homines car-

Digitized by Google

nales ac rudes ad suscipiendam Christi doctrinam disponerent.

2 *Et dicebat illis : Messis quidem multa,* id est, copiosa est hominum multitudo capax gratiæ et doctrinæ, etsi non actu aut habitu, tamen in potentia, utique apta congregari in horreum Christi, hoc est intra Ecclesiam Dei militantem, per fidem et spem ceterasque viatorum virtutes, et intra Ecclesiam triumphantem, per luminis gloriæ ac mercedis æternæ susceptionem.
Joann. IV, 35. Hinc ait Salvator : Videte regiones, quia albæ sunt ad messem. *Operarii autem pauci :* quia Apostoli et hi septuaginta duo disciTuli, ceterique præsides, sacerdotes, prædicatores, prælati, per Apostolos illosque discipulos præsignati, comparative aliorum, scilicet communitatis, sunt pauci, præsertim loquendo de operariis vere ac rite docentibus, et quæ dicunt implentibus, virtuose viventibus. Hinc ait Gregorius : Sine gravi mœrore dicere non possumus quod ait, Operarii pauci : quia etsi sint qui bona audiant, desunt qui efficaciter dicant. Ecce mundus sacerdotibus plenus est; sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus. Itaque, juxta Bedam, sicut Messis multa, est omnis turba credentium, ita Operarii pauci, sunt Apostoli et imitatores eorum.

Rogate ergo dominum messis. Paulo post asserit Christus ad operarios, Ecce ego mitto vos, etc. Constat itaque, quod se ipsum dominum messis appellet. Ipse enim in quantum Deus, jure creationis est omnium Dominus, et specialiter hominum, etiam ratione gubernationis providentialis, et per multiplicium beneficiorum collationem. *Ut mittat operarios,* id est pastores, prædicatores, prælatos, omne quod ad suum spectat officium condigne implentes, *in messem suam,* id est ad plebem a se creatam, potissimum ad Ecclesiam, quæ sic-
Is. v, 1 *et seq.* ut vinea Domini, ita et messis Dei vocatur.

Porro veri in Ecclesia operarii sunt dicendi, qui quærunt opus et onus, satagantque prodesse, non qui quærunt otium ac honorem, et optant præesse. Sed, heu ! multi plus quærunt divitiarum copiam, propriumque honorem, quam animarum salutem. De quibus apostolus Paulus : Hujuscemodi sunt operarii subdoli. *II Cor.* XI, 13. Itaque et nos semper Christum precemur cum omni caritatis fervore, præsertim tempore isto pravissimo, ut in messem suam operarios efficaces destinare dignetur. Etenim, quo profectus et salus subditorum magis dependent ex virtuosa vita superiorum, eo majus Dei donum est habere virtuosum principem seu prælatum, eoque incessabilius atque ardentius pro hac re exorandus est Deus. Nil autem in tantum ædificat plebem, sicut virtuosa conversatio præsidentis. Propter quod in Ecclesiastico scribitur : Qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. *Eccli.* X, 2. Quemadmodum autem agri spatiosi multos requirunt messores, sic multitudo populi christiani operarios exigit multos. Admonendi quoque sunt subditi, secundum Gregorium, ut pro suis rogent pastoribus, quatenus verbo et opere digne præsint.

Ite ad prædicandum; et ut futura peri- 3
cula æquanimius toleretis, vobis prædico, *ecce ego mitto vos,* qui potens sum vos in adversis defendere (hinc apud Joannem ait : In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum), *Joann.* XVI, 33. *sicut agnos inter lupos :* hoc est, vos quos mitto, per pietatem et innocentiam ac obedientiam vestram similes estis agnis; hi autem ad quos mittimini, ob suam crudelitatem, persecutionem atque duritiam, lupis assimilantur, videlicet sacerdotes, Pharisæi et Scribæ. Tales quoque fuerunt gentiles, ad quos post Christi passionem sunt destinati discipuli. Hoc ipsum in Matthæo Christus ait ad Apostolos, nisi quod ibi habetur, Sicut oves, hic, Sicut agnos. *Matth.* X, 16. Sicut enim agni sunt ovium filii, sic septuaginta duo discipuli fuerunt Apostolorum spirituales quodammodo filii. In hoc autem ostensa est omnipotentia Christi, quod per hujusmodi oves et agnos venatus est, compre-

Digitized by Google

hendit, vicit, convertitque lupos, et eos A
convertit in agnos, ita ut pariter pacifice
Is. xi, 6. morarentur, secundum illud Isaiæ : Habitabit lupus cum agno. Sed, proh dolor!
jam multi aliorum prælati, qui deberent agnis et ovibus assimilari, in lupos rapaces conversi sunt ; nec solum de lana ovium se vestiunt, earumque lacte se nutriunt, sed et animas earum per negligentiam, seu impiam vitam, strangulant et occidunt : de quibus apud Joannem con-
Joann. x, 8. quiritur Christus, Quotquot venerunt, fures sunt et latrones. Hi præsertim sunt, B
qui ingerunt semetipsos ad regimen animarum, ad ecclesiasticas dignitates, non
Hebr. v, 4. vocati, nec digni effecti a Deo, ut Aaron.

4 *Nolite portare sacculum neque peram.*
Luc. ix, 3. Hoc præcedenti capitulo etiam dixit Apostolis : unde ex dictis in expositione exordii illius capituli, patet sensus verbi istius, et ratio hujus commissionis. Dicit autem Gregorius : Tanta debet prædicatori in Deo esse fiducia, ut quamvis sibi præsentis vitæ sumptus non provideat, tamen hos sibi non deesse certissime sciat : ne C
dum circa temporalia ejus mens occupatur, aliis minus idoneus prædicare æterna monstretur. *Neque calceamenta.* De hujus
Ibidem. quoque verbi intelligentia dictum est præcedentis tractatu capituli. Non etenim prohibet calceamenta, si loci aut temporis seu personæ necessitas exigat, sed superfluitatem in illis. *Et neminem per viam salutaveritis.* Simile huic est, quod in libris Regum Eliseus jussisse legitur Giezi suo ministro, quem misit ad suscitandum pu-
IV Reg. iv, 29. erum mortuum : Si occurrerit tibi homo, D
non salutes eum ; et si salutaverit te quispiam, non respondeas ei.

Verumtamen circa hoc dubium oritur. Salutare namque, est alicui salutem optare seu dicere : quod quum sit actus caritatis ac pietatis, prohibendum non est. Sed et
Luc. i, 40. virgo Maria salutavit Elisabeth, et Chri-
Matth. xxviii, 9. stus feminas religiosas post resurrectionem, dicendo, Avete. Et respondendum, quod Christus non prohibet absolute proximum salutare; sed prædicatoribus in via prædicationis constitutis committit neminem salutare in via, ad insinuandum quod cum summa diligentia debeant prædicationis exsequi actum, cuncta vitando diverticula, obstacula, morasque prædicandi, et ea quæ menti ingerunt distractionem a Deo, seu oblivionem prædicandorum. Unde verbum hoc Christi accipi potest per hyperbolicæ modum locutionis, qua aliquid dicitur per excessum. Hinc Gorra, Hilarium allegans, disseruit : Attendenda est causa dictorum, et nulla erit contrarietas. Salutare etenim viatorem cum mora, vel ex curiositate, non est bonum, ne prædicator a suo itinere, prædicationisque fructu impediatur; salutare autem ex amicitia, vel ad consolandum, est bonum, ita tamen ut melius non omittatur. Ait quoque Gregorius : Qui non amore æternæ patriæ, sed præmiorum ambitu, hoc est proprii lucri desiderio, salutem audientibus prædicat, quasi in itinere salutat, quia ex occasione, non ex intentione salutem audientibus optat.

In quamcumque domum intraveritis, 5
primum dicite : Pax huic domui, hoc est habitatoribus ejus universis. Triplicem etenim pacem proximis nostris optare debemus, videlicet : pacem pectoris, quæ est tranquillitas mentis bene ordinatæ in Deo; pacem temporis, quæ est quies ab exteriori impugnatione seu persecutione; et pacem æternitatis, quæ est pax Beatorum in patria, ad quam utraque illa prædicta pax ordinatur. Pax autem spiritualis interna et vera, est caritatis effectus, quem-
admodum scriptum est : Pax multa dili- *Ps. cxviii, 165.*
gentibus legem tuam. Ideo pax ista, tam optanda ac necessaria est omni fideli omnique homini, quam appetenda et ad salutem necessaria est caritas, sine qua impossibile est salvari. Hinc Christus hominum amator, et eorum cum Patre reconciliator, primo vult pacem optari, præsertim quia in ea cetera bona gratiæ virtualiter includuntur. Præterea, est et pax alia non optanda, quæ est pax falsa, simulata, inquinata, carnalis, qualem habent filii sæculi

Digitized by Google

hujus, quorum ratio concupiscentiis non
repugnat, vitiisque consentit. De qua ait
Luc. xix, 42. Salvator Jerusalem : Et quidem in hac die
Matth. x, 34. tua quæ ad pacem tibi; et denuo, Non ve-
ni pacem mittere, sed gladium. — Quæ au-
tem hic Christus septuaginta duobus disci-
pulis mandat, seu loquitur, vel permittit,
Ibid. 5 et seq. in Matthæo Apostolis prædicat; et quædam
istorum præcedenti capitulo scripta sunt
atque exposita.

6 *Et si ibi,* puta in domo quam introitis,
fuerit filius pacis, id est aliquis virtuo-
sus, et pace æterna condignus, seu ad ejus
susceptionem dispositus, aut æternaliter
prædestinatus : sicque secundum præde-
stinationem, divinæ et increatæ pacis fi-
lius, tanquam ad ejus beatificam fruitio-
nem venturus; *requiescet super illum pax
vestra,* hoc est, salutatio vestra sortietur
in eo effectum : et pax quam ei imprecati
fueritis, infundetur eidem; vel si eam jam
habet, in ipso augebitur. Quidam autem
etsi pacem et gratiam nondum habeant,
sunt tamen in dispositione proxima seu
propinqua ad eam, ita quod vel sua, vel
aliorum oratione eam facile adipiscuntur.
Sin autem, id est, si ibi non fuerit filius
pacis, *ad vos revertetur,* hoc est, caritati-
va salutatio vestra debito præmio non ca-
rebit, sed merito ejus vestra pax perfi-
cietur in via, consummabitur quoque in
Ps. xxxiv, 13. patria. Sic et Psalmista testatur : Oratio
mea in sinu meo convertetur.

7 *In eadem autem domo manete,* si fuerit
congruum tempus manendi, nec alia re-
stent agenda extra eam ante refectionem;
vel post illa expleta redeundum erit ad
eam; *edentes et bibentes quæ apud illos
sunt,* si dare potuerint atque voluerint.
Et hoc Christus ait, non præcipiendo, sed
permittendo seu concedendo; nec de quo-
cumque cibo et potu necesse est hoc ex-
poni, quum interdum virtuosius sit qui-
busdam abstinere a vino et carnibus. Unde
quod ait, Edentes et bibentes quæ apud
illos sunt, non est jussio ut omnia talia
assumantur, sed est exhortatio potius, ut
sufficiant apposita, nec quærantur super-

A flua, ut volucres cœli, pisces maris, et be-
stiæ terræ.

Dignus est enim operarius mercede sua,
id est, prædicator verbi Dei, seu quilibet
in spiritualibus aliis deserviens ac labo-
rans, dignus est capere sustentaculum vi-
tæ ab eis quibus spiritualia bona impen-
dit. Propter quod ait Apostolus : Dominus I Cor. ix, 14.
ordinavit his qui in Evangelio deservi-
unt, de Evangelio vivere. Sed hoc permis-
sio fuit, non jussio. Propter quod Paulus
scribit se hac potestate usum non esse, Ibid. 15; I Thess. ii, 5-9.
B sed propriis laboribus manualibus neces-
saria procurasse, ne quem gravaret aut
scandalizaret, et avaris occasionem avari-
tiæ amputaret : alios tamen Apostolos sic
fecisse testatur. Nec intelligenda sunt hæc,
quasi corporeus cibus et potus sit princi-
palis merces aut finis ultimatus prædica-
tionis aut cujuscumque ministerii spiritu-
alis; neque propter cibum et potum, quasi
ob præmium condignum, sunt spiritualia
exercitia finaliter exsequenda. Sic enim
temporale et corporale præponeretur bo-
C no divino et spirituali, quod esset mortale
peccatum; sed vitæ stipendium, est mer-
ces minus principalis et secundaria, ac-
cidentaliterque intenta, quia videlicet sine
corporeo alimento vita ista stare non po-
test, et per consequens, nec prædicatio ex-
hiberi.

Nolite transire de domo in domum, hoc
est sine rationabili causa mutare hospi-
tium, ne levitatis vitium incurratis, aut
alios scandalizetis, seu deliciosiora quæra-
tis. Verbum hoc in præcedentis capituli Luc. ix, 4.
D expositione plenius est tractatum. *Et in* 8
*quamcumque civitatem intraveritis, et sus-
ceperint vos* cives illius, *manducate quæ
apponuntur vobis :* et idem judicium est
de potu; *et curate infirmos qui in illa* 9
sunt, ut per miraculorum operationem cre-
dant vera esse quæ prædicatis, atque ad
opera pietatis inducantur, ac plene con-
vertantur ad Deum. Quis enim aliter cre-
didisset idiotis Christi discipulis, superna-
turalia, invisibilia, ac incomprehensibilia
prædicantibus, nisi per miracula soli Deo

Digitized by Google

possibilia ostendissent sua verba esse divina, et desuper confirmata? Deus equidem falsitatis confirmator esse non valet. Ideo apud Marcum evangelistam scriptum
Marc. XVI, 20. est : Profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. *Et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei,* hoc est, tempus gratiæ nunc advenit, et non bona terrena, sicut in veteri lege, sed cœlestia vobis promittuntur, prædicantur et offe-
Rom. XIII, 12. runtur. Hinc ait Apostolus : Nox præcessit, dies autem appropinquavit; itemque,
II Cor. VI, 2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Tunc quoque quum hæc prædicabantur, instabat tempus passionis Christi, per quam janua regni cœlestis aperta est. Rursus, regnum Dei appropinquat in eos, seu eis, qui se ad veræ beatitudinis adeptionem disponunt, terrena atque carnalia contemnendo. Potest etiam per regnum Dei, Christus ac sacra Scriptura intelligi.

10 *In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non receperint vos, exeuntes*
11 *in plateis ejus, dicite : Etiam pulverem qui adhæsit nobis de civitate vestra, ex-*
Luc. IX, 5. *tergimus in vos.* Hoc idem præcedenti capitulo Christus commisit Apostolis : quod ibidem expositum est, multæque sunt causæ positæ excussionis pulveris in non recipientes Christi discipulos. *Hoc tamen scitote, quia appropinquavit regnum Dei :* id est, quamvis nos recipere contemnatis, nihilo minus veritatem vobis denuntiamus; et quod in nobis est ac nobis commissum peragimus, quamvis hoc vergat in majorem vestram damnationem : ita quod
Joann. XV, 22. excusationem de ignorantia non habetis.

12 *Dico vobis, quia Sodomis,* id est Sodomitis, *in die illa* notabili et famosa, puta in die judicii, *remissius erit,* hoc est minor pœna, seu tolerabilior damnatio, *quam illi civitati,* id est habitatoribus ejus vos abjicientibus. — Circa hoc quæri potest : quum pœna correspondeat culpæ, si minor erit pœna Sodomitarum quam eorum qui Christi discipulos non receperunt, vi-

A detur quod minora fuerunt peccata Sodomorum quam horum, quum tamen in Genesi scriptum sit, quod homines Sodomitæ pessimi erant. Gen. XIII, 13. Ad hoc aliqui responderunt, quod verbum Christi intelligendum sit, non simpliciter, sed quantum ad aliquid, utpote quod inhospitalitas et immisericordia Sodomitarum in alios, non fuit tanti peccati, nec erit tanti supplicii, sicut eorum qui Christi discipulos respuerunt. Propterea ait Beda : Quamvis Sodomitæ inhospitales fuerunt, nulli tamen
B apud eos hospites tales, quales Apostoli, sunt reperti; et licet Lot adspectu et auditu justus erat, non tamen ibi aliquid docuisse, aut signa fecisse perhibetur. Denique angeli sancti in Sodomis invenerunt Ibid. XIX, 1. hospitium, imo a Lot cum adoratione, prece ac reverentia sunt suscepti. Si ergo in urbe aliqua nec unus exstiterat discipulos Christi suscipiens, quoad hoc pejor Sodomis comprobatur. De hac quæstione, et an absolute loquendo, major erit damnatio non recipientium discipulos Christi,
C quam Sodomorum, prætermitto, quia et super Matthæum plura de ea conscripsi. Matth. X, 15; XI, 24.

Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida, 13
quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ in vobis factæ sunt olim, in cilicio et cinere sedentes pœniterent. Quando aut quo affectu Christus hæc dixerit, apud Matthæum clarius scribitur : tunc videlicet, quando Joannes Baptista in vinculis Ibid. XI, 1-24. positus, misit discipulos suos ad Christum. Quibus quum Christus respondisset, et illi abiissent, inter cetera quæ prædicavit,
D cœpit exprobrare civitatibus in quibus plurimæ ejus virtutes factæ sunt, quia non egissent pœnitentiam, et dixit : Væ tibi Ibid. 21. Corozain, væ tibi, Bethsaida, etc.

Porro Corozain, Bethsaida, Capharnaum, Tiberias, sunt quatuor civitates Galilææ, sitæ in littore laci Genesareth, qui ab Evangelistis mare Galilææ seu mare Tiberiadis appellatur : Joann. VI, 1. in quibus urbibus Christus personaliter prædicavit, et multa egit miracula; et forte Apostoli quoque in eisdem urbibus jam prædicaverunt et

Digitized by Google

signa egerunt. Ideo habitatores urbium harum tanto gravius offenderunt, quanto majora eis beneficia sunt impensa quæ contempserunt, et post tanti magistri atque pastoris prædicationem in suis permanserunt sceleribus. Itaque Christus, zelo justitiæ seu compassionis affectu, et more propheticæ prænuntiationis ac comminationis, exprobravit incolis urbium harum, contestans quod gentilibus essent pejores : quia si olim in Tyro et Sidone aliquis Sanctorum talia fecisset miracula, exhortando eos ad pœnitentiam, qualia fecit in urbibus dictis Salvator, habitatores Tyri et Sidonis cilicia induissent, et cinerem suis superjecissent capitibus ex magnitudine contritionis, quemadmodum Ninivitæ (*Jonæ* III, 5-8.) ad prædicationem Jonæ. Porro, quod verum sit hoc, res ipsa probavit : quia post Christi passionem, statim ex prædicatione discipulorum Christi conversi sunt multi in urbibus istis, et postea omnes. Unde in Actibus Apostolorum (*Act.* XXI, 4-6.) describitur devotio Tyriorum : in quibus etiam multi spiritu splenduerunt prophetico, et Paulo apostolo vaticinabantur futura.

14 *Verumtamen Tyro et Sidoni,* id est habitatoribus civitatum illarum in paganismo defunctis, *remissius erit in judicio quam vobis :* quia multo minus peccaverunt quam ingratissimi incorrigibilesque isti Judæi, qui et legem naturalem et scriptam transgressi sunt, et insuper evangelicæ legis veritatem a Christo accipere noluerunt. Siquidem, servus sciens (*Luc.* XII, 47.), vel saltem dici sibi audiens, voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis. Unde de induratis ingratissimisque Judæis loquitur Christus (*Joann.* XV, 22.) : Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent, videlicet tam magnum ; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

Subinde specialiter reprehendit Capharnaum, quia præ ceteris fuit ingrata ac
15 scelerata. *Et tu, Capharnaum, usque in cœlum exaltata.* Quod dupliciter potest intelligi : Primo, ut dicatur, Usque in cœ-

A lum exaltata, hoc est valde præcipue honorata, eo quod Christus frequenter fuit, et ad tempus aliquantulum habitavit in ea, frequenter quoque prædicavit, et prodigia multa ac præclara egit ibidem, sicut Matthæus et Marcus clarissime scribunt (*Matth.* IV, 13; VIII, 13; *Marc.* I, 21; II, 1; etc.). Secundo, ut dicatur ratione suæ superbiæ, Usque in cœlum exaltata, propria æstimatione ac vanitate, et quoniam Christo superbissime fuit rebellis. Hic sensus litteralior est, quia in Matthæo legitur Christum dixisse (*Matth.* XI, 23.) : Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? *Usque ad infernum demergeris,* ut pœna proportionata sit culpæ, et magnitudini honoris correspondeat magnitudo dejectionis. B Quemadmodum enim homo tanto plus meretur exaltari in cœlo, quanto plus humiliaverit se in terra ; sic tanto plus meretur dejici in inferno, quanto plus in terra extollit se ipsum, juxta illud Job (*Job* XX, 6-8.) : Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit ; quasi sterquilinium in fine perdetur, velut somnium avolans non invenietur, transiet quasi visio nocturna. C Ideo in Ecclesiastico dicitur (*Eccli.* VII, 19.) : Humilia valde spiritum tuum, quia vindicta impii, ignis et vermis.

Præterea est advertendum, quam vere mira et incomprehensibilia sint summæ ac infinitæ sapientiæ judicia (*Rom.* XI, 33.), quoniam Christus in propria persona et per suos ministros, tam Prophetas, quam Apostolos, prædicavit et miracula egit his quos sciebat non credituros, imo ex hoc gravius condemnandos; his autem nec prædicavit, neque miracula demonstravit, quos noverat D credituros et convertendos, si eis prædicationem atque miracula impendisset. Unde Ezechieli locutus est (*Ezech.* III, 5-7.) : Fili hominis, non ad populum profundi sermonis et ignotæ linguæ tu mitteris ; et si ad illos mittereris, ipsi audirent te : domus autem Israel, ad quam mitto te, nolunt audire te. Itaque quod penetrare non possumus, sobrie admiremur, formidoloseque honoremus, scientes quod Deus sublimis et benedictus sit essentialiter ipsa sapientia atque justi-

Digitized by Google

tia, propter quod ejus quoque judicia, nec A
injusta, nec irrationabilia esse queunt.

Deinde Salvator docet præfatam commi-
nationem ac pœnam, non illis dumtaxat
imminere qui ipsum in propria ejus per-
sona non receperunt, verbis ejus credendo,
jussionibusque parendo, sed et omnibus
qui ejus discipulos, vicarios et prælatos
despiciunt, doctrinas eorum non adverten-
do, nec ipsis obediendo, in quibus sub-
16 jecti sunt ipsis. *Qui vos,* prædicatores,
pastores, prælatos, *audit,* verba vestra re-
verenter suscipiendo ac observando, *me* B
audit, quia tam gratum est mihi ac si me
in propria audiret persona, et quia ego
per meos loquor vicarios, et illi meam re-
præsentant personam. *Et qui vos spernit,*
id est, vestra documenta et jussa audire
aut adimplere contemnit, *me spernit,* quia
in tantum displicet mihi ac si me visibi-
liter præsentem loquentemque aspernare-
tur, ob causas prætactas. Audiant, pensent
et metuant hæc increduli et rebelles, per-
versi, duri, pertinaces, indociles, propri-
um sensum sectantes : quoniam suos non C
curando superiores, aut eis obloquendo,
resistendo, aut contumaciter respondendo,
non mediocriter peccant; nec viles parvi
pendunt personas, sed eum cujus digni-
tatis et excellentiæ non est finis, Unigeni-
tum Dei, principemque pastorum, imo et
Deum Patrem, prout Salvator adjecit : *Qui*
autem me spernit, non credendo, aut non
obediendo, *spernit eum qui me misit.* Mit-
tens quippe honoratur seu inhonoratur
in suo legato, dominus in ministro, pater
in filio, pastor in vicario. Pater quoque D
et Filius, haud dubium quin et Spiritus
I *Joann.* v, 7. Sanctus, substantialiter unum sunt, et in-
separabiliter ac inconfusibiliter per cir-
cumincessionem in se invicem æternali-
ter incomprehensibiliterque consistunt, ita
quod trium superexcellentium ac super-
honorabilium Personarum est una volun-
tas : ideo qui unam offendit, in singulas
peccat. Hinc apud Joannem Filius prote-
Joann. v, 23. statur : Qui non honorificat Filium, non
honorificat Patrem qui misit illum.

Itaque prælatis et patribus nostris reve-
rentiam debitam ac obedientiam impen-
damus, considerantes eos, non ut homines
qualescumque, neque ut tales aut tales
personas, sed ut Dei vicarios, ejus circa nos
personam repræsentantes. Nam et dominis
temporalibus, non solum bonis, sed etiam I *Petr.* II, 18.
dyscolis, jubet sanctus apostolus Petrus,
cum omni timore subjici ac parere mini-
stros : quanto magis spiritualibus obedi-
endum est patribus? Propter quod ad He-
bræos Paulus scribit apostolus : Obedite *Hebr.* XIII, 17.
præpositis vestris et subjacete illis; ipsi
enim pervigilant, quasi rationem pro ani-
mabus vestris reddituri : ut cum gaudio
hoc faciant, et non gementes. Hoc enim
expedit vobis. Moyses quoque in Exodo
rebellibus ait : Non contra nos est mur- *Exod.* XVI, 8.
mur vestrum, sed contra Deum. Et Paulus
apostolus scribit ad Thessalonicenses : Qui I *Thess.* IV, 8.
hæc spernit, inquit, non hominem sper-
nit, sed Deum. Porro, si prælatorum, vi-
cariorumque Christi aspernatio, tam grave
exstat piaculum in omni utique Christia-
no, quanto magis in religiosis, qui ad obe-
dientiam voto se adstrinxerunt? Non ergo
minus abhorreant suo patri non obedire,
quam continentiæ aut proprietatis votum
infringere.

Reversi sunt autem septuaginta duo dis- 17
cipuli ad Jesum, qui miserat eos ad præ-
dicandum. Unde prædicationis peracto ob-
sequio, ad eum reversi sunt, *cum gaudio*
spirituali, aliquid tamen inordinationis ad-
mixtum habente, ut statim dicetur; *dicen-*
tes, gratias referendo, Christi potentiam
confitendo : *Domine,* qui non solum in
terra hominibus, sed et dæmonibus domi-
naris, *etiam dæmonia subjiciuntur nobis*
in nomine tuo, hoc est, tua virtute, et per
tui nominis seu tui ipsius invocationem,
non solum infirmos curavimus, sicut nobis
commiseras, sed dæmonia quoque expel-
limus : quod ad tuum præconium tibi non
quasi ignoranti referimus, sed ut te qui
nos in tantum honorasti, honorificemus.

Et ait illis : Videbam Satanam, hoc est 18
diabolum, humanæ salutis adversarium, I *Petr.* v, 8.

sicut fulgur, hoc est valde celeriter, *de* A *cœlo cadentem,* quando ob suam inde ejectus est elationem; vel, Sicut fulgur, id est terribiliter. Quod enim per similitudinem emicationis fulguris, celeritas terribilitasque signentur, patet per illud Matthæi: *Matth.* XXIV, 27. Sicut fulgur exit ab oriente, et apparet usque ad occidentem, ita erit adventus Filii hominis. Secundum Gregorium, aliquid elationis vanæque gloriæ inerat discipulis istis ex tanta potestate eis concessa: ad cujus culpæ repressionem commemorat Christus exemplum horribile ruinæ ange- B licæ: tanquam dicat, Si angelo superbienti Deus tantam mox intulit ultionem, pensate quam vitanda sit vobis superbia, *II Petr.* II, 4, 9. inanisque gloria. Unde Petrus inquit: Si Deus angelis peccantibus non pepercit, novit iniquos in die judicii cruciandos reservare. Denique ruinam diaboli, Christus secundum quod Deus intellectualiter vidit, principaliterque effecit.

Quæritur, quomodo de cœlo corruisse dicatur diabolus, quum in Isaia dixisse le- *Is.* XIV, 13. gatur, In cœlum conscendam: quo appa- C ret, quod nondum erat in cœlo. Et respondendum, quod in cœlo empyreo fuit et conditus erat, secundum Strabum et Bedam, indeque cecidit. Porro quod dixit, In cœlum conscendam, de spirituali superbenedictæ Trinitatis cœlo exponitur, quia ad Dei excellentiam adspirabat. Hoc superficialiter ac breviter dictum sit. Plena enim responsio pluribus indiget verbis.

Præterea, verbum inductum, a Christo prolatum, potest exponi tanquam approbativum sermonis discipulorum: quasi di- D cat, Non mirum si mea dæmones compescantur potentia, qui in exordio vidi et videns feci dæmonum expulsionem de cœ- *Job* XXVI, 12. lo. Unde in libro Job scribitur: Prudentia ejus percussit superbum; et rursus, *Ibid.* IV, 18. In angelis suis reperit pravitatem; item- *Ibid.* XXVI, 13. que, Obstetricante manu ejus, eductus est *Ps.* LXXXVIII, 11. coluber tortuosus; atque in Psalmo, Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum. *Ezech.* XXVIII, 14, 16. Per Ezechielem quoque Christus testatur: Tu, Cherub extentus et protegens, repleta sunt interiora tua iniquitate; et ejeci te de monte sancto Dei, o Cherub, de medio lapidum ignitorum.

Ecce dedi vobis potestatem calcandi su- 19
per serpentes et scorpiones. Hoc dupliciter accipi potest. Christus enim dedit discipulis suis, non solum potestatem calcandi spiritualiter super spiritus malignos, per serpentes et scorpiones figuraliter designatos, ita quod illos possent ejicere, superare, affligere; sed etiam præstitit eis virtutem calcandi corporaliter, et absque læsura, super quæcumque animalia venenata: quod et in veteri Testamento præfiguratum videtur, quemadmodum in Deu- *Deut.* VIII, 15. teronomio legitur. Simile huic est illud in Psalmo: Super aspidem et basiliscum am- *Ps.* XC, 13. bulabis. Præterea, per serpentes ore venenum fundentes, signantur tam invisibiles quam visibiles hostes, qui electos Dei palam tentant seu persequuntur. Per scorpiones vero, qui punctione caudæ inficiunt, designantur æmuli occulte insidiantes sive tentantes. *Et super omnem virtutem inimici,* id est super quodcumque genus dæmonum, et super universam calliditatem et potestatem eorum. Quamvis enim naturalis illorum potestas major sit omni *Job* XLI, 24. potestate naturali in terra versantium, ut patet in Job, supernaturalis tamen potestas fidelium per gratiam præstita, dæmonum vincit virtutem, quamvis variis modis quærant nocere hominibus, et diversimode tentent, atque ad varia inclinent peccata.

Et nihil vobis nocebit. Quod corporaliter in Christi discipulis constat impletum, ita ut nec venena, nec venenata eis quid nocumenti potuerunt inferre. Unde et Paulus *Act.* XXVIII, 5. viperam excussit in ignem, et evangelista Joannes pessimum sine læsione potavit venenum. Ideo in Marco loquitur Christus: Signa eos qui crediderint, hæc se- *Marc.* XVI, 17, 18. quentur: In nomine meo dæmonia ejicient, serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Insuper corporalis seu spiritualis persecutio hominum malignorum ac dæmonum, electis Christi discipulis, quantum ad finalem de-

Digitized by Google

jectionem seu optati damni illationem, nil (Rom. VIII, 28.) nocuit, quia electis Dei omnia cooperantur in bonum, et temporalis tribulatio ad perpetuam eos duxit coronam. Ideo scri- (Ps. LXXXVIII, 23.) ptum est : Filius iniquitatis non apponet nocere ei.

20 *Verumtamen in hoc nolite gaudere* inordinate aut immoderate, videlicet eo modo quo nunc gaudetis, *quia spiritus*, puta dæmones, qui ob naturæ simplicitatem spiritus appellantur, *vobis subjiciuntur*, hoc est, per potestatem vobis collatam ejiciuntur. Hoc enim sicut et alia signa peragere, pertinet ad dona gratiæ gratis datæ, quæ ad aliorum utilitatem ordinantur, et bonis ac malis communia sunt hominibus. (Matth. VII, 22.) Nam ut asserit Christus, multi reprobi in die judicii sunt dicturi : Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus? Idcirco de hoc dono gloriandum non est, quasi de principali atque salvifico bono, quamvis debeat homo de omni bono sibi divinitus dato gratias agere Deo, et aliquo modo gaudere in ipso, secundum quod bonum illud collatum majus aut minus est.

Postremo, unde principalius atque præ- A cipue sit gaudendum, subjungit : *Gaudete autem* in Domino, ei regratiando, non vestris meritis adscribendo, *quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, hoc est, vos ipsi inter electos Dei jam estis per prædestinationem computati, et in cœlestibus mansionibus æternaliter collocandi, atque in libro vitæ scripti : quod nullus de se præscire certitudinaliter potest, nisi ex revelatione divina. Christus vero discipulis suis hoc potuit revelare : imo ad consolationem eorum revelare dignatus est, ut B tanto fortiores essent in omni sancto labore et afflictione, quanto certiores essent de beatifica retributione. Postremo, liber vitæ in Deo metaphorice ponitur : quemadmodum apud homines solent describi quæ specialiter spectant ad eos, sic electorum in divina mente conscriptio, hoc est firma eorum notitia seu tenax memoria in intellectu divino, dicitur liber vitæ, loquendo de vita gloriæ, ad quam electio finaliter pertinet. Unde et liber vitæ, non nisi æterna prædestinatio nominatur, qua C quidam ad vitam gloriæ a Deo sunt æternaliter præordinati.

ARTICULUS XXVII

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS HUJUS DECIMI CAPITULI, AB EO LOCO QUO DICITUR : IN IPSA HORA EXSULTAVIT IN SPIRITU SANCTO.

CHRISTUS hominum amator verissimus, de multiplici gratiæ dono per ipsum a Patre hominibus electis collato, vehementer gavisus est : imo quilibet bonus prælatus de hoc præcipue gloriari, Deoque gratias agere debet, quod subditos suos conspicit virtuosos, et divinæ clementiæ gratiosa munera abundare in eis. Idcirco (III Joann. 4.) Joannes dicit : Majorem horum gratiam non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. Et Paulus discipulorum (II Cor. IX, 15.) suorum virtutes commemorans : Gratias, D inquit, ago Deo super inenarrabili dono ejus. Sic egit et Christus, ut ait Evangelista.

In ipsa autem *hora*, qua Christus ver- 21
ba immediate præhabita discipulis dixit : quemadmodum potestatem eis dedisset super omnem virtutem inimici, et quod nomina eorum scripta essent in cœlis ; *exsultavit in Spiritu Sancto*, hoc est, ex motione Spiritus Sancti, qui animam Christi in universis direxit ac gubernavit et movit. Propter quod ab Isaia de ipso præ-

Digitized by Google

dictum est : Requiescet super eum Spiritus Domini, etc. Fuit etenim anima ejus plenissima septemplici dono Spiritus Sancti. Porro, dona Spiritus Sancti faciunt mentem creatam bene atque faciliter dirigibilem seu mobilem a Spiritu Sancto, sicut virtutes morales faciunt appetitum sensitivum prompte mobilem gubernabilemque a ratione. Itaque Jesus, secundum assumptam humanitatem et voluntatem humanam, exsultavit Spiritu Sancto, quia ex affectu seu dilectione procedente a Spiritu Sancto, et item spiritualiter secundum voluntatem Spiritus Sancti. — At vero supergloriosæ et superdignissimæ Trinitatis inimicus, quamvis vilis ac debilis, sacrilegus Arius, dicens Unigenitum Dei puram creaturam, nec in Christo fuisse veraciter animam rationalem, sed loco animæ fuisse ipsum Verbum corpori Christi unitum, hac evangelica auctoritate apertissime reprobatur. Ipse enim reprobus Arius finxit Spiritum Sanctum esse puram creaturam, et a Verbo seu Filio Dei creatum : quo dato, Christus a Spiritu Sancto nullam directionem aut gubernationem, vel perfectionem spiritualem accepisset.

Is. XI, 2.

Præterea, contemplandum quod anima Christi a suæ creationis exordio, Deum vidit per speciem, atque in beatificæ fruitionis exstitit gaudio indesinenter. Idcirco, quod in hac hora dicitur exsultasse, non est intelligendum quod ante in gaudio interiori non fuerit; sed interioris gaudii nunc quædam signa foris specialiter demonstravit, ita quod fuit jam quædam solito plenior redundantia internæ lætitiæ in inferioribus sensitivis viribus, et corporali natura ipsius, cujus indicia forinsecus apparebant: ideo Lucas convenientissime asserit, Exsultavit. Exsultatio namque dicitur, quasi extra se saltatio : quando videlicet ex abundantia gaudii interioris, signa lætitiæ foris erumpunt.

Et dixit Jesus, aperiens causam suæ exsultationis : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ.* Communiter a Sanctis atque doctoribus assignatur duplex confessio, de qua fatur Scriptura : una est confessio gratiarum actionis et laudis, alia autem est confessio culpæ. Plenius tamen loquendo, hoc adjiciendum, quod sacra Scriptura loquitur de triplici confessione laudabili. Prima est protestatio credendorum : de qua ait Apostolus, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; et Salvator ait, Qui me confessus fuerit coram hominibus, etc. Et ista confessio est actus fidei. Secunda est confessio gratiarum actionis et laudis divinæ, videlicet ipsa laudatio Dei, aut gratiarum actio ei exhibita : et ista est actus latriæ. De qua confessione nunc sermo est; de qua etiam sæpissime habetur in libro Psalmorum, sicut quum dicitur : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Tertia est confessio culpæ, videlicet accusatio et enuntiatio propriæ culpæ : et ista est actus pœnitentiæ. De qua Jacobus in sua Canonica scribit : Confitemini alterutrum peccata vestra.

Rom. X, 10. *Luc.* XII, 8. *Ps.* IX, 2; LXXXV, 12; CX, 1; CXXXVII, 1. *Jacob.* V, 16.

Itaque, *Confiteor tibi,* id est, laudo te, regratior tibi, *Pater* meus, non per adoptionis gratiam, ut hominum aliorum, sed per veram, æternam, naturalemque generationem, qua me incommutabiliter genuisti in identitate naturæ ex tua substantia : juxta illud Psalmi, Ex utero ante luciferum genui te; et rursus, Eructavit cor meum verbum bonum; itemque, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hoc testimonio rursus confusus est sceleratissimus Arius, Filium nec ab æterno fuisse, nec Patri consubstantialem esse dicere ausus. *Domine cœli et terræ,* hoc est cœlestium atque terrestrium, superiorum ac inferiorum, seu omnium quæ in cœlo continentur et terra : sicut ait Psalmista, Tui sunt cœli, et tua est terra. Omnium horum est Deus omnipotens Dominus jure creationis, ac gubernationis, et conservationis, solusque Deus est Dominus universalis, summus ac independens, utpote propria auctoritate dominans, cui ad nutum subjecta sunt omnia : ad quem omnis dominus citra ipsum se habet ut

Ps. CIX, 3. *Ps.* XLIV, 2. *Ps.* II, 7. *Ps.* LXXXVIII, 12.

Digitized by Google

servus ad dominum, ut instrumentum ad artificem, ut medium ad finem. De quo
Job xxxiv, 13. habetur in Job : Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Præterea, hoc testimonio confusa est hæresis Manichæi, hæc inferiora atque terrena non esse a Deo creata dicentis. Unde, ut Epiphanius ait, evangelium a Marcione editum, habet : Regratior tibi, Domine cœli : tacens quod dicitur, Et terræ, et quod dicitur, Pater, ne intelligatur quod Christus vocat Patrem creatorem cœli et terræ. Hæresis autem Manichæi a Marcione sumpsit exordium.

Quod abscondisti hæc mea documenta et fidei christianæ mysteria, legisque evangelicæ sacramenta quæ prædico, *a sapientibus et prudentibus,* hoc est superbis, qui se ipsos arbitrantur magnos et eruditos, in sensu proprio confidentes, et suæ prudentiæ innitentes : quales fuerunt multi philosophi ac alii, ante tempora Christi; Scribæ et Pharisæi, tempore Christi, de quibus jam ad litteram magis est sermo; multi quoque litterati, et de sua scientia tumidi, post tempus Christi. De qui-
I Cor. i, 26, 27. bus scribit Apostolus : Videte vocationem vestram, quia non multi sapientes sunt inter vos; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Et ali-
Rom. i, 22. bi : Dicentes se sapientes esse, stulti fa-
Prov. iii, 7, 5. cti sunt. Hinc Salomon : Non sis sapiens apud temetipsum; et ne innitaris prudentiæ tuæ.

Insuper, Deus dicitur ista reprobis abscondisse, eo modo quo dicitur eos indurare, et excæcare : non quod ipse sit directe causa ignorantiæ et peccati, sed quoniam justo judicio mentem humanam obscurari permittit et indurari, gratiam et virtutem non influendo, quemadmodum sol dicitur suo recessu causa congelationis, et nauta per suam absentiam causa naufragii. Sapientes autem et prudentes distinguuntur in hoc, quod sapientes dicuntur eruditi in rebus divinis, prudentes, periti in rebus humanis. — Denique, us-
Ps. l, 8. que in præsens Deus incerta et occulta

A sapientiæ suæ, degustationem suæ dulcedi- I Petr. ii, 3.
nis, vitæ internæ saporem, mysticam theologiam, suæ familiaritatis experientiam, suarum illustrationum splendores clarissimos, suarum inflammationum ardores præfervidos, sapientibus et prudentibus in se ipsis tumentibus menteque vanis abscondit : quæ tamen humilibus, mundi vanitates spernentibus, timoratis, sinceris, animo depuratis, simplicibusque revelat, quemadmodum in Proverbiis fertur : Cum Prov. iii, 32.
simplicibus sermocinatio ejus; atque in
B Psalmo, Testimonium Domini fidele, sa- Ps. xviii, 8.
pientiam præstans parvulis. Tales enim, quia in Dei amore ardentes sunt, in sapientiæ dono sunt præfulgentes, et per illud efficiuntur quasi secretarii Dei. Idcirco adjecit Salvator :

Et revelasti ea parvulis, hoc est humilibus, qui in oculis propriæ mentis sunt parvuli, dum omne bonum Deo adscribunt, et sibi in se ipsis vilescunt seu deprimunt, Deo et superioribus se subdunt ac parent : quod Christus ad litteram de
C suis dixit discipulis et eorum sequacibus. Denique, parvulus in Scripturis tripliciter dicitur : Primo, ratione ætatis, quemadmodum de Christo scriptum est per Isaiam : Parvulus natus est nobis. Secun- Is. ix, 6.
do, ratione imperfectionis sapientiæ ac virtutum, secundum illud Proverbiorum : Usquequo, parvuli, diligitis infantiam? et Prov. i, 22.
stulti quæ sibi nociva sunt, cupient? Et ad Hebræos : Omnis qui lactis est parti- Hebr. v, 13.
ceps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est. Tertio, ratione innocen-
D tiæ, humilitatis, ac simplicitatis, sicut hoc loco; quemadmodum etiam ait Apostolus : Facti sumus parvuli in medio vestrum. I Thess. ii, 7.
Hanc quoque utramque parvuli acceptionem tangit Apostolus : Nolite, inquiens, I Cor. xiv, 20.
pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti.

Deinde Christus opus hoc Patris æterni approbans, operisque causam assignans, adjecit : *Etiam, Pater,* hoc est, utique sic fecisti, *quia sic placuit ante te,* id est, in tua sapientia bonum sic visum est, et tuæ

Digitized by Google

ita complacuit voluntati. Quo patet, quod A de divina prædestinatione ac reprobatione cum omni reverentia, timorate, ac sobrie loqui debemus, nec summæ mentis judicia præsumptuose scrutari, aut temerarie judicare : præsertim quum intellectus nostri capacitas, a divini intellectus comprehensione et excellentia deficiat, et occumbat penitus infinite. Ideo in Proverbiis asseritur : *Prov. xxv, 27.* Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum : sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria.

Itaque, quod Deus unum elegerit et B gratia decoraverit, alium reprobaverit atque reliquerit, causa prima et summa, est beneplacitum seu voluntas ipsius : quæ quum sit essentialiter sapientia atque justitia ejus, nec injusta neque irrationabilis esse potest. Hinc de patribus veteris *Ps. xliii, 4.* Testamenti fatetur Psalmista Deo : Brachium eorum non salvavit eos : sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis. *Ephes. i, 5.* Atque Apostolus ad Ephesios : Prædestinavit nos, inquit, secundum propositum C *Ibid. 8, 9.* voluntatis suæ : et item : Gratia Dei superabundavit in nobis, in omni sapientia, et prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus. — Verumtamen quis non videat, quam pium et justum ac rationabile sit hoc, quod Deus majestatis ac gloriæ infinitæ, dona suæ clementiæ gratiosa potius humilibus quam superbis communicet ? Humilitas namque ad divinorum susceptionem charismatum mentem disponit creatam, quoniam Creatori suo eam D supponit ; superbia vero incapacem gratiæ efficit eam, et Creatori rebellem. Sed hoc potius imperscrutabile est, cur Deo ordinante ac cooperante, unus ad dispositionem gratiæ susceptivam magis pertingit quam alter, et cur unus potius præordinatus est in vas misericordiæ quam alter. Hinc sanctus ac superliberrimus Deus clare et inclyte protestatur in Exodo : *Exod. xxxiii, 19.* Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit.

Ideo humiliemur sub potenti manu Dei, *1 Petr. v, 6.* et quod in Ecclesiastico scriptum est, unusquisque nostrum satagat adimplere : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne *Eccli. iii, 22.* scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper. Attamen reverentialis ac moderata consideratio mirabilium Dei mysteriorumque fidei, licita est his quorum purgatus et illuminatus est animus, sicut ait Psalmista : Revela oculos *Ps. cxviii, 18.* meos, et considerabo mirabilia de lege tua : rursusque : Mirabilia testimonia tua, *Ibid. 129.* Domine : ideo scrutata est ea anima mea. — Postremo, circa hæc ait Gregorius : His Christi verbis, exemplum humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione præsumamus : injustum esse non potest, quod placuit justo. In cunctis ergo quæ exterius disponuntur, aperta causa rationis est occultæ justitia voluntatis.

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. 22
Hoc de Christo secundum utramque ejus naturam exponitur : quia secundum divinam suam naturam, omnia ei a Patre sunt tradita, eo quod per generationem æternam accepit a Patre totam Patris substantiam, et quidquid excellentiæ, opulentiæ, ac perfectionis in ea est, sive in Patre. Propter quod in Joanne profitetur : *Joann. xvi, 15.* Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Et rursus alloquens Patrem : *Ibid. xvii, 10.* Omnia, inquit, tua mea sunt, et mea tua sunt. Hæc autem traditio est per modum naturalis emanationis, de qua iterum asserit Unigenitus Dei : *Ibid. x, 29.* Pater quod dedit mihi, majus omnibus est. Insuper, Christo secundum suam humanitatem, tradita sunt omnia, hoc est prælatio, præsidentia, seu dominium totius entis creati, ita quod omnia sunt ejus humanitati subjecta ab incarnationis exordio. Propter quod ait Apostolus : *Hebr. ii, 8.* Omnia subjecisti sub pedibus ejus ; et denuo : *Ibidem.* In eo quod dicit, Omnia, nihil dimisit non subjectum ei. Porro secundum Athanasium, omnia Christo sunt tradita ad reformandum, ut sicut per Verbum facta sunt omnia, sic per Verbum carnem factum

Digitized by Google

omnia instaurarentur. Rursus, omnia tradita sunt Christo homini, de quibus in Joann. XII, 32. Joanne protestatur : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, videlicet omnia genera hominum electorum, seu quosdam de omni genere hominum, cujuscumque conditionis, status seu gradus consistant. His verbis secundum primam expositionem Christus ostendit se Patri æqualem in potestate.

Deinceps insinuat æqualem se Patri in sapientia. *Et nemo,* hoc est nullus, *scit* scientia plenæ comprehensionis, *quis sit Filius,* hoc est ipsum Unigenitum secundum suam divinitatem, *nisi Pater,* qui infinitæ est perspicacitatis in cognoscendo, sicut et Filius : imo in Patre et Filio, haud dubium quin et in Spiritu Sancto, est unus et idem numero intellectus, et quidquid de una trium superhonorabilium Personarum absolute dicitur, de singulis intelligitur. Unde exceptio hoc nomine, Nemo, designata, dicitur essentialis, non personalis, quia excipitur omnis alterius essentiæ, non omnis alterius personæ. *Et quis sit Pater,* hoc est, Patrem nullus plenarie comprehendit, *nisi Filius :* quoniam sicut Pater est infinitæ actualitatis et intelligibilitatis, sic Filius secundum quod Deus, est infinitæ intellectivitatis seu perspicacitatis et claritatis in intelligendo. Ibid. I, 18. Hinc Joannes : Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit. *Et cui voluerit Filius revelare,* ille cognoscit Patrem, non tamen plena comprehensione, et tam perfecte ut Filius : sed Filio revelante, fideles in hoc I Cor. XIII, 12. sæculo cognoscunt per speculum in ænigmate, per fidem, et per donum sapientiæ, atque per informationem sacræ Scripturæ; in patria vero cognoscunt clare per speciem, seu facie ad faciem, unde et comprehendere Deum dicuntur comprehensione extense accepta, quia conspiciunt Deum sicuti est in se ipso. Proprie autem Deum comprehendere dicitur, qui eum cognoscit tam perfecte sicut cognoscibilis est ex sua natura : quod nequit

A competere nisi intellectui perfectionis immensæ.

Denique probatur ex dictis, quod opera Patris et Filii ad extra sunt indivisa : quoniam paulo ante perhibuit Filius revelari divina a Patre; et nunc asserit se Patris cognitionem conferre hominibus; alibi demum affirmat cognitionem suam a Patre homini dari, ut quum loquitur Petro : Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et Matth. XVI, 17. sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.

Hoc interea advertendum, quod etiam B per naturalem rationem Deum in hac vita aliqualiter cognoscere possumus. Et quoniam ratio naturalis a Deo collata est, ideo illa cognitio quæ de Deo per naturalem rationem habetur, interdum revelatio appellatur, ut quum ad Romanos ait Apostolus : Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, Rom. I, 20, 19. conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles : quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis revelavit. Verumtamen, per naturalem rationem nullus C philosophorum cognovit aliquam divinam Personam secundum proprietatem personalem, nec superbeatissimam Trinitatem. Alia est revelatio altior, qua Deo revelante cognoscimus eum per fidem; et alia quædam : in qua revelatione sunt varii gradus, secundum quod variæ assignantur species contemplationis. Unde, secundum quod homo mentem suam magis purgaverit, et in divina dilectione magis profecerit, secundum hoc magis illuminatur divinitus, et clarius sibi revelatur Pater D æternus, totaque Trinitas superessentialis. Altissima tamen contemplationis Dei species in hac vita, dicitur mystica theologia, quæ est secretissima et ardentissima mentis cum Deo locutio : in qua contemplatione, quanto plus mens desuper illustratur, tanto splendidius intuetur Deum prorsus incomprehensibilem esse, et tandem unitur ei, tanquam omnino imperscrutabili et ignoto, per omnium entium abnegationem de eo, eum intuendo. Ideo divinus et magnus Dionysius scribit : Hoc

Digitized by Google

est Deum vere cognoscere et videre, su- A
persubstantialem supersubstantialiter per omnium entium ablationem laudare. Hinc ait Chrysostomus : Philosophi de Deo quærere contendentes, nil aliud se invenisse confessi sunt, nisi quod incognoscibilis est Deus. Sicut enim qui innavigabilem Oceanum usurpat navigare, necesse est ut per eamdem viam revertatur, sic illi ab ignorantia cœperunt, et ad ignorantiam finierunt.

23 *Et conversus ad discipulos suos,* hoc est, vultum suum dirigens ad eos, ut fa- B
ceret eos attentos, et dilectionem suam ad eos ostenderet, eosque aliis in exemplum imitationis proponeret, *dixit : Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Hoc ait Salvator, quia jam paulo ante gratias egit Patri, quod divinorum mysteriorum notitiam sapientibus atque prudentibus sæculi hujus propria superbia excæcatis abscondit, et humilibus suis ea revelavit discipulis : idcirco beatos asserit eorum oculos, præsertim interiores, beatitudine spei ac meritorum, ad plenam beatitudinem per- C
ducentium.

Itaque, *Beati oculi* vestri, o discipuli mei, *qui vident,* hoc est intelligunt, *quæ*
24 *vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis,* videlicet Unigenitum Dei incarnatum inter homines conversantem, ejus quoque miracula, et conversationem sanctissimam. Voluerunt etiam intelligere quæ intellexerunt discipuli Christi, quibus ip-
Luc. VIII, 10. se locutus est : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. *Et non viderunt* hæc D
oculo corporali, nec intellexerunt ista distincte. Voluerunt quoque seu optaverunt, si fuisset possibile, *et audire* ex ore meo prædicationem evangelicæ legis, *quæ auditis,* qui me secundum quod placet interrogatis, et informationem a me ipso accipitis ; *et non audierunt* eo modo quo vos, utpote ex ore meo.

Circa hæc quæritur, an intelligenda sint ista de visu audituque corporali, vel potius de visu et auditu mentali seu interiori. Primum dici non potest, quia taliter reprobi Judæi ac proditor Christum viderunt ac audierunt, quibus tandem gravis Sap. II, 15.
fuit ad videndum. Nec secundum videtur posse dici, quoniam ea quæ discipuli isti viderunt ac audierunt, multi Prophetæ ac reges spiritualiter cognoverunt, et Deo docente, seu angelo intus loquente, spiritualiter audierunt, juxta illud Psalmi : Tunc Ps. LXXXVIII, 20.
locutus es in visione Sanctis tuis ; itemque, Audiam quid loquatur in me Dominus Ps. LXXXIV, 9.
Deus ; et Zachariæ, Angelus loquebatur Zach. I, 9,
in me. Denique, quæ Christus in carne 13, etc.
exhibuit, fecit et docuit, prædixerunt Prophetæ. Unde in Amos legitur : Non faciet Amos III, 7.
Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Et Apostolus : Multifarie multisque modis Hebr. I, 1.
Deus olim loquens patribus in Prophetis. Hinc de Isaia ait Hieronymus, quod omnia Christi mysteria ita ad liquidum prosecutus est, ut evangelista potius quam propheta dicendus sit. Sed et ipse spiritualiter mirabili claritate vidit Christum in carne, quum dixit : Puer natus est nobis. Is. IX, 6.
Ejus quoque vidit miracula quando dixit : Ecce Deus vester veniet et salvabit vos : Ibid. XXXV,
tunc aperientur oculi cæcorum, et aures 4-6.
surdorum patebunt ; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. Similiter passionem Christi clarissime vidit in spiritu, dum loquitur : Vidimus Ibid. LIII,
eum, et non erat adspectus ; vere languo- 2, 4.
res nostros ipse tulit, etc. Idem de David rege, et Daniele, ceterisque Prophetis, posset ostendi. Nec dubium quin Salomon tempore suæ illustrationis propheticæ, et alii reges justi veteris Testamenti qui Christi futurum noverunt adventum, ipsum videre atque audire optaverint, scilicet Asa, Josaphat, Joathan, Ezechias, Josias. De Abraham quoque ait Salvator : Exsultavit ut videret diem meum ; vidit, Joann. VIII,
et gavisus est. 56.

Ad hæc rationabiliter respondetur, quod prædicta intelligenda sint, de visu et auditu interiori conjuncto visui atque auditui exteriori. Talis etenim visus et au-

Digitized by Google

ditus hominibus connaturalior est atque A
jucundior, et desiderabilissimum jucundissimumque fuit taliter videre et audire Unigenitum Dei hominem factum. Hinc in Numeris Balaam loquens clarissime de tempore Christi et ejus mysteriis, inter
Num. xxiv, 23. cetera ait : Heu, quis victurus est, quando ista faciet Dominus ? Et in Actibus Petrus
Act. iii, 24. apostolus : Omnes (inquit) Prophetæ a Samuel et deinceps, annuntiaverunt dies istos. Alias demum duas posui responsiones
Matth. xiii, 17. ad dubium istud super Matthæum.

Postremo, pro eo quod hic dicitur, Multi B
Ibidem. Prophetæ et reges, etc., in Matthæo legitur, Multi Prophetæ et justi. Justi enim, secundum Bedam, sunt reges magni, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo ac superando præesse noverunt. Ait autem et Origenes circa hæc verba : Salvator dicit plures Prophetas et justos prædicta optasse, non omnes, quia de Abraham dicitur, quia vidit diem Christi et lætatus est : quam visionem non plures, sed pauci attigerunt. Fuerunt autem et alii Prophetæ C
et justi, non tanti ut visionem Abrahæ et peritiam Apostolorum attingerent : et hos dicit non vidisse, sed optasse.

25 *Et ecce quidam legisperitus,* id est doctus in lege. Magistri autem Judæorum majores, vocabantur Scribæ et legisperiti.
Tit. iii, 13. Unde et Apostolus ait : Zenam legisperitum. *Surrexit,* quasi reverentiam exhibens Christo docenti, quo prædicante auditores sedere solebant; vel surrexit ut a cunctis melius audiretur, vel ut auditores ad suum adspectum atque præconium D
incitaret. Fuit autem peritus in lege, loquendo de informi scientia, quæ non est caritate et virtuosa conversatione ornata, quibus ornatur bonorum scientia, propter quod vocatur formata. Rursus, peritus fuit peritia litterali, non intelligentia spirituali. *Tentans eum,* id est, circumvenire et fallere cupiens. Dicit namque Chrysosto-
* Cyrillus mus * : Erant quidam verbosi circumeuntes totam regionem Judæorum, accusantes Christum, dicentes quod præcepta Moysis inutilia diceret, et nova induceret documenta. Volens ergo legisperitus seducere Christum, adest tentans eum et quærens : *Magister :* magistrum vocat, cujus instructioni subjici dedignatur ; *quid faciendo vitam æternam possidebo ?* hoc est, quibus operibus promereri potero et sortiri beatitudinem æternam ? Sciebat itaque, quod non loquendo dumtaxat, sed etiam operibus virtuosis insistendo, obtineatur felicitas. Occasionem hujusmodi tentationis et inquisitionis, secundum Bedam, sum-
psit ex eo quod audivit a Christo : Gau- vers. 20.
dete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Recteque dixit, Possidebo, quia felicitas simul habetur, et nunquam amittitur, dicente Boetio : Æternitas est interminabilis vitæ tota simul perfecta possessio ; et rursus, Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.

At ille summus magister, cordium se- 26
cretissima infallibiliter intuens, *dixit ad illum : In lege* Moysis *quid scriptum est ? quomodo legis,* in libris Mosaicæ legis ? quasi dicat : Non rectam formam tenes in legendo, quia non imples quæ legis et prædicas. Quidam equidem legunt, nec faciunt ; quidam faciunt, et legere nequeunt ; alii legunt, et faciunt.

Præterea, quoniam legisperitus voluit Christo imponere quod aliquid contra Moysen ageret aut doceret, Christus sua in-
quisitione ostendit oppositum. *Ille respon-* 27
dens, dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, hoc est tota voluntate, seu toto voluntatis desiderio et affectu. Itaque per cor designatur voluntas, quoniam sicut cor est primum vivens, et cetera membra movens, sic voluntas per caritatem primo vivificatur, et ceteras animæ movet vires. *Et ex tota anima tua,* hoc est secundum potentias animales ac sensitivas : ut sensus interiores et exteriores, appetitusque sensitivus, tam concupiscibilis quam irascibilis, rationi ac legi divinæ subdantur ; atque secundum Deum, et ut exigit ejus dilectio, ad caritatisque profectum expedit, refrenentur, ac diri-

Digitized by Google

Ps. cxviii, 37. gantur. Propter quod orat Psalmista : Averte oculos meos ne videant vanitatem. In *Eccli.* xxviii, 28. Ecclesiastico quoque docetur : Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam. Jubemur ergo Deum ex his viribus sensitivis diligere : non quod potentiæ istæ organicæ Deum simplicissimum habeant pro objecto, vel ad ejus dilectionem directe ac immediate pertingant, aut divinæ dilectionis exsistant subjecta ; sed quia taliter sunt regendæ, ut expedit ad caritatis adeptionem, conservationem, profectum, et consummationem. Pro quo ad- *Ibid.* xxiii, 4-6. implendo dicitur in Ecclesiastico : Domine, pater et dominator vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium pravum averte a me ; aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me. *Et ex omnibus viribus tuis.* Jam de viribus per cor et animam designatis mentio facta est : cur ergo nunc addit, Et ex omnibus viribus tuis ? Ad quod dupliciter respondetur. Primo, ut istud intelligatur de viribus reliquis, de quibus nondum quid dictum est : quia et vires vegetativæ in actibus suis regendæ sunt ratione secundum Deum, quantum fieri potest. Non enim totaliter rationi subduntur, sed naturaliter operantur : attamen objecta earum applicanda sunt eis secundum rectæ rationis censuram ; et quantum ad modum, locum ac tempus actionis, rationi quodammodo subjiciuntur. Secundo, ut quod ait, Ex omnibus viribus tuis, intelligatur quantum ad exsecutionem et usum virium in exterioribus operibus, quatenus etiam illa viriliter ad Dei honorem cum *Rom.* xii, 1. discretione agantur, ut ait Apostolus : Rationabile obsequium vestrum. *Et ex omni mente tua,* id est toto intellectu et intentione, ne in intellectu sit error seu hæresis, aut intentio caritati Dei repugnans. — Porro præceptum hoc scriptum est in *Deut.* vi, 5. Deuteronomio, ubi legitur : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.

Circa quod quæritur : quum Moyses non A exprimat nisi tria, ex quibus totis amandus est Deus, cur hic dicuntur quatuor esse scripta in lege ? Ad quod respondetur, quod tria illa a Moyse dicta includunt hæc quatuor, ideo quatuor ista scripta sunt ibi, saltem virtualiter atque implicite. Nempe quod dicitur hic, Ex omnibus viribus tuis, Moyses per fortitudinem intellexit. Totum autem cor frequenter intellectum et voluntatem comprehendit ac denotat, sicut quum dicimus : Confitebor tibi, Domine, *Ps.* ix, 2; lxxxv, 12; cxxxvii, 1. in toto corde meo. Denique apud Matthæ- B um ponuntur tria, quum dicitur : Diliges *Matth.* xxii, 37. Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Unde ibidem omittitur, Ex tota fortitudine tua, seu, Ex omnibus viribus tuis : quod tamen per totam animam satis insinuatur. Anima namque dicitur totum potestativum, quia plures continet vires.

Oportet scire, quod præceptum istud tripliciter potest intelligi et exponi : Primo, quantum ad indesinentem actum, ut scilicet cor, mens, anima, fortitudo, sem- C per, actualiter atque totaliter ferantur in Deum, absque commixtione mali contrarii : sicque præceptum istud non impletur a viatoribus nobis in vita præsenti, sed a Beatis in patria. Unde juxta hunc sensum, diligere Deum ex toto corde, est eum diligere actuali amore incessanter in Deum erecto secundum totum posse voluntatis, sine admixtione omnis inordinati affectus, caritatis minorativi. Diligere autem Deum ex tota mente, est Deo per contemplationem indesinenter, semper, actualiter, se- D cundum extremum posse intendere, absque admixtione omnis evagationis, erroris et deceptionis. Diligere vero Deum ex tota anima, est secundum ceteras vires animales et sensitivas esse ordinatum in Deo incessanter, complete : quod in Beatis erit, potissimum post resurrectionem futuram, dum omnes sensuum interiorum et exteriorum sensitivique appetitus operationes ordinatissimæ erunt in Deo, et ad Dei conferent laudem, amorem et contemplationem. Diligere autem Deum ex omnibus

Digitized by Google

viribus, est omnem exteriorem actum habere promptissimum jugiter ad Dei honorem et cultum atque imperium : quod totum non nisi in patria valet impleri; et implebitur, non solum absque difficultate, imo et cum indicibili jucunditate. In patria ergo impletur præceptum istud perfecte, in via imperfecte. — Secundo exponitur hoc præceptum quantum ad actum supererogationis, ut sic Deus diligatur toto corde, totaque mente, etc., quatenus Dei intuitu et amore omnia deserantur quæ voluntatem, intellectum, animam, et operationem seu vires, impedire solent et possunt a Dei amore et contemplatione in vita præsenti, ut sunt divitiæ, parentes, cognati, proles, voluntasque propria : sicque præceptum istud caritatis implere ad religiosos dignoscitur pertinere. — Tertio exponitur quantum ad actum necessitatis, ut sic corde, mente, anima, fortitudine, Deum amemus, quatenus nil caritati divinæ contrarium operemur aut appetamus.

Et proximum tuum sicut te ipsum, id est vere, ordinate, ac spiritualiter, optando ei bona gratiæ in præsenti, et dona gloriæ in futuro; item, Sicut te ipsum, id est propter Deum, et ob felicitatem æternam, videlicet quia Deus præcepit, et quia ad ejus imaginem factus est proximus tuus, et quoniam Deus est prima causa ac ratio totius amabilitatis, ac puræ dilectionis, quum ipse sit prima, fontalis infinitaque bonitas. Rursus, Sicut te ipsum, id est perseveranter usque in finem, et non condescendendo ei in vitiis, sicut nec tibi vis condescendi in eis, si tamen te vere ac spiritualiter diligis. Non tamen oportet diligere proximum tam intense sicut se ipsum, ut, Sicut, dicat similitudinem, non æqualitatem. Hoc autem præceptum sumptum est ex eo quod in Levitico scriptum
Lev.xix,18. est, Diliges amicum tuum sicut te ipsum : ubi Septuaginta transtulisse dicuntur, Proximum tuum. Per proximum autem intelligitur omnis homo gratiæ et gloriæ capax. Damnati vero, ex caritate amandi non

A sunt, quia nec gratiæ nec gloriæ sunt capaces. Omnem igitur hominem viatorem, quantumlibet adversantem, ex caritate sicut nos ipsos diligere obligamur. Dicit autem Basilius : Quis non novit, quoniam mansuetum et communicativum animal est homo, non solitarium et silvestre? Nihil enim tam proprium est nostræ naturæ, sicut ad invicem communicare, et mutuo indigere, et cognatum amare.

Quorum ergo præveniens Dominus nobis tradidit semina, horum consequenter et
B fructus requirit. *Dixitque illi,* scilicet le- 28
gisperito Dominus Jesus : *Recte respondisti,* quia veraciter scriptum est quod scriptum allegas. *Hoc fac,* id est, hæc duo caritatis præcepta adimple, *et vives* vita gratiæ in exsilio, et vita gloriæ in regno. Sicque soluta est quæstio qua quærebat, Quid faciendo vitam æternam possidebo? Ex qua Christi responsione ostendit Origenes hæreticam pravitatem Valentini et Marcionis atque Basilidis.

Ille autem volens justificare se ipsum, 29
C id est justum monstrare, et suam eminentiam ostentare, quum tamen in Ecclesiastico scriptum sit : Non te justifices ante Eccli.vii,5.
Deum. Job quoque ait : Quid est homo, ut Job xv, 14.
immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere? *Ait* : Et quis est meus proximus?* Hoc rursus quæsivit, ut caperet Christum in sua responsione. Advertit enim, ut apparet, quemadmodum Christus doceret etiam inimicos esse diligendos : quod iste putavit esse contra Moysis legem, quia Judæi quamplurimi per proximum non in-
D telligebant nisi Judæum, et ceteros reputabant alienos. Hinc interrogavit, Quis est meus proximus? ut si Christus diceret, Quilibet homo vitæ præsentis, probaret eum legis adversarium ; si vero diceret, Quicumque Judæus, probaret se justum, dicendo, Omnem amo Judæum. Sed, ut Salomon loquitur, Frustra jacitur rete ante Prov.i,17.
oculos pennatorum. Unde et Christus sapientissimus sic respondet, quod insidiatorem propria rursus responsione concludit, proponens parabolam.

* Dixit ad Jesum

30 *Suspiciens autem Jesus,* id est, sursum adspiciens, seu late et alte circumducens oculos, ad insinuandum quod de re magna esset locuturus, atque compatiens communi humani generis calamitati, *dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.* Sensus superficialiter litteralis difficultatem non habet. Et quod hic quasi parabola dicitur, potuit esse res gesta : quia ut dicit Basilius, Jerusalem in cacumine sita est, Jericho autem deorsum, inter quas urbes fuit desertum in quo latrones consueverunt quosdam occidere.

Porro, juxta intelligentiam spiritualem, per hominem hunc intelligitur primus noster parens Adam, seu genus humanum, seu quilibet homo post innocentiam baptismalem atque justitiam ad iniquitates prolapsus. Talis ergo descendit, id est, peccando spiritualiter deorsum collapsus est, a Jerusalem, hoc est paradiso terrestri, in quo Adam realiter fuit; vel a cœlesti Jerusalem, seu regno cœlorum, in quo per spem et meritum est omnis justus viator, quum et Apostolus dicat, Nostra conversatio in cœlis est (*Philipp.* III, 20); vel a tranquillitate interna, et contemplatione pacis mentalis. Quum enim Jerusalem interpretetur visio pacis, per eam hæc tria signantur, videlicet : paradisus terrestris, qui est locus quietis, in quo fuit visio pacis supernæ, quamvis non tam clara sicut in patria : imo visio seu contemplatio quæ fuit in Adam ante peccatum, et modo in paradiso est in Elia, habet se medio modo inter contemplationem patriæ, et contemplationem communem devotorum in isto exsilio. Item, per Jerusalem figuratur regnum cœleste, in quo est beatifica visio pacis æternæ quæ omnem sensum exsuperat (*Ibid.* IV, 7). Ipsa quoque mentalis tranquillitas animæ viatricis in Deo pacatæ ac dulciter stabilitæ, per Jerusalem denotatur. Insuper, sicut omnes in Adam eramus atque cecidimus, sic omnes in ipso in paradiso terrestri exstitimus, et in ipso inde expulsi elapsique sumus. Per Jericho vero, hic mundus instabilis, seu vitæ præsentis mortalitas et defectus intelliguntur. Jericho quippe interpretatur luna, per quam in Scripturis defectus exprimitur, instabilitas, insipientia, atque mortalitas, propter jugem lunæ variationem, crescentiam et decrescentiam. Unde in Ecclesiastico scribitur : Stultus mutatur ut luna (*Eccli.* XXVII, 12). Et sicut luna a sole deficit in splendore, sic status vitæ hujus mortalis a statu paradisi ac immortalitatis.

Itaque homo iste peccando *incidit in latrones,* id est in dæmonum acies, qui animarum jugiter quærunt vitam spiritualem occidere. Nam et invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24); et diabolus homicida ab initio fuit, ut Christus apud Joannem fatetur (*Joann.* VIII, 44). *Qui etiam despoliaverunt eum,* hoc est, donis gratiæ ac virtutum spiritualiter nudaverunt : quia dum hominem per tentamenta ad peccatum mortale perducunt, donis ac virtutibus, quæ sunt animæ vestes ac ornamenta, eum mox privant; ipsumque Adam originali nudaverunt justitia, atque multiplici virtutum ornatu, de quibus in Isaia ait Ecclesia, loquens de Sponso cœlesti : Induit me vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me (*Is.* LXI, 10). His indumentis animæ nostræ in Baptismo fuerunt indutæ : quæ peccando amisimus, sed per Pœnitentiam et cetera sacramenta ea recuperare valemus. De quibus etiam vestimentis in Apocalypsi loquitur Christus : Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis (*Apoc.* III, 4). *Et plagis impositis, abierunt,* id est, quum hominem multipliciter vulnerassent in anima, ad horam cessaverunt ab ejus læsione; vel, Abierunt, insidias abscondendo. Specialiter autem incurrit genus humanum quatuor vulnera animæ ex originali peccato, videlicet malitiam, id est pronitatem ad mala in voluntate, ignorantiam in intellectu, infirmitatem in vi irascibili, concupiscentiam in concupiscibili. *Semivivo relicto :* quia licet per peccatum mortale vita gratiæ et caritas totaliter auferantur, manet tamen in homine liberum arbitrium, quo potest

Digitized by Google

resurgere durante hac vita, seu aptitudo
ad pœnitendum, ita ut radicaliter seu potentialiter manet vita spiritualis in anima. Rursus, quamvis peccata dona naturæ inficiant, non tamen totaliter destruunt ea, unde et vita gratiæ deficiente, manet vita naturæ.

31 *Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso eo, præteriit.* Per sacerdotem istum, intelligitur Aaron, vel chorus sacerdotum legalium : qui eadem via descendit, quia per originale peccatum venit in mundum ; et cognita generis humani seu Adæ vulneratione seu destitutione, qua gloria beatitudinis fuit privatus, pertransiit, quia liberare et sal-
Hebr. VII-X. vare nequivit : quemadmodum in epistola
ad Hebræos copiose probat Apostolus; et
Galat. II, 21. ad Galatas ait, Si ex lege est justitia, er-
32 go Christus gratis mortuus est. *Similiter et Levita, quum esset secus locum et videret eum,* scilicet hominem semimortuum, *pertransiit.* Per Levitam exprimitur Moyses frater Aaron Levites, seu chorus ministrorum templi aut Prophetarum : qui quum esset in mundo hoc vivens, et genus humanum intelligeret sauciatum, salvare illud non potuit, imo pertransiit, et moriendo ad limbum inferni devenit.

33 *Samaritanus autem quidam iter faciens.* Per Samaritanum, ob nominis interpretationem, Christus designat se ipsum, quoniam Samaritanus custos interpretatur : quod competit Christo, juxta illud
Ps. CXX, 4. Psalmi, Ecce non dormitabit neque dor-
Ps. CXIV, 6. miet qui custodit Israel; et rursus, Custo-
diens parvulos Dominus. Cui dicitur apud
Job VII, 20. Job : Quid faciam tibi, o custos hominum?
Christus itaque iter fecit in sæculo isto,
Joann. I, 14. juxta illud Joannis : Verbum caro factum
est, et habitavit in nobis. Baruch quoque :
Baruch III, 38. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. *Venit secus eum,* id est, humano generi clementissime se conjunxit, et illud sicut medicus languidum, visitavit, quemadmodum loquitur
Ps. XXXIX, 7, 8. Patri in Psalmo : Holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi, Ecce venio.
Et per Zachariam : Gaude et lætare, filia Zach. II, 10.
Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui. *Et videns eum* oculo corporali ac intellectuali, *misericordia motus est,* secundum illud Threnorum : Misericordiæ Thren. III, 22.
Domini, quia non sumus consumpti. Imo quo Christus nos magis dilexit, eo nostris miseriis tam pœnalibus quam culpabilibus magis condoluit. Quod semper pensare debemus, sicut Isaias ait : Miserationum Is. LXIII, 7.
Domini recordabor, super omnibus quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam.

Et appropians, hoc est, generi humano 34
se medicinaliter ac proportionabiliter applicans, dicente Apostolo : Christus exina- Philipp. II, 7.
nivit se ipsum, formam servi accipiens ;
atque in similitudine carnis peccati appa- Rom. VIII, 3.
rens. Debuit quippe per omnia fratribus Hebr. II, 17.
assimilari, qui secundum suam divinitatem distat ab hominibus infinite, non loco, sed perfectionis excessu ac dissimilitudine. *Alligavit vulnera ejus,* id est, per infusionem caritatis et gratiæ, aliorum quoque habituum fortium, scilicet virtutum et donorum, vires animæ vulneratas a peccatis retraxit, cohibuit et curavit, potissimum in Baptismo. Propter quod in Actibus loquitur Petrus : Baptizetur unusquisque Act. II, 38.
vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti. Præterea Christus per suam passionem salvificam vulnera ista alligavit atque curavit, in quantum passio sua fuit satisfactoria pro totius mundi peccatis, et meritoria gratiæ omnibus nobis. Idcirco apud Isaiam scriptum est : Vere Is. LIII, 4, juxta LXX.
languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit. Itemque Petrus ait : Pec- I Petr. II, 24.
cata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Sed et tota Christi prædicatio, conversatio, miraculosa operatio, medela fuit vitiorum nostrorum. *Infundens oleum,* id est Spiritus Sancti unctionem et consolationem, piamque informationem, *et vinum,* hoc est confortationem et exhortationem ferventem ad bona, seu justam increpationem propter peccata. Nam et Petro locu-

Digitized by Google

ita complacuit voluntati. Quo patet, quod A de divina prædestinatione ac reprobatione cum omni reverentia, timorate, ac sobrie loqui debemus, nec summæ mentis judicia præsumptuose scrutari, aut temerarie judicare : præsertim quum intellectus nostri capacitas, a divini intellectus comprehensione et excellentia deficiat, et occumbat penitus infinite. Ideo in Proverbiis asseri-
Prov. xxv, 27. tur : Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum ; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria.

Itaque, quod Deus unum elegerit et B gratia decoraverit, alium reprobaverit atque reliquerit, causa prima et summa, est beneplacitum seu voluntas ipsius : quæ quum sit essentialiter sapientia atque justitia ejus, nec injusta neque irrationabilis esse potest. Hinc de patribus veteris
Ps. xliii, 4. Testamenti fatetur Psalmista Deo : Brachium eorum non salvavit eos ; sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.
Ephes. i, 5. Atque Apostolus ad Ephesios : Prædestinavit nos, inquit, secundum propositum C
Ibid. 8, 9. voluntatis suæ ; et item : Gratia Dei superabundavit in nobis, in omni sapientia, et prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus. — Verumtamen quis non videat, quam pium et justum ac rationabile sit hoc, quod Deus majestatis ac gloriæ infinitæ, dona suæ clementiæ gratiosa potius humilibus quam superbis communicet ? Humilitas namque ad divinorum susceptionem charismatum mentem disponit creatam, quoniam Creatori suo eam D supponit ; superbia vero incapacem gratiæ efficit eam, et Creatori rebellem. Sed hoc potius imperscrutabile est, cur Deo ordinante ac cooperante, unus ad dispositionem gratiæ susceptivam magis pertingit quam alter, et cur unus potius præordinatus est in vas misericordiæ quam alter. Hinc sanctus ac superliberrimus Deus
Exod. xxxiii, 19. clare et inclyte protestatur in Exodo : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit.

Ideo humiliemur sub potenti manu Dei, *I Petr.* v, 6.
et quod in Ecclesiastico scriptum est, unusquisque nostrum satagat adimplere : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne *Eccli.* iii, 22.
scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper. Attamen reverentialis ac moderata consideratio mirabilium Dei mysteriorumque fidei, licita est his quorum purgatus et illuminatus est animus, sicut ait Psalmista : Revela oculos *Ps.* cxviii, 18.
meos, et considerabo mirabilia de lege tua ; rursusque : Mirabilia testimonia tua, *Ibid.* 129.
Domine ; ideo scrutata est ea anima mea. — Postremo, circa hæc ait Gregorius : His Christi verbis, exemplum humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione præsumamus : injustum esse non potest, quod placuit justo. In cunctis ergo quæ exterius disponuntur, aperta causa rationis est occultæ justitia voluntatis.

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. 22
Hoc de Christo secundum utramque ejus naturam exponitur : quia secundum divinam suam naturam, omnia ei a Patre sunt tradita, eo quod per generationem æternam accepit a Patre totam Patris substantiam, et quidquid excellentiæ, opulentiæ, ac perfectionis in ea est, sive in Patre. Propter quod in Joanne profitetur : Omnia *Joann.* xvi, 15.
quæcumque habet Pater, mea sunt. Et rursus alloquens Patrem : Omnia, inquit, tua *Ibid.* xvii, 10.
mea sunt, et mea tua sunt. Hæc autem traditio est per modum naturalis emanationis, de qua iterum asserit Unigenitus Dei : Pater quod dedit mihi, majus omni- *Ibid.* x, 29.
bus est. Insuper, Christo secundum suam humanitatem, tradita sunt omnia, hoc est prælatio, præsidentia, seu dominium totius entis creati, ita quod omnia sunt ejus humanitati subjecta ab incarnationis exordio. Propter quod ait Apostolus : Omnia *Hebr.* ii, 8.
subjecisti sub pedibus ejus ; et denuo : In *Ibidem.*
eo quod dicit, Omnia, nihil dimisit non subjectum ei. Porro secundum Athanasium, omnia Christo sunt tradita ad reformandum, ut sicut per Verbum facta sunt omnia, sic per Verbum carnem factum

Digitized by Google

omnia instaurarentur. Rursus, omnia tradita sunt Christo homini, de quibus in Joanne protestatur : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, videlicet omnia genera hominum electorum, seu quosdam de omni genere hominum, cujuscumque conditionis, status seu gradus consistant. His verbis secundum primam expositionem Christus ostendit se Patri æqualem in potestate.

Joann. XII, 32.

Deinceps insinuat æqualem se Patri in sapientia. *Et nemo,* hoc est nullus, *scit* scientia plenæ comprehensionis, *quis sit Filius,* hoc est ipsum Unigenitum secundum suam divinitatem, *nisi Pater,* qui infinitæ est perspicacitatis in cognoscendo, sicut et Filius : imo in Patre et Filio, haud dubium quin et in Spiritu Sancto, est unus et idem numero intellectus, et quidquid de una trium superhonorabilium Personarum absolute dicitur, de singulis intelligitur. Unde exceptio hoc nomine, Nemo, designata, dicitur essentialis, non personalis, quia excipitur omnis alterius essentiæ, non omnis alterius personæ. *Et quis sit Pater,* hoc est, Patrem nullus plenarie comprehendit, *nisi Filius :* quoniam sicut Pater est infinitæ actualitatis et intelligibilitatis, sic Filius secundum quod Deus, est infinitæ intellectivitatis seu perspicacitatis et claritatis in intelligendo. Hinc Joannes : Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit. *Et cui voluerit Filius revelare,* ille cognoscit Patrem, non tamen plena comprehensione, et tam perfecte ut Filius : sed Filio revelante, fideles in hoc sæculo cognoscunt per speculum in ænigmate, per fidem, et per donum sapientiæ, atque per informationem sacræ Scripturæ; in patria vero cognoscunt clare per speciem, seu facie ad faciem, unde et comprehendere Deum dicuntur comprehensione extense accepta, quia conspiciunt Deum sicuti est in se ipso. Proprie autem Deum comprehendere dicitur, qui eum cognoscit tam perfecte sicut cognoscibilis est ex sua natura : quod nequit competere nisi intellectui perfectionis immensæ.

Ibid. I, 18. I Cor. XIII, 12.

Denique probatur ex dictis, quod opera Patris et Filii ad extra sunt indivisa : quoniam paulo ante perhibuit Filius revelari divina a Patre; et nunc asserit se Patris cognitionem conferre hominibus; alibi demum affirmat cognitionem suam a Patre homini dari, ut quum loquitur Petro : Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus. Matth. XVI, 17.

Hoc interea advertendum, quod etiam per naturalem rationem Deum in hac vita aliqualiter cognoscere possumus. Et quoniam ratio naturalis a Deo collata est, ideo illa cognitio quæ de Deo per naturalem rationem habetur, interdum revelatio appellatur, ut quum ad Romanos ait Apostolus : Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles : quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis revelavit. Verumtamen, per naturalem rationem nullus philosophorum cognovit aliquam divinam Personam secundum proprietatem personalem, nec superbeatissimam Trinitatem. Alia est revelatio altior, qua Deo revelante cognoscimus eum per fidem; et alia quædam : in qua revelatione sunt varii gradus, secundum quod variæ assignantur species contemplationis. Unde, secundum quod homo mentem suam magis purgaverit, et in divina dilectione magis profecerit, secundum hoc magis illuminatur divinitus, et clarius sibi revelatur Pater æternus, totaque Trinitas superessentialis. Altissima tamen contemplationis Dei species in hac vita, dicitur mystica theologia, quæ est secretissima et ardentissima mentis cum Deo locutio : in qua contemplatione, quanto plus mens desuper illustratur, tanto splendidius intuetur Deum prorsus incomprehensibilem esse, et tandem unitur ei, tanquam omnino imperscrutabili et ignoto, per omnium entium abnegationem de eo, eum intuendo. Ideo divinus et magnus Dionysius scribit : Hoc

Rom. I, 20, 19.

Digitized by Google

est Deum vere cognoscere et videre, supersubstantialem supersubstantialiter per omnium entium ablationem laudare. Hinc ait Chrysostomus : Philosophi de Deo quærere contendentes, nil aliud se invenisse confessi sunt, nisi quod incognoscibilis est Deus. Sicut enim qui innavigabilem Oceanum usurpat navigare, necesse est ut per eamdem viam revertatur, sic illi ab ignorantia cœperunt, et ad ignorantiam finierunt.

23 *Et conversus ad discipulos suos,* hoc est, vultum suum dirigens ad eos, ut faceret eos attentos, et dilectionem suam ad eos ostenderet, eosque aliis in exemplum imitationis proponeret, *dixit : Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Hoc ait Salvator, quia jam paulo ante gratias egit Patri, quod divinorum mysteriorum notitiam sapientibus atque prudentibus sæculi hujus propria superbia excæcatis abscondit, et humilibus suis ea revelavit discipulis : idcirco beatos asserit eorum oculos, præsertim interiores, beatitudine spei ac meritorum, ad plenam beatitudinem perducentium.

Itaque, *Beati oculi* vestri, o discipuli mei, *qui vident,* hoc est intelligunt, *quæ*
24 *vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis,* videlicet Unigenitum Dei incarnatum inter homines conversantem, ejus quoque miracula, et conversationem sanctissimam. Voluerunt etiam intelligere quæ intellexerunt discipuli Christi, quibus ipse locutus est (Luc. VIII, 10.) : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. *Et non viderunt* hæc oculo corporali, nec intellexerunt ista distincte. Voluerunt quoque seu optaverunt, si fuisset possibile, *et audire* ex ore meo prædicationem evangelicæ legis, *quæ auditis,* qui me secundum quod placet interrogatis, et informationem a me ipso accipitis ; *et non audierunt* eo modo quo vos, utpote ex ore meo.

Circa hæc quæritur, an intelligenda sint ista de visu audituque corporali, vel potius de visu et auditu mentali seu interiori. Primum dici non potest, quia taliter reprobi Judæi ac proditor Christum viderunt ac audierunt, quibus tandem gravis fuit ad videndum (Sap. II, 15.). Nec secundum videtur posse dici, quoniam ea quæ discipuli isti viderunt ac audierunt, multi Prophetæ ac reges spiritualiter cognoverunt, et Deo docente, seu angelo intus loquente, spiritualiter audierunt, juxta illud Psalmi : Tunc locutus es in visione Sanctis tuis (Ps. LXXXVIII, 20.); itemque, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (Ps. LXXXIV, 9.); et Zachariæ, Angelus loquebatur in me (Zach. I, 9, 13, etc.). Denique, quæ Christus in carne exhibuit, fecit et docuit, prædixerunt Prophetæ. Unde in Amos legitur (Amos III, 7.) : Non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Et Apostolus (Hebr. I, 1.) : Multifarie multisque modis Deus olim loquens patribus in Prophetis. Hinc de Isaia ait Hieronymus, quod omnia Christi mysteria ita ad liquidum prosecutus est, ut evangelista potius quam propheta dicendus sit. Sed et ipse spiritualiter mirabili claritate vidit Christum in carne, quum dixit : Puer natus est nobis (Is. IX, 6.). Ejus quoque vidit miracula quando dixit : Ecce Deus vester veniet et salvabit vos (Ibid. XXXV, 4-6.) : tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt ; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. Similiter passionem Christi clarissime vidit in spiritu, dum loquitur : Vidimus eum, et non erat adspectus (Ibid. LIII, 2, 4.); vere languores nostros ipse tulit, etc. Idem de David rege, et Daniele, ceterisque Prophetis, posset ostendi. Nec dubium quin Salomon tempore suæ illustrationis propheticæ, et alii reges justi veteris Testamenti qui Christi futurum noverunt adventum, ipsum videre atque audire optaverint, scilicet Asa, Josaphat, Joathan, Ezechias, Josias. De Abraham quoque ait Salvator : Exsultavit ut videret diem meum ; vidit, et gavisus est (Joann. VIII, 56.).

Ad hæc rationabiliter respondetur, quod prædicta intelligenda sint, de visu et auditu interiori conjuncto visui atque auditui exteriori. Talis etenim visus et au-

ditus hominibus connaturalior est atque
jucundior, et desiderabilissimum jucundissimumque fuit taliter videre et audire
Unigenitum Dei hominem factum. Hinc
in Numeris Balaam loquens clarissime de
tempore Christi et ejus mysteriis, inter
Num. xxiv, 23. cetera ait : Heu, quis victurus est, quando
ista faciet Dominus? Et in Actibus Petrus
Act. iii, 24. apostolus : Omnes (inquit) Prophetæ a Samuel et deinceps, annuntiaverunt dies istos. Alias demum duas posui responsiones
Matth. xiii, 17. ad dubium istud super Matthæum.

Postremo, pro eo quod hic dicitur, Multi
Ibidem. Prophetæ et reges, etc., in Matthæo legitur, Multi Prophetæ et justi. Justi enim, secundum Bedam, sunt reges magni, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo ac superando præesse noverunt. Ait autem et Origenes circa hæc verba : Salvator dicit plures Prophetas et justos prædicta optasse, non omnes, quia de Abraham dicitur, quia vidit diem Christi et lætatus est : quam visionem non plures, sed pauci attigerunt. Fuerunt autem et alii Prophetæ et justi, non tanti ut visionem Abrahæ et peritiam Apostolorum attingerent : et hos dicit non vidisse, sed optasse.

25 *Et ecce quidam legisperitus,* id est doctus in lege. Magistri autem Judæorum majores, vocabantur Scribæ et legisperiti.
Tit. iii, 13. Unde et Apostolus ait : Zenam legisperitum. *Surrexit,* quasi reverentiam exhibens Christo docenti, quo prædicante auditores sedere solebant; vel surrexit ut a cunctis melius audiretur, vel ut auditores ad suum adspectum atque præconium incitaret. Fuit autem peritus in lege, loquendo de informi scientia, quæ non est caritate et virtuosa conversatione ornata, quibus ornatur bonorum scientia, propter quod vocatur formata. Rursus, peritus fuit peritia litterali, non intelligentia spirituali. *Tentans eum,* id est, circumvenire et fallere cupiens. Dicit namque Chrysostomus* : Erant quidam verbosi circumeuntes totam regionem Judæorum, accusantes Christum, dicentes quod præcepta Moysis

* Cyrillus

A inutilia diceret, et nova induceret documenta. Volens ergo legisperitus seducere Christum, adest tentans eum et quærens : *Magister :* magistrum vocat, cujus instructioni subjici dedignatur; *quid faciendo vitam æternam possidebo?* hoc est, quibus operibus promereri potero et sortiri beatitudinem æternam? Sciebat itaque, quod non loquendo dumtaxat, sed etiam operibus virtuosis insistendo, obtineatur felicitas. Occasionem hujusmodi tentationis et inquisitionis, secundum Bedam, sum-
B psit ex eo quod audivit a Christo : Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. (vers. 20.) Recteque dixit, Possidebo, quia felicitas simul habetur, et nunquam amittitur, dicente Boetio : Æternitas est interminabilis vitæ tota simul perfecta possessio; et rursus, Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.

At ille summus magister, cordium secretissima infallibiliter intuens, *dixit ad* 26
illum : In lege Moysis *quid scriptum est? quomodo legis,* in libris Mosaicæ legis?
C quasi dicat : Non rectam formam tenes in legendo, quia non imples quæ legis et prædicas. Quidam equidem legunt, nec faciunt; quidam faciunt, et legere nequeunt; alii legunt, et faciunt.

Præterea, quoniam legisperitus voluit Christo imponere quod aliquid contra Moysen ageret aut doceret, Christus sua inquisitione ostendit oppositum. *Ille respon-* 27
dens, dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, hoc est tota voluntate, seu toto voluntatis desiderio et affectu.
D Itaque per cor designatur voluntas, quoniam sicut cor est primum vivens, et cetera membra movens, sic voluntas per caritatem primo vivificatur, et ceteras animæ movet vires. *Et ex tota anima tua,* hoc est secundum potentias animales ac sensitivas : ut sensus interiores et exteriores, appetitusque sensitivus, tam concupiscibilis quam irascibilis, rationi ac legi divinæ subdantur; atque secundum Deum, et ut exigit ejus dilectio, ad caritatisque profectum expedit, refrenentur, ac diri-

Digitized by Google

Ps. cxviii, 37. gantur. Propter quod orat Psalmista : Averte oculos meos ne videant vanitatem. In *Eccli.* xxviii, 28. Ecclesiastico quoque docetur : Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam. Jubemur ergo Deum ex his viribus sensitivis diligere : non quod potentiæ istæ organicæ Deum simplicissimum habeant pro objecto, vel ad ejus dilectionem directe ac immediate pertingant, aut divinæ dilectionis exsistant subjecta ; sed quia taliter sunt regendæ, ut expedit ad caritatis adeptionem, conservationem, profectum, et consummationem. Pro quo ad- *Ibid.* xxiii, 4-6. implendo dicitur in Ecclesiastico : Domine, pater et dominator vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium pravum averte a me ; aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me. *Et ex omnibus viribus tuis.* Jam de viribus per cor et animam designatis mentio facta est : cur ergo nunc addit, Et ex omnibus viribus tuis ? Ad quod dupliciter respondetur. Primo, ut istud intelligatur de viribus reliquis, de quibus nondum quid dictum est : quia et vires vegetativæ in actibus suis regendæ sunt ratione secundum Deum, quantum fieri potest. Non enim totaliter rationi subduntur, sed naturaliter operantur : attamen objecta earum applicanda sunt eis secundum rectæ rationis censuram ; et quantum ad modum, locum ac tempus actionis, rationi quodammodo subjiciuntur. Secundo, ut quod ait, Ex omnibus viribus tuis, intelligatur quantum ad exsecutionem et usum virium in exterioribus operibus, quatenus etiam illa viriliter ad Dei honorem cum *Rom.* xii, 1. discretione agantur, ut ait Apostolus : Rationabile obsequium vestrum. *Et ex omni mente tua,* id est toto intellectu et intentione, ne in intellectu sit error seu hæresis, aut intentio caritati Dei repugnans. — Porro præceptum hoc scriptum est in *Deut.* vi, 5. Deuteronomio, ubi legitur : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.

Circa quod quæritur : quum Moyses non A exprimat nisi tria, ex quibus totis amandus est Deus, cur hic dicuntur quatuor esse scripta in lege ? Ad quod respondetur, quod tria illa a Moyse dicta includunt hæc quatuor, ideo quatuor ista scripta sunt ibi, saltem virtualiter atque implicite. Nempe quod dicitur hic, Ex omnibus viribus tuis, Moyses per fortitudinem intellexit. Totum autem cor frequenter intellectum et voluntatem comprehendit ac denotat, sicut quum dicimus : Confitebor tibi, Domine, *Ps.* ix, 2; lxxxv, 12; cxxxvii, 1. in toto corde meo. Denique apud Matthæ- B um ponuntur tria, quum dicitur : Diliges *Matth.* xxii, 37. Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Unde ibidem omittitur, Ex tota fortitudine tua, seu, Ex omnibus viribus tuis : quod tamen per totam animam satis insinuatur. Anima namque dicitur totum potestativum, quia plures continet vires.

Oportet scire, quod præceptum istud tripliciter potest intelligi et exponi : Primo, quantum ad indesinentem actum, ut scilicet cor, mens, anima, fortitudo, sem- C per, actualiter atque totaliter ferantur in Deum, absque commixtione mali contrarii : sicque præceptum istud non impletur a viatoribus nobis in vita præsenti, sed a Beatis in patria. Unde juxta hunc sensum, diligere Deum ex toto corde, est eum diligere actuali amore incessanter in Deum erecto secundum totum posse voluntatis, sine admixtione omnis inordinati affectus, caritatis minorativi. Diligere autem Deum ex tota mente, est Deo per contemplationem indesinenter, semper, actualiter, se- D cundum extremum posse intendere, absque admixtione omnis evagationis, erroris et deceptionis. Diligere vero Deum ex tota anima, est secundum ceteras vires animales et sensitivas esse ordinatum in Deo incessanter, complete : quod in Beatis erit, potissimum post resurrectionem futuram, dum omnes sensuum interiorum et exteriorum sensitivique appetitus operationes ordinatissimæ erunt in Deo, et ad Dei conferent laudem, amorem et contemplationem. Diligere autem Deum ex omnibus

Digitized by Google

viribus, est omnem exteriorem actum habere promptissimum jugiter ad Dei honorem et cultum atque imperium : quod totum non nisi in patria valet impleri; et implebitur, non solum absque difficultate, imo et cum indicibili jucunditate. In patria ergo impletur præceptum istud perfecte, in via imperfecte. — Secundo exponitur hoc præceptum quantum ad actum supererogationis, ut sic Deus diligatur toto corde, totaque mente, etc., quatenus Dei intuitu et amore omnia deserantur quæ voluntatem, intellectum, animam, et operationem seu vires, impedire solent et possunt a Dei amore et contemplatione in vita præsenti, ut sunt divitiæ, parentes, cognati, proles, voluntasque propria : sicque præceptum istud caritatis implere ad religiosos dignoscitur pertinere. — Tertio exponitur quantum ad actum necessitatis, ut sic corde, mente, anima, fortitudine, Deum amemus, quatenus nil caritati divinæ contrarium operemur aut appetamus.

Et proximum tuum sicut te ipsum, id est vere, ordinate, ac spiritualiter, optando ei bona gratiæ in præsenti, et dona gloriæ in futuro; item, Sicut te ipsum, id est propter Deum, et ob felicitatem æternam, videlicet quia Deus præcepit, et quia ad ejus imaginem factus est proximus tuus, et quoniam Deus est prima causa ac ratio totius amabilitatis, ac puræ dilectionis, quum ipse sit prima, fontalis infinitaque bonitas. Rursus, Sicut te ipsum, id est perseveranter usque in finem, et non condescendendo ei in vitiis, sicut nec tibi vis condescendi in eis, si tamen te vere ac spiritualiter diligis. Non tamen oportet diligere proximum tam intense sicut se ipsum, ut, Sicut, dicat similitudinem, non æqualitatem. Hoc autem præceptum sumptum est ex eo quod in Levitico scriptum
Lev. xix, 18. est, Diliges amicum tuum sicut te ipsum : ubi Septuaginta transtulisse dicuntur, Proximum tuum. Per proximum autem intelligitur omnis homo gratiæ et gloriæ capax. Damnati vero, ex caritate amandi non sunt, quia nec gratiæ nec gloriæ sunt capaces. Omnem igitur hominem viatorem, quantumlibet adversantem, ex caritate sicut nos ipsos diligere obligamur. Dicit autem Basilius : Quis non novit, quoniam mansuetum et communicativum animal est homo, non solitarium et silvestre? Nihil enim tam proprium est nostræ naturæ, sicut ad invicem communicare, et mutuo indigere, et cognatum amare.

Quorum ergo præveniens Dominus nobis tradidit semina, horum consequenter et fructus requirit. *Dixitque illi,* scilicet le- 28
gisperito Dominus Jesus : *Recte respondisti,* quia veraciter scriptum est quod scriptum allegas. *Hoc fac,* id est, hæc duo caritatis præcepta adimple, *et vives* vita gratiæ in exsilio, et vita gloriæ in regno. Sicque soluta est quæstio qua quærebat, Quid faciendo vitam æternam possidebo? Ex qua Christi responsione ostendit Origenes hæreticam pravitatem Valentini et Marcionis atque Basilidis.

Ille autem volens justificare se ipsum, 29
id est justum monstrare, et suam eminentiam ostentare, quum tamen in Ecclesiastico scriptum sit : Non te justifices ante *Eccli.* vii, 5.
Deum. Job quoque ait : Quid est homo, ut *Job* xv, 14.
immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere? *Ait* : Et quis est meus proximus?* Hoc rursus quæsivit, ut caperet Christum in sua responsione. Advertit enim, ut apparet, quemadmodum Christus doceret etiam inimicos esse diligendos : quod iste putavit esse contra Moysis legem, quia Judæi quamplurimi per proximum non intelligebant nisi Judæum, et ceteros reputabant alienos. Hinc interrogavit, Quis est meus proximus? ut si Christus diceret, Quilibet homo vitæ præsentis, probaret eum legis adversarium ; si vero diceret, Quicumque Judæus, probaret se justum, dicendo, Omnem amo Judæum. Sed, ut Salomon loquitur, Frustra jacitur rete ante *Prov.* i, 17.
oculos pennatorum. Unde et Christus sapientissimus sic respondet, quod insidiatorem propria rursus responsione concludit, proponens parabolam.

* *Dixit ad Jesum*

30 *Suspiciens autem Jesus,* id est, sursum adspiciens, seu late et alte circumducens oculos, ad insinuandum quod de re magna esset locuturus, atque compatiens communi humani generis calamitati, *dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.* Sensus superficialiter litteralis difficultatem non habet. Et quod hic quasi parabola dicitur, potuit esse res gesta : quia ut dicit Basilius, Jerusalem in cacumine sita est, Jericho autem deorsum, inter quas urbes fuit desertum in quo latrones consueverunt quosdam occidere.

Porro, juxta intelligentiam spiritualem, per hominem hunc intelligitur primus noster parens Adam, seu genus humanum, seu quilibet homo post innocentiam baptismalem atque justitiam ad iniquitates prolapsus. Talis ergo descendit, id est, peccando spiritualiter deorsum collapsus est, a Jerusalem, hoc est paradiso terrestri, in quo Adam realiter fuit; vel a cœlesti Jerusalem, seu regno cœlorum, in quo per spem et meritum est omnis justus viator, quum et Apostolus dicat, Nostra conversatio in cœlis est (Philipp. III, 20.); vel a tranquillitate interna, et contemplatione pacis mentalis. Quum enim Jerusalem interpretetur visio pacis, per eam hæc tria signantur, videlicet : paradisus terrestris, qui est locus quietis, in quo fuit visio pacis supernæ, quamvis non tam clara sicut in patria : imo visio seu contemplatio quæ fuit in Adam ante peccatum, et modo in paradiso est in Elia, habet se medio modo inter contemplationem patriæ, et contemplationem communem devotorum in isto exsilio. Item, per Jerusalem figuratur regnum cœleste, in quo est beatifica visio pacis æternæ quæ omnem sensum exsuperat (Ibid. IV, 7.). Ipsa quoque mentalis tranquillitas animæ viatricis in Deo pacatæ ac dulciter stabilitæ, per Jerusalem denotatur. Insuper, sicut omnes in Adam eramus atque cecidimus, sic omnes in ipso in paradiso terrestri exstitimus, et in ipso inde expulsi elapsique sumus. Per Jericho vero, hic mundus instabilis, seu

A vitæ præsentis mortalitas et defectus intelliguntur. Jericho quippe interpretatur luna, per quam in Scripturis defectus exprimitur, instabilitas, insipientia, atque mortalitas, propter jugem lunæ variationem, crescentiam et decrescentiam. Unde in Ecclesiastico scribitur : Stultus mutatur ut luna (Eccli. XXVII, 12.). Et sicut luna a sole deficit in splendore, sic status vitæ hujus mortalis a statu paradisi ac immortalitatis.

Itaque homo iste peccando *incidit in latrones,* id est in dæmonum acies, qui B animarum jugiter quærunt vitam spiritualem occidere. Nam et invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum (Sap. II, 24.); et diabolus homicida ab initio fuit, ut Christus apud Joannem fatetur (Joann. VIII, 44.). *Qui etiam despoliaverunt eum,* hoc est, donis gratiæ ac virtutum spiritualiter nudaverunt : quia dum hominem per tentamenta ad peccatum mortale perducunt, donis ac virtutibus, quæ sunt animæ vestes ac ornamenta, eum mox privant; ipsumque Adam originali nudaverunt justitia, atque multiplici virtutum C ornatu, de quibus in Isaia ait Ecclesia, loquens de Sponso cœlesti : Induit me vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me (Is. LXI, 10.). His indumentis animæ nostræ in Baptismo fuerunt indutæ : quæ peccando amisimus, sed per Pœnitentiam et cetera sacramenta ea recuperare valemus. De quibus etiam vestimentis in Apocalypsi loquitur Christus : Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis (Apoc. III, 4.). *Et plagis impositis, abierunt,* id est, quum hominem multipliciD ter vulnerassent in anima, ad horam cessaverunt ab ejus læsione; vel, Abierunt, insidias abscondendo. Specialiter autem incurrit genus humanum quatuor vulnera animæ ex originali peccato, videlicet malitiam, id est pronitatem ad mala in voluntate, ignorantiam in intellectu, infirmitatem in vi irascibili, concupiscentiam in concupiscibili. *Semivivo relicto :* quia licet per peccatum mortale vita gratiæ et caritas totaliter auferantur, manet tamen in homine liberum arbitrium, quo potest

Digitized by Google

resurgere durante hac vita, seu aptitudo ad pœnitendum, ita ut radicaliter seu potentialiter manet vita spiritualis in anima. Rursus, quamvis peccata dona naturæ inficiant, non tamen totaliter destruunt ea, unde et vita gratiæ deficiente, manet vita naturæ.

31 *Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso eo, præteriit.* Per sacerdotem istum, intelligitur Aaron, vel chorus sacerdotum legalium : qui eadem via descendit, quia per originale peccatum venit in mundum ; et cognita generis humani seu Adæ vulneratione seu destitutione, qua gloria beatitudinis fuit privatus, pertransiit, quia liberare et salvare nequivit : quemadmodum in epistola ad Hebræos copiose probat Apostolus; et ad Galatas ait, Si ex lege est justitia, ergo Christus gratis mortuus est. *Similiter et Levita, quum esset secus locum et videret eum,* scilicet hominem semimortuum, *pertransiit.* Per Levitam exprimitur Moyses frater Aaron Levites, seu chorus ministrorum templi aut Prophetarum : qui quum esset in mundo hoc vivens, et genus humanum intelligeret sauciatum, salvare illud non potuit, imo pertransiit, et moriendo ad limbum inferni devenit.

Hebr. VII-X. *Galat.* II, 21.

32

33 *Samaritanus autem quidam iter faciens.* Per Samaritanum, ob nominis interpretationem, Christus designat se ipsum, quoniam Samaritanus custos interpretatur : quod competit Christo, juxta illud Psalmi, Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel; et rursus, Custodiens parvulos Dominus. Cui dicitur apud Job : Quid faciam tibi, o custos hominum? Christus itaque iter fecit in sæculo isto, juxta illud Joannis : Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Baruch quoque : Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. *Venit secus eum,* id est, humano generi clementissime se conjunxit, et illud sicut medicus languidum, visitavit, quemadmodum loquitur Patri in Psalmo : Holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi, Ecce venio.

Ps. CXX, 4. *Ps.* CXIV, 6. *Job* VII, 20. *Joann.* I, 14. *Baruch* III, 38. *Ps.* XXXIX, 7, 8.

A Et per Zachariam : Gaude et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui. *Et videns eum* oculo corporali ac intellectuali, *misericordia motus est,* secundum illud Threnorum : Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. Imo quo Christus nos magis dilexit, eo nostris miseriis tam pœnalibus quam culpabilibus magis condoluit. Quod semper pensare debemus, sicut Isaias ait : Miserationum Domini recordabor, super omnibus quæ largitus est nobis secundum indulgentiam B suam.

Zach. II, 10. *Thren.* III, 22. *Is.* LXIII, 7.

Et appropians, hoc est, generi humano se medicinaliter ac proportionabiliter applicans, dicente Apostolo : Christus exinanivit se ipsum, formam servi accipiens; atque in similitudine carnis peccati apparens. Debuit quippe per omnia fratribus assimilari, qui secundum suam divinitatem distat ab hominibus infinite, non loco, sed perfectionis excessu ac dissimilitudine. *Alligavit vulnera ejus,* id est, per infusionem caritatis et gratiæ, aliorum quo- C que habituum fortium, scilicet virtutum et donorum, vires animæ vulneratas a peccatis retraxit, cohibuit et curavit, potissimum in Baptismo. Propter quod in Actibus loquitur Petrus : Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti. Præterea Christus per suam passionem salvificam vulnera ista alligavit atque curavit, in quantum passio sua fuit satisfactoria pro totius mundi peccatis, et meritoria gratiæ omnibus nobis. D Idcirco apud Isaiam scriptum est : Vere languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit. Itemque Petrus ait : Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Sed et tota Christi prædicatio, conversatio, miraculosa operatio, medela fuit vitiorum nostrorum. *Infundens oleum,* id est Spiritus Sancti unctionem et consolationem, piamque informationem, *et vinum,* hoc est confortationem et exhortationem ferventem ad bona, seu justam increpationem propter peccata. Nam et Petro locu- 34

Philipp. II, 7. *Rom.* VIII, 3. *Hebr.* II, 17. *Act.* II, 38. *Is.* LIII, 4, juxta LXX. I *Petr.* II, 24.

Digitized by Google

Marc. VIII, 33. tus est : Vade retro me, satana. Hinc per *Is.* LXI, 1, 3. Isaiam Christus testatur de Patre : Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut darem lugentibus coronam pro cinere, oleum pro *Cant.* II, 4. luctu. Et Sponsa fatetur in Canticis : Introduxit me rex in cellam vinariam.

Denique, sicut Christus primo dicitur oleum infudisse et postea vinum, sic prælati et omnes exhortatores, primo debent pie et caritative corripere sive instruere delinquentes, deinde si opus fuerit, rigorem justitiæ admiscere. Hinc ad Galatas *Galat.* VI, 1. scribit Apostolus : Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Ait quoque Bernardus: Semper punire, est crudelitatis ; semper parcere, pusillanimitatis ; nec hoc nec illud, æquitatis. Opus est ergo discretione, ut sciatur quando hoc et quando illud agendum, et qualiter sit contemperandum utrumque.

Præterea varii assignantur detestabiles miserrimique effectus peccati, qui in verbis Christi præinductis tanguntur. Primo enim, per peccatum exhereditamur a regno cœlesti, quod est terra viventium : quod notatur, quum dicitur, Descendebat ab Jerusalem. Secundo, per peccatum captivamur sub defectu multiplici, et mente instabiles, exsulesque efficimur : quod notatur, quum ait, In Jericho. Tertio, per peccatum subjicimur servituti peccati atque diaboli, quia et Petrus apostolus con-*II Petr.* II, 19. testatur : A quo quis victus est, hujus ser-*Rom.* VI, 12. vus est. Unde Paulus hortatur : Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Hoc notatur, quum dicitur, Incidit in latrones. Quarto, per peccatum spoliamur donis gratuitis : ideo ait, Despoliaverunt eum. Quinto, per peccatum vulneramur in naturalibus : unde dicitur, Plagis impositis. Sexto, per peccatum mortificantur præcedentia opera nostra meritoria, præmioque privamur : hinc dicitur, Semivivo relicto.

Et imponens illum in jumentum suum, hoc est, corpori suo nos jungens, sicut capiti membra junguntur, atque in suo corpore nostra scelera luens, juxta illud Isaiæ : Dominus posuit in eo iniquitatem *Is.* LIII, 6. omnium nostrum. Itaque per jumentum Christi, corpus ejus dignissimum explicatur : quod rite jumentum vocatur, non ob bestialem vilitatem, sed ob obedientialem subjectionem, ac servitutem promptissimam, qua in omnibus animæ Christi promptissime paruit ac servivit. Hinc et vir obediens loquitur Deo : Ut jumentum fa-*Ps.* LXXII, 23. ctus sum apud te. *Duxit in stabulum,* hoc est, Ecclesiæ suæ ipsum incorporavit. Ecclesia nempe est Christi ovile, in quo ipse suos fideles multiplici reficit pabulo spirituali : de quo stabulo ait in Joanne, Fiet *Joann.* X, 16. unus pastor et unum ovile ; in quo etiam corpore et sanguine Christi reficimur. Præterea, potius ait stabulum quam domum, ut præsentis vitæ fœtores atque miserias attendamus, et in sæculo isto tanquam in exsilio lugeamus, ad patriam jugiter festinantes, quemadmodum ad Hebræos ait Apostolus : Non habemus hic manentem *Hebr.* XIII, 14. civitatem, sed futuram inquirimus. *Et curam illius egit.* Christus namque, quamdiu conversabatur in sæculo isto, diligentissime pro salute humani generis exoravit. Et tempore quo prædicavit, nonne variis modis, tanquam aptissimus medicus animarum, homines curavit salvare, prædicando, miracula faciendo, discipulos suos ad prædicandum et ad miracula peragenda mittendo, varia gratiarum charismata tribuendo ? Quamvis enim, ut Sapiens habet, cura sit Deo de omnibus, maxime tamen *Sap.* VI, 8; XII, 13. de rationabilibus creaturis.

Et altera die, hoc est tempore suam 35 passionem sequente, videlicet post resurrectionem. In Scripturis enim sæpissime dies pro tempore ponitur, maxime in Prophetis, ut quum loquitur Isaias : In die *Is.* IV, 2. illa, erit germen Domini in magnificentia et gloria ; et Joel, In illa (inquit) die, stil-*Joel* III, 18. labunt montes dulcedinem. *Protulit duos denarios,* id est novi ac veteris Testamenti notitiam, *et dedit stabulario,* id est choro Apostolorum, seu primitivæ Ecclesiæ, cui

Digitized by Google

Act. II, 1 et seq. post resurrectionem, præsertim in die Pentecostes, infudit omnium notitiam Scripturarum per infusionem Spiritus Sancti, quemadmodum passione instante promisit
Joann. XVI, 13. Apostolis, loquens : Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Sed et per quadraginta dies, qui-
Act. I, 3. bus post resurrectionem usque ad ascensionem apparebat discipulis successive, docuit et evangelicæ legis declaravit eis mysteria.

Et ait : Curam illius habe. Præcepit enim Apostolis, ut totum genus humanum sollicite erudirent. Unde in Matthæo lo-
Matth. XXVIII, 19. quitur eis : Euntes, docete omnes gentes. Petro quoque ante ascensionem specialiter
Joann. XXI, 17. dixit : Pasce oves meas. Cum omni nempe diligentia prælati Ecclesiæ gregibus sibi commissis debent verbo et factis virtuose præesse. Hinc in Proverbiis Salomon ait :
Prov. XXVII, 23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Etenim, quanto nobilior est anima rationalis omni irrationali creatura, tanto est diligentius custodienda, docenda et perficienda. *Et quodcumque supererogaveris,* hoc est, ultra debitum feceris, seu de tua industria atque labore addideris, cooperando gratiæ meæ, et pro aliorum conversione fidelissime desudando. Sed utinam pastores et prædicatores jam debitum suum exsolverent : imo, proh dolor ! stipendia larga accipiunt, et plebem non instruunt, seu condigne non alunt vita exemplari atque doctrina. Quibus per Ezechielem Deus im-
Ezech. XXXIV, 3. properat : Lac comedebatis et lana operiebamini; gregem autem meum non pavistis. Quocontra in Ecclesiastico omni aliorum
Eccli. XXXII, 1, 2. rectori saluberrime dicitur : Rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illorum habe, et sic considera. *Ego quum rediero* ad judicium generale, corporaliter descendendo secundum naturam assumptam; vel ad judicium particulare, quod fit in mortibus singulorum, ubi Christus revertitur, non locum mutando, sed per retributionem visitando.
Matth. XXIV, 42. Unde ait : Vigilate, quia nescitis qua ho-

A ra Dominus vester venturus sit; et item, Beatus ille servus, quem quum venerit Dominus ejus, et pulsaverit januam, invenerit vigilantem. Matth. XXIV, 46; Luc. XII, 36, 37. *Reddam tibi,* id est, condignam dabo mercedem. Hinc in Apocalypsi ait : Ecce venio cito, et merces mea mecum est, dare unicuique juxta opera sua. Apoc. XXII, 12.

Subinde Christus quærit a legisperito, non quasi ignorans, sed instruere illum
volens : *Quis horum trium,* videlicet, an 36
sacerdos, an Levita, an Samaritanus, *videatur* B *tur tibi proximus fuisse illi qui incidit*
in latrones? At ille dixit : Qui fecit mise- 37
ricordiam in illum, hoc est, ita ut dictum est ei subvenit. Ille enim magis quam alii duo proximus promeruit appellari ratione beneficii tanti. Præterea contuendum, quod multipliciter dicitur homo proximus alteri : Primo, ratione cognationis, sicut in Psalmo, Amici mei et proximi mei. Ps. XXXVII, 12. Secundo, causa religionis ejusdem, ut omnes Christiani. Tertio, ratione pietatis et beneficii : et ita nunc potissimum proximus C appellatur. Sicque Ambrosius asserit : Non cognatio facit proximum, sed misericordia. Quarto, ob conformitatem naturæ. Sic omnes homines sibi invicem proximi nuncupantur, juxta illud : Omne animal ad sibi simile conjungetur. Eccli. XIII, 19, 20. *Et ait illi Jesus : Vade,* spiritualiter proficiendo, et legem Moysis veraciter intelligendo, *et tu fac similiter,* hoc est, non verbis, sed veritate et opere caritativo ac pio, ostende te proximum, non solis Judæis, sed omni homini viatori egenti, si casus evenerit ut aliquis D tibi occurrat tua indigens ope.

Denique Augustinus, primo libro de Doctrina christiana, affirmat : Ex his intelligimus illum esse proximum nostrum, cui officium pietatis est exhibendum, si egeat, et etiam illum a quo nobis impendendum est pietatis officium seu beneficium pium. Proximi etenim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nemo autem exceptus est, cui sit beneficium pietatis denegandum, Christo dicente : Benefacite Matth. V, 44.

Digitized by Google

his qui oderunt vos. Unde manifestum est, hoc præcepto quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiæ im- A penduntur officia : quia et ipse Dominus noster Jesus Christus proximum nostrum dici se voluit, significans se subvenisse semivivo jacenti in via.

ARTICULUS XXVIII

DECLARATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI DECIMI, SCILICET : INTRAVIT JESUS IN QUODDAM CASTELLUM.

QUIDQUID Christus gessit in corpore, mysteriis plenum est, et nostræ conversationis informativum. Et quoniam Christus venit tam activæ quam contemplativæ vitæ instituta docere, nunc factum quoddam ipsius describitur, in quo brevi eloquio utriusque vitæ distinctionem ostendit. Lucas tamen hoc loco ordinem historiæ non observat.

38 *Factum est autem, dum irent* Jesus et ejus discipuli, de loco ad locum, ad plurimorum instructionem, *et ipse intravit in*
* Origenes *quoddam castellum*. Circa quod Beda* : Hujus (inquit) castelli nomen Lucas hic tacet, sed Joannes exprimit, vocans ipsum
Joann. XI, 1. Bethaniam. Sic enim ait : Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ. Ex quibus apparet, quod ipsa Bethania, quæ fuit villa, vocetur ca-
Luc. XXIV, 13. stellum. Unde et infra legitur, quod duo ex discipulis ibant in castellum, cui nomen Emmaus : pro quo Marcus scribit,
Marc. XVI, 12. quod ibant in villam. Denique, quod in Matthæo ait Salvator duobus discipulis,
Matth. XXI, 2. Ite in castellum quod contra vos est, de ipsa urbe Jerusalem solet exponi. Castellum tamen proprie dicitur parvum castrum. Fuit autem in Bethania castrum Mariæ et Marthæ ac Lazari, quod forsan interdum comparative loquendo nominatur castellum : et sicut frequenter totum a sua parte nomen sortitur, sic forte villa Bethania, ratione castri sive castelli in ea contenti, appellatur castellum.

B *Et mulier quædam Martha nomine* : quam aliqui putant fuisse illam quam Christus a sanguinis curavit profluvio : cujus oppositum supra satis probatum est ; *Luc.* VIII, 43.
excepit illum in domum suam. Ipsa quippe specialis exstitit hospita Christi : propter quod, sicut in ejus legenda habetur, post Christi ascensionem consuevit Christum sub nomine hospitis invocare. Itaque cum grandi reverentia et caritatis fervore accepit Christum in sua domo, quæ fuit castellum seu castrum. Nobilis C enim fuit et opulenta ; et sicut in Joanne scriptum est, Jesus diligebat Mariam, Mar- *Joann.* XI, 5.
tham, et Lazarum.

Et huic erat soror nomine Maria, sci- 39
licet Magdalene, de qua in Marco fertur : Surgens Jesus mane prima sabbati, ap- *Marc.* XVI, 9.
paruit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia. *Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*. In quibus verbis insinuatur ejus humilitas ac diligentia, quia ad pedes Christi humiliter se locavit et avidissime in- D tenta fuit prædicationi ipsius. Quo autem humilius sedit, diligentiusque advertit, eo plus spirituales hausit profectus, et rivos doctrinæ ex fonte sapientiæ sumpsit. Christus quippe est fons sapientiæ, juxta illud Ecclesiastici : Fons sapientiæ, verbum *Eccli.* I, 5.
Dei in excelsis. Deus quoque humilibus *Jacob.* IV, 6; I *Petr.* V, 5.
dat gratiam.

Præterea, sicut ait Basilius, Omnis operatio atque locutio Salvatoris regula est

Digitized by Google

virtutis ac pietatis. Ob hoc enim induit corpus nostrum, ut nos conversationem ipsius imitemur pro posse. Suo ergo exemplo docuit discipulos, omnesque prædicatores, et ad aliorum exhortationem idoneos, qualiter habere se debent in domibus hospitantium eos, ut scilicet suscepti non statim resupini quiescant, sed susceptores suos exhortationibus repleant sacris. Unde et reverenter ac caritative sunt suscipiendi : primo, quoniam hospitatores eorum ædificabuntur salutaribus documentis ; secundo, quoniam caritatis adipiscentur mercedem.

40 *Martha autem satagebat,* hoc est, satis agebat, occupataque fuit, seu laborabat, *circa frequens ministerium,* id est circa corporalis refectionis quotidie necessariæ præparationem et exhibitionem. *Quæ stetit,* ab obsequio et discursu modice cessans, ut Christum reverentialiter alloqueretur, et ejus præstolaretur responsum, *et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Hoc videbatur irrationabile Marthæ, quia apparuit ei quod ob Christi honorabilitatem, aliorumque hospitum multitudinem, Maria merito adjuvisset. Itaque interrogavit, Domine, non est tibi curæ? non quasi Christum reprehendens quod Mariæ non dixerat, Adjuva sororem tuam ; sed quasi admirans de hoc. Ideo addidit : *Dic ergo illi ut me adjuvet :* quia ad litteram multa erant agenda in tot hospitum cibatione. Et quod Martha dicit se solam ministrare, non est intelligendum quod nulla femina adjuverit eam : habuit enim ancillam juvantem unam aut plures, ut reor ; sed solam se asserit ministrare, per exclusionem suæ sororis, ad quam ministratio illa æque pertinuit, secundum Marthæ opinionem.

41 *Et respondens, dixit illi Dominus* Jesus Christus, qui ad respondendum sapienter, deliberatione, inquisitione, studio non egebat, quoniam sapientia plenus, imo et ipsa sapientia, Deique Patris unicum Verbum fuit : *Martha, Martha.* Bis nominat propter diligentiorem ejus provocationem ad advertendum, et item in signum dilectionis suæ ad eam, quam elegit in hospitam sui ac discipulorum suorum. *Sollicita es, et turbaris erga plurima,* id est circa hæc temporalia administranda, et circa corporalia alimenta, et circa corpora reficienda : quæ occupatio, quamvis fuerit bona et actus prudentiæ ac misericordiæ et liberalitatis, ex caritate imperialiter procedens, nihilo minus stabilitatem et pacem mentis in Deo frequenter diminuit, interrupit ac impedivit. Pluribus nempe intendens animus, singulis non æque perfecte valet intendere ut uni, quia virtus unita est fortior quam dispersa.

(I Cor. I, 24. — Joann. I, 1.)

42 *Porro, unum est necessarium.* Hoc unum quod præ ceteris necessarium dicitur, potest dici ipsa felicitas patriæ, seu Deus omnipotens, objectum et dator beatitudinis hujus, vel contemplatio seu dilectio Dei in vita hac, seu pax mentis in Deo, aut unio cordis cum eo, seu Deo debite deservire, et saluti propriæ providere. Quamvis autem ad obtinendam salutem multa sint necessaria, scilicet fides, spes, caritas, sacramenta, impletio præceptorum ; unum tamen necessarium dicitur antonomastice, quia præ ceteris necessarium exstat, vel necessitate finis, et propter se atque simpliciter, alia vero per respectum ad finem, et propter ejus adeptionem. *Maria optimam partem elegit,* videlicet Deo vacare (juxta illud Psalmi : Mihi autem adhærere Deo bonum est), Deum diligere, mente quieta contemplativam ducere vitam, et ipsum incommutabile bonum quærere ac habere, de quo in Threnis scriptum est : Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum. Hanc dignissimam partem elegit Maria, terrenis contemptis, et corporalibus occupationibus, tanquam minus bonis majorisque boni impeditivis, relictis. *Quæ non auferetur ab ea :* quoniam pars hæc incipit in hac vita, et continuatur ac perpetuatur in patria ; perficitur quoque in ea, quoniam contemplatio viæ per fidem, est quædam

(Ps. LXXII, 28. — Thren. III, 24.)

inchoatio contemplationis Beatorum per A speciem. Propter quod ait Apostolus : Nunc *I Cor.* XIII, 12. cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum ; et, Videmus nunc *Ibidem.* per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Itaque Christus Martham de suo devoto et caritativo obsequio non reprehendit, sed partem Mariæ præponit, quoniam exercitia vitæ contemplativæ præclariora sunt exercitiis vitæ activæ. Verumtamen de hoc videtur Martha aliqualiter reprehensa, quod sororem suam voluit a spirituali actu vitæ contemplativæ abstrahere, ut corporalibus occuparetur, quum tamen necessarium non fuisset, et quia Mariam putavit negligenter se habuisse, non impendendo auxilium in corporali obsequio.

Denique circa illud, Sollicita es et turbaris erga plurima, dicunt Cyrillus et Basilius : Quum aliqui susceperint alios hospitio, non sollicitentur circa multum obsequium, præparando diversa et delicata cibaria, nec poscant quæ præ manibus non sunt, et necessitatem excedunt. Gravat enim passim in qualibet re quod superfluit : hospitantibus namque generat tædium; convivis autem videtur quod sint aliis causa laboris.

Sed quoniam sensus litteralis planus est satis, tangendus est mysticus intellectus. Juxta quem, per Bethaniam, quæ interpretatur domus obedientiæ, designatur cor bonam conscientiam habens, eo quod divinis obedivit præceptis : ideo Christus illud libenter ingreditur per gratiæ augmentationem, tanquam carum familiareque sibi. Porro, per Martham, anima vitæ activæ exercitiis dedita explicatur : quæ Christum in sua recipit domo, hoc est in arcanis conscientiæ suæ; cujus soror Maria, hoc est quæcumque anima illi ut soror dilecta, contemplativæ vitæ insistens, sedet secus pedes Jesu, id est, ei humiliter se supponit, ejusque humilitatem perpendit, ac vestigia imitatur, juxta illud Thrénorum, Sedebit solitarius et tacebit, quia *Thren.* III, 28. levabit se super se; et audit verbum illius, asserens cum Psalmista : Audiam *Ps.* LXXXIV, 9. quid loquatur in me Dominus Deus. Anima quippe quiescendo fit prudens, et divinam inspirationem suscipit ac advertit. Propter quod in Ecclesiastico habetur : Qui *Eccli.* XXXVIII, 25. minoratur actu, sapientiam percipiet. Præterea, in quiete hujusmodi audit verba divina aure mentali, illis obediendo quæ legit aut meditatur.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Hoc competit his qui operibus misericordiæ et ceteris exterioribus B virtutum actibus corporalibus occupantur. Et sicut Martha conquesta est Christo dicens, Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare ? sic interdum personæ devotæ, quæ operibus vitæ activæ intendere compelluntur, et contemplativam vitam magis desiderant, conqueruntur Christo seu ejus prælatis, quod ipsæ præ ceteris sibi statu, gradu seu professione similibus, in exterioribus servire coguntur. Et sicut ait S. Bernardus : Beata est congregatio, ubi Martha C taliter conqueritur de Maria. Sed, heu ! jam multi, instar perfidorum filiorum Israel cœlestem nauseantium panem, etiam *Num.* XI, 5. ad Ægyptias, id est mundanas, consolationes adspirant, quibus contemplativæ vitæ non sapit refectio. Quemadmodum vero Christus Martham instruxit, ne Mariam ad exteriora a contemplationis exercitiis evocaret, sic prælati sunt instruendi, ne absque necessitate aut evidenti utilitate postulent aliquem a contemplativæ vitæ actibus abstrahi.

D Circa hunc locum evangelicum multa possent de vita contemplativa et activa, earumque distinctione induci, et quæ sit dignior investigari : de quibus specialem tractatum composui. Et nunc breviter tangi potest, quod absolute loquendo, vita contemplativa sit dignior quam activa, si in vita activa solum pensetur quod est vitæ activæ. Ad quod Aristoteles, decimo Ethicorum, octo pulchras atque subtiles rationes adducit. Prima est, quoniam vita contemplativa competit homini secundum

Digitized by Google

dignissimam suam potentiam, scilicet intellectum speculativum, et quoad digniora objecta, quia circa divina versatur; vita vero activa competit homini secundum practicum intellectum, et circa exteriora ac sensibilia occupatur objecta. Secunda est, quia vita contemplativa ex sua natura est magis continua. Tertia, quia est delectabilior pura delectatione. Quarta, quia est sibi in se magis sufficiens. Quinta, quoniam magis quæritur propter se ipsam; imo activa ordinatur ad ipsam. Sexta, quia in vacatione et quiete consistit; activa autem, in labore et motu. Septima, quia est magis divina. Octava, quoniam competit homini per id quo a bestiis separatur; activa vero competit ei etiam secundum vires animæ inferiores. Nihilo minus vita activa præfertur contemplativæ secundum quid, puta in casu, propter bonum commune, et necessitatem ac utilitatem vitæ præsentis. — Præterea, præter rationes prætactas sunt aliæ, cur contemplativa vita est dignior. Quarum unam tangit Salvator : quia videlicet vita contemplativa non aufertur homini per mortem, sicut activa. Contemplativa quoque magis propinquat beatitudini patriæ, et est magis supernaturalis, quam vita activa.

Verumtamen intuendum, quod duplicia sunt vitæ activæ opera. Quædam sunt omnino corporalia, ut exteriora misericordiæ opera, quæ et corporalia appellantur : de quibus certum est, quod vita contemplativa præferenda sit ipsis. Alia sunt opera vitæ activæ, quæ si idonee fieri debeant, contemplativæ vitæ perfectionem quamdam præexigunt, ut sunt prædicare, in spiritualibus præesse, Scripturas interpretari, publicas pro aliis preces effundere, etc. : de quibus aliqui opinantur, quod contemplativæ præferenda sint vitæ, quia utriusque vitæ perfectionem videntur includere. Unde et nonodecimo de Civitate Dei Augustinus distinguit triplicem vitam, videlicet otiosam, hoc est contemplativam, negotiosam, id est activam, et ex utraque temperatam. Prælatis vero atque doctoribus aliorum competit utriusque vitæ exercitia ordinate prosequi et habere.

Denique evangelium istud in Assumptione beatissimæ Virginis legitur : Primo, quoniam festivitas illa aliud speciale non habet evangelium. Secundo, quia utriusque vitæ perfectio in ea resplenduit : quoniam humanitati Filii sui corporaliter deservivit, et ejus divinitatem spiritualiter contemplabatur lucidius ceteris. Tertio, quoniam mystica seu allegorica expositio hujus evangelii ei præcipue competit. Ipsa enim invictissima Virgo fortissima mulierum, fuit castellum quod ingressus est Christus, quando descendit de cœlo, et incarnatus est in utero ejus, assumens ex purissimo sanguine ejus corpus humanum. Quemadmodum autem castellum debet esse alte situm, muro clausum, fossato circumdatum, turre levatum, armis et alimentis provisum, aquis quoque munitum; sic benedicta virgo Maria fuit per vitæ eminentiam alte sita, imo in statu altissimo posita, utpote in statu maternitatis Dei, ita quod fuit et est comparentalis Deo Patri, eumdem cum illo Filium habens. Fuit quoque muro clausa, id est firmissima virginea castitate ornata, itemque humilitate quasi fossato profundata, et caritatis fervore velut turre erecta, cunctis virtutibus tanquam armis firmata, spiritualibus alimentis et gratiarum fluentis repleta. Hæc gloriosa virgo Maria vocatur Martha, in quantum activæ vitæ perfectionem possedit : sicque Martha excepit Christum in domum suam, quia in utero suo. Nec dubium quin ipsa multo humilius sedit ad pedes Filii sui dum prædicaret, ejus quoque prædicationem affectuosius diligentiusque audivit, quam Maria Magdalene : unde et ipsa optimam partem perfectissime præelegit.

Postremo, secundum Augustinum, quod Martha accepit Christum in domum suam, designat Ecclesiam, quæ nunc accipit Dominum in cor suum. Maria vero, quæ sedit ad pedes Domini audiens verbum ejus,

Digitized by Google

designat eamdem Ecclesiam, sed in futuro, ubi cessans ab opere ministerioque indigentium, sola sapientia perfruetur. — Conemur ergo et nos harum venerabilium A mulierum perfectiones sectari; et quilibet nostrum digne conversari nitatur, secundum exigentiam vocationis qua vocatus est, prout monet Apostolus. *I Cor.* VII, 20; *Ephes.* IV, 1.

ARTICULUS XXIX

ELUCIDATIO CAPITULI UNDECIMI : ET FACTUM EST, QUUM ESSET IN QUODAM LOCO ORANS.

SALVATOR in hujus capitis exordio docet orationis formam atque instantiam, dat quoque impetrandi fiduciam. Ita-
1 que Lucas historialiter inchoans, ait : *Et factum est, quum esset in quodam loco orans, ut cessavit* orare, *dixit unus ex discipulis ejus ad eum.* Quo loco aut tempore contigerit istud, Evangelista iste determinate non exprimit. Porro, ut in Matthæo habetur, dum Jesus in monte coram suis prædicaret discipulis, evangelicam tradens legem, inter cetera modum orandi edocuit, *Matth.* VI, 5 *et seq.* atque subsequentem Orationem dominicam primus instituit ac deprompsit : unde apparet quod Lucas hoc loco ordinem non observet historicum.

Difficultasque oritur, quomodo ea quæ hic leguntur, his quæ in Matthæo scribuntur concordent. Ibi quippe non legitur Christus ante hujus institutionem orationis orasse, nec occasione allocutionis discipuli orationem hanc docuisse, sed quasi proprio motu eam suo inseruisse sermoni. Sed ad hæc respondendo, certum et tutum est dicere, quia frequenter contingit ut quod unus Evangelista omisit, suppleat alter : quemadmodum in isto capitulo, multa a Christo de oratione prolata recitat Lucas, de quibus Matthæus non scripsit. Forte etiam eamdem orationem Salvator bis docuit occasione diversa, et propter diversos, uno præsente, quum defuit alius. Itaque Christus oravit secundum quod homo, ad nostram instructionem, et propter indigentiam nostram, quia oravit pro B nobis : quamvis sæpe oraverit pro se ipso, videlicet pro sui corporis glorificatione accidentalique præmio, juxta illud Joannis : Pater, clarifica me. *Joann.* XVII, 5.

Præterea, per hoc quod discipulus Christi non petiit formam orandi a Christo, nisi postquam cessavit orare, docemur non interrumpere orationem et psalmodiam, seu Horarum persolutionem servorum Dei. Quod quia nonnulli nimis faciliter faciunt, graviter peccant, non pensantes quod orantes atque psallentes, cum Deo altissimo C sint loquentes. Ideoque præsertim ob Dei reverentiam ab ejus colloquio non sunt faciliter abstrahendi, præsertim quum loquentem cum rege terreno vix aliquis absque necessitate audeat avocare, propter reverentiam regis.

Domine, doce nos orare, sicut Joannes, scilicet Baptista, *docuit discipulos suos.* Verumtamen qualiter Joannes docuerit discipulos suos orare, et ubi, et quam formam orandi eis præfixerit, non docet Scriptura canonica. Insuper, quamvis multæ D orationes in veteri Testamento legantur, discipulus tamen Christi aliquam singularem atque præcipuam orationis formam ab eo poposcit, tanquam ab eo in quo tam excellentem sanctitatem conspexit, perpendens quod a ferventiori devotiorique corde efficacior prodiret oratio, quum oratio desiderii sit interpres ac nuntius. Unde et boni filii ac discipuli a devotissimis patribus suis formam orationis petere consueverunt, quatenus eodem devotionis spi-

Digitized by Google

ritu ac fervore discant et assuescant Al-
tissimum invocare, quo patres eorum id
agunt. Tanta quoque est orationis digni-
tas, utilitas, atque necessitas, ut merito de
modo orandi instructionem quærere de-
beamus.

2 *Et ait illis : Quum oratis,* hoc est, ora-
re intenditis, sive incipitis, seu orationi
insistitis, inter cetera *dicite* cum specia-
lissima devotione. Unus discipulorum ro-
gavit, sed responsionem Christus cunctis
qui aderant discipulis dirigit, quia et unus
ille pro omnium informatione quæsivit.
Pater, sanctificetur nomen tuum. Lucas
brevitati studens, in hujus descriptione
orationis verba aliqua prætermisit, quoni-
am a Matthæo ea satis descripta cognovit,
aut quia sub verbis hic positis virtualiter
includuntur, aut quia ad substantiam pe-
titionum hic tactarum non pertinent : ut
Matth. VI, 9. quod refert Matthæus, Qui es in cœlis, ad
primæ petitionis non spectat essentiam ;
Ibid. 10, 13. duæ quoque petitiones a Matthæo tactæ,
atque a Luca omissæ, in petitionibus hic
positis comprehenduntur, sicut patebit.

Itaque Christus orationem sic incipien-
dam hortatur : *Pater*. Nempe qui Deum
exorat, cum plena fiducia atque præcipua
dilectione hoc agere debet, quemadmodum
Jacob. I, 6. Jacobus apostolus ait : Postulet in fide ni-
hil hæsitans. Sed nomine patris, horum
utrumque potissimum concipitur, inflam-
matur, augetur : filius namque de patris
sui bonitate præsertim confidit, et eum
permaxime diligit. Ut ergo cum omni fi-
ducia fervidoque amore Deum precemur,
Christus sic inchoandum edocuit : Pater.
Quo nomine etiam benevolentiam Dei ca-
ptamus. Sed caveamus ne inveniamur in-
digni Deum altissimum patrem vocare. Si
enim rebus creatis, vanis et vilibus magis
quam sibi inhæremus, si transgrediendo
divina præcepta, ipsum inhonoramus, si
creata amplius quam Creatorem quærimus
et amamus, prorsus indigni sumus ipsum
patrem vocare ; nec inter filios suos ele-
ctos nos computat, sed tanquam degeneres
ac rebelles, tanquam impios et ingratos

A condemnat. Hinc per Malachiam testatur :
Filius honorat patrem suum, et servus ti- *Malach.* I, 6.
met dominum suum. Si ergo pater ego
sum, ubi est honor meus ? et si dominus
ego sum, ubi est timor meus ?

Præterea contuendum, quod pater in
Scripturis multipliciter dicitur : Primo,
æterna generatione, sicut in Psalmo : Ex *Ps.* CIX, 3.
utero ante luciferum genui te. Sic Pau-
lus ad Corinthios ait : Benedictus Deus et *II Cor.* I, 3.
Pater Domini nostri Jesu Christi. Sicque
in divinis, pater personaliter sumitur, et
B soli personæ Patris competere dicitur. Et
quamvis hoc modo in Oratione dominica
accipi possit, congruentius tamen aliis mo-
dis in ea suscipitur, sicut dicetur. Verum-
tamen, quia in Missæ officio orationes ad
personam Patris communiter diriguntur,
dum Oratio dominica in hoc officio pro-
nuntiatur, nomen patris personaliter su-
mitur. Secundo, pater dicitur redemptione,
juxta illud Isaiæ prophetæ : Tu, Domine, *Is.* LXIII, 16.
pater noster et redemptor noster, a sæculo
nomen tuum. Et sic rursus pater perso-
C naliter dicitur, loquendo de redemptione
non solum effective dicta, sed et ministe-
rialiter exhibita, secundum quod modus
redemptionis fuit per Filii passionem ex-
hibitus : et sic soli Filio convenit nomen
patris. Tertio, pater dicitur prædestinati-
one, ut quum ait Apostolus ad Ephesios :
Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, qui *Ephes.* I, 2, 5.
prædestinavit nos in adoptionem filiorum
per Jesum Christum. Quarto, pater dicitur
creatione, secundum illud Deuteronomii :
Numquid non ipse est pater tuus, qui pos- *Deut.* XXXII, 6.
D sedit te, et fecit, et creavit te ? Fecit uti-
que quantum ad corpus, creavit quantum
ad animam, et possedit secundum utrum-
que. Quinto, dicitur pater sacramentali re-
generatione, prout in prima sua Canonica
loquitur Petrus : Benedictus Deus et Pater *I Petr.* I, 3.
Domini nostri Jesu Christi, qui regenera-
vit nos in spem vivam. Sexto, dicitur pa-
ter fidei instructione, juxta illud Joannis :
Quotquot autem receperunt eum, dedit eis *Joann.* I, 12.
potestatem filios Dei fieri. Septimo, gra-
tiæ adoptione, dicente Apostolo : Accepi- *Rom.* VIII, 15.

Digitized by Google

stis Spiritum adoptionis filiorum. Octavo, A gloriæ collatione, secundum illud Pauli ad
Galat. IV, 7. Galatas : Itaque jam non est servus, sed filius : quod si filius, et heres per Deum.

Omnes hi modi tribus Personis superdignissimis et æternis simul conveniunt, quoniam opera superbenedictæ Trinitatis sunt indivisa. His quoque modis pater in Oratione dominica sumitur, per patrem intelligendo totam superessentialem incircumscriptamque Trinitatem, unum verum simplicissimum Deum, cui cum omni humilitate, reverentia et gratiarum actione B confidenter atque ardenter dicere ac supplicare debemus.

Pater, *sanctificetur nomen tuum,* hoc est, tu ipse, o Pater omnipotens et immense, ab omnibus honoreris, et tua sanctitas
Luc. I, 74, 75. omnibus innotescat, ac tibi in sanctitate et justitia ab universis jugiter serviatur. Hoc est quod primo ac maxime affectare debemus, videlicet glorificationem seu honorem et gloriam Dei in omnibus : aliter boni filii ejus non sumus, nec vere fideles, quemadmodum apud Joannem Chri- C
Joann. V, 44. stus ad perversos ait Judæos : Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? Denique, sicut homines virtuosi Deum sanctificant, dum sancte vivendo, Deum cui ita deserviunt, sanctum esse demonstrant, ejusque sanctitati fideliter attestantur : sic vitiosi, injuste ac turpiter conversando, nomen Dei maculare dicuntur, quia sic vivunt ac si Deus injustitiam approbet, nec sanctus sit; aliis quoque quantum in ipsis est, præstant au- D daciam et exemplum inhonorandi Deum. Hinc per Prophetas Deus perfidis filiis
Jer. XXXIV, 16. Israel improperans : Commaculastis, inquit, nomen sanctum meum; et rursus,
Ezech. XXXVI, 23. Sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est per vos inter gentes. Itaque dum oramus, Sanctificetur nomen tuum, pro toto mundo hoc ipsum precemur, cordialissime cupientes ut sanctitas veri Dei cunctis innotescat hominibus, et digne honorificetur ab omnibus. Imo, quo bonum

commune divinius est quam proprium, eo plus divinum meritoriumque consistit orare pro multis, præsertim pro omnibus, quam pro se solo aut paucis.

Adveniat regnum tuum. Regnum Dei est militans ac triumphans Ecclesia : ideo de utroque regno istud exponitur. Primo, Adveniat regnum tuum : id est, militans Ecclesia numero ac merito crescat, et undique diffundatur, et tu solus per fidem et gratiam multiformem regnes in ea, hoc est in cordibus universorum ac singulorum fidelium, adversariis tui honoris ac nostræ salutis, præsertim dæmonibus, inde ejectis. Secundo, Adveniat regnum tuum : id est, triumphans Ecclesia impleatur, ad cœlestem Jerusalem protinus perducamur, ad regnum cœlorum mereamur venire.

Sub his duabus petitionibus includitur tertia, a Matthæo expressa, qua dicitur : Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, id est, sicut a cœlestibus civibus tibi Matth. VI, 10. in omnibus obeditur, ita et a terrigenis quantum possibile est, tibi in omnibus obediatur.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 3
Hoc de multiplici pane exponitur. Primo, de pane sacramentali, hoc est de corpore et sanguine Christi in Sacramento altaris, quemadmodum ait Salvator : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere Joann. VI, 56. est potus; et denuo, Ego sum panis vivus, Ibid. 51. qui de cœlo descendi. Hic panis animam reficit, spiritualiterque saginat, si digne acceperit eum. — Secundo, exponitur de pane spirituali, videlicet de habitibus actibusque virtutum, de consolatione interna, de confortatione mentali, de divinorum sapore : de quibus ait Scriptura, Cibabit Eccli. XV, 3. illum Dominus pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. De pane quoque obedientiæ ait in Joanne Salvator : Meus cibus est ut faciam volun- Joann. IV, 34. tatem Patris mei. Similiter de pane pœnitentiæ fert Psalmista : Cibabis nos pane Ps. LXXIX, 6. lacrimarum ; et, Fuerunt mihi lacrimæ Ps. XLI, 4. meæ panes die ac nocte. De spiritualium

autem consolationum ac delectationum divinorumque gustuum refectione, Sponsus
Cant. v, 1. cœlestis ait in Canticis : Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi. His itaque cibis oremus quotidie ali divinitus, ne spiritus noster debilitetur, vitiisque succumbat. — Tertio, exponitur de corporali alimento, ut sit sensus : Panem nostrum quotidianum, hoc est necessaria vitæ quibus quotidie indigemus, da nobis. Quibus verbis excluditur avaritia, quæ congregat in longinquum et ultra necessitatem, ac sollicitudo immoderata de crastino.
* Cyrillus Circa quod ait Theophilus * : Ex eo quod Christus jussit quærere quotidianum alimentum, videtur quod suos fideles nihil concedat habere, sed magis honestam colere paupertatem. Non enim habentium panem, sed oppressorum penuria, est quærere panem quotidianum pro hodie. Propter quod dicit Chrysostomus : Postulanda sunt divinitus necessaria vitæ, non diversitates ciborum, et odorifera vina, ac cetera quæ delectant guttur, onerant autem ventrem et mentem perturbant; sed panis petendus est qui potest substantiam corporis sustentare, et ille qui nobis quotidie
Matth. vi, 34. tantummodo sufficit, ut de crastino non cogitemus.

4 *Et dimitte nobis peccata nostra,* culpam penitus auferendo, et pœnas quas peccando meruimus, relaxando, vel partim, sive totaliter. Porro, peccata mortalia pariter dimittuntur, ita quod unum sine alio non dimittitur, quantum ad culpam; sed tanto plus dimittitur nobis de pœna, quo major in nobis est pudor ac intimus dolor de peccatis, in quantum sunt contra justitiam, Deique offensiva, et quo major nobis inest fervor caritatis ad Deum ac proximum, quo item efficaciora satisfactionis agimus opera. Præterea, sine venialibus peccatis vitam hanc nec ducimus, nec ducere diu valemus, quia etsi singula, non tamen omnia quimus vitare. Sed contra ea, provisa et data sunt nobis desuper multa remedia, quorum unum est, secundum Augustinum, Oratio ista dominica.

Deinde tangitur ratio quædam impetrativa effectus hujus petitionis, videlicet veniæ. *Siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis,* hoc est, omnibus injuriantibus nobis pie ignoscimus, ad minus culpam seu injuriam dimittendo : quamvis interdum debita pœna seu emendatio pœnalis et satisfactoria exigi possit ex caritate, secundum formam juris ordinemque justitiæ, præsertim propter bonum commune, et ne peccantes, ex facilitate veniæ fiant ad injuriandum ac vitia proniores. Itaque qui alteri non ignoscit, bona fronte orare non valet hanc clausulam; imo quam impie agat, in Ecclesiastico aperitur, quo legitur : Homo homini servat Eccli. xxviii, 3-5.
iram, et a Deo quærit medelam? Ipse quum caro sit, in sibi similem non habet misericordiam, et tamen de peccatis suis deprecatur Altissimum ? Quis exorabit pro peccatis illius? Itaque, sicut optamus et exoramus ut peccantibus nobis Deus juste nobis non irascatur aut vindicet, sed pie nostræ cæcitati ac fragilitati condoleat et ignoscat; ita et nos injuriantium nobis fragilitati et cæcitati compatiamur et ignoscamus, Matth. v, 44, 45.
simul orantes pro illis, ut simus filii Patris cœlestis qui pius et clemens est super bonos et malos. Istud vero ad prælatos et patres spirituales et religiosos præcipue pertinet, qui in omnium caritate ac pietate ceteris præfulgere tenentur, quorum interiora in ipsum bonitatis ac caritatis affectum debent converti, aut esse conversa : quanquam ex caritate et æquitate justam sæpe debeant peccantibus infligere pœnam, ut per eam a pœnis eripiantur futuris, et gratiam consequantur majorem, præsertim ut Deo aliqualiter satisfiat. — Postremo, circa hæc scribit Chrysostomus : Hæc animadvertentes, gratias agere debemus debitoribus nostris. Fiunt enim nobis, si sapimus, causa indulgentiæ maximæ; et pauca exhibentes seu modica dimittentes, plurima reperiemus. Nam et nos multa debemus et debita magna Domino, quorum si minimam partem a nobis vellet exigere, jam perissemus.

Digitized by Google

Et ne nos inducas in tentationem, hoc est, non nos permittas ab hostibus nostræ salutis supra vires tentari, id est ad consensum illicitum trahi, tentationibus superari, sed da gratiam resistendi ac prævalendi. Dicitur autem Deus in tentationem inducere, quia ab adversariis nos permittit tentari. Interdum autem et Deus dicitur tentare, non utique tentatione deceptoria ac fallaci, quum Jacobus dicat :
Jacob. I, 13. Nemo quum tentatur, dicat quia a Deo tentatur : Deus enim neminem tentat, scilicet modo præfato. Sed tentatione probationis et exercitationis, quæ ad bonum tentati ordinatur, tentare Deus asseritur.

Itaque ex hujus clausulæ declaratione jam patet, quod in ea virtualiter ac sententialiter includatur septima ac ultima petitio Orationis dominicæ a Matthæo ex-
Matth. VI, 13. pressa, qua dicitur, Sed libera nos a malo. Unde Augustinus in Enchiridion scribit, quod Matthæus in ultimo posuit, Sed libera nos a malo, Lucas non posuit, ut intelligeremus hoc ad præcedentem petitionem pertinere. Ideo quippe ait, Sed libera, non, Et libera, tanquam unam petitionem demonstrans. Verum de multis concernentibus expositionem hujus præclarissimæ orationis, quæ secundum Henricum de Hassia, etiam a Judæis ac Sarracenis dici potest, prætermitto, quoniam super Mat-
Ibid. 9-13. thæum inde locutus sum. Hoc tamen addendum, quia ut asserit Gorra, aliud est tentari, aliud in tentationem incidere, aliud in tentationem induci. Nam primum istorum dicit sensum simpliciter, sed non semper consensum ; secundum, dicit sensum et consensum ex subreptione, et præter propositum ; tertium, dicit sensum et consensum ex deliberatione. Primum potest esse sine peccato ; secundum, absque peccato mortali ; tertium vero est gravius et frequenter mortale.

Consequenter Salvator per quamdam parabolicam similitudinem nos hortatur ad fiducialem orationis constantiam, incessa-
5 bilem fervidamque frequentiam. *Et ait ad illos,* scilicet ad discipulos suos : *Quis ve-*
A *strum habebit amicum, et ibit ad illum,* etc. ? Parabolæ hujus sensus superficialiter litteralis, penitus planus est. Siquidem per similitudinem hanc intendit Christus probare, quod Deus superpiissimus preces constanter, indesinenter, ac fervide continuatas et repetitas non despicit, sed exaudit.

Porro mystice, per amicum intelligitur Deus sublimis, cui per Sapientem dicitur :
Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eo- Sap. XI, 25.
rum quæ fecisti. De quo ait Apostolus :
B Propter nimiam caritatem suam, qua di- Ephes. II, 4.
lexit nos Deus. Similiter nomine amici intelligi potest Unigenitus Dei incarnatus,
qui de se ipso testatus est : Majorem hac Joann. XV, 13.
dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. De quo ite-
rum legitur : Quum dilexisset suos qui Ibid. XIII, 1.
erant in mundo, usque in finem dilexit eos. Ad hunc amicum ire debemus mentis devotione, contemplatione, et dilectione,
juxta illud Psalmi : Accedite ad eum, et Ps. XXXIII, 6.
illuminamini. Unde ad Hebræos hortatur
C Apostolus : Adeamus cum fiducia ad thro- Hebr. IV, 16.
num gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur. Eundum est autem *media no-*
cte, sicut fatetur Psalmista : Media nocte Ps. CXVIII, 62.
surgebam ad confitendum tibi. Vel, Media nocte, hoc est durante præsentis vitæ tribulatione, adversitate, ignorantia, atque multiplici peccati ruina.

Et dicet illi : Amice. In exordio precis, nomen amici præmittit, ut ex mutuæ dilectionis recordatione, attentione, seu inflammatione, ille qui petitur ad exaudi-
D tionem citius inclinetur, quum caritas impetrandi sit ratio. Nam et (Augustino testante) amor est primum donum, in quo omnia dona donantur. *Commoda mihi tres panes.* Isti tres panes intelligi possunt, illuminatio intellectus, caritativa inflammatio voluntatis, et stabilitas memoriæ in divinis ; seu actus fidei, spei, et caritatis, quibus Deus præcipue colitur. Item tres panes sunt : panis pœnitentiæ, hoc est deploratio et satisfactio pro peccatis ; panis Eucharistiæ, de quo loquitur Christus

Digitized by Google

Joann. VI, 48. apud Joannem, Ego sum panis vitæ ; et A
panis contemplationis internæ. Hi panes
commodari nobis a Deo dicuntur, quoniam
de donis nobis desuper datis, ratio exige-
tur a nobis, ut ait Salvator apud Lucam :
Luc. XII, 48. Cui plus datum est, plus requiretur ab
eo. Et Gregorius asserit : Dum crescunt
6 dona, rationes crescunt donorum. *Quoni-
am amicus meus venit de via ad me.* Per
amicum istum, secundum quosdam, in-
telligitur animus seu spiritus noster, qui
dum per terrena, vana atque carnalia dis-
trahitur, oblectatur et evagatur, a nobis B
Ps. XXXIX, 13. recedit, juxta illud in Psalmo : Cor meum
dereliquit me. Propter quod per Jeremiam
Jer. XXXI, 22. prophetam dicitur : Usquequo deliciis dis-
solveris, filia vaga? Quum autem ad inte-
riora sua regreditur, et salutaria medita-
tur, de via lata perditionis ad nos ipsos
Is. XLVI, 8. revertitur, sicut Isaias testatur : Redite,
prævaricatores, ad cor. — Præterea, per
postulantem tres panes, intelligi potest
quicumque alterius exhortator, et per ami-
cum de via venientem, quicumque proxi-
mus exhortationibus indigens. Sicque ex- C
hortatori, seu prædicatori tres panes sunt
necessarii, utpote sapientia mentis, ordi-
nata locutio oris, exemplaritas conversa-
tionis.

Et non habeo quod ponam ante illum,
hoc est, a me ipso nil virtutis aut gratiæ
habeo, ut spiritum meum seu proximum
spiritualiter valeam roborare atque refi-
I *Cor.* IV, 7. cere, dicente Apostolo : Quid habes quod
II *Cor.* III, 5. non accepisti? Et rursus : Non sumus suf-
ficientes cogitare aliquid ex nobis, qua-
si ex nobis ; sed sufficientia nostra ex D
Deo est. Nemo ergo se jactet, nec de vi-
ribus suis præsumat, neque inaniter glo-
rietur.

7 *Et ille deintus respondens, dicat.* Recte
ait, Deintus respondens. Deus enim omnia
implet, et animabus nostris illabitur, in-
tusque eas occulta inspiratione alloquitur.
Ps. LXXXIV, 9. Propter quod ait Psalmista : Audiam quid
loquatur in me Dominus Deus. *Noli mihi
molestus esse,* hoc est precibus immode-
ranter pulsare. Hoc intelligendum est, non
quasi gloriosus ac invariabilis Deus possit
proprie dictam sustinere molestiam, aut
hominum precibus inquietari ; sed quia
frequenter affectu et more humano loqui-
tur in Scripturis, debilitati nostræ intelli-
gentiæ condescendens, quemadmodum ait
per Isaiam : Laboravi sustinens ; et holo- *Is.* I, 14.
causta seu festa vestra facta sunt mihi
molesta. Rursusque loquitur Isaias : Num- *Ibid.* VII, 13.
quid parum vobis est esse molestos ho-
minibus, quia molesti estis et Deo meo?
Itaque Deus ait, Noli mihi molestus esse, ad
insinuandum quam difficulter et protracte
sæpe audiat deprecantes, quemadmodum
sanctus Job loquitur Deo : Clamo ad te, et *Job* XXX, 20, 21.
non exaudis ; sto, et non respicis me :
mutatus es mihi in crudelem, et in duri-
tia manus tuæ adversaris mihi. Jeremiæ
quoque loquitur Deus de reprobo popu-
lo Judæorum : Noli, inquiens, orare pro *Jer.* VII, 16.
populo hoc in bonum, nec assumas lau-
dem et orationem pro eis, et non obsistas
mihi, quia non exaudiam te.

Jam enim *ostium clausum est,* hoc est,
aditus seu accessus ad impetrandum a
me, modo tibi non patet, ita quod preces
tuæ adhuc locum non habent. Quocontra
in Ecclesiastico habetur : Oratio humilian- *Eccli.* XXXV, 21.
tis se nubes penetrabit. Et beatissimo Cor-
nelio centurioni dictum est ab angelo, ut
habetur in Actibus : Orationes tuæ ascen- *Act.* X, 4.
derunt in memoriam in conspectu Dei. *Et
pueri mei,* hoc est electi atque beati cives
regni cœlestis, *mecum sunt in cubili,* id
est in secretissima requie cœlestis palatii,
ubi quasi in thalamo, Ecclesia triumphans
suo Sponso æterno inavertibiliter est con-
juncta, et immediate feliciterque unita,
facialiter cernens dilectum, nec per culpæ
dissimilitudinem distans ab ipso, quemad-
modum viatores, quibus Dominus per Isa-
iam asserit : Iniquitates vestræ diviserunt *Is.* LIX, 2.
inter Deum vestrum et vos.

Non possum surgere, id est in actum
exauditionis procedere, *et dare tibi* quæ
petis. Denique quod Deus ait omnipotens,
Non possum, non impossibilitatem, sed
difficultatem exaudiendi designat : non

Digitized by Google

his qui oderunt vos. Unde manifestum A est, hoc præcepto quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia : quia et ipse Dominus noster Jesus Christus proximum nostrum dici se voluit, significans se subvenisse semivivo jacenti in via.

ARTICULUS XXVIII

DECLARATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI DECIMI, SCILICET : INTRAVIT JESUS IN QUODDAM CASTELLUM.

QUIDQUID Christus gessit in corpore, mysteriis plenum est, et nostræ conversationis informativum. Et quoniam Christus venit tam activæ quam contemplativæ vitæ instituta docere, nunc factum quoddam ipsius describitur, in quo brevi eloquio utriusque vitæ distinctionem ostendit. Lucas tamen hoc loco ordinem historiæ non observat.

38 *Factum est autem, dum irent* Jesus et ejus discipuli, de loco ad locum, ad plurimorum instructionem, *et ipse intravit in quoddam castellum.* Circa quod Beda * : C Hujus (inquit) castelli nomen Lucas hic tacet, sed Joannes exprimit, vocans ipsum Bethaniam. Sic enim ait : Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ. Ex quibus apparet, quod ipsa Bethania, quæ fuit villa, vocetur castellum. Unde et infra legitur, quod duo ex discipulis ibant in castellum, cui nomen Emmaus : pro quo Marcus scribit, quod ibant in villam. Denique, quod in Matthæo ait Salvator duobus discipulis, Ite in castellum quod contra vos est, de D ipsa urbe Jerusalem solet exponi. Castellum tamen proprie dicitur parvum castrum. Fuit autem in Bethania castrum Mariæ et Marthæ ac Lazari, quod forsan interdum comparative loquendo nominatur castellum : et sicut frequenter totum a sua parte nomen sortitur, sic forte villa Bethania, ratione castri sive castelli in ea contenti, appellatur castellum.

* Origenes

Joann. xi, 1. — Luc. xxiv, 13. — Marc. xvi, 12. — Matth. xxi, 2.

B *Et mulier quædam Martha nomine :* quam aliqui putant fuisse illam quam Christus a sanguinis curavit profluvio : cujus oppositum supra satis probatum est ; *excepit illum in domum suam.* Ipsa quippe specialis exstitit hospita Christi : propter quod, sicut in ejus legenda habetur, post Christi ascensionem consuevit Christum sub nomine hospitis invocare. Itaque cum grandi reverentia et caritatis fervore accepit Christum in sua domo, quæ fuit castellum seu castrum. Nobilis enim fuit et opulenta ; et sicut in Joanne scriptum est, Jesus diligebat Mariam, Martham, et Lazarum.

Luc. viii, 43. — Joann. xi, 5.

Et huic erat soror nomine Maria, scilicet Magdalene, de qua in Marco fertur : 39
Surgens Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia. *Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* In quibus verbis insinuatur ejus humilitas ac diligentia, quia ad pedes Christi humiliter se locavit et avidissime intenta fuit prædicationi ipsius. Quo autem humilius sedit, diligentiusque advertit, eo plus spirituales hausit profectus, et rivos doctrinæ ex fonte sapientiæ sumpsit. Christus quippe est fons sapientiæ, juxta illud Ecclesiastici : Fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis. Deus quoque humilibus dat gratiam.

Marc. xvi, 9. — Eccli. i, 5. — Jacob. iv, 6; I Petr. v, 5.

Præterea, sicut ait Basilius, Omnis operatio atque locutio Salvatoris regula est

Digitized by Google

virtutis ac pietatis. Ob hoc enim induit A corpus nostrum, ut nos conversationem ipsius imitemur pro posse. Suo ergo exemplo docuit discipulos, omnesque prædicatores, et ad aliorum exhortationem idoneos, qualiter habere se debent in domibus hospitantium eos, ut scilicet suscepti non statim resupini quiescant, sed susceptores suos exhortationibus repleant sacris. Unde et reverenter ac caritative sunt suscipiendi : primo, quoniam hospitatores eorum ædificabuntur salutaribus documentis ; secundo, quoniam caritatis B adipiscentur mercedem.

40 *Martha autem satagebat,* hoc est, satis agebat, occupataque fuit, seu laborabat, *circa frequens ministerium,* id est circa corporalis refectionis quotidie necessariæ præparationem et exhibitionem. *Quæ stetit,* ab obsequio et discursu modice cessans, ut Christum reverentialiter alloqueretur, et ejus præstolaretur responsum, *et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare ?* Hoc videbatur irrationabile Marthæ, quia C apparuit ei quod ob Christi honorabilitatem, aliorumque hospitum multitudinem, Maria merito adjuvisset. Itaque interrogavit, Domine, non est tibi curæ ? non quasi Christum reprehendens quod Mariæ non dixerat, Adjuva sororem tuam ; sed quasi admirans de hoc. Ideo addidit : *Dic ergo illi ut me adjuvet :* quia ad litteram multa erant agenda in tot hospitum cibatione. Et quod Martha dicit se solam ministrare, non est intelligendum quod nulla femina adjuverit eam : habuit enim ancil- D lam juvantem unam aut plures, ut reor ; sed solam se asserit ministrare, per exclusionem suæ sororis, ad quam ministratio illa æque pertinuit, secundum Marthæ opinionem.

41 *Et respondens, dixit illi Dominus* Jesus Christus, qui ad respondendum sapienter, deliberatione, inquisitione, studio non egebat, quoniam sapientia plenus, imo et ipsa sapientia, Deique Patris unicum Verbum fuit : *Martha, Martha.* Bis nominat

I Cor. I, 24.
Joann. I, 1.

propter diligentiorem ejus provocationem ad advertendum, et item in signum dilectionis suæ ad eam, quam elegit in hospitam sui ac discipulorum suorum. *Sollicita es, et turbaris erga plurima,* id est circa hæc temporalia administranda, et circa corporalia alimenta, et circa corpora reficienda : quæ occupatio, quamvis fuerit bona et actus prudentiæ ac misericordiæ et liberalitatis, ex caritate imperialiter procedens, nihilo minus stabilitatem et pacem mentis in Deo frequenter diminuit, interrupit ac impedivit. Pluribus nempe intendens animus, singulis non æque perfecte valet intendere ut uni, quia virtus unita est fortior quam dispersa.

Porro, unum est necessarium. Hoc unum 42
quod præ ceteris necessarium dicitur, potest dici ipsa felicitas patriæ, seu Deus omnipotens, objectum et dator beatitudinis hujus, vel contemplatio seu dilectio Dei in vita hac, seu pax mentis in Deo, aut unio cordis cum eo, seu Deo debite deservire, et saluti propriæ providere. Quamvis autem ad obtinendam salutem multa sint necessaria, scilicet fides, spes, caritas, sacramenta, impletio præceptorum ; unum tamen necessarium dicitur antonomastice, quia præ ceteris necessarium exstat, vel necessitate finis, et propter se atque simpliciter, alia vero per respectum ad finem, et propter ejus adeptionem. *Maria optimam partem elegit,* videlicet Deo vacare (juxta illud Psalmi : Mihi autem adhærere Deo bonum est), Deum diligere, mente quieta contemplativam ducere vitam, et ipsum incommutabile bonum quærere ac habere, de quo in Threnis scriptum est : Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum. Hanc dignissimam partem elegit Maria, terrenis contemptis, et corporalibus occupationibus, tanquam minus bonis majorisque boni impeditivis, relictis. *Quæ non auferetur ab ea :* quoniam pars hæc incipit in hac vita, et continuatur ac perpetuatur in patria ; perficitur quoque in ea, quoniam contemplatio viæ per fidem, est quædam

Ps. LXXII, 28.
Thren. III, 24.

Digitized by Google

inchoatio contemplationis Beatorum per A speciem. Propter quod ait Apostolus : Nunc cognosco ex parte ; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum ; et, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. (1 Cor. XIII, 12. — Ibidem.)

Itaque Christus Martham de suo devoto et caritativo obsequio non reprehendit, sed partem Mariæ præponit, quoniam exercitia vitæ contemplativæ præclariora sunt exercitiis vitæ activæ. Verumtamen de hoc videtur Martha aliqualiter reprehensa, quod sororem suam voluit a spirituali actu vi- B tæ contemplativæ abstrahere, ut corporalibus occuparetur, quum tamen necessarium non fuisset, et quia Mariam putavit negligenter se habuisse, non impendendo auxilium in corporali obsequio.

Denique circa illud, Sollicita es et turbaris erga plurima, dicunt Cyrillus et Basilius : Quum aliqui susceperint alios hospitio, non sollicitentur circa multum obsequium, præparando diversa et delicata cibaria, nec poscant quæ præ manibus non sunt, et necessitatem excedunt. Gra- C vat enim passim in qualibet re quod superfluit : hospitantibus namque generat tædium; convivis autem videtur quod sint aliis causa laboris.

Sed quoniam sensus litteralis planus est satis, tangendus est mysticus intellectus. Juxta quem, per Bethaniam, quæ interpretatur domus obedientiæ, designatur cor bonam conscientiam habens, eo quod divinis obedivit præceptis : ideo Christus illud libenter ingreditur per gratiæ augmentationem, tanquam carum familiare- D que sibi. Porro, per Martham, anima vitæ activæ exercitiis dedita explicatur : quæ Christum in sua recipit domo, hoc est in arcanis conscientiæ suæ ; cujus soror Maria, hoc est quæcumque anima illi ut soror dilecta, contemplativæ vitæ insistens, sedet secus pedes Jesu, id est, ei humiliter se supponit, ejusque humilitatem perpendit, ac vestigia imitatur, juxta illud Thrênorum, Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se ; et audit verbum illius, asserens cum Psalmista : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Anima quippe quiescendo fit prudens, et divinam inspirationem suscipit ac advertit. Propter quod in Ecclesiastico habetur : Qui minoratur actu, sapientiam percipiet. Præterea, in quiete hujusmodi audit verba divina aure mentali, illis obediendo quæ legit aut meditatur. (Thren. III, 28. — Ps. LXXXIV, 9. — Eccli. XXXVIII, 25.)

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Hoc competit his qui operibus misericordiæ et ceteris exterioribus virtutum actibus corporalibus occupantur. Et sicut Martha conquesta est Christo dicens, Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare ? sic interdum personæ devotæ, quæ operibus vitæ activæ intendere compelluntur, et contemplativam vitam magis desiderant, conqueruntur Christo seu ejus prælatis, quod ipsæ præ ceteris sibi statu, gradu seu professione similibus, in exterioribus servire coguntur. Et sicut ait S. Bernardus : Beata est congregatio, ubi Martha taliter conqueritur de Maria. Sed, heu ! jam multi, instar perfidorum filiorum Israel cœlestem nauseantium panem, etiam ad Ægyptias, id est mundanas, consolationes adspirant, quibus contemplativæ vitæ non sapit refectio. Quemadmodum vero Christus Martham instruxit, ne Mariam ad exteriora a contemplationis exercitiis evocaret, sic prælati sunt instruendi, ne absque necessitate aut evidenti utilitate postulent aliquem a contemplativæ vitæ actibus abstrahi. (Num. XI, 5.)

Circa hunc locum evangelicum multa possent de vita contemplativa et activa, earumque distinctione induci, et quæ sit dignior investigari : de quibus specialem tractatum composui. Et nunc breviter tangi potest, quod absolute loquendo, vita contemplativa sit dignior quam activa, si in vita activa solum pensetur quod est vitæ activæ. Ad quod Aristoteles, decimo Ethicorum, octo pulchras atque subtiles rationes adducit. Prima est, quoniam vita contemplativa competit homini secundum

Digitized by Google

dignissimam suam potentiam, scilicet intellectum speculativum, et quoad digniora objecta, quia circa divina versatur; vita vero activa competit homini secundum practicum intellectum, et circa exteriora ac sensibilia occupatur objecta. Secunda est, quia vita contemplativa ex sua natura est magis continua. Tertia, quia est delectabilior pura delectatione. Quarta, quia est sibi in se magis sufficiens. Quinta, quoniam magis quæritur propter se ipsam; imo activa ordinatur ad ipsam. Sexta, quia in vacatione et quiete consistit; activa autem, in labore et motu. Septima, quia est magis divina. Octava, quoniam competit homini per id quo a bestiis separatur; activa vero competit ei etiam secundum vires animæ inferiores. Nihilo minus vita activa præfertur contemplativæ secundum quid, puta in casu, propter bonum commune, et necessitatem ac utilitatem vitæ præsentis. — Præterea, præter rationes prætactas sunt aliæ, cur contemplativa vita est dignior. Quarum unam tangit Salvator : quia videlicet vita contemplativa non aufertur homini per mortem, sicut activa. Contemplativa quoque magis propinquat beatitudini patriæ, et est magis supernaturalis, quam vita activa.

Verumtamen intuendum, quod duplicia sunt vitæ activæ opera. Quædam sunt omnino corporalia, ut exteriora misericordiæ opera, quæ et corporalia appellantur : de quibus certum est, quod vita contemplativa præferenda sit ipsis. Alia sunt opera vitæ activæ, quæ si idonee fieri debeant, contemplativæ vitæ perfectionem quamdam præexigunt, ut sunt prædicare, in spiritualibus præesse, Scripturas interpretari, publicas pro aliis preces effundere, etc. : de quibus aliqui opinantur, quod contemplativæ præferenda sint vitæ, quia utriusque vitæ perfectionem videntur includere. Unde et nonodecimo de Civitate Dei Augustinus distinguit triplicem vitam, videlicet otiosam, hoc est contemplativam, negotiosam, id est activam, et ex utraque temperatam. Prælatis vero at-
A que doctoribus aliorum competit utriusque vitæ exercitia ordinate prosequi et habere.

Denique evangelium istud in Assumptione beatissimæ Virginis legitur : Primo, quoniam festivitas illa aliud speciale non habet evangelium. Secundo, quia utriusque vitæ perfectio in ea resplenduit : quoniam humanitati Filii sui corporaliter deservivit, et ejus divinitatem spiritualiter contemplabatur lucidius ceteris. Tertio, quoniam mystica seu allegorica expositio
B hujus evangelii ei præcipue competit. Ipsa enim invictissima Virgo fortissima mulierum, fuit castellum quod ingressus est Christus, quando descendit de cœlo, et incarnatus est in utero ejus, assumens ex purissimo sanguine ejus corpus humanum. Quemadmodum autem castellum debet esse alte situm, muro clausum, fossato circumdatum, turre levatum, armis et alimentis provisum, aquis quoque munitum; sic benedicta virgo Maria fuit per vitæ eminentiam alte sita, imo in statu altis-
C simo posita, utpote in statu maternitatis Dei, ita quod fuit et est comparentalis Deo Patri, eumdem cum illo Filium habens. Fuit quoque muro clausa, id est firmissima virginea castitate ornata, itemque humilitate quasi fossato profundata, et caritatis fervore velut turre erecta, cunctis virtutibus tanquam armis firmata, spiritualibus alimentis et gratiarum fluentis repleta. Hæc gloriosa virgo Maria vocatur Martha, in quantum activæ vitæ perfectionem possedit : sicque Martha excepit Chri-
D stum in domum suam, quia in utero suo. Nec dubium quin ipsa multo humilius sedit ad pedes Filii sui dum prædicaret, ejus quoque prædicationem affectuosius diligentiusque audivit, quam Maria Magdalene : unde et ipsa optimam partem perfectissime præelegit.

Postremo, secundum Augustinum, quod Martha accepit Christum in domum suam, designat Ecclesiam, quæ nunc accipit Dominum in cor suum. Maria vero, quæ sedit ad pedes Domini audiens verbum ejus,

Digitized by Google

designat eamdem Ecclesiam, sed in futuro, ubi cessans ab opere ministerioque indigentium, sola sapientia perfruetur. — Conemur ergo et nos harum venerabilium A mulierum perfectiones sectari : et quilibet nostrum digne conversari nitatur, secundum exigentiam vocationis qua vocatus est, prout monet Apostolus. 1 Cor. vii, 20; Ephes. iv, 1.

ARTICULUS XXIX

ELUCIDATIO CAPITULI UNDECIMI : ET FACTUM EST, QUUM ESSET IN QUODAM LOCO ORANS.

SALVATOR in hujus capitis exordio docet orationis formam atque instantiam, dat quoque impetrandi fiduciam. Ita-
1 que Lucas historialiter inchoans, ait : *Et factum est, quum esset in quodam loco orans, ut cessavit orare, dixit unus ex discipulis ejus ad eum.* Quo loco aut tempore contigerit istud, Evangelista iste determinate non exprimit. Porro, ut in Matthæo habetur, dum Jesus in monte coram suis prædicaret discipulis, evangelicam tradens legem, inter cetera modum orandi edocuit, (Matth. vi, 5 et seq.) atque subsequentem Orationem dominicam primus instituit ac deprompsit : unde apparet quod Lucas hoc loco ordinem non observet historicum.

Difficultasque oritur, quomodo ea quæ hic leguntur, his quæ in Matthæo scribuntur concordent. Ibi quippe non legitur Christus ante hujus institutionem orationis orasse, nec occasione allocutionis discipuli orationem hanc docuisse, sed quasi proprio motu eam suo inseruisse sermoni. Sed ad hæc respondendo, certum et tutum est dicere, quia frequenter contingit ut quod unus Evangelista omisit, suppleat alter : quemadmodum in isto capitulo, multa a Christo de oratione prolata recitat Lucas, de quibus Matthæus non scripsit. Forte etiam eamdem orationem Salvator bis docuit occasione diversa, et propter diversos, uno præsente, quum defuit alius. Itaque Christus oravit secundum quod homo, ad nostram instructionem, et propter indigentiam nostram, quia oravit pro B nobis : quamvis sæpe oraverit pro se ipso, videlicet pro sui corporis glorificatione accidentalique præmio, juxta illud Joannis : Pater, clarifica me. (Joann. xvii, 5.)

Præterea, per hoc quod discipulus Christi non petiit formam orandi a Christo, nisi postquam cessavit orare, docemur non interrumpere orationem et psalmodiam, seu Horarum persolutionem servorum Dei. Quod quia nonnulli nimis faciliter faciunt, graviter peccant, non pensantes quod orantes atque psallentes, cum Deo altissimo C sint loquentes. Ideoque præsertim ob Dei reverentiam ab ejus colloquio non sunt faciliter abstrahendi, præsertim quum loquentem cum rege terreno vix aliquis absque necessitate audeat avocare, propter reverentiam regis.

Domine, doce nos orare, sicut Joannes, scilicet Baptista, *docuit discipulos suos.* Verumtamen qualiter Joannes docuerit discipulos suos orare, et ubi, et quam formam orandi eis præfixerit, non docet Scriptura canonica. Insuper, quamvis multæ D orationes in veteri Testamento legantur, discipulus tamen Christi aliquam singularem atque præcipuam orationis formam ab eo poposcit, tanquam ab eo in quo tam excellentem sanctitatem conspexit, perpendens quod a ferventiori devotiorique corde efficacior prodiret oratio, quum oratio desiderii sit interpres ac nuntius. Unde et boni filii ac discipuli a devotissimis patribus suis formam orationis petere consueverunt, quatenus eodem devotionis spi-

Digitized by Google

ritu ac fervore discant et assuescant Altissimum invocare, quo patres eorum id agunt. Tanta quoque est orationis dignitas, utilitas, atque necessitas, ut merito de modo orandi instructionem quærere debeamus.

2 *Et ait illis : Quum oratis,* hoc est, orare intenditis, sive incipitis, seu orationi insistitis, inter cetera *dicite* cum specialissima devotione. Unus discipulorum rogavit, sed responsionem Christus cunctis qui aderant discipulis dirigit, quia et unus ille pro omnium informatione quæsivit. *Pater, sanctificetur nomen tuum.* Lucas brevitati studens, in hujus descriptione orationis verba aliqua prætermisit, quoniam a Matthæo ea satis descripta cognovit, aut quia sub verbis hic positis virtualiter includuntur, aut quia ad substantiam petitionum hic tactarum non pertinent : ut
Matth. VI, 9. quod refert Matthæus, Qui es in cœlis, ad primæ petitionis non spectat essentiam;
Ibid. 10, 13. duæ quoque petitiones a Matthæo tactæ, atque a Luca omissæ, in petitionibus hic positis comprehenduntur, sicut patebit.

Itaque Christus orationem sic incipiendam hortatur : *Pater.* Nempe qui Deum exorat, cum plena fiducia atque præcipua dilectione hoc agere debet, quemadmodum
Jacob. I, 6. Jacobus apostolus ait : Postulet in fide nihil hæsitans. Sed nomine patris, horum utrumque potissimum concipitur, inflammatur, augetur : filius namque de patris sui bonitate præsertim confidit, et eum permaxime diligit. Ut ergo cum omni fiducia fervidoque amore Deum precemur, Christus sic inchoandum edocuit : Pater. Quo nomine etiam benevolentiam Dei captamus. Sed caveamus ne inveniamur indigni Deum altissimum patrem vocare. Si enim rebus creatis, vanis et vilibus magis quam sibi inhæremus, si transgrediendo divina præcepta, ipsum inhonoramus, si creata amplius quam Creatorem quærimus et amamus, prorsus indigni sumus ipsum patrem vocare; nec inter filios suos electos nos computat, sed tanquam degeneres ac rebelles, tanquam impios et ingratos

A condemnat. Hinc per Malachiam testatur : Filius honorat patrem suum, et servus timet dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus? *Malach.* I, 6.

Præterea contuendum, quod pater in Scripturis multipliciter dicitur : Primo, æterna generatione, sicut in Psalmo : Ex utero ante luciferum genui te. *Ps.* CIX, 3. Sic Paulus ad Corinthios ait : Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi. *II Cor.* I, 3. Sicque in divinis, pater personaliter sumitur, et
B soli personæ Patris competere dicitur. Et quamvis hoc modo in Oratione dominica accipi possit, congruentius tamen aliis modis in ea suscipitur, sicut dicetur. Verumtamen, quia in Missæ officio orationes ad personam Patris communiter diriguntur, dum Oratio dominica in hoc officio pronuntiatur, nomen patris personaliter sumitur. Secundo, pater dicitur redemptione, juxta illud Isaiæ prophetæ : Tu, Domine, *Is.* LXIII, 16. pater noster et redemptor noster, a sæculo nomen tuum. Et sic rursus pater perso-
C naliter dicitur, loquendo de redemptione non solum effective dicta, sed et ministerialiter exhibita, secundum quod modus redemptionis fuit per Filii passionem exhibitus : et sic soli Filio convenit nomen patris. Tertio, pater dicitur prædestinatione, ut quum ait Apostolus ad Ephesios : Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, qui *Ephes.* I, 2, 5. prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum. Quarto, pater dicitur creatione, secundum illud Deuteronomii : Numquid non ipse est pater tuus, qui pos- *Deut.* XXXII, 6.
D sedit te, et fecit, et creavit te? Fecit utique quantum ad corpus, creavit quantum ad animam, et possedit secundum utrumque. Quinto, dicitur pater sacramentali regeneratione, prout in prima sua Canonica loquitur Petrus : Benedictus Deus et Pater *I Petr.* I, 3. Domini nostri Jesu Christi, qui regeneravit nos in spem vivam. Sexto, dicitur pater fidei instructione, juxta illud Joannis : Quotquot autem receperunt eum, dedit eis *Joann.* I, 12. potestatem filios Dei fieri. Septimo, gratiæ adoptione, dicente Apostolo : Accepi- *Rom.* VIII, 15.

Digitized by Google

stis Spiritum adoptionis filiorum. Octavo, A gloriæ collatione, secundum illud Pauli ad
Galat. IV, 7. Galatas : Itaque jam non est servus, sed filius : quod si filius, et heres per Deum.

Omnes hi modi tribus Personis superdignissimis et æternis simul conveniunt, quoniam opera superbenedictæ Trinitatis sunt indivisa. His quoque modis pater in Oratione dominica sumitur, per patrem intelligendo totam superessentialem incircumscriptamque Trinitatem, unum verum simplicissimum Deum, cui cum omni humilitate, reverentia et gratiarum actione B confidenter atque ardenter dicere ac supplicare debemus.

Pater, *sanctificetur nomen tuum,* hoc est, tu ipse, o Pater omnipotens et immense, ab omnibus honoreris, et tua sanctitas
Luc. I, 74, 75. omnibus innotescat, ac tibi in sanctitate et justitia ab universis jugiter serviatur. Hoc est quod primo ac maxime affectare debemus, videlicet glorificationem seu honorem et gloriam Dei in omnibus : aliter boni filii ejus non sumus, nec vere fideles, quemadmodum apud Joannem Chri- C
Joann. V, 44. stus ad perversos ait Judæos : Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? Denique, sicut homines virtuosi Deum sanctificant, dum sancte vivendo, Deum cui ita deserviunt, sanctum esse demonstrant, ejusque sanctitati fideliter attestantur : sic vitiosi, injuste ac turpiter conversando, nomen Dei maculare dicuntur, quia sic vivunt ac si Deus injustitiam approbet, nec sanctus sit; aliis quoque quantum in ipsis est, præstant au- D daciam et exemplum inhonorandi Deum. Hinc per Prophetas Deus perfidis filiis
Jer. XXXIV, 16. Israel improperans : Commaculastis, inquit, nomen sanctum meum; et rursus,
Ezech. XXXVI, 23. Sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est per vos inter gentes. Itaque dum oramus, Sanctificetur nomen tuum, pro toto mundo hoc ipsum precemur, cordialissime cupientes ut sanctitas veri Dei cunctis innotescat hominibus, et digne honorificetur ab omnibus. Imo, quo bonum commune divinius est quam proprium, eo plus divinum meritoriumque consistit orare pro multis, præsertim pro omnibus, quam pro se solo aut paucis.

Adveniat regnum tuum. Regnum Dei est militans ac triumphans Ecclesia : ideo de utroque regno istud exponitur. Primo, Adveniat regnum tuum : id est, militans Ecclesia numero ac merito crescat, et undique diffundatur, et tu solus per fidem et gratiam multiformem regnes in ea, hoc est in cordibus universorum ac singulorum fidelium, adversariis tui honoris ac nostræ salutis, præsertim dæmonibus, inde ejectis. Secundo, Adveniat regnum tuum : id est, triumphans Ecclesia impleatur, ad cœlestem Jerusalem protinus perducamur, ad regnum cœlorum mereamur venire.

Sub his duabus petitionibus includitur tertia, a Matthæo expressa, qua dicitur : Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, id est, sicut a cœlestibus civibus tibi (Matth. VI, 10.) in omnibus obeditur, ita et a terrigenis quantum possibile est, tibi in omnibus obediatur.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 3
Hoc de multiplici pane exponitur. Primo, de pane sacramentali, hoc est de corpore et sanguine Christi in Sacramento altaris, quemadmodum ait Salvator : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere (Joann. VI, 56.) est potus; et denuo, Ego sum panis vivus, (Ibid. 51.) qui de cœlo descendi. Hic panis animam reficit, spiritualiterque saginat, si digne acceperit eum. — Secundo, exponitur de pane spirituali, videlicet de habitibus actibusque virtutum, de consolatione interna, de confortatione mentali, de divinorum sapore : de quibus ait Scriptura, Cibabit (Eccli. XV, 3.) illum Dominus pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. De pane quoque obedientiæ ait in Joanne Salvator : Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei. (Joann. IV, 34.) Similiter de pane pœnitentiæ fert Psalmista : Cibabis nos pane lacrimarum (Ps. LXXIX, 6.); et, Fuerunt mihi lacrimæ (Ps. XLI, 4.) meæ panes die ac nocte. De spiritualium

Digitized by Google

autem consolationum ac delectationum divinorumque gustuum refectione, Sponsus (A) cœlestis ait in Canticis : Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi. (*Cant.* v, 1.) His itaque cibis oremus quotidie ali divinitus, ne spiritus noster debilitetur, vitiisque succumbat. — Tertio, exponitur de corporali alimento, ut sit sensus : Panem nostrum quotidianum, hoc est necessaria vitæ quibus quotidie indigemus, da nobis. Quibus verbis excluditur avaritia, quæ congregat in longinquum et ultra necessitatem, ac sollicitudo immoderata de crastino. (B) Circa quod ait Theophilus * (* Cyrillus) : Ex eo quod Christus jussit quærere quotidianum alimentum, videtur quod suos fideles nihil concedat habere, sed magis honestam colere paupertatem. Non enim habentium panem, sed oppressorum penuria, est quærere panem quotidianum pro hodie. Propter quod dicit Chrysostomus : Postulanda sunt divinitus necessaria vitæ, non diversitates ciborum, et odorifera vina, ac cetera quæ delectant guttur, onerant autem ventrem et mentem perturbant; sed panis (C) petendus est qui potest substantiam corporis sustentare, et ille qui nobis quotidie tantummodo sufficit, ut de crastino non cogitemus. (*Matth.* vi, 34.)

4 *Et dimitte nobis peccata nostra,* culpam penitus auferendo, et pœnas quas peccando meruimus, relaxando, vel partim, sive totaliter. Porro, peccata mortalia pariter dimittuntur, ita quod unum sine alio non dimittitur, quantum ad culpam; sed tanto plus dimittitur nobis de pœna, quo major in nobis est pudor ac intimus dolor (D) de peccatis, in quantum sunt contra justitiam, Deique offensiva, et quo major nobis inest fervor caritatis ad Deum ac proximum, quo item efficaciora satisfactionis agimus opera. Præterea, sine venialibus peccatis vitam hanc nec ducimus, nec ducere diu valemus, quia etsi singula, non tamen omnia quimus vitare. Sed contra ea, provisa et data sunt nobis desuper multa remedia, quorum unum est, secundum Augustinum, Oratio ista dominica.

Deinde tangitur ratio quædam impetrativa effectus hujus petitionis, videlicet veniæ. *Siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis,* hoc est, omnibus injuriantibus nobis pie ignoscimus, ad minus culpam seu injuriam dimittendo : quamvis interdum debita pœna seu emendatio pœnalis et satisfactoria exigi possit ex caritate, secundum formam juris ordinemque justitiæ, præsertim propter bonum commune, et ne peccantes, ex facilitate veniæ fiant ad injuriandum ac vitia proniores. Itaque qui alteri non ignoscit, bona fronte orare non valet hanc clausulam; imo quam impie agat, in Ecclesiastico aperitur, quo legitur : Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam? (*Eccli.* xxviii, 3-5.) Ipse quum caro sit, in sibi similem non habet misericordiam, et tamen de peccatis suis deprecatur Altissimum? Quis exorabit pro peccatis illius? Itaque, sicut optamus et exoramus ut peccantibus nobis Deus juste nobis non irascatur aut vindicet, sed pie nostræ cæcitati ac fragilitati condoleat et ignoscat; ita et nos injuriantium nobis fragilitati et cæcitati compatiamur et ignoscamus, simul orantes pro illis, ut simus filii Patris cœlestis qui pius et clemens est super bonos et malos. (*Matth.* v, 44, 45.) Istud vero ad prælatos et patres spirituales et religiosos præcipue pertinet, qui in omnium caritate ac pietate ceteris præfulgere tenentur, quorum interiora in ipsum bonitatis ac caritatis affectum debent converti, aut esse conversa : quanquam ex caritate et æquitate justam sæpe debeant peccantibus infligere pœnam, ut per eam a pœnis eripiantur futuris, et gratiam consequantur majorem, præsertim ut Deo aliqualiter satisfiat. — Postremo, circa hæc scribit Chrysostomus : Hæc animadvertentes, gratias agere debemus debitoribus nostris. Fiunt enim nobis, si sapimus, causa indulgentiæ maximæ; et pauca exhibentes seu modica dimittentes, plurima reperiemus. Nam et nos multa debemus et debita magna Domino, quorum si minimam partem a nobis vellet exigere, jam perissemus.

Digitized by Google

Et ne nos inducas in tentationem, hoc est, non nos permittas ab hostibus nostræ salutis supra vires tentari, id est ad consensum illicitum trahi, tentationibus superari, sed da gratiam resistendi ac prævalendi. Dicitur autem Deus in tentationem inducere, quia ab adversariis nos permittit tentari. Interdum autem et Deus dicitur tentare, non utique tentatione deceptoria ac fallaci, quum Jacobus dicat :
Jacob. I, 13. Nemo quum tentatur, dicat quia a Deo tentatur : Deus enim neminem tentat, scilicet modo præfato. Sed tentatione probationis et exercitationis, quæ ad bonum tentati ordinatur, tentare Deus asseritur.

Itaque ex hujus clausulæ declaratione jam patet, quod in ea virtualiter ac sententialiter includatur septima ac ultima petitio Orationis dominicæ a Matthæo ex-
Matth. VI, 13. pressa, qua dicitur, Sed libera nos a malo. Unde Augustinus in Enchiridion scribit, quod Matthæus in ultimo posuit, Sed libera nos a malo, Lucas non posuit, ut intelligeremus hoc ad præcedentem petitionem pertinere. Ideo quippe ait, Sed libera, non, Et libera, tanquam unam petitionem demonstrans. Verum de multis concernentibus expositionem hujus præclarissimæ orationis, quæ secundum Henricum de Hassia, etiam a Judæis ac Sarracenis dici potest, prætermitto, quoniam super Mat-
Ibid. 9-13. thæum inde locutus sum. Hoc tamen addendum, quia ut asserit Gorra, aliud est tentari, aliud in tentationem incidere, aliud in tentationem induci. Nam primum istorum dicit sensum simpliciter, sed non semper consensum ; secundum, dicit sensum et consensum ex subreptione, et præter propositum ; tertium, dicit sensum et consensum ex deliberatione. Primum potest esse sine peccato ; secundum, absque peccato mortali ; tertium vero est gravius et frequenter mortale.

Consequenter Salvator per quamdam parabolicam similitudinem nos hortatur ad fiducialem orationis constantiam, incessa-
5 bilem fervidamque frequentiam. *Et ait ad illos,* scilicet ad discipulos suos : *Quis ve-* A *strum habebit amicum, et ibit ad illum,* etc. ? Parabolæ hujus sensus superficialiter litteralis, penitus planus est. Siquidem per similitudinem hanc intendit Christus probare, quod Deus superpiissimus preces constanter, indesinenter, ac fervide continuatas et repetitas non despicit, sed exaudit.

Porro mystice, per amicum intelligitur Deus sublimis, cui per Sapientem dicitur :
Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eo- *Sap.* XI, 25.
rum quæ fecisti. De quo ait Apostolus :
B Propter nimiam caritatem suam, qua di- *Ephes.* II, 4.
lexit nos Deus. Similiter nomine amici intelligi potest Unigenitus Dei incarnatus,
qui de se ipso testatus est : Majorem hac *Joann.* XV, 13.
dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. De quo ite-
rum legitur : Quum dilexisset suos qui *Ibid.* XIII, 1.
erant in mundo, usque in finem dilexit eos. Ad hunc amicum ire debemus mentis devotione, contemplatione, et dilectione,
juxta illud Psalmi : Accedite ad eum, et *Ps.* XXXIII, 6.
illuminamini. Unde ad Hebræos hortatur
C Apostolus : Adeamus cum fiducia ad thro- *Hebr.* IV, 16.
num gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur. Eundum est autem *media no-*
cte, sicut fatetur Psalmista : Media nocte *Ps.* CXVIII, 62.
surgebam ad confitendum tibi. Vel, Media nocte, hoc est durante præsentis vitæ tribulatione, adversitate, ignorantia, atque multiplici peccati ruina.

Et dicet illi : Amice. In exordio precis, nomen amici præmittit, ut ex mutuæ dilectionis recordatione, attentione, seu inflammatione, ille qui petitur ad exaudi-
D tionem citius inclinetur, quum caritas impetrandi sit ratio. Nam et (Augustino testante) amor est primum donum, in quo omnia dona donantur. *Commoda mihi tres panes.* Isti tres panes intelligi possunt, illuminatio intellectus, caritativa inflammatio voluntatis, et stabilitas memoriæ in divinis ; seu actus fidei, spei, et caritatis, quibus Deus præcipue colitur. Item tres panes sunt : panis pœnitentiæ, hoc est deploratio et satisfactio pro peccatis ; panis Eucharistiæ, de quo loquitur Christus

Digitized by Google

Joann. vi, 48. apud Joannem, Ego sum panis vitæ ; et A
panis contemplationis internæ. Hi panes
commodari nobis a Deo dicuntur, quoniam
de donis nobis desuper datis, ratio exige-
tur a nobis, ut ait Salvator apud Lucam :
Luc. xii, 48. Cui plus datum est, plus requiretur ab
eo. Et Gregorius asserit : Dum crescunt
6 dona, rationes crescunt donorum. *Quoni-
am amicus meus venit de via ad me.* Per
amicum istum, secundum quosdam, in-
telligitur animus seu spiritus noster, qui
dum per terrena, vana atque carnalia dis-
trahitur, oblectatur et evagatur, a nobis B
Ps. xxxix, 13. recedit, juxta illud in Psalmo : Cor meum
dereliquit me. Propter quod per Jeremiam
Jer. xxxi, 22. prophetam dicitur : Usquequo deliciis dis-
solveris, filia vaga ? Quum autem ad inte-
riora sua regreditur, et salutaria medita-
tur, de via lata perditionis ad nos ipsos
Is. xlvi, 8. revertitur, sicut Isaias testatur : Redite,
prævaricatores, ad cor. — Præterea, per
postulantem tres panes, intelligi potest
quicumque alterius exhortator, et per ami-
cum de via venientem, quicumque proxi-
mus exhortationibus indigens. Sicque ex- C
hortatori, seu prædicatori tres panes sunt
necessarii, utpote sapientia mentis, ordi-
nata locutio oris, exemplaritas conversa-
tionis.

Et non habeo quod ponam ante illum,
hoc est, a me ipso nil virtutis aut gratiæ
habeo, ut spiritum meum seu proximum
spiritualiter valeam roborare atque refi-
I Cor. iv, 7. cere, dicente Apostolo : Quid habes quod
II Cor. iii, 5. non accepisti ? Et rursus : Non sumus suf-
ficientes cogitare aliquid ex nobis, qua-
si ex nobis ; sed sufficientia nostra ex D
Deo est. Nemo ergo se jactet, nec de vi-
ribus suis præsumat, neque inaniter glo-
rietur.

7 *Et ille deintus respondens, dicat.* Recte
ait, Deintus respondens. Deus enim omnia
implet, et animabus nostris illabitur, in-
tusque eas occulta inspiratione alloquitur.
Ps. lxxxiv, 9. Propter quod ait Psalmista : Audiam quid
loquatur in me Dominus Deus. *Noli mihi
molestus esse,* hoc est precibus immode-
ranter pulsare. Hoc intelligendum est, non
quasi gloriosus ac invariabilis Deus possit
proprie dictam sustinere molestiam, aut
hominum precibus inquietari ; sed quia
frequenter affectu et more humano loqui-
tur in Scripturis, debilitati nostræ intelli-
gentiæ condescendens, quemadmodum ait
per Isaiam : Laboravi sustinens ; et holo- Is. i, 14.
causta seu festa vestra facta sunt mihi
molesta. Rursusque loquitur Isaias : Num- Ibid. vii, 13.
quid parum vobis est esse molestos ho-
minibus, quia molesti estis et Deo meo ?
Itaque Deus ait, Noli mihi molestus esse, ad
insinuandum quam difficulter et protracte
sæpe audiat deprecantes, quemadmodum
sanctus Job loquitur Deo : Clamo ad te, et Job xxx, 20, 21.
non exaudis ; sto, et non respicis me :
mutatus es mihi in crudelem, et in duri-
tia manus tuæ adversaris mihi. Jeremiæ
quoque loquitur Deus de reprobo popu-
lo Judæorum : Noli, inquiens, orare pro Jer. vii, 16.
populo hoc in bonum, nec assumas lau-
dem et orationem pro eis, et non obsistas
mihi, quia non exaudiam te.

Jam enim *ostium clausum est,* hoc est,
aditus seu accessus ad impetrandum a
me, modo tibi non patet, ita quod preces
tuæ adhuc locum non habent. Quocontra
in Ecclesiastico habetur : Oratio humilian- Eccli. xxxv, 21.
tis se nubes penetrabit. Et beatissimo Cor-
nelio centurioni dictum est ab angelo, ut
habetur in Actibus : Orationes tuæ ascen- Act. x, 4.
derunt in memoriam in conspectu Dei. *Et
pueri mei,* hoc est electi atque beati cives
regni cœlestis, *mecum sunt in cubili,* id
est in secretissima requie cœlestis palatii,
ubi quasi in thalamo, Ecclesia triumphans
suo Sponso æterno inavertibiliter est con-
juncta, et immediate feliciterque unita,
facialiter cernens dilectum, nec per culpæ
dissimilitudinem distans ab ipso, quemad-
modum viatores, quibus Dominus per Isa-
iam asserit : Iniquitates vestræ diviserunt Is. lix, 2.
inter Deum vestrum et vos.

Non possum surgere, id est in actum
exauditionis procedere, *et dare tibi* quæ
petis. Denique quod Deus ait omnipotens,
Non possum, non impossibilitatem, sed
difficultatem exaudiendi designat : non

Digitized by Google

utique ex parte Dei, quum Deo nihil sit difficile, prout a Jeremia conscriptum est: Jer. xxxii, 17. Domine Deus, non est tibi difficile omne verbum. Sed difficultas est ex parte orantis, propter indignitatem indispositionemque ejus, quemadmodum Isaias populo Is. lix, 1, 2. Israel dicit : Ecce non est aggravata auris Domini ut non exaudiat, sed peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. Interdum quoque supersapientissimus Deus differt ac tardat exaudire preces bonorum ac dispositorum, propter rationabiles causas ei notas ac placitas, utpote : ne homini oranti dona divinorum vilescant charismatum ex facilitate obtinendi petita, et ne exauditionem meritis propriis tribuat, aut vane exsultet, seu alios spernat; item, ut diu orando amplius incalescat, suoque tempore copiosius exaudiatur et impetrata vigilantius semper custodiat, de eorum amissione formidans. Hinc ait Basilius : Forsan ob hoc differt, ut agnoscas quid sit donum, et in timore donata custodias : quod enim homo multis acquirit laboribus, nititur custodire, ne quum illud perdiderit, suum laborem amittat. Hoc est quod in Proverbiis Salomon Prov. xiii, 11. ait : Substantia festinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Augustinus quoque affirmat : Differt Deus dare et exaudire, ut amplius optes dilatum, ne vilescat celeriter datum. Postremo Gregorius Nyssenus : Opportune, inquit, eos qui per arma justitiæ impassibilitatem sibi vindicaverunt, pueros appellavit : nam quando aliquis abrenuntians carni, per rationem exercitio vitæ virtuosæ passionem confutavit, tanquam puer insensibiliter se habet.

8 *Et ille,* scilicet orans, *si perseveraverit pulsans,* hoc est Deum infatigabiliter invocans, nec pudore, nec tædio, nec desperatione dejectus ; *dico vobis,* qui nec fallor, nec fallo, mentirique nequeo, *et si non dabit illi* tam instanter oranti, *surgens,* id est, actualiter opem impendens Ps. xliii, 26. (secundum illud Psalmi : Exsurge; Domine, adjuva nos), *eo quod amicus sit,* id est A ratione amicitiæ ; *propter improbitatem tamen ejus,* id est propter importunam seu indesinentem ejus instantiam, improbitati aliquid simile continentem, præsertim humano judicio, in petitionibus homini porrectis : homo namque si instanter et diu rogetur, etiam ab egente, cito precem talem non necessitati, sed improbitati adscribit ; *surget, et dabit illi quotquot habet necessarios,* scilicet tres, sicut rogavit, imo et plures, si tunc pro pluribus panibus postuletur, ne ad lectum reversus, denuo inquietetur. B Unde elicitur, quia si petantur superflua in exterioribus rebus, Deus non præstat : quin imo superflua jubet pauperibus erogari. vers. 41. De spiritualibus quoque gratiæ donis, tantum Deus largitur digne ac perseveranter petentibus, quantum eis necessarium conspicit ad salutem.

Ex his Christus concludit intentum, quasi per locum a minori arguens, comparationemve faciens : quia si homo non naturaliter nec totaliter et perfecte bonus, C caritativus et pius, precum superatur instantia, quanto magis Deus substantialiter, pure et infinite bonus, amans et pius, imo essentialiter amor, bonitas atque benignitas, orationum instantia se ad exauditionem inclinat, et preces tam multoties ac ardenter sibi oblatas non aspernatur? quemadmodum etiam infra Christus docet, et per exemplum demonstrat, dicendo : Oportet semper orare et non deficere. Nam Luc. xviii, 1-5. judex erat in civitate quadam, qui Deum non timebat, nec hominem verebatur. Vi- D dua autem quædam erat in eadem civitate, et veniebat ad eum, dicens, Vindica me de adversario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc dixit intra se : Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam. Hinc Christus nunc subdit et consulit :

Et ego dico vobis : Petite necessaria 9
corpori et charismata gratiæ donaque gloriæ, *et dabitur vobis* vestræ petitionis effectus a Deo, dummodo salubriter et in-

Digitized by Google

stanter petatis : quod etiam præsertim
intelligendum est de orationibus pro se
ipso effusis, quia non semper exaudiun-
tur devoti pro aliis, propter incapacitatem
illorum. Hinc etiam Christus tempore pas-
Joann. xvi, 23. sionis instanter dixit : Si quid petieritis
Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Quæ-
rite, et invenietis; pulsate, et aperietur vo-
bis.* Eamdem sententiam Christus sub aliis
verbis frequenter resumit, ut jussionis
hujus utilitas denotetur, et quod ait Sal-
vator, nostris mentibus fortius imprima-
tur, sicque ad instantissimam orationem
nos provocet. Possunt tamen hæc verba
per appropriationem quamdam diversimo-
de explanari, dicendo : Petite, cordiali af-
fectu; quærite, oratione vocali; pulsate,
conversatione laudabili. Itemque, Petite,
bona incipiendo; quærite, prosequendo;
pulsate, usque in finem perseverando. Vel,
Petite per fidem, quærite per spem, pulsate
per caritatem. Fervide quippe amando et
appetendo divina, quasi indesinenter pul-
samus ad ostium supernæ clementiæ. Hinc
Ps. civ, 3, 4. ait Psalmista : Lætetur cor quærentium
Dominum; quærite Dominum et confir-
mamini, quærite faciem ejus semper. Et
Sap. i, 1, 2. in libro Sapientiæ habetur : In simplici-
tate cordis quærite illum, quoniam inve-
nitur ab his qui non tentant illum.

10 *Omnis enim qui petit, accipit* a Deo
quod petit, juxta sensum prætactum ; *et
qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur,*
hoc est, accessus ei ad Deum patebit, at-
que æternam beatitudinem ingredietur :
dummodo oret sicut orandum est, oran-
do in nomine Jesu Christi, hoc est salu-
briter pro his quæ pertinent ad salutem,
et perseveranter ac pie, et etiam pro se
ipso.

Consequenter Christus arguens per lo-
cum a majori, ostendit quam fiducialiter
11 invocandus sit Deus. *Quis autem ex vobis
patrem* carnalem *petit panem, numquid*
pater *lapidem dabit illi,* videlicet filio suo
carnali? Non utique. *Aut piscem, num-*
12 *quid pro pisce serpentem dabit illi? Aut
si petierit ovum, numquid porriget illi*
A *scorpionem?* Nequaquam. Ex his simili-
tudinibus Christus concludit : *Si ergo vos,* 13
homines fragiles et mortales, *quum sitis
mali,* hoc est, multipliciter defectuosi, at-
que ad peccata proclives, et in multis, sal-
tem venialibus peccatis, quotidie culpabi-
les, *nostis bona data dare filiis vestris,* hoc
est bona exteriora corpori vere necessaria,
quæ datis filiis vestris carnalibus ; *quanto
magis Pater vester de cœlo,* id est Pater
cœlestis, videlicet Trinitas Deus : qui di-
citur pater variis modis, ut dictum est;
B *dabit spiritum bonum,* id est Spiritum
Sanctum essentialiter bonum, et puram
immensamque bonitatem (de quo ait Psal-
mista : Spiritus tuus bonus deducet me in Ps. cxlii, 10.
terram rectam), *petentibus se,* secundum
debitum modum orandi? Oratio nempe, ut
asserit Damascenus, est petitio decentium
a Deo. Dicitur autem Spiritus Sanctus dari
his quibus sua dona ad gratiam gratum
facientem pertinentia infunduntur, dicente
Apostolo : Caritas Dei diffusa est in cor- Rom. v, 5.
dibus nostris per Spiritum Sanctum qui
C datus est nobis. Itaque, si pater carnalis,
carnalibus filiis corporalia bona largitur,
multo magis Deus omnipotens, creator spi-
rituum, spiritualisque pater rationalium
animarum, filiis suis ad se incessanter
clamantibus, spiritualia bona distribuit,
præsertim quum ipse in omni bonitate,
dilectione, pietate, et opulentia cunctos
infinite excedat.

Præterea advertenda sunt verba S. Ba-
silii, hic scribentis : Si quis ex torpore
exhibeat se desideriis vanis, seu concupi-
D scentiis acquiescat, et traditor sui ipsius
fiat in manus hostium : hunc Deus nec
adjuvat, nec exaudit, quoniam per pecca-
tum se fecit alienum a Deo. Decet ergo ho-
minem offerre Deo quidquid interest sua,
clamare quoque ad Deum ut adjuvet eum.
Est autem divinum subsidium imploran-
dum, non remisse, nec mente huc illucque
vagante, eo quod talis, non solum non im-
petrabit quod petit, imo magis Dominum
irritabit. Nam si quis coram principe stans,
fixum ac custoditum habet tam extrinse-

inchoatio contemplationis Beatorum per speciem. Propter quod ait Apostolus : Nunc *I Cor.* XIII, 12. cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum ; et, Videmus nunc *Ibidem.* per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Itaque Christus Martham de suo devoto et caritativo obsequio non reprehendit, sed partem Mariæ præponit, quoniam exercitia vitæ contemplativæ præclariora sunt exercitiis vitæ activæ. Verumtamen de hoc videtur Martha aliqualiter reprehensa, quod sororem suam voluit a spirituali actu vitæ contemplativæ abstrahere, ut corporalibus occuparetur, quum tamen necessarium non fuisset, et quia Mariam putavit negligenter se habuisse, non impendendo auxilium in corporali obsequio.

Denique circa illud, Sollicita es et turbaris erga plurima, dicunt Cyrillus et Basilius : Quum aliqui susceperint alios hospitio, non sollicitentur circa multum obsequium, præparando diversa et delicata cibaria, nec poscant quæ præ manibus non sunt, et necessitatem excedunt. Gravat enim passim in qualibet re quod superfluit : hospitantibus namque generat tædium; convivis autem videtur quod sint aliis causa laboris.

Sed quoniam sensus litteralis planus est satis, tangendus est mysticus intellectus. Juxta quem, per Bethaniam, quæ interpretatur domus obedientiæ, designatur cor bonam conscientiam habens, eo quod divinis obedivit præceptis : ideo Christus illud libenter ingreditur per gratiæ augmentationem, tanquam carum familiareque sibi. Porro, per Martham, anima vitæ activæ exercitiis dedita explicatur : quæ Christum in sua recipit domo, hoc est in arcanis conscientiæ suæ ; cujus soror Maria, hoc est quæcumque anima illi ut soror dilecta, contemplativæ vitæ insistens, sedet secus pedes Jesu, id est, ei humiliter se supponit, ejusque humilitatem perpendit, ac vestigia imitatur, juxta illud Threnorum, Sedebit solitarius et tacebit, quia *Thren.* III, 28. levabit se super se ; et audit verbum il-

A lius, asserens cum Psalmista : Audiam *Ps.* LXXXIV, 9. quid loquatur in me Dominus Deus. Anima quippe quiescendo fit prudens, et divinam inspirationem suscipit ac advertit. Propter quod in Ecclesiastico habetur : Qui *Eccli.* XXXVIII, 25. minoratur actu, sapientiam percipiet. Præterea, in quiete hujusmodi audit verba divina aure mentali, illis obediendo quæ legit aut meditatur.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Hoc competit his qui operibus misericordiæ et ceteris exterioribus
B virtutum actibus corporalibus occupantur. Et sicut Martha conquesta est Christo dicens, Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare ? sic interdum personæ devotæ, quæ operibus vitæ activæ intendere compelluntur, et contemplativam vitam magis desiderant, conqueruntur Christo seu ejus prælatis, quod ipsæ præ ceteris sibi statu, gradu seu professione similibus, in exterioribus servire coguntur. Et sicut ait S. Bernardus : Beata est congregatio, ubi Martha
C taliter conqueritur de Maria. Sed, heu ! jam multi, instar perfidorum filiorum Israel cœlestem nauseantium panem, etiam *Num.* XXI, 5. ad Ægyptias, id est mundanas, consolationes adspirant, quibus contemplativæ vitæ non sapit refectio. Quemadmodum vero Christus Martham instruxit, ne Mariam ad exteriora a contemplationis exercitiis evocaret, sic prælati sunt instruendi, ne absque necessitate aut evidenti utilitate postulent aliquem a contemplativæ vitæ actibus abstrahi.

D Circa hunc locum evangelicum multa possent de vita contemplativa et activa, earumque distinctione induci, et quæ sit dignior investigari : de quibus specialem tractatum composui. Et nunc breviter tangi potest, quod absolute loquendo, vita contemplativa sit dignior quam activa, si in vita activa solum pensetur quod est vitæ activæ. Ad quod Aristoteles, decimo Ethicorum, octo pulchras atque subtiles rationes adducit. Prima est, quoniam vita contemplativa competit homini secundum

Digitized by Google

A dignissimam suam potentiam, scilicet intellectum speculativum, et quoad digniora objecta, quia circa divina versatur; vita vero activa competit homini secundum practicum intellectum, et circa exteriora ac sensibilia occupatur objecta. Secunda est, quia vita contemplativa ex sua natura est magis continua. Tertia, quia est delectabilior pura delectatione. Quarta, quia est sibi in se magis sufficiens. Quinta, quoniam magis quæritur propter se ipsam; imo activa ordinatur ad ipsam. Sexta, quia B in vacatione et quiete consistit; activa autem, in labore et motu. Septima, quia est magis divina. Octava, quoniam competit homini per id quo a bestiis separatur; activa vero competit ei etiam secundum vires animæ inferiores. Nihilo minus vita activa præfertur contemplativæ secundum quid, puta in casu, propter bonum commune, et necessitatem ac utilitatem vitæ præsentis. — Præterea, præter rationes prætactas sunt aliæ, cur contemplativa vita est dignior. Quarum unam tangit Salvator : C quia videlicet vita contemplativa non aufertur homini per mortem, sicut activa. Contemplativa quoque magis propinquat beatitudini patriæ, et est magis supernaturalis, quam vita activa.

Verumtamen intuendum, quod duplicia sunt vitæ activæ opera. Quædam sunt omnino corporalia, ut exteriora misericordiæ opera, quæ et corporalia appellantur : de quibus certum est, quod vita contemplativa præferenda sit ipsis. Alia sunt opera vitæ activæ, quæ si idonee fieri debeant, D contemplativæ vitæ perfectionem quamdam præexigunt, ut sunt prædicare, in spiritualibus præesse, Scripturas interpretari, publicas pro aliis preces effundere, etc. : de quibus aliqui opinantur, quod contemplativæ præferenda sint vitæ, quia utriusque vitæ perfectionem videntur includere. Unde et nonodecimo de Civitate Dei Augustinus distinguit triplicem vitam, videlicet otiosam, hoc est contemplativam, negotiosam, id est activam, et ex utraque temperatam. Prælatis vero atque doctoribus aliorum competit utriusque vitæ exercitia ordinate prosequi et habere.

Denique evangelium istud in Assumptione beatissimæ Virginis legitur : Primo, quoniam festivitas illa aliud speciale non habet evangelium. Secundo, quia utriusque vitæ perfectio in ea resplenduit : quoniam humanitati Filii sui corporaliter deservivit, et ejus divinitatem spiritualiter contemplabatur lucidius ceteris. Tertio, quoniam mystica seu allegorica expositio hujus evangelii ei præcipue competit. Ipsa enim invictissima Virgo fortissima mulierum, fuit castellum quod ingressus est Christus, quando descendit de cœlo, et incarnatus est in utero ejus, assumens ex purissimo sanguine ejus corpus humanum. Quemadmodum autem castellum debet esse alte situm, muro clausum, fossato circumdatum, turre levatum, armis et alimentis provisum, aquis quoque munitum; sic benedicta virgo Maria fuit per vitæ eminentiam alte sita, imo in statu altissimo posita, utpote in statu maternitatis Dei, ita quod fuit et est comparentalis Deo Patri, eumdem cum illo Filium habens. Fuit quoque muro clausa, id est firmissima virginea castitate ornata, itemque humilitate quasi fossato profundata, et caritatis fervore velut turre erecta, cunctis virtutibus tanquam armis firmata, spiritualibus alimentis et gratiarum fluentis repleta. Hæc gloriosa virgo Maria vocatur Martha, in quantum activæ vitæ perfectionem possedit : sicque Martha excepit Christum in domum suam, quia in utero suo. Nec dubium quin ipsa multo humilius sedit ad pedes Filii sui dum prædicaret, ejus quoque prædicationem affectuosius diligentiusque audivit, quam Maria Magdalene : unde et ipsa optimam partem perfectissime præelegit.

Postremo, secundum Augustinum, quod Martha accepit Christum in domum suam, designat Ecclesiam, quæ nunc accipit Dominum in cor suum. Maria vero, quæ sedit ad pedes Domini audiens verbum ejus,

Digitized by Google

designat eamdem Ecclesiam, sed in futuro, ubi cessans ab opere ministerioque indigentium, sola sapientia perfruetur. — Conemur ergo et nos harum venerabilium A mulierum perfectiones sectari; et quilibet nostrum digne conversari nitatur, secundum exigentiam vocationis qua vocatus est, prout monet Apostolus. I Cor. vii, 20; Ephes. iv, 1.

ARTICULUS XXIX

ELUCIDATIO CAPITULI UNDECIMI : ET FACTUM EST, QUUM ESSET IN QUODAM LOCO ORANS.

SALVATOR in hujus capitis exordio docet orationis formam atque instantiam, dat quoque impetrandi fiduciam. Ita-
1 que Lucas historialiter inchoans, ait : *Et factum est, quum esset in quodam loco orans, ut cessavit* orare, *dixit unus ex discipulis ejus ad eum.* Quo loco aut tempore contigerit istud, Evangelista iste determinate non exprimit. Porro, ut in Matthæo habetur, dum Jesus in monte coram suis prædicaret discipulis, evangelicam tradens
Matth. vi, 5 et seq. legem, inter cetera modum orandi edocuit, atque subsequentem Orationem dominicam primus instituit ac deprompsit : unde apparet quod Lucas hoc loco ordinem non observet historicum.

Difficultasque oritur, quomodo ea quæ hic leguntur, his quæ in Matthæo scribuntur concordent. Ibi quippe non legitur Christus ante hujus institutionem orationis orasse, nec occasione allocutionis discipuli orationem hanc docuisse, sed quasi proprio motu eam suo inseruisse sermoni. Sed ad hæc respondendo, certum et tutum est dicere, quia frequenter contingit ut quod unus Evangelista omisit, suppleat alter : quemadmodum in isto capitulo, multa a Christo de oratione prolata recitat Lucas, de quibus Matthæus non scripsit. Forte etiam eamdem orationem Salvator bis docuit occasione diversa, et propter diversos, uno præsente, quum defuit alius. Itaque Christus oravit secundum quod homo, ad nostram instructionem, et propter indigentiam nostram, quia oravit pro

B nobis : quamvis sæpe oraverit pro se ipso, videlicet pro sui corporis glorificatione accidentalique præmio, juxta illud Joannis : Pater, clarifica me. Joann. xvii, 5.

Præterea, per hoc quod discipulus Christi non petiit formam orandi a Christo, nisi postquam cessavit orare, docemur non interrumpere orationem et psalmodiam, seu Horarum persolutionem servorum Dei. Quod quia nonnulli nimis faciliter faciunt, graviter peccant, non pensantes quod orantes atque psallentes, cum Deo altissimo C sint loquentes. Ideoque præsertim ob Dei reverentiam ab ejus colloquio non sunt faciliter abstrahendi, præsertim quum loquentem cum rege terreno vix aliquis absque necessitate audeat avocare, propter reverentiam regis.

Domine, doce nos orare, sicut Joannes, scilicet Baptista, *docuit discipulos suos.* Verumtamen qualiter Joannes docuerit discipulos suos orare, et ubi, et quam formam orandi eis præfixerit, non docet Scriptura canonica. Insuper, quamvis multæ D orationes in veteri Testamento legantur, discipulus tamen Christi aliquam singularem atque præcipuam orationis formam ab eo poposcit, tanquam ab eo in quo tam excellentem sanctitatem conspexit, perpendens quod a ferventiori devotiorique corde efficacior prodiret oratio, quum oratio desiderii sit interpres ac nuntius. Unde et boni filii ac discipuli a devotissimis patribus suis formam orationis petere consueverunt, quatenus eodem devotionis spi-

Digitized by Google

ritu ac fervore discant et assuescant Altissimum invocare, quo patres eorum id agunt. Tanta quoque est orationis dignitas, utilitas, atque necessitas, ut merito de modo orandi instructionem quærere debeamus.

2 *Et ait illis : Quum oratis,* hoc est, orare intenditis, sive incipitis, seu orationi insistitis, inter cetera *dicite* cum specialissima devotione. Unus discipulorum rogavit, sed responsionem Christus cunctis qui aderant discipulis dirigit, quia et unus ille pro omnium informatione quæsivit. *Pater, sanctificetur nomen tuum.* Lucas brevitati studens, in hujus descriptione orationis verba aliqua prætermisit, quoniam a Matthæo ea satis descripta cognovit, aut quia sub verbis hic positis virtualiter includuntur, aut quia ad substantiam petitionum hic tactarum non pertinent : ut quod refert Matthæus, Qui es in cœlis, ad primæ petitionis non spectat essentiam; duæ quoque petitiones a Matthæo tactæ, atque a Luca omissæ, in petitionibus hic positis comprehenduntur, sicut patebit.

Matth. VI, 9. — *Ibid.* 10, 13.

Itaque Christus orationem sic incipiendam hortatur : *Pater.* Nempe qui Deum exorat, cum plena fiducia atque præcipua dilectione hoc agere debet, quemadmodum Jacobus apostolus ait : Postulet in fide nihil hæsitans. Sed nomine patris, horum utrumque potissimum concipitur, inflammatur, augetur : filius namque de patris sui bonitate præsertim confidit, et eum permaxime diligit. Ut ergo cum omni fiducia fervidoque amore Deum precemur, Christus sic inchoandum edocuit : Pater. Quo nomine etiam benevolentiam Dei captamus. Sed caveamus ne inveniamur indigni Deum altissimum patrem vocare. Si enim rebus creatis, vanis et vilibus magis quam sibi inhæremus, si transgrediendo divina præcepta, ipsum inhonoramus, si creata amplius quam Creatorem quærimus et amamus, prorsus indigni sumus ipsum patrem vocare; nec inter filios suos electos nos computat, sed tanquam degeneres ac rebelles, tanquam impios et ingratos

Jacob. I, 6.

A condemnat. Hinc per Malachiam testatur : Filius honorat patrem suum, et servus timet dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus?

Malach. I, 6.

Præterea contuendum, quod pater in Scripturis multipliciter dicitur : Primo, æterna generatione, sicut in Psalmo : Ex utero ante luciferum genui te. Sic Paulus ad Corinthios ait : Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi. Sicque in divinis, pater personaliter sumitur, et B soli personæ Patris competere dicitur. Et quamvis hoc modo in Oratione dominica accipi possit, congruentius tamen aliis modis in ea suscipitur, sicut dicetur. Verumtamen, quia in Missæ officio orationes ad personam Patris communiter diriguntur, dum Oratio dominica in hoc officio pronuntiatur, nomen patris personaliter sumitur. Secundo, pater dicitur redemptione, juxta illud Isaiæ prophetæ : Tu, Domine, pater noster et redemptor noster, a sæculo nomen tuum. Et sic rursus pater personaliter C dicitur, loquendo de redemptione non solum effective dicta, sed et ministerialiter exhibita, secundum quod modus redemptionis fuit per Filii passionem exhibitus : et sic soli Filio convenit nomen patris. Tertio, pater dicitur prædestinatione, ut quum ait Apostolus ad Ephesios : Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum. Quarto, pater dicitur creatione, secundum illud Deuteronomii : Numquid non ipse est pater tuus, qui pos-D sedit te, et fecit, et creavit te? Fecit utique quantum ad corpus, creavit quantum ad animam, et possedit secundum utrumque. Quinto, dicitur pater sacramentali regeneratione, prout in prima sua Canonica loquitur Petrus : Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui regeneravit nos in spem vivam. Sexto, dicitur pater fidei instructione, juxta illud Joannis : Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Septimo, gratiæ adoptione, dicente Apostolo : Accepi-

Ps. CIX, 3. — II *Cor.* I, 3. — *Is.* LXIII, 16. — *Ephes.* I, 2, 5. — *Deut.* XXXII, 6. — I *Petr.* I, 3. — *Joann.* I, 12. — *Rom.* VIII, 15.

stis Spiritum adoptionis filiorum. Octavo, A gloriæ collatione, secundum illud Pauli ad Galat. IV, 7. Galatas : Itaque jam non est servus, sed filius : quod si filius, et heres per Deum.

Omnes hi modi tribus Personis superdignissimis et æternis simul conveniunt, quoniam opera superbenedictæ Trinitatis sunt indivisa. His quoque modis pater in Oratione dominica sumitur, per patrem intelligendo totam superessentialem incircumscriptamque Trinitatem, unum verum simplicissimum Deum, cui cum omni humilitate, reverentia et gratiarum actione B confidenter atque ardenter dicere ac supplicare debemus.

Pater, *sanctificetur nomen tuum,* hoc est, tu ipse, o Pater omnipotens et immense, ab omnibus honoreris, et tua sanctitas Luc. I, 74, 75. omnibus innotescat, ac tibi in sanctitate et justitia ab universis jugiter serviatur. Hoc est quod primo ac maxime affectare debemus, videlicet glorificationem seu honorem et gloriam Dei in omnibus : aliter boni filii ejus non sumus, nec vere fideles, quemadmodum apud Joannem Chri- C Joann. V, 44. stus ad perversos ait Judæos : Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? Denique, sicut homines virtuosi Deum sanctificant, dum sancte vivendo, Deum cui ita deserviunt, sanctum esse demonstrant, ejusque sanctitati fideliter attestantur : sic vitiosi, injuste ac turpiter conversando, nomen Dei maculare dicuntur, quia sic vivunt ac si Deus injustitiam approbet, nec sanctus sit; aliis quoque quantum in ipsis est, præstant au- D daciam et exemplum inhonorandi Deum. Hinc per Prophetas Deus perfidis filiis Jer. XXXIV, 16. Israel improperans : Commaculastis, inquit, nomen sanctum meum; et rursus, Ezech. XXXVI, 23. Sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est per vos inter gentes. Itaque dum oramus, Sanctificetur nomen tuum, pro toto mundo hoc ipsum precemur, cordialissime cupientes ut sanctitas veri Dei cunctis innotescat hominibus, et digne honorificetur ab omnibus. Imo, quo bonum commune divinius est quam proprium, eo plus divinum meritoriumque consistit orare pro multis, præsertim pro omnibus, quam pro se solo aut paucis.

Adveniat regnum tuum. Regnum Dei est militans ac triumphans Ecclesia : ideo de utroque regno istud exponitur. Primo, Adveniat regnum tuum : id est, militans Ecclesia numero ac merito crescat, et undique diffundatur, et tu solus per fidem et gratiam multiformem regnes in ea, hoc est in cordibus universorum ac singulorum fidelium, adversariis tui honoris ac nostræ salutis, præsertim dæmonibus, inde ejectis. Secundo, Adveniat regnum tuum : id est, triumphans Ecclesia impleatur, ad cœlestem Jerusalem protinus perducamur, ad regnum cœlorum mereamur venire.

Sub his duabus petitionibus includitur tertia, a Matthæo expressa, qua dicitur : Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, id est, sicut a cœlestibus civibus tibi Matth. VI, 10. in omnibus obeditur, ita et a terrigenis quantum possibile est, tibi in omnibus obediatur.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 3 Hoc de multiplici pane exponitur. Primo, de pane sacramentali, hoc est de corpore et sanguine Christi in Sacramento altaris, quemadmodum ait Salvator : Caro Joann. VI, 56. mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; et denuo, Ego sum panis vivus, Ibid. 51. qui de cœlo descendi. Hic panis animam reficit, spiritualiterque saginat, si digne acceperit eum. — Secundo, exponitur de pane spirituali, videlicet de habitibus actibusque virtutum, de consolatione interna, de confortatione mentali, de divinorum sapore : de quibus ait Scriptura, Cibabit Eccli. XV, 3. illum Dominus pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. De pane quoque obedientiæ ait in Joanne Salvator : Meus cibus est ut faciam volun- Joann. IV, 34. tatem Patris mei. Similiter de pane pœnitentiæ fert Psalmista : Cibabis nos pane Ps. LXXIX, 6. lacrimarum ; et, Fuerunt mihi lacrimæ Ps. XLI, 4. meæ panes die ac nocte. De spiritualium

Digitized by Google

autem consolationum ac delectationum divinorumque gustuum refectione, Sponsus (Cant. v, 1.) cœlestis ait in Canticis : Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi. His itaque cibis oremus quotidie ali divinitus, ne spiritus noster debilitetur, vitiisque succumbat. — Tertio, exponitur de corporali alimento, ut sit sensus : Panem nostrum quotidianum, hoc est necessaria vitæ quibus quotidie indigemus, da nobis. Quibus verbis excluditur avaritia, quæ congregat in longinquum et ultra necessitatem, ac sollicitudo immoderata de crastino. B
(* Cyrillus) Circa quod ait Theophilus * : Ex eo quod Christus jussit quærere quotidianum alimentum, videtur quod suos fideles nihil concedat habere, sed magis honestam colere paupertatem. Non enim habentium panem, sed oppressorum penuria, est quærere panem quotidianum pro hodie. Propter quod dicit Chrysostomus : Postulanda sunt divinitus necessaria vitæ, non diversitates ciborum, et odorifera vina, ac cetera quæ delectant guttur, onerant autem ventrem et mentem perturbant; sed panis C petendus est qui potest substantiam corporis sustentare, et ille qui nobis quotidie (Matth. vi, 34.) tantummodo sufficit, ut de crastino non cogitemus.

4 *Et dimitte nobis peccata nostra,* culpam penitus auferendo, et pœnas quas peccando meruimus, relaxando, vel partim, sive totaliter. Porro, peccata mortalia pariter dimittuntur, ita quod unum sine alio non dimittitur, quantum ad culpam; sed tanto plus dimittitur nobis de pœna, quo major in nobis est pudor ac intimus dolor D de peccatis, in quantum sunt contra justitiam, Deique offensiva, et quo major nobis inest fervor caritatis ad Deum ac proximum, quo item efficaciora satisfactionis agimus opera. Præterea, sine venialibus peccatis vitam hanc nec ducimus, nec ducere diu valemus, quia etsi singula, non tamen omnia quimus vitare. Sed contra ea, provisa et data sunt nobis desuper multa remedia, quorum unum est, secundum Augustinum, Oratio ista dominica.

A Deinde tangitur ratio quædam impetrativa effectus hujus petitionis, videlicet veniæ. *Siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis,* hoc est, omnibus injuriantibus nobis pie ignoscimus, ad minus culpam seu injuriam dimittendo : quamvis interdum debita pœna seu emendatio pœnalis et satisfactoria exigi possit ex caritate, secundum formam juris ordinemque justitiæ, præsertim propter bonum commune, et ne peccantes, ex facilitate veniæ fiant ad injuriandum ac vitia proniores. Itaque qui alteri non ignoscit, bona fronte orare non valet hanc clausulam; imo quam impie agat, in Ecclesiastico aperitur, quo legitur : Homo homini servat (Eccli. xxviii, 3-5.) iram, et a Deo quærit medelam? Ipse quum caro sit, in sibi similem non habet misericordiam, et tamen de peccatis suis deprecatur Altissimum ? Quis exorabit pro peccatis illius? Itaque, sicut optamus et exoramus ut peccantibus nobis Deus juste nobis non irascatur aut vindicet, sed pie nostræ cæcitati ac fragilitati condoleat et ignoscat; ita et nos injuriantium nobis fragilitati et cæcitati compatiamur et igno- (Matth. v, 44, 45.) scamus, simul orantes pro illis, ut simus filii Patris cœlestis qui pius et clemens est super bonos et malos. Istud vero ad prælatos et patres spirituales et religiosos præcipue pertinet, qui in omnium caritate ac pietate ceteris præfulgere tenentur, quorum interiora in ipsum bonitatis ac caritatis affectum debent converti, aut esse conversa : quanquam ex caritate et æquitate justam sæpe debeant peccantibus infligere pœnam, ut per eam a pœnis eripiantur futuris, et gratiam consequantur majorem, præsertim ut Deo aliqualiter satisfiat. — Postremo, circa hæc scribit Chrysostomus : Hæc animadvertentes, gratias agere debemus debitoribus nostris. Fiunt enim nobis, si sapimus, causa indulgentiæ maximæ; et pauca exhibentes seu modica dimittentes, plurima reperiemus. Nam et nos multa debemus et debita magna Domino, quorum si minimam partem a nobis vellet exigere, jam perissemus.

Digitized by Google

Et ne nos inducas in tentationem, hoc est, non nos permittas ab hostibus nostræ salutis supra vires tentari, id est ad consensum illicitum trahi, tentationibus superari, sed da gratiam resistendi ac prævalendi. Dicitur autem Deus in tentationem inducere, quia ab adversariis nos permittit tentari. Interdum autem et Deus dicitur tentare, non utique tentatione deceptoria ac fallaci, quum Jacobus dicat : *Jacob.* I, 13. Nemo quum tentatur, dicat quia a Deo tentatur : Deus enim neminem tentat, scilicet modo præfato. Sed tentatione probationis et exercitationis, quæ ad bonum tentati ordinatur, tentare Deus asseritur.

Itaque ex hujus clausulæ declaratione jam patet, quod in ea virtualiter ac sententialiter includatur septima ac ultima petitio Orationis dominicæ a Matthæo expressa, qua dicitur, *Matth.* VI, 13. Sed libera nos a malo. Unde Augustinus in Enchiridion scribit, quod Matthæus in ultimo posuit, Sed libera nos a malo, Lucas non posuit, ut intelligeremus hoc ad præcedentem petitionem pertinere. Ideo quippe ait, Sed libera, non, Et libera, tanquam unam petitionem demonstrans. Verum de multis concernentibus expositionem hujus præclarissimæ orationis, quæ secundum Henricum de Hassia, etiam a Judæis ac Sarracenis dici potest, prætermitto, quoniam super Matthæum *Ibid.* 9-13. inde locutus sum. Hoc tamen addendum, quia ut asserit Gorra, aliud est tentari, aliud in tentationem incidere, aliud in tentationem induci. Nam primum istorum dicit sensum simpliciter, sed non semper consensum ; secundum, dicit sensum et consensum ex subreptione, et præter propositum ; tertium, dicit sensum et consensum ex deliberatione. Primum potest esse sine peccato; secundum, absque peccato mortali ; tertium vero est gravius et frequenter mortale.

Consequenter Salvator per quamdam parabolicam similitudinem nos hortatur ad fiducialem orationis constantiam, incessabilem fervidamque frequentiam. *Et ait ad illos,* scilicet ad discipulos suos : *Quis ve-* A *strum habebit amicum, et ibit ad illum,* etc. ? Parabolæ hujus sensus superficialiter litteralis, penitus planus est. Siquidem per similitudinem hanc intendit Christus probare, quod Deus superpiissimus preces constanter, indesinenter, ac fervide continuatas et repetitas non despicit, sed exaudit.

Porro mystice, per amicum intelligitur Deus sublimis, cui per Sapientem dicitur : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. *Sap.* XI, 25. De quo ait Apostolus : B Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos Deus. *Ephes.* II, 4. Similiter nomine amici intelligi potest Unigenitus Dei incarnatus, qui de se ipso testatus est : Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joann.* XV, 13. De quo iterum legitur : Quum dilexisset suos qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos. *Ibid.* XIII, 1. Ad hunc amicum ire debemus mentis devotione, contemplatione, et dilectione, juxta illud Psalmi : Accedite ad eum, et illuminamini. *Ps.* XXXIII, 6. Unde ad Hebræos hortatur C Apostolus : Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur. *Hebr.* IV, 16. Eundum est autem *media nocte,* sicut fatetur Psalmista : Media nocte surgebam ad confitendum tibi. *Ps.* CXVIII, 62. Vel, Media nocte, hoc est durante præsentis vitæ tribulatione, adversitate, ignorantia, atque multiplici peccati ruina.

Et dicet illi : Amice. In exordio precis, nomen amici præmittit, ut ex mutuæ dilectionis recordatione, attentione, seu inflammatione, ille qui petitur ad exaudi- D tionem citius inclinetur, quum caritas impetrandi sit ratio. Nam et (Augustino testante) amor est primum donum, in quo omnia dona donantur. *Commoda mihi tres panes.* Isti tres panes intelligi possunt, illuminatio intellectus, caritativa inflammatio voluntatis, et stabilitas memoriæ in divinis ; seu actus fidei, spei, et caritatis, quibus Deus præcipue colitur. Item tres panes sunt : panis pœnitentiæ, hoc est deploratio et satisfactio pro peccatis ; panis Eucharistiæ, de quo loquitur Christus

Digitized by Google

Joann. vi, 48. apud Joannem, Ego sum panis vitæ ; et A panis contemplationis internæ. Hi panes commodari nobis a Deo dicuntur, quoniam de donis nobis desuper datis, ratio exigetur a nobis, ut ait Salvator apud Lucam : Luc. xii, 48. Cui plus datum est, plus requiretur ab eo. Et Gregorius asserit : Dum crescunt
6 dona, rationes crescunt donorum. *Quoniam amicus meus venit de via ad me.* Per amicum istum, secundum quosdam, intelligitur animus seu spiritus noster, qui dum per terrena, vana atque carnalia distrahitur, oblectatur et evagatur, a nobis B Ps. xxxix, 13. recedit, juxta illud in Psalmo : Cor meum dereliquit me. Propter quod per Jeremiam Jer. xxxi, 22. prophetam dicitur : Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? Quum autem ad interiora sua regreditur, et salutaria meditatur, de via lata perditionis ad nos ipsos Is. xlvi, 8. revertitur, sicut Isaias testatur : Redite, prævaricatores, ad cor. — Præterea, per postulantem tres panes, intelligi potest quicumque alterius exhortator, et per amicum de via venientem, quicumque proximus exhortationibus indigens. Sicque exhortatori, seu prædicatori tres panes sunt C necessarii, utpote sapientia mentis, ordinata locutio oris, exemplaritas conversationis.

Et non habeo quod ponam ante illum, hoc est, a me ipso nil virtutis aut gratiæ habeo, ut spiritum meum seu proximum spiritualiter valeam roborare atque refi- I Cor. iv, 7. cere, dicente Apostolo : Quid habes quod II Cor. iii, 5. non accepisti? Et rursus : Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex D Deo est. Nemo ergo se jactet, nec de viribus suis præsumat, neque inaniter glorietur.

7 *Et ille deintus respondens, dicat.* Recte ait, Deintus respondens. Deus enim omnia implet, et animabus nostris illabitur, intusque eas occulta inspiratione alloquitur. Ps. lxxxiv, 9. Propter quod ait Psalmista : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *Noli mihi molestus esse,* hoc est precibus immoderanter pulsare. Hoc intelligendum est, non

quasi gloriosus ac invariabilis Deus possit proprie dictam sustinere molestiam, aut hominum precibus inquietari ; sed quia frequenter affectu et more humano loquitur in Scripturis, debilitati nostræ intelligentiæ condescendens, quemadmodum ait per Isaiam : Laboravi sustinens ; et holo- Is. i, 14. causta seu festa vestra facta sunt mihi molesta. Rursusque loquitur Isaias : Num- Ibid. vii, 13. quid parum vobis est esse molestos hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Itaque Deus ait, Noli mihi molestus esse, ad insinuandum quam difficulter et protracte sæpe audiat deprecantes, quemadmodum sanctus Job loquitur Deo : Clamo ad te, et Job xxx, 20, 21. non exaudis ; sto, et non respicis me : mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Jeremiæ quoque loquitur Deus de reprobo populo Judæorum : Noli, inquiens, orare pro Jer. vii, 16. populo hoc in bonum, nec assumas laudem et orationem pro eis, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te.

Jam enim *ostium clausum est,* hoc est, aditus seu accessus ad impetrandum a me, modo tibi non patet, ita quod preces tuæ adhuc locum non habent. Quocontra in Ecclesiastico habetur : Oratio humilian- Eccli. xxxv, 21. tis se nubes penetrabit. Et beatissimo Cornelio centurioni dictum est ab angelo, ut habetur in Actibus : Orationes tuæ ascen- Act. x, 4. derunt in memoriam in conspectu Dei. *Et pueri mei,* hoc est electi atque beati cives regni cœlestis, *mecum sunt in cubili,* id est in secretissima requie cœlestis palatii, ubi quasi in thalamo, Ecclesia triumphans suo Sponso æterno inavertibiliter est conjuncta, et immediate feliciterque unita, facialiter cernens dilectum, nec per culpæ dissimilitudinem distans ab ipso, quemadmodum viatores, quibus Dominus per Isaiam asserit : Iniquitates vestræ diviserunt Is. lix, 2. inter Deum vestrum et vos.

Non possum surgere, id est in actum exauditionis procedere, *et dare tibi* quæ petis. Denique quod Deus ait omnipotens, Non possum, non impossibilitatem, sed difficultatem exaudiendi designat : non

Digitized by Google

utique ex parte Dei, quum Deo nihil sit A
difficile, prout a Jeremia conscriptum est:
Jer. xxxii, 17. Domine Deus, non est tibi difficile omne
verbum. Sed difficultas est ex parte oran-
tis, propter indignitatem indispositionem-
que ejus, quemadmodum Isaias populo
Is. lix, 1, 2. Israel dicit : Ecce non est aggravata auris
Domini ut non exaudiat, sed peccata ve-
stra absconderunt faciem ejus a vobis, ne
exaudiret. Interdum quoque supersapien-
tissimus Deus differt ac tardat exaudire
preces bonorum ac dispositorum, propter
rationabiles causas ei notas ac placitas, B
utpote : ne homini oranti dona divinorum
vilescant charismatum ex facilitate obti-
nendi petita, et ne exauditionem meritis
propriis tribuat, aut vane exsultet, seu ali-
os spernat ; item, ut diu orando amplius
incalescat, suoque tempore copiosius ex-
audiatur et impetrata vigilantius semper
custodiat, de eorum amissione formidans.
Hinc ait Basilius : Forsan ob hoc differt,
ut agnoscas quid sit donum, et in timore
donata custodias : quod enim homo multis
acquirit laboribus, nititur custodire, ne C
quum illud perdiderit, suum laborem amit-
tat. Hoc est quod in Proverbiis Salomon
Prov. xiii, 11. ait : Substantia festinata minuetur ; quæ
autem paulatim colligitur manu, multipli-
cabitur. Augustinus quoque affirmat : Dif-
fert Deus dare et exaudire, ut amplius
optes dilatum, ne vilescat celeriter datum.
Postremo Gregorius Nyssenus : Opportune,
inquit, eos qui per arma justitiæ impassi-
bilitatem sibi vindicaverunt, pueros appel-
lavit : nam quando aliquis abrenuntians
carni, per rationem exercitio vitæ virtuosæ D
passionem confutavit, tanquam puer in-
sensibiliter se habet.

8 *Et ille,* scilicet orans, *si perseveraverit*
pulsans, hoc est Deum infatigabiliter in-
vocans, nec pudore, nec tædio, nec despe-
ratione dejectus ; *dico vobis,* qui nec fal-
lor, nec fallo, mentirique nequeo, *et si*
non dabit illi tam instanter oranti, *sur-*
gens, id est, actualiter opem impendens
Ps. xliii, 26. (secundum illud Psalmi : Exsurge, Domi-
ne, adjuva nos), *eo quod amicus sit,* id est
ratione amicitiæ ; *propter improbitatem*
tamen ejus, id est propter importunam
seu indesinentem ejus instantiam, impro-
bitati aliquid simile continentem, præser-
tim humano judicio, in petitionibus ho-
mini porrectis : homo namque si instanter
et diu rogetur, etiam ab egente, cito pre-
cem talem non necessitati, sed improbitati
adscribit ; *surget, et dabit illi quotquot*
habet necessarios, scilicet tres, sicut roga-
vit, imo et plures, si tunc pro pluribus
panibus postuletur, ne ad lectum rever-
sus, denuo inquietetur. Unde elicitur, quia
si petantur superflua in exterioribus re-
bus, Deus non præstat : quin imo super- *vers.* 41.
flua jubet pauperibus erogari. De spiritu-
alibus quoque gratiæ donis, tantum Deus
largitur digne ac perseveranter petenti-
bus, quantum eis necessarium conspicit
ad salutem.

Ex his Christus concludit intentum, qua-
si per locum a minori arguens, compa-
rationemve faciens : quia si homo non
naturaliter nec totaliter et perfecte bo-
nus, caritativus et pius, precum superatur
instantia, quanto magis Deus substantiali-
ter, pure et infinite bonus, amans et pius,
imo essentialiter amor, bonitas atque be-
nignitas, orationum instantia se ad exau-
ditionem inclinat, et preces tam multoties
ac ardenter sibi oblatas non aspernatur ?
quemadmodum etiam infra Christus docet,
et per exemplum demonstrat, dicendo :
Oportet semper orare et non deficere. Nam *Luc.* xviii, 1-5.
judex erat in civitate quadam, qui Deum
non timebat, nec hominem verebatur. Vi-
dua autem quædam erat in eadem civita-
te, et veniebat ad eum, dicens, Vindica me
de adversario meo. Et nolebat per multum
tempus. Post hæc dixit intra se : Etsi
Deum non timeo, nec hominem revereor,
tamen quia molesta est mihi hæc vidua,
vindicabo illam. Hinc Christus nunc sub-
dit et consulit :

Et ego dico vobis : Petite necessaria 9
corpori et charismata gratiæ donaque glo-
riæ, *et dabitur vobis* vestræ petitionis ef-
fectus a Deo, dummodo salubriter et in-

Digitized by Google

stanter petatis : quod etiam præsertim
intelligendum est de orationibus pro se
ipso effusis, quia non semper exaudiun-
tur devoti pro aliis, propter incapacitatem
illorum. Hinc etiam Christus tempore pas-
Joann. xvi, 23. sionis instanter dixit : Si quid petieritis
Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Quæ-
rite, et invenietis; pulsate, et aperietur vo-
bis*. Eamdem sententiam Christus sub aliis
verbis frequenter resumit, ut jussionis
hujus utilitas denotetur, et quod ait Sal-
vator, nostris mentibus fortius imprima-
tur, sicque ad instantissimam orationem
nos provocet. Possunt tamen hæc verba
per appropriationem quamdam diversimo-
de explanari, dicendo : Petite, cordiali af-
fectu; quærite, oratione vocali; pulsate,
conversatione laudabili. Itemque, Petite,
bona incipiendo; quærite, prosequendo;
pulsate, usque in finem perseverando. Vel,
Petite per fidem, quærite per spem, pulsate
per caritatem. Fervide quippe amando et
appetendo divina, quasi indesinenter pul-
samus ad ostium supernæ clementiæ. Hinc
Ps. cv, 3, 4. ait Psalmista : Lætetur cor quærentium
Dominum; quærite Dominum et confir-
mamini, quærite faciem ejus semper. Et
Sap. i, 1, 2. in libro Sapientiæ habetur : In simplici-
tate cordis quærite illum, quoniam inve-
nitur ab his qui non tentant illum.

10 *Omnis enim qui petit, accipit* a Deo
quod petit, juxta sensum prætactum; *et
qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur*,
hoc est, accessus ei ad Deum patebit, at-
que æternam beatitudinem ingredietur :
dummodo oret sicut orandum est, oran-
do in nomine Jesu Christi, hoc est salu-
briter pro his quæ pertinent ad salutem,
et perseveranter ac pie, et etiam pro se
ipso.

Consequenter Christus arguens per lo-
cum a majori, ostendit quam fiducialiter
11 invocandus sit Deus. *Quis autem ex vobis
patrem* carnalem *petit panem, numquid*
pater *lapidem dabit illi*, videlicet filio suo
carnali? Non utique. *Aut piscem, num-
12 quid pro pisce serpentem dabit illi? Aut
si petierit ovum, numquid porriget illi*

A *scorpionem?* Nequaquam. Ex his simili-
tudinibus Christus concludit : *Si ergo vos*, 13
homines fragiles et mortales, *quum sitis
mali*, hoc est, multipliciter defectuosi, at-
que ad peccata proclives, et in multis, sal-
tem venialibus peccatis, quotidie culpabi-
les, *nostis bona data dare filiis vestris*, hoc
est bona exteriora corpori vere necessaria,
quæ datis filiis vestris carnalibus; *quanto
magis Pater vester de cœlo*, id est Pater
cœlestis, videlicet Trinitas Deus : qui di-
citur pater variis modis, ut dictum est;
B *dabit spiritum bonum*, id est Spiritum
Sanctum essentialiter bonum, et puram
immensamque bonitatem (de quo ait Psal-
mista : Spiritus tuus bonus deducet me in Ps. cxlii, 10.
terram rectam), *petentibus se*, secundum
debitum modum orandi? Oratio nempe, ut
asserit Damascenus, est petitio decentium
a Deo. Dicitur autem Spiritus Sanctus dari
his quibus sua dona ad gratiam gratum
facientem pertinentia infunduntur, dicente
Apostolo : Caritas Dei diffusa est in cor- Rom. v, 5.
dibus nostris per Spiritum Sanctum qui
C datus est nobis. Itaque, si pater carnalis,
carnalibus filiis corporalia bona largitur,
multo magis Deus omnipotens, creator spi-
rituum, spiritualisque pater rationalium
animarum, filiis suis ad se incessanter
clamantibus, spiritualia bona distribuit,
præsertim quum ipse in omni bonitate,
dilectione, pietate, et opulentia cunctos
infinite excedat.

Præterea advertenda sunt verba S. Ba-
silii, hic scribentis : Si quis ex torpore
exhibeat se desideriis vanis, seu concupi-
D scentiis acquiescat, et traditor sui ipsius
fiat in manus hostium : hunc Deus nec
adjuvat, nec exaudit, quoniam per pecca-
tum se fecit alienum a Deo. Decet ergo ho-
minem offerre Deo quidquid interest sua,
clamare quoque ad Deum ut adjuvet eum.
Est autem divinum subsidium imploran-
dum, non remisse, nec mente huc illucque
vagante, eo quod talis, non solum non im-
petrabit quod petit, imo magis Dominum
irritabit. Nam si quis coram principe stans,
fixum ac custoditum habet tam extrinse-

cum quam intrinsecum oculum, ne forsitan puniatur, quanto magis coram Deo attentum ac tremebundum oportet adsistere? Si vero debilitatus mente a peccato, fixe non vales orare, quantumcumque potes te ipsum cohibeas, ut stando coram Deo, ad ipsum dirigas intellectum; et Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes adstare ut oportet. Si sic ergo te ipsum compellis, ne discedas donec accipias. Ideo autem quandoque petis et non accipis, quoniam perperam postulasti, vel infideliter aut leviter, aut non expedientia ad salutem, vel destitisti nimis cito.

Postremo, per verba inducta Christus omnem fidelem ineffabiliter consolatur, certissimam præstans fiduciam exauditionis divinæ. Ideo certi de veritate promissionis unigeniti Filii Dei, et de bonitate, caritate ac munificentia Patris æterni, inconcussibilem spem habeamus ad Deum, et filialem affectum ad eum, omnemque diffidentiam, hæsitationem, pusillanimitatem, in infinitum procul abjiciamus, implentes illud Apostoli : Sine intermissione orate. 1 Thess. v, 17.

ARTICULUS XXX

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS UNDECIMI CAPITULI, A LOCO QUO DICITUR : ERAT JESUS EJICIENS DÆMONIUM, ET ILLUD ERAT MUTUM.

TOTA evangelica series, sicut plena est supernaturalibus documentis seu assertionibus, ita et supernaturalium operum descriptionibus, ut unum confirmetur per aliud. Unde et nunc, post præinducta Christi documenta, narratur quoddam ip-
14 sius miraculum. *Et erat Jesus ejiciens dæmonium* ab homine obsesso, *et illud erat mutum,* id est mutum efficiens hominem. Dicitur etenim dæmon surdus aut mutus, non formaliter, sed effective, eo quod organa hominis impediat ab usu sensuum auditus et linguæ. Hinc subditur : *Et quum ejecisset dæmonium, locutus est mutus.* Amota siquidem causa, removetur effectus. Ideo dæmone mutitatem causante ejecto, pristinam linguæ facultatem adeptus est homo. *Et admiratæ sunt turbæ* de tanto miraculo tam imperialiter facto. Porro a Matthæo signum istud plenius recitatur, ubi legitur : Tunc oblatus est ei, scilicet Christo, homo dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret. (Matth. xii, 22.) Ubi ait Hieronymus : Tria signa in eodem simul peracta sunt, quia obsessus curatus est, et idem cæcus ac mutus visum recepit atque auditum.

Quidam autem ex eis dixerunt. Isti, se- 15
cundum Matthæum, Pharisæi fuerunt, pleni (Matth. xii, 24.) invidia contra Christum eo quod sanctitate, fama, eloquentia, sapientia et miraculis eos præcessit, quum ipsi humanæ laudis et gloriæ cupidissimi essent. Quorum insaniam multi usque in præsens sequuntur, quibus competit illud Chrysostomi : Sicut scarabei nutriuntur stercoribus; sic invidi, aliorum infortuniis. *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia,* id est, virtute, ope seu invocatione Beelzebub principis dæmonum, expellit dæmones ab obsessis. Quasi dicant : Non divina virtute hoc agit, nec per aliquam vitæ suæ sanctitatem; sed quum pessimus sit, familiaritatem et pactum habet cum principe dæmonum, qui inferioribus dæmonibus jussit ut ad Jesu præceptum egrediantur, quatenus per hoc homines fallantur, putando quod Jesus sit Filius Dei. Itaque, secundum hos impiissimos Pharisæos, ejectio ista dæmonum fuit obedientia eorumdem

Digitized by Google

in principem suum, et simulata coactio. [IV *Reg.* I, 2.] Ut autem in libro Regum habetur, Beelzebub fuit deus Accaron, ita quod Accaronitæ idolum illud colebant : in quo Judæi principem dæmoniorum habitare dicebant, sicque nomine idoli illius etiam principem dæmoniorum nominaverunt.

16 *Et alii tentantes,* id est, experiri volentes an Christus divina virtute ejiceret dæmones, *signum de cœlo,* id est aliquod cœleste et magnum miraculum soli Deo possibile, *quærebant ab eo,* ut scilicet tale miraculum ageret seu divinitus fieri procuraret, [*Josue* x, 12, 13.] quemadmodum ad invocationem seu potius jussionem Josue sol et luna steterunt in cœlo immobiles spatio diei unius; sicque certitudinaliter scirent Jesum divina operari virtute. Denique consuetudinarium fuit Judæis quærere signa, ut constat ex veteris et novi Testamenti decursu. [I *Cor.* I, 22.] Propter quod ait Apostolus : Judæi signa quærunt. [*Joann.* IV, 48.] Et apud Joannem ait Salvator : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.

17 *Ipse autem ut vidit,* id est, intellectualiter inspexit, *cogitationes eorum, dixit eis.* Secundum Bedam, non ad dicta, sed ad cogitata illorum respondit eis, ut vel sic compellerentur credere potentiæ ejus qui cordium novit occulta. Sed quomodo verum est hoc, quum Evangelista jam dixerit quosdam illorum dixisse, In Beelzebub principe dæmoniorum, etc., et alios signum a Jesu quæsisse ? Ad quod respondendum videtur, quod Pharisæi clam et secrete prædicta verba inter se contulerunt et signum quærere decreverunt. Unde Chrysostomus ait : Quum Pharisæorum suspicio irrationabilis esset, metu multitudinis non audebant eam divulgare. Præterea, cordium secreta cognoscere, aliorumque cogitationes certitudinaliter intueri, utpote singulorum singulas, Deo est proprium; nec homo hoc potest, nisi Deo dante ac revelante. Circa hoc scribit Gorra : Potest homo aliquas cogitationes alterius cognoscere : de quibus agnoscendis legitur Plato librum composuisse ; sed singulorum singulas solus Deus cognoscit.

Post hæc primam Christus tangit rationem qua reprobat verba dicentium, In Beelzebub, etc. *Omne regnum in se ipsum,* id est contra se ipsum, *divisum,* ita quod una pars regni contra aliam præliatur, *desolabitur,* id est, continuo debilitabitur et cito peribit, durante intestina lite atque discordia : quoniam sicut per concordiam parvæ res crescunt, sic per discordiam res maximæ dilabuntur. Secundum Hieronymum, virtus quoque unita, fortior est quam dispersa. Hinc per Osee scriptum est : Divisum est cor eorum, nunc interibunt. [*Osee* x, 2.] *Et domus supra domum cadet,* id est, habitatores unius domus irruent super habitatores domus alterius, vel mutuo destruent ædificia sua, vel habitatoribus interfectis, ædificia vetustate deficient.

18 *Si autem et Satanas in se ipsum divisus est,* id est, si unus eorum contra alium pugnat et machinatur, ita quod ego succursu principis dæmonum expello dæmonia, *quomodo stabit regnum ejus,* id est regnum principis dæmoniorum, quum ipse contra proprium regnum agat, expellendo ab hominibus dæmones ei subjectos ? quasi dicat, Non diu durabit : quum tamen tamdiu duraturum sit, quousque homines electi in hoc mundo per ipsum probandi sunt : quod erit usque ad sæculi finem. Si autem Judæi et reprobi judaizantes affirment, quod ad vocem Christi princeps dæmoniorum expulit dæmones, non ad sui regni dissipationem, sed confortationem, ut scilicet homines æstimantes Christum ejicere dæmones divino auxilio, majoribus implicarentur erroribus, tenendo Jesum esse Filium Dei ; hoc facile reprobatur, quum universa quæ Christus ore et factis edocuit, dæmoni potissimum contrarientur. Nempe, ad quid tendit omnis Christi doctrina, nisi ad privati amoris omnimodam exstirpationem, atque ad divinæ dilectionis sincerissimam integritatem, ad sui ipsius cordialem contemptum, et ad Dei diligentissimam venerationem, ad profundissimam humilitatem, ad patientiam inconcussam, ad omnium etiam

inimicorum beneficentiam et amorem, ad plenam in Deo fiduciam, ad idololatriæ exstirpationem, ad continuam, puram ac fervidam mentis cum Deo adhæsionem? Per quæ omnia certissimum est, regnum diaboli potissimum infirmari ac dissipari. Non ergo Christus cum principe dæmoniorum fœdus quivit habere : et istud veris ac devotis Christianis, non fide dumtaxat, sed experimentaliter quoque certissimum est, et per innumerabilia miracula soli omnipotenti Deo possibilia, esse sic probaverunt. Per quod vanissima atque sacrilega Porphyrii contra christianam fidem excogitata figmenta, penitus destruuntur.

Deinde Christus ad idem rationem ali-
19 am introducit. *Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia,* sicut expositum est, *filii vestri,* id est Apostoli ceterique discipuli mei, de vestra progenie orti; vel, Filii vestri, id est exorcistæ vestri ; *in quo ejiciunt?* id est, qua potestate dæmonia ab
Luc. x, 17. obsessis expellunt? Supra scriptum est, quemadmodum Apostoli et discipuli Christi ejecerunt dæmonia. Insuper inter Judæos fuerunt aliqui exorcistæ, qui per exorcismos seu adjurationes a Salomone editos, dæmones expellebant. *Ideo ipsi* hi, id est filii vestri, *judices vestri erunt,* id est, quia dæmonum expulsiones per ipsos factas, non diabolo, sed Deo adscribitis : quas a me factas principi adscribitis dæmoniorum. Hinc filii isti vestri erunt in die judicii judices vestri, non potestate, sed comparatione, secundum Hieronymum: quoniam comparatione eorum, isti perversissimi Pharisæi magis damnabiles apparebunt, quum filii illi dæmonum expulsiones Deo attribuant, isti diabolo. Præterea, si per filios intelligantur Apostoli, constat quod illi judices erunt infidelium Judæorum in die judicii assessoria dignitate,
Matth. xix, 28. quemadmodum Christus eis prædixit : Vos qui secuti estis me, sedebitis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.

20 *Porro,* pro sed, *si,* pro quia, *in digito Dei ejicio dæmonia.* In Matthæo legitur :
Ibid. xii, 28. Si in spiritu Dei ejicio dæmones. Quo patet hoc loco per digitum Dei intelligi Spiritum Sanctum, ut sit sensus : Si in digito Dei, id est potestate et operatione Spiritus Sancti, ejicio dæmonia, *profecto pervenit in vos regnum Dei,* id est, regnum cœleste seu beatitudo æterna per me patefit vobis, dum regnum diaboli vinco atque debilito, cœlestisque regni vobis introitum præparo. Expulsio quippe unius contrarii, est alterius introductio. Hinc in Canonica Joannis scriptum est : In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Vel, *I Joann.* iii, 8. Pervenit in vos regnum Dei, id est regnativa virtus ac dominatio Creatoris, qui per me hominem et per meam humanitatem operatur in vobis dæmonum expulsionem : ita quod ego sum Christus, vobis in lege ac Prophetis promissus, tanquam inter vos regnaturus. De quo Jeremias prædixit : Regnabit Rex, et sapiens erit. *Jer.* xxiii, 5. Angelus quoque Virgini gloriosæ de Christo prædixit : Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. *Luc.* i, 32, 33.

Itaque Spiritus Sanctus dicitur digitus Dei, id est Patris ac Filii : qui sicut sunt unus verus Deus omniumque unus Creator, ita sunt unum principium et unus spirator Spiritus Sancti. Dicitur ergo Spiritus Sanctus digitus Dei : Primo, quia sicut per digitum entia indicantur, ita per Spiritum Sanctum divina hominibus demonstrantur, juxta quod loquitur Christus : Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Joann.* xvi, 13. Secundo, quia sicut per digitum res sentitur, seu quomodo sapiat experitur, ita per Spiritum Sanctum homo divinam experitur dulcedinem. Tertio, quia sicut per digitum homo præcipue opera sua exsequitur, ita per dona Spiritus Sancti, omnis homo electus opera æternæ vitæ meritoria operatur. Augustinus vero in libro de Quæstionibus Evangelii scribit, quod Spiritus Sanctus dicitur digitus Dei, propter partitionem donorum quæ ab ipso præstantur. Alii enim, *I Cor.* xii, 8 *et seq.* ut ait Apostolus, per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, etc. Et paulo post addit

Digitized by Google

I Cor. XII, 11. Apostolus : Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. In nullis autem membris nostris magis apparet partitio, quam in digitis nostris. Rursus, quemadmodum Filius Dei dicitur manus et brachium Patris, quoniam Pater per Filium omnia operatur; sic Spiritus Sanctus digitus Dei vocatur, quia per eum veritas indicatur.

Postremo pensandum, quod Filius Dei hic asserit se Spiritu Sancto minorem, quoad suam humanitatem, quoniam Sancti Spiritus potestate sua humanitas operatur miracula. Per quod impii Arii falsitas declaratur, dicentis Spiritum Sanctum puram creaturam, Filiique ministrum, et creatum a Filio, quum tamen in Christo non poneret veram animam rationalem, sed solum Verbum et carnem : quo stante, Christus a Spiritu Sancto nullam esset sortitus virtutem.

Deinceps Salvator per aliam rationem ac similitudinem probat se dæmoni con-
21 trarium, non confœderatum. *Quum fortis armatus*, etc. Similitudo seu parabola ista, quantum ad litteralem intelligentiam superficialiter sumptam, planissima est, sed exponenda est mystice; ut sit sensus : *Quum fortis armatus*, hoc est diabolus, fortis fortitudine naturali, quia sicut est sublimis naturæ, ita et magnæ potentiæ : Job XLI, 24. propter quod in Job habetur, Non est potestas super terram quæ comparetur ei. Dicitur quoque armatus, multiformi astutia, longa experientia, naturali industria atque scientia (naturalia enim in dæmonibus permanserunt, secundum Dionysium quarto capite de Divinis nominibus), multiplici quoque nequitia, seu acie vitiorum ac malignorum spirituum sibi subservientium. *Custodit atrium suum*, id est im- I Joann. V, 19. piorum conventiculum seu mundum in maligno positum, ne homines pœniteant, convertantur, salventur. Sic enim ante Christi adventum diabolus homines impios custodivit, ne sibi subtraherentur, quia tunc pene in toto mundo, idololatria ac cetera vitia prævaluerunt. *In pace sunt ea* A *quæ possidet*, hoc est, juxta suam voluntatem possidet tales : quia ut ait Apostolus, ad voluntatem ipsius captivi ab ipso tenentur; II Tim. II, 26. et qui sic diabolo sunt subjecti, carnalem falsamque pacem habent, et dæmoni infeliciter damnabiliterque concordant : quam pacem venit Christus destruere, quemadmodum ait, Non veni pacem mittere in terram. Matth. X, 34. Est itaque pax vera, quæ est tranquillitas mentis in Deo et concordia in bonis; falsa vero pax, concordia est in malis, sicut dum spiritus B seu ratio carnalibus desideriis acquiescit: de qua pace ait Psalmista, Quia zelavi Ps. LXXII, 3. super iniquos, pacem peccatorum videns. Isaias vero de vera spiritualique pace testatur : Non est pax impiis. Is. XLVIII, 22.

22
Si autem fortior illo, id est Christus potentior diabolo. Christus namque secundum naturam suam divinam, infinite potentior exstat diabolo, totoque universo; secundum humanitatem quoque suam, fortior fuit et est diabolo, per potestatem creatam suæ humanitati supernaturaliter C datam. *Superveniens*. Christus enim desuper venit, juxta illud Joannis : Qui de Joann. III, 31. cœlo venit, super omnes est. *Vicerit illum*. Christus quippe in omnibus vicit diabolum, puta : in tentatione, illam viriliter refellendo; in passione, illam patientissime tolerando; in descensu suo ad inferos, infernum spoliando. Hinc de Christo dixit Psalmista : Quis est iste Rex gloriæ? Ps. XXIII, 8. Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. De ipso quoque in Apocalypsi habetur : Ecce vicit leo de tribu Apoc. V, 5. D Juda.

Universa arma ejus auferet, hoc est, versutas ejus fallacias, tentationumque machinamenta fraudulentiis plena quibus decipit homines, compescet, deteget, superarique faciet ab electis, sicut superius dixit discipulis : Ecce dedi vobis potesta- Luc. X, 19. tem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici. *In quibus confidebat*. Diabolus namque in suis confidit astutiis jam præfatis. Quem multi hominum assequuntur, videlicet si-

Digitized by Google

Job xxxvi, 13. mulatores et callidi, qui provocant iram A
Is. xxviii, 15. Dei : qui in Isaia loquuntur, Posuimus
mendacium spem nostram, et mendacio
protecti sumus. De quibus rursus asseri-
Ibid. lix, 4. tur : Confidunt in nihili, et loquuntur va-
nitatem. *Et spolia ejus distribuet*. Spolia
diaboli sunt peccatores, quos tentando de-
cepit, et Creatori quasi subtraxit, ac suo
subjecit dominio. Hos Christus per gra-
tiam suam redemit et dæmonibus abstulit,
eosque distribuit custodiæ angelorum, ec-
clesiasticis quoque officiis assignavit. Ca-
Ephes. iv, 8, 11. ptivam enim ducens captivitatem, dedit B
dona hominibus, quosdam quidem Apo-
stolos, alios Evangelistas, alios autem Pro-
phetas, alios vero doctores ordinans, seu
pastores. Denique diversas mundi gentes
a dæmone captivatas Christus distribuit
Marc. xvi, 15. Apostolis convertendas, dicendo : Euntes
in mundum universum, prædicate Evan-
gelium omni creaturæ. Unde passione in-
Joann. xii, 31. stante prænuntiavit : Nunc princeps hujus
mundi ejicietur foras. In Isaia quoque de
Is. viii, 3. Christi appellatione prædictum est : Voca
nomen ejus, Accelera, spolia detrahe, fe- C
stina prædari.

23 *Qui non est mecum,* id est, qui mihi
non consentit, nec concordat, nec coope-
ratur, *adversum me est,* id est mihi con-
trarius, et opera operibus meis contraria
facit ; *et qui non colligit mecum,* hoc est,
homines ad Deum creatorem non reducit,
nec virtutibus unit, prout potest et obli-
gatur, videlicet orando, docendo, seu ex-
emplariter conversando, *dispergit,* id est,
a Deo avertit, atque erroribus se, ac alios
quantum in se est, implicat. Per hoc Chri- D
stus insinuat sibi cum diabolo nullam esse
communionem aut conventionem, quum
ipse sit humilis et benignus, dispersosque
per vitia et errores reducens et congre-
gans ad unitatem fidei, spei et caritatis,
atque unanimem Dei cultum. Porro diabo-
lus superbus et malignus, semper conatur
homines ab unitate prædicta avertere, a
veri Dei cultu dispergere, per idololatrias
II Cor. vi, 15, 14. ac cetera disgregare peccata. Hinc ait Apo-
stolus : Quæ conventio Christi ad Belial ?
aut quæ societas lucis ad tenebras ? Et
in Joanne legitur : Jesus moriturus erat, Joann. xi, 51, 52.
ut filios Dei qui erant dispersi, congrega-
ret in unum.

Deinde ostendit Salvator populum Ju-
dæorum sibi incredulum a dæmonibus in-
habitari. *Quum immundus spiritus exierit* 24
ab homine, etc. In Matthæo, ubi verba hæc Matth. xii, 43.
scripta sunt, legitur Christus protinus sub-
didisse, Sic erit generationi huic pessi- Ibid. 45.
mæ. Quo constat hæc de populo Judæo-
rum principaliter dici, ita quod nomine
hominis, populus ille signatur, sicut fre-
quenter in veteri Testamento de toto po-
pulo illo, quasi de homine uno, fit sermo.
Itaque, *Quum immundus spiritus,* id est
diabolus : qui ratione simplicis suæ na-
turæ dicitur spiritus, et ob abundantiam
suæ culpæ vocatur immundus; *exierit ab*
homine, id est, a populo Judæorum ex-
pulsus est, quando per Moysen data est
ei lex a Deo in Sinai monte ; *ambulat per*
loca inaquosa, id est, per corda et colle-
ctiones gentilium, aqua sapientiæ salutaris
carentia, circumit, *quærens locum**, id est * alias requiem
mansionem in eis ad decipiendum eos,
quemadmodum Petrus ait : Adversarius I Petr. v, 8
vester diabolus tanquam leo rugiens cir-
cumit, quærens quem devoret. *Et non in-*
veniens, hoc est in gentilibus fixam at-
que perpetuam non reperiens mansionem,
quia per Christi Apostolos sunt conversi,
dicit : Revertar in domum meam unde
exivi, id est ad Synagogam seu populum
Judæorum, de quo exivi eo tempore quo
Deo digne servivit. Sed quando Christum
recipere renuit, dæmon rursus ingressus
est populum illum.

Et quum venerit diabolus ad Synagogam, 25
*invenit eam scopis mundatam**, hoc est * [et ornatam]
forinsecus superficialiter ornatam quibus-
dam cærimonialibus observantiis et Pha-
risæorum traditionibus, apparentique san-
ctitate : quæ omnia tempore evangelicæ
legis reprobantur. Unde de hypocrisi Chri-
stus in Evangelio præsertim redarguit Matth. xxiii, 13 et seq.
Scribas ac Pharisæos. *Et tunc vadit* dia-
bolus, cernens sibi patere introitum ad 26

Digitized by Google

Judæos, *et assumit secum alios septem spiritus nequiores se,* id est multitudinem et copiam tentatorum ac vitiorum. Septenario quippe universitas explicatur, quemadmodum (Marc. xvi, 9; Luc. viii, 2.) Christus dicitur de Maria Magdalene ejecisse septem dæmonia, id est universa peccata mortalia. *Et ingressi habitant ibi.* Jam enim videmus, quam indesinenter corda infidelium Judæorum a dæmonibus fuerint inhabitatá, quia ut ait (1 Thess. ii, 16.) Apostolus, pervenit in eos ira Dei usque in finem. De quibus in Apocalypsi prote- (Apoc. ii, 9.) statur Joannes : Dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Sicut enim hæc Judæorum captivitas, quasi incomparabiliter major est omni captivitate quam sub lege perpessi sunt; ita nunc graviora sunt peccata eorum, et propter enormiores transgressiones patiuntur hæc aspera, videlicet propter Christi persecutionem et occisionem, et quoniam usque in præsens quotidie Christum blasphemant, secundum Hieronymum.

Præterea ista moraliter explanantur de quocumque homine recidivante, a quo tempore sui Baptismi seu Pœnitentiæ dæmon expulsus est. Tuncque pergit per loca inaquosa, id est, corda bonorum a fluxu concupiscentiæ desiccata, atque per abstinentias arefacta, tentare aggreditur ac superare molitur : in quibus locum non invenit, dum ei viriliter reluctantur. Tunc ergo ad priorem revertitur : quem si invenerit non vere intus purgatum, sed foris dumtaxat ornatum, et non veram sanctitatem, sed apparentem virtutum decorem inaniter cupientem; tunc vadit et assumit septem spiritus nequiores se, secundum sensum prætactum, qui ingressi habitant in recidivante, ita ut posteriora ejus peccata fiant prioribus suis vitiis deteriora. Vulnera etenim repetita sunt periculosiora, tam in corpore quam in anima.

27 *Factum est autem, quum hæc diceret,* hoc est, tam sapienter, prompte, evidenter ac fortiter Christus suos adversarios exprobraret, *extollens,* id est, devote et li-

A bere elevans, *vocem quædam mulier de turba, dixit illi.* Quidam hanc feminam dixerunt fuisse S. Marthæ ancillam, quæ admirata sapientiam atque constantiam Christi, locuta est : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti,* id est, tanta est dignitas, sanctitas et perfectio tua, o Christe, ut te satis commendare non valeam; sed merito etiam beatifico eam quæ te meruit generare, cujus membra beatificata protestor ex tuo contactu atque obsequio tibi impenso. Quis enim digne
B collaudet sacrosanctissimæ Virginis illius inviolatissimum ac castissimum uterum, in quo Unigenitus Dei, Deus majestatis immensæ, præelegit incarnari, homo fieri, tot mensibus commorari, crescere et nutriri, cujus post nativitatem suam ubera suxit? Nonne admirabilis ac præstantissima Virgo illa, ex Filii hujus unione, communione, contactu, obsequio, inæstimabiliter dignificata, ac deificata credenda est?

Præterea, quoniam Christi matrem esse, unicum ac singularissimum donum est,
C Christus universale profert præconium, ad
quod omnes valemus pertingere. *At ille* 28
dixit : Quin imo, id est, utique sic est sicut dixisti; nec tantum hoc solum sic est, sed et *beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud,* id est, qui verba Dei aure mentis advertunt, seu etiam corporaliter libenter audiunt, ut sciant et impleant, memoriter retinendo, et operi mancipando, beati sunt jam in spe, et tandem beati erunt in re, sortiendo in patria felicitatem æternam, dummodo jam lauda-
D biliter perseverent usque in finem. Hinc in Joanne asserit Christus : Qui est ex (Joann. viii, 47.) Deo, verba Dei audit. Etenim verbum Dei est vita cibusque animæ, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo (Deut. viii, 3; Matth. iv, 4.) quod procedit de ore Dei. Denique Christus his verbis conceptum sui spiritualem prætulit conceptui corporali, ita ut nec Virgini gloriosæ profuisset ad salutem esse carnalem Filii Dei matrem, nisi et vere devota fuisset, et Christum in mente spiritualiter concepisset. Idcirco, secundum

Digitized by Google

Augustinum, beatior fuit concipiendo Chri-
stum fide seu mente, quam ventre. Unde
et nos de aliorum quantumlibet propin-
quorum sanctitate non præsumamus quod
prosit nobis, nisi illorum virtutes sectari
curemus.

29 *Turbis autem concurrentibus* ad Jesum,
ut verba sapientiæ ejus audirent, et signa
potentiæ suæ conspicerent, *cœpit dicere : Generatio hæc, generatio nequam est.* Su-
pra in isto capitulo dictum est, quod qui-
vers. 15. dam dixerunt Christum in principe dæmo-
niorum ejicere dæmones : quibus Christus
hucusque respondit, nisi quod interposita
sunt verba mulieris Christum laudantis.
vers. 16. Alii vero signum de cœlo quærebant a Sal-
vatore : quibus nunc loquitur et respon-
det, dicendo : Generatio, id est plebs ista
postulans signum, nequam est, quia cal-
lida intentione, non proficiendi desiderio,
signum quærit. Porro in Matthæo legitur,
Matth. XII, 38. quod isti signum quærentes fuerunt Scri-
bæ et Pharisæi. Scribæ autem fuerunt do-
ctores et clerici Judæorum, Pharisæi vero
fuerunt religiosi eorum, ut adstruit Beda :
et tamen peccata illorum Christus hic pu-
blice coram laicis reprehendit, ut etiam
notat hic Gorra.

Signum quærit. Quærebant etenim si-
gnum aliquod magnum a Christo, per quod
certitudinaliter noscerent eum esse Chri-
stum, sicut expositum est. *Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.*
Certum est quod Christus post horum pro-
lationem verborum multa præclarissima
per se ipsum, et per suos discipulos mis-
so Spiritu Sancto, egit coram Judæis mi-
racula, ostendendo se esse Christum : quo-
modo ergo nunc ait, Signum non dabitur
ei, nisi signum Jonæ? Et respondendum,
quod sensus est : Signum non dabitur ei,
id est, ego hac vice signum ei non dabo
quo Christum me esse cognoscat, nisi si-
gnum Jonæ, id est excepta re illa mysteri-
ali ac typica, quæ in figuram Christi acci-
dit Jonæ prophetæ. Isti equidem perversi
Scribæ ac Pharisæi, jam multa præclara
Christi viderunt aut perceperunt miracu-
A la; infideliter quoque, malitiose et irre-
verenter quærebant signum : idcirco a
Christo exaudiri non meruerunt.

Deinceps exprimit Christus signum seu
mysticum factum Jonæ prophetæ : quod
in libro Jonæ, qui in numero duodecim
Prophetarum minorum quintus est, ple-
nius continetur. *Nam sicut Jonas signum* 30
fuit Ninivitis, ita erit et Filius hominis generationi huic. Jonas quippe signum
fuit Ninivitis, prædicendo eis eorum sub-
versionem, videlicet nisi conversi pœni-
B tentiam agerent : sic Christus viva voce
Scribis et Pharisæis æternam eorum dam-
nationem prædixit, nisi verbis suis crede-
rent atque veraciter pœniterent. Verum-
tamen Matthæus præfigurationem istam
clarius recitat, dicens : Sicut enim fuit Matth. XII, 40.
Jonas in ventre ceti tribus diebus et tri-
bus noctibus, sic erit Filius hominis in
corde terræ, id est in monumento, tribus
diebus et tribus noctibus : utpote ponen-
do partem pro toto.

Insuper Christus declarat magnitudinem
C culpæ et pœnæ Scribarum ac Pharisæo-
rum. *Regina austri,* id est regina Saba : 31
quæ dicitur regina austri, quoniam regio
illa Saba fuit in parte australi, respectu
Judææ; *surget,* id est, resuscitabitur et
apparebit, *in judicio,* id est in die extre-
mi ac generalis judicii, *cum viris generationis hujus.* Boni namque et mali simul
resurgent. Dicitque Beda hoc loco : Regina
austri electa esse non dubitatur. *Et condemnabit illos,* non potestate judiciaria,
sed comparatione operis melioris, secun-
D dum Glossam : quoniam ex facto bono
illius reginæ, isti apparebunt damnabiles,
imo et damnabiliores. Hinc subditur : *quia venit a finibus terræ,* id est a locis valde
remotis, *audire sapientiam Salomonis,* ut
patet in libris Regum : venit enim cum III Reg. X, 1, 2.
grandi comitatu et aromatibus multis. *Et ecce plus quam Salomon hic,* id est, sapi-
entior Salomone sum ego, qui secundum
quod Deus, substantialiter sum sapientia
infinita, secundum naturam quoque as-
sumptam, sapientior sum omni mente cre-

ata, etiam angelica atque Seraphica : et A
tamen a vobis contemnor ac reprobor, dæ-
moniacusque appellor.

32 *Viri Ninivitæ,* qui habitaverunt in Ni-
Jonæ III, 3. nive civitate magna itinere dierum trium,
ut scribitur in Jona, *surgent in judicio*
cum generatione hac, et condemnabunt il-
lam, eo modo quo de regina austri expo-
situm est, *quia pœnitentiam egerunt ad*
prædicationem Jonæ. Quum enim Jonas
Ibid. 4 *et seq.* in Ninive prædicaret, Adhuc quadraginta
dies, et Ninive subvertetur, rex et populus
in Ninive magnam pœnitentiam assum- B
pserunt, induentes se saccis et jejunantes,
Deumque valide invocantes, ut a Jona scri-
bitur. *Et ecce plus quam Jonas hic.* Ille
enim fuit propheta, Christus autem rex et
Dominus Prophetarum ; ille creatura, iste
Creator et Deus : et tamen ad prædicatio-
nem Jonæ, paucis diebus in Ninive (id est
quadraginta, secundum Gorram) prædican-
tis, nec aliquod ibi miraculum facientis,
conversi sunt Ninivitæ ; Christo autem
multo diutius prædicanti et multa ac ma-
gna operanti miracula, Scribæ et Pharisæi C
credere contempserunt, nec conversi sunt,
nisi perpauci.

Deinde Christus demonstrat se propter
Judæorum istorum inconvertibilitatem non
debuisse a sapientiæ suæ communicatione
seu prædicatione cessare : quia et una ra-
tio ob quam animæ suæ data fuit sapientia
tanta, erat, ut per sapientiam suam malis
et bonis verbum Dei annuntiaret, omnes-
que quantum in ipso fuit illustraret, juxta
illud Isaiæ de Christo prædictum, dicente
Is. XLII, 6, 7. Patre ad Filium : Dedi te in fœdus populi, D
in lucem gentium, ut aperires oculos cæ-
corum, et educeres de conclusione vin-
ctum. Itaque per similitudinem Christus
33 declarans propositum, ait : *Nemo lucer-*
nam accendit, et in abscondito ponit eam,
neque sub modio, sed supra candelabrum,
ut qui ingrediuntur domum *lumen vide-*
ant. Hoc utique in exterioribus observari
sic consuevit : quo Christus intendit, quod
Deus Trinitas animæ suæ tantam sapien-
tiam non infudit, ut eam prorsus abscon-
deret, sed ut congruo tempore per eam
alios illustraret, publice prædicando.

Itaque lucerna est Christi humanitas
luce sapientiæ præclarissime illustrata :
quam Deus noluit in abscondito ponere,
hoc est, sub umbra legis noluit eam late-
re, sed per gratiæ fulgorem atque evange-
licæ veritatis prædicationem manifestari ;
neque sub modio, id est sub Judæorum
climate noluit eam arctare, sed totum
mundum per ipsam illuminare. Hinc per
Isaiam Pater loquitur Christo : Parum est *Is.* XLIX, 6.
ut sis mihi ad suscitandas tribus Jacob, et
fæces Israel convertendas ; dedi te in lu-
cem gentium, ut sis salus mea usque ad
extremum terræ. Posuit ergo Deus lucer-
nam hanc super candelabrum, id est ele-
ctæ Synagogæ, videlicet primitivæ Eccle-
siæ, arcem : imo et toti Ecclesiæ Christum
præfecit, secundum quod ait in Psalmo,
Ego autem constitutus sum rex ab eo su- *Ps.* II, 6.
per Sion montem sanctum ejus, prædicans
præceptum ejus. De quo candelabro, sep-
templici dono Sancti Spiritus refulgente,
exponitur illud Zachariæ : Et vidi, et ecce *Zach.* IV, 2.
candelabrum aureum, id est Ecclesia di-
vino amore ornata, et lampas ejus, utpo-
te Christus eam illuminans, super caput
ejus ; et septem infusoria, id est universi-
tas doctorum, lucernis erant. Hinc in Apo-
calypsi septem Ecclesiæ Asiæ per septem *Apoc.* I, 12,
candelabra aurea designantur. Quemad- 20.
modum enim est una universalis Eccle-
sia, et multæ Ecclesiæ particulares, ita
dicitur unum candelabrum et multa can-
delabra. Igitur, super candelabrum, id est
Ecclesiam, Christus est positus, ut omnes
qui ingrediuntur ecclesiasticam domum,
conspiciant lumen Christi, hoc est, doctri-
na evangelica clarificentur atque regan-
tur. Porro, quod Christo secundum suam
humanitatem competit esse lucernam, con-
stat ex eo quod in Apocalypsi habetur : Do- *Ibid.* XXI,
minus Deus omnipotens illuminabit eam, 22, 23.
videlicet civitatem Dei sanctam Jerusa-
lem, et lucerna ejus est Agnus. De qua et
illud Proverbiorum sumitur : Non exstin- *Prov.* XXXI,
guetur in nocte lucerna ejus, puta mulie- 18.

ris fortis : per quam ibi figuratur Eccle- A
Apoc. xix, 7; xxi, 9. sia,•quam Joannes in Apocalypsi sponsam atque uxorem Agni appellat.

Ex præinductis Christus ad nostram se
34 informationem convertit. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Hoc de materiali oculo ad litteram verificatur, per similitudinem oculi cum lucerna. Quemadmodum enim in lucerna lux continetur, totam lucernam sua claritate perfundens; ita in corporali organo oculi, lux continetur visiva, qua totum corpus in suis motibus actibusque dirigitur. Sed Christus, sicut ex conse- B quentibus ostenditur verbis, non de corporali oculo principaliter loquitur; sed per verbum præhabitum innuit, quod sicut oculus corporalis est sensibilis corporis nostri lucerna, sic oculus noster interior, scilicet intellectus seu ejus intentio, est oculus animæ nostræ, operumque nostrorum, quæ mystice corpus vocantur. Anima quippe est totum potestativum, plures in se vires habendo ac continendo, quemadmodum corpus multa continet membra : sic et totalitas sive congeries operum, cor- C pus tropologice nuncupatur.

Si oculus tuus fuerit simplex, hoc est, si intellectus vel ejus intentio fuerit absque errore et obliquitate, hoc est absque duplicitatis seu simulationis sive hypocrisis plica et macula, *totum corpus tuum lucidum erit,* id est, tota anima recte dirigetur ab intellectu, et luce sapientiæ ejus clarescet; operum quoque congeries, vere virtuosa consistet, quia intentio imprimit speciem operi, secundum Ambrosium.

Denique, ut scribit hic Gorra, intentio D dupliciter dicitur : uno modo, motus mentis ordinantis opus in finem; alio modo, ipse finis intentus, ad quem mens ordinat opera sua. Itaque de intentione loquendo primo modo, ex ipsa intentione judicantur opera sive bona sive mala : nam ille motus mentis sic ordinantis nunquam est bonus, nisi ordo sit rectus; nec ordo est rectus, nisi convenienter ordinentur extrema. Sed secundo modo de intentione loquendo, non omnia opera ex intentione judicantur, sed illa quæ de se bona sunt vel indifferentia. Quædam vero sunt de se vitiosa et mala, quæ hoc modo ex intentione bona seu fine bono bonitatem non sortiuntur : ut si quis adulteretur quatenus a concupiscentiæ molestia relevatus, quietius spiritualibus vacet. Hinc alii dicunt, quod duplex est finis sive intentio, utpote intendentis, et rei seu operis. Finis autem intendentis, est quem agens sibi præfigit, quamvis media non sint proportionata ad hujusmodi finem : idcirco bonitas talis finis non semper sufficit ad bonitatem moralem operationis. Alius vero finis, utpote finis rei seu operis, dicitur finis operibus seu mediis ad finem ordinatis proportionatus ac congruens : idcirco a tali fine operatio dicitur bona et mala.

Si autem nequam fuerit, id est, intentio tua seu intelligentia aut ratio fuerit perversa, *etiam corpus tuum tenebrosum erit,* id est, operum tuorum congeries sive collectio ex tali intentione procedens, vitiosa consistet, et tota anima tenebris vitiorum et ignorantiarum implebitur : nempe si prava præcedat intentio, opus sequitur vitiosum, quamvis foris bonum appareat, ut si quis eleemosynam tribuat ex intentione laudis humanæ. Idcirco, secundum Augustinum, primo curandum est ut recta sit mentis intentio, et ne intellectus peccatis ac passionibus obscuretur, sicque in judicando sit errans. Intellectus etenim habet ipsam voluntatem, quæ de se cæca asseritur, omnes quoque alias animæ vires in actibus suis dirigere.

Vide ergo, id est cave : secundum quod 35
cautio est pars prudentiæ, ad quam pertinet pericula devitare. Unde Apostolus monet : Videte quomodo caute ambuletis. Ephes. v, 15.
Ne lumen quod in te est, tenebræ sint, id est, ne tua ratio sive intentio sit perversa, aut modis prætactis obscurata aut obliquata : quod fit, si opera nostra ad debitum finem non ordinamus, videlicet ad Dei gloriam et honorem, beatitudinemque æternam, sed ad carnales delicias, corpo-

Digitized by Google

rales divitias, aut temporales hujus vitæ honores, vel aliquid Deo contrarium. Hinc hortatur Apostolus : Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo Patri per ipsum. *Coloss.* III, 17.

36 *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit,* id est, si universitas seu tota congeries operum tuorum fuerit virtuosa, ut tam intentio quam actio inde procedens, sint bonæ, *non habens aliquam partem tenebrarum,* id est, nullum peccatum mortale habens admixtum. Partes enim tenebrarum, id est species vitiorum, sunt superbia, avaritia, luxuria, etc. *Erit lucidum totum,* id est, tunc totum opus tuum erit vere atque simpliciter meritorium, Deoque placitum. Nam uno mortali peccato omnia opera meritoria mortificantur ; si vero nullum insit peccatum mortale, caritas Dei et gratia reddunt opera coram Deo splendentia. Hinc in Ecclesiaste habetur : Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. *Eccle.* IX, 18. *Et sicut lucerna fulgoris,* id est lucerna præfulgida, *illuminabit te,* id est, inclyte decorabit, ita quod anima tua his bonis coram Deo pulchra erit ac fulgida. Quemadmodum enim virtutes, et dona ac gratia Spiritus Sancti, sunt lumina quædam illuminantia mentem : sic et actus virtuosi sunt mentis illustrationes, et per eos anima ad illuminationem disponitur ampliorem ; sicut opera vitiosa, tam interiora quam exteriora, sunt animæ obtenebrationes, et unum eorum ad aliam obscurationem inducit. Hinc in Proverbiis asseritur : Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem : via vero impiorum tenebrosa ; nesciunt ubi corruunt. *Prov.* IV, 18, 19. Itaque puris cogitationibus, sanctis affectionibus, utilibus quoque sermonibus, ac virtuosis operibus, nos ipsos jugiter adornare nitamur.

ARTICULUS XXXI

ELUCIDATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS UNDECIMI CAPITULI : ET QUUM LOQUERETUR, ROGAVIT ILLUM QUIDAM PHARISÆUS UT PRANDERET APUD SE.

CONSEQUENTER describitur justa ac sapientialis increpatio Pharisæorum et

37 Scribarum a Christo. *Et quum loqueretur* Christus. Non ait Lucas, Quum loqueretur hæc, utpote statim præhabita, quia non statim post prolationem illorum accidit quod hic narrat, ut patet ex his quæ in Matthæo scripta sunt. Ibi namque habetur : Adhuc eo loquente ad turbas, scilicet ea quæ statim præhabita sunt, ecce mater ejus et fratres ejus stabant foris, quærentes ei loqui. *Matth.* XII, 46 *et seq.* Ad quod quum respondisset, rogatus est a Pharisæo, sicut nunc dicitur. *Rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se.* Causa jactantiæ et ex hypocrisi dicitur hoc Pharisæus egisse. Christus tamen, qui peccatores venit sanare ac informare, acquievit roganti. *I Tim.* I, 15. Nam subditur : *Et ingressus* domum Pharisæi, *recubuit.*

Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, id est, Christo ad mensam sedente seu accedente, Pharisæus reputans 38
Christum contra bonos mores fecisse, intra se dixit seu cogitavit, *quare non baptizatus esset ante prandium,* id est, cur Christus manus suas non lavisset ante accessum ad mensam. Hoc quippe fuit contra consuetudinem Judæorum, juxta illud Marci : Pharisæi et omnes Judæi nisi crebro lavent manus suas, non manducant. *Marc.* VII, 3. Huic consuetudini Christus non fuit subjectus,

Digitized by Google

nec eam hac vice servavit, ut tali occasione ad saluberrimam Pharisæorum increpationem ac instructionem veniret. Pro eadem etiam causa discipuli Christi a Scribis et Pharisæis increpati leguntur apud Mat-
Matth. xv, 2. thæum, ubi habetur : Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus suas quum manducant.

39 *Et ait Dominus* Jesus *ad illum*. Non ad verba vocalia sed mentalia Pharisæi Christus respondit, ostendens se cordium inspectorem, de quo in Proverbiis Salomon
Prov. xxiv, 12. loquitur : Qui inspector est cordis, ipse intelligit; et servatorem animæ tuæ nihil fallet. *Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis et catini mundatis,* id est, vasa exteriora ex quibus bibitis atque comeditis, lavando purgatis ; *quod autem intus est vestrum,* id est mens seu anima vestra, *plenum est rapina,* id est peccato et amore rapinæ, *et iniquitate* in Deum directe commissa, ita quod pleni estis vitiis contra Deum et proximum. Ecce quantus fuit in Christo zelus justitiæ, quia homini ipsum invitanti, a tam acuta increpatione non pepercit. Nil enim ipsum ab æquitate quivit avertere.

40 *Stulti*. Quomodo Christus, qui cœpit fa-
Act. i, 1. cere et docere, Pharisæos hos stultos ap-
Matth. v, 22. pellat, quum ipsemet dicat, Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis? Et respondendum, quod quum verba oris sint expressiva interioris conceptionis affectionisque cordis, culpa et virtus judicantur esse in verbis ex qualitate dispositionis, seu conceptionis, affectionisve cordis : idcirco ex contemptu et elatione dicere, Fatue, cum animo exprobrandi, prohibetur a Christo; non autem si dicatur ex caritate, animo corrigendi, præsertim a superiore et judice, cujus est alium juste et caritative arguere. Sic etenim Pau-
Galat. iii, 1. lus scribit ad Galatas : O insensati Galatæ. Et Christus post resurrectionem dixit di-
Luc. xxiv, 25. scipulis : O stulti et tardi corde ad credendum. Christus vero omnium Scribarum et Pharisæorum judex, princeps, et Dominus fuit, tanquam verus et summus rex Israel. *Nonne qui fecit quod deforis est,* hoc est corpus humanum quod vultis lavando mundari, ac corporalia reliqua, *etiam id quod deintus est,* utpote animam, quam a vitiis non purgatis, *fecit* per creationem? Quo constat, quod utriusque naturæ Deus requirat munditiam, prout monet Apostolus : Mundemus nos ab omni inquinamento mentis et corporis, perficientes sanctificationem in timore Dei. (II *Cor.* vii, 1.) Imo, quo anima corpore exstat præstantior, eo plus internæ puritati studendum est.

Præterea, hac Christi auctoritate, clarissime refutatur hæresis sacrilegi Manichæi, duo ponentis principia rerum, et asserentis corpus humanum a diabolo factum, animam vero a Deo lucis. Quod etiam contra naturalem est philosophiam, quum de summo Deo Aristoteles asserat : Ab hoc ente omnibus derivatum est esse et vivere, his quidem clarius, his autem obscurius. Quod Plato atque Platonici subtilissime probaverunt, præsertim Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica, in qua et ipsam primam materiam probat per se a bono exortam.

Deinceps Christus animarum sapientissimus medicus, post increpationem rigorosam adjungit informationem benignam, tanquam post vinum austeritatis adhibens oleum pietatis, et post vulneris ostensio-
nem applicans medicinam. *Verumtamen,* 41
quod superest, id est, quod tam multo scelere contaminatis pro remedio restat, *date eleemosynam*. Vel, Quod superest, id est de his quæ superfluunt vobis, videlicet necessario victui atque vestitui vestro ac domus vestræ, facite eleemosynam. *Et ecce omnia munda sunt vobis,* id est, virtute eleemosynæ a peccatis omnibus efficiemini puri. Quemadmodum autem in libris de Civitate Dei recitat Augustinus, quidam horum occasione verborum, dixerunt eos qui opera misericordiæ exercent, in æternum non posse damnari. Quorum error faciliter reprobatur. Christus etenim loquitur de eleemosynarum largitione, prout est actus misericordiæ ad caritatem in-

Digitized by Google

fusam pertinentis : ita quod eleemosyna- A
rum largitio est opus virtuosum a caritate
imperatum, et a virtute quæ misericordia
nuncupatur, elicitive procedens ; sicque
eleemosynam agere, meritorium est vitæ
æternæ. Nec ideo Christus hæc ait, quasi
sola eleemosynarum largitio sit purgativa
a vitiis ; sed quia inter remedia contra
peccata est quoddam præcipuum et per
appropriationem quamdam, veniam desu-
per promeretur, quia condecens est ut
Deus sic faciat nobis, sicut nos facimus
proximis nostris. Propter quod ait Chri- B
Matth. v, 7. stus : Beati misericordes, quoniam ipsi
misericordiam consequentur. Hinc Daniel
Dan. iv, 24. Nabuchodonosor regi consuluit : Peccata
tua, inquiens, eleemosynis redime, et ini-
quitates tuas misericordiis pauperum. Un-
de in Tobia sanctus Dei angelus Raphael
Tob. xii, 9. protestatur : Eleemosyna a morte liberat,
et ipsa est quæ purgat peccata et facit in-
venire vitam æternam. Salomon quoque :
Prov. xv, 27. Per fidem, inquit, et misericordiam pur-
gantur peccata.

Postremo, Christus tanquam sapientia C
Patris discrete locutus est, Quod superest,
id est de superfluo necessitatis vestræ, da-
te eleemosynam : quia non ita agenda est,
secundum Bedam, eleemosyna, ut te ip-
sum consumas inopia. Dicit quoque Chry-
sostomus, quod eleemosyna præstantior est
jejunio, quamvis illud sit laboriosius.

42 *Sed væ vobis Pharisæis,* id est, æterna
damnatio imminet vobis, nisi pœnitenti-
am dignam egeritis, *qui decimatis men-
tam et rutam et omne olus,* id est, de re-
bus his parvis ac vilibus decimas datis, D
sive exigitis usque ad minima, magnam
vim facientes in observantiis minimorum,
et nullam aut parvam in observantiis præ-
cipuorum : prout consequenter Christus
declarat. Porro, quemadmodum olus valet
ad alimentum, sic ruta et menta ad medi-
camentum : nam ruta acuit visum, menta
reficit et confortat olfactum. *Et præteritis
judicium,* id est, veram discretionem omit-
titis, nec proximis ac subditis rectum ju-
dicium facitis, nec judicialia Dei præcepta
servatis ; sed neque vos ipsos rite discu-
tiendo salubriter judicatis, considerando,
confitendo, arguendo, et castigando pro-
pria vestra peccata; *et caritatem Dei,* ita
quod nec Deum vere diligitis, nec proxi-
mis caritatem Dei, id est caritatem veram
ac spiritualem a Deo infusam ac jussam,
impenditis; sed carnali pleni estis amore.
Denique Christus aptissime judicium ca-
ritati conjunxit, quia judicium sine cari-
tate in crudelitatem convertitur ; caritas
autem sine judicio, in remissionem; cari-
tas vero cum judicio, in æquitatem : ita
quod pietas miscetur justitiæ.

Hæc oportuit facere, id est, caritatem Dei
judiciumque servare in primis ac princi-
paliter est necesse. Caritas namque sum-
ma est virtus, vitaque animæ : sine qua
nulla virtus proficit ad salutem, nec ra-
tionem virtutis perfecte sortitur; nec ali-
qua actio sine caritate est meritoria. Hinc
in Michæa habetur : Indicabo tibi, homo, *Mich*. vi, 8.
quid sit bonum : utique facere judici-
um. *Et illa* minora, utpote, decimationem
mentæ et rutæ ac olerum, *non omittere,*
sed implere, secundum illud Proverbio-
rum : Honora Dominum de tua substantia, *Prov*. iii, 9.
et de primitiis frugum tuarum. Quamvis
autem ista decimatio ad cærimonialia præ-
cepta pertinuit, nihilo minus Christus as-
seruit eam non debuisse omitti, quia dum
ista locutus est, nondum fuerat Evangeli-
um undique publice divulgatum, idcirco
cærimonialia legis adhuc erant servanda.
Præterea contuendum, quod in lege fuit
decimatio triplex. Una fuit debita seu præ- *Num*. xviii, 21.
cepta, quæ dabatur Levitis de frugibus
universis. Altera fuit partim spontanea,
partimque debita, ut oblationes quæ fie- *Deut*. xii, 17; xvi, 17.
bant in Scenopegia, Pascha et Pentecoste :
quia pro libito suo licebat Judæis tunc of-
ferre plus aut minus : et quoad hoc, obla-
tio talis dicebatur spontanea; et quoniam
aliquid tenebantur offerre, dicebatur quo-
dammodo debita. Tertia fuit omnino spon-
tanea, quæ gratis dabatur.

Dicit autem circa ista Chrysostomus :
Justitiam, misericordiam et fidem, propter

Digitized by Google

suam gloriam Deus mandavit, decimas vero propter sacerdotes : qui de suo lucro sollicite agebant, sed de Dei gloria ac salute hominum negligentes fuerunt. Sic et nunc omnes de honore suo solliciti sunt; de Dei autem honore, pauci aut nullus. Suas portiones vigilanter defendunt, obsequium Ecclesiæ non attendunt : idcirco væ eis. — Itaque usque in præsens multi etiam apparenter religiosi, Pharisæos sequuntur : quia de interiori puritate, interna devotione, sinceraque Dei ac proximorum dilectione, ac ceteris principaliter observandis, modice curant; de exterioribus vero quibusdam cærimonialibus observationibus, seu punctis parum ponderantibus, devotionumque apparentiis, non mediocriter exstant solliciti : qui juxta Christi doctrinam, principaliora et necessariora ac viciniora saluti, primo et principalius satagant custodire, deinde et alia ordinate. Imo observanda sunt omnia bona, atque salubriter instituta, quum Salo-
Eccle. VII, 19. mon dicat : Qui timet Deum, nihil negli-
Eccli. XIX, 1. git. In Ecclesiastico quoque legitur : Qui spernit modica paulatim decidit. Etenim Augustino testante, Sicut submergitur qui saxis deprimitur, ita qui arena obruitur.

Insuper reprehendit Salvator superbi-
43 am et ambitionem Pharisæorum. *Væ vobis Pharisæis, qui diligitis,* id est vano affectu appetitis, *primas cathedras in synagogis,* id est dignitates, et loca altiora ibidem, quum in Ecclesiastico scriptum
Ibid. VII, 4. sit : Noli quærere cathedram honoris. Et non ait Christus, Væ qui habetis primas cathedras; sed, Qui diligitis eas : quoniam hæc injuncta suscipere, caritatis est; appetere vero, ambitionis. *Et salutationes in foro,* ubi causæ tractantur.

Deinde arguit istos de ficta sanctitate,
44 atque hypocrisi. *Væ vobis, qui estis ut monumenta quæ non apparent,* hoc est, quomodo intus disposita sint, *et homines ambulantes supra* sepulcra hujusmodi *nesciunt* qualia intus exsistant. Ita et vos Pharisæi, quum sitis hypocritæ, calliditatibus pleni, quum foris virtuosi paretis,
A intus pleni estis spurcitiis vitiorum, et specie superductæ sanctitatis decipitis homines. Unde apud Matthæum comparatio ista clarius scripta est, Christo dicente :
Væ vobis, qui similes estis sepulcris deal- *Matth.* XXIII, 27, 28.
batis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia : sic et vos, a foris quidem paretis hominibus justi, intus vero pleni estis hypocrisi et iniquitate. O quam multi nunc similes illis miseris Pharisæis inveniuntur ! qui quum sint hy-
B pocritæ, hominibus magis quam Deo omnipotenti, incomparabili et immenso, cupiunt complacere : sicque suos perdunt labores, et per opera de genere bona, per quæ æternam beatitudinem mererentur, si ex caritate ad Dei honorem hæc facerent, infernalia promerentur incendia. Abjiciamus ergo totaliter tam vilissimum crimen,
quia et in Job Scriptura fatetur : Laus *Job* XX, 5.
impiorum brevis est, et gaudium hypocritæ instar puncti. Imo quam detestabile sit hypocritarum vile collegium, et quam
C enorme piaculum exsistat hypocrisis, con-
stat ex eo quod in Job legitur : Numquid *Ibid.* XXVII, 9, 10.
Deus audiet vocem hypocritæ, quum venerit super eum angustia ? aut poterit in Omnipotente delectari ?

Denique, secundum Chrysostomum, justorum corpora templa sunt Dei, quemadmodum ad Corinthios scribit Apostolus :
Membra vestra templa sunt Spiritus San- I *Cor.* VI, 19.
cti. Corpora vero peccatorum sepulcra dicuntur, quia in eis sunt animæ spiritualiter mortuæ. Rursus secundum Chry-
D sostomum : Sepulcrum quamdiu clausum est, pulchrum videtur; si autem apertum fuerit, apparet horribile. Sic simulatores quamdiu non cognoscuntur, laudabiles reputantur ; quum autem cogniti fuerint, vituperabiles cognoscuntur. Sepulcrum dicitur quasi semipulcrum. Tales sunt hypocritæ, exterius nitidi, interius fœtidi : ideo non sicut filii Ecclesiæ, quæ ait in
Canticis, Nigra sum, sed formosa : nigra *Cant.* I, 4.
utique exterius, sed formosa interius. Isti econtra intus sunt fœdi, et foris volunt

Digitized by Google

apparere pulchri ac boni. Contra quos ait Chrysostomus : O hypocrita, si bonum est esse bonum, cur non vis esse quod vis apparere? Aut ergo esto quod appares, aut appare quod es. Quod est sophisma in philosophia rationali, id est hypocrisis in morali.

45 *Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi : Magister, hæc dicens* contra Pharisæos, *etiam nobis* legisperitis *contumeliam facis,* id est, honori et statui nostro derogas. Hoc præsertim dixit hic legisperitus, quoniam Christus inter cetera arguit Pharisæos, quod primas cathedras amarent in synagogis. Fuerunt autem inter Judæos cathedræ doctorum, et judicum, atque pontificum. Cathedra vero doctorum congruebat legisperitis, qui fuerunt scribæ et doctores ac clerici Judæorum. Pharisæi autem religiosi eorum fuerunt. Porro, ut ait Cyrillus, redargutio quæ mansuetos transfert in melius, superbis hominibus intolerabilis esse solet. Et ecce quam misera conscientia, quæ audito Dei verbo, sibi contumeliam fieri putat, et commemoratis vitiis impiorum, se tangi aut suspicatur, aut indignatur. Etenim mali sibi ipsis de suis vitiis conscii, de se opinantur omnia dici, correctionemque culpæ reputant contumeliam personæ. Quibus pensandum est illud Proverbiorum : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. *Prov.* xxix, 1.

46 *At ille ait,* Christus utique, qui neminem palpat : *Et vobis legisperitis væ,* id est, similis cum Pharisæis damnatio imminet vobis, *qui oneratis homines oneribus quæ portare non possunt,* id est, magna et gravia vulgo agenda injungitis, videlicet cærimonialia legis, et instituta varia seniorum vestrorum. De hoc cærimonialium observantiarum onere vix portabili Petrus apostolus in Actibus contestatur : Quid tentatis jugum imponere super cervicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Lex etenim Moysis, quoad cærimonialia vix poterat observari, præsertim quantum ad sensum litteralem. *Act.* xv, 10. *Et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas,* id est, nec ad modicum curatis observare, et opere adimplere quæ alios edocetis. Tales sunt modo quamplures, qui fortia prædicant, et vix minima servant : perfecti in verbis, pravissimi factis. Sed et sacerdotes nonnulli, qui in absolvendo indiscreta pœnitentia gravant confessos, his verbis notantur.

Insuper arguit Scribas de simulata de-
votione. *Væ vobis, qui ædificatis monu-* 47
menta Prophetarum. Non reprehenduntur de hoc quod Prophetis propter justitiam interfectis veneranda ac pulchra construxerant monumenta, sed quia hoc vana intentione egerunt, et quia in malo statu fuerunt, impiorum patrum suorum sequendo facinora factis, quæ detestabantur verbis mendacibus. *Patres autem vestri occiderunt illos,* puta Prophetas, scilicet
Jeremiam, Isaiam, etc. *Profecto,* id est cer- 48
te, *testificamini,* id est, contra vos ipsos testes estis, non verbis, sed factis, *quod consentitis operibus patrum vestrorum,* id est, quod conformes estis, per malitiosos effectus, patribus vestris carnalibus; *quandoquidem ipsi* patres vestri carne, et impietatis exemplari præcessione, *eos,* puta Prophetas, *occiderunt; vos autem ædificatis eorum sepulcra,* videlicet Prophetarum, curiose ac pretiose, ad captandum vulgi favorem, ut videamini justi ac detestantes crimina patrum vestrorum, quibus persecuti sunt sanctos Prophetas : et tamen pari, imo multo majori impietate persequimini me meosque discipulos, qua patres vestri persecuti sunt vates. Quo constat, quod (modo exposito) vestris patribus consentitis, me persequendo, eo quod veritatem vobis denuntiem, et juste vos increpem, quemadmodum illi Prophetas sunt persecuti, quoniam justas illorum increpationes pati spreverunt. Sic et modo quidam sunt præteritorum Sanctorum cultores, et præsentium contemptores. Quemadmodum autem Chrysostomus scribit, quidam ædificant martyrum mo-

Digitized by Google

nasteria, monumenta, basilicas, et tamen A
violentiam faciunt. Sed non gaudent mar-
tyres aut ceteri Sancti, quando de pecu-
niis honorantur pro quibus pauperes plo-
rant. Qualis est ista justitia, munerare
mortuos, et exspoliare viventes? Propter
Eccli. xxxiv, 24. hoc in Ecclesiastico asseritur : Qui offert
sacrificium de substantia pauperis, quasi
qui victimat filium in conspectu patris.

49 *Propterea et sapientia Dei dixit,* hoc
I *Cor.* i, 24. est, ego Christus, qui sum virtus et sapi-
entia Dei Patris, ab æterno dicendum de-
crevi, et nunc dico, quod et per Prophetas B
prædixi, videlicet : *Mittam ad illos,* id
est ad vos Scribas ac Pharisæos ceterosque
Judæos, *Prophetas et Apostolos.* Apostoli
namque fuerunt prophetæ, et ante Apo-
stolorum missionem misit Christus Joan-
Luc. vii, 26. nem Baptistam, prophetam, et plus quam
prophetam; sed et Prophetæ antiquiores
missi sunt, non solum his qui suis fuerunt
temporibus, sed et posteris eorum, hoc
est ad informationem præsentium atque
sequentium. *Et ex illis occident et perse-
quentur,* hoc est, quosdam eorum neca- C
bunt et infestabunt. Nam Jacobum Mino-
rem occiderunt; Jacobum quoque Majorem
Act. xii, 2. ab Herode occidi procuraverunt, sive ga-
visi sunt. Omnes quoque Apostolos mul-
tipliciter persecuti leguntur in Actibus
Apostolorum.

50 *Ut inquiratur sanguis omnium Prophe-
tarum, qui effusus est a constitutione mun-
di, a generatione ista.* Quod ait, A gene-
ratione ista, referri potest ad verbum,
Inquiratur; item ad complexum hoc, Qui
effusus est. Et quod dicit, Ut, etc., no- D
tat concomitantiam, non causalitatem dire-
ctam : quia non ad hoc impii occiderunt
Prophetas, ut sanguis Prophetarum requi-
reretur ab eis, sed ad occisionem illam
consecuta est requisitio ista, quemadmo-
Ps. l, 6. dum ait Psalmista : Tibi soli peccavi, ut
justificeris, etc. Itaque sensus est : Ut san-
guis omnium Prophetarum qui occisi sunt
ab initio mundi, requiratur a generatio-
ne ista, hoc est, culpa effusionis sangui-
nis illorum generationi malorum impute-
tur. Sicut enim omnes electi et boni sunt
unum corpus et una civitas Christi, et una
generatio nominantur, de qua fatetur in
Psalmo, Hæc est generatio quærentium Do- *Ps.* xxiii, 6.
minum; sic omnes mali ac reprobi sunt
unum corpus et civitas una diaboli, unde
et una generatio nominantur, sicque com-
muni damnatione dispereunt, et similes
sunt in pœnis. Pœna quoque unius redun-
dare potest in alium; non tamen singula
mala ab impiis impetrata, a singulis im-
piis requiruntur; nec quilibet reprobus
pro peccatis cujuslibet reprobi punietur,
secundum Chrysostomum, sed unusquis- *Galat.* vi, 5.
que onus suum portabit, ut dicit Apo-
stolus. Nihilo minus omnis sanguis Pro-
phetarum prætactus, a generatione mala
exquiretur, hoc est ab ea vel ab aliqua
ejus parte.

A sanguine Abel : qui inter Prophetas 51
annumeratur, non quia verbo propheta-
vit, sed quoniam facto, utpote morte sua,
passionem Christi, seu persecutionem cu-
juslibet justi præfiguravit : qui secundum
Bedam, primus martyrium passus est, oc-
cisus a Cain fratre suo propter justitiam. *Gen.* iv, 8.
*Usque ad sanguinem Zachariæ, qui per-
iit,* hoc est, occisus est, *inter altare, et
ædem,* id est templum : in quo secundum
Glossam, erant duo altaria : unum incen-
si, quod fuit interius; aliud holocausto-
rum, quod fuit exterius, puta in atrio ante
faciem templi, inter quod altare et tem-
plum dicitur Zacharias iste occisus.

Quis autem fuerit Zacharias inquirit
Hieronymus, improbatque opinionem di-
centium quod fuit Zacharias, unus inter
duodecim Prophetas minores. Similiter opi-
nionem refutat dicentium quod fuit pater
Joannis Baptistæ, quem aliqui affirmabant
a Judæis occisum quia Christum jam na-
tum asseruit. Quod Hieronymus apocry-
phum protestatur, affirmans quod Zacha-
rias iste fuit sacerdos et pontifex, filius
Joiadæ sacerdotis atque pontificis, jussu II *Par.* xxiv, 20-22.
Joas regis lapidatus in templo, ut in li-
bro Paralipomenon legitur. Joiada autem
pater ipsius, fuit, ut aliqui dicunt, bi-

Digitized by Google

nomius, ita quod alio nomine dictus est
Barachias. Præterea refert Gregorius Nys-
senus, quemadmodum quidam dixerunt
Zachariam istum fuisse patrem Joannis Ba-
ptistæ, ideoque a Judæis in loco præfato
occisum, quoniam Mariam Christi Genitri-
cem dixit virginem, nolens eam in tem-
plo a loco virginum sequestrare. Græcus
vero expositor recitat quosdam tradere
aliam causam occisionis Zachariæ istius,
videlicet, quia Elisabeth instante parvu-
lorum innocentium occisione ab Herode,
cum Joanne infantulo fugit in eremum.
Hinc Herodis satellites Elisabeth ac Joan-
nem non reperientes, converterunt iram
in Zachariam, et eum occiderunt in templo
tunc ministrantem.

*Ita dico vobis requiretur ab hac gene-
ratione* sanguis omnis ille justorum : sic-
ut expositum est. Hoc repetit Christus in
confirmationem suæ sententiæ.

Postremo, Christus arguit Scribas de ab-
usu suæ scientiæ, vel de falsa Scriptura-
52 rum expositione. *Væ vobis legisperitis, quia
tulistis,* id est, portastis ac habuistis, *cla-
vem scientiæ,* id est doctoratum seu au-
ctoritatem exponendi, vel expositionem
Scripturæ veteris Testamenti; *ipsi non in-
troistis,* id est, verum spiritualemque in-
tellectum legis ac Prophetarum non co-
gnovistis, nec a me discere voluistis, sed
II Cor. III, 6. ad litteram, quæ occidit, estis secuti :
Ibid. 14, 15. quemadmodum ait Apostolus, quod vela-
men super cor eorum est positum in le-
ctione legis ac Prophetarum; *et eos qui
introibant,* hoc est, Scripturas vere intel-
ligere optaverunt, *prohibuistis* a vera in-
telligentia Scripturarum, eas prave inter-
pretando. Alii ita exponunt : Væ vobis
legisperitis, quia tulistis, id est, abstulistis
vobismetipsis ac aliis multis, clavem sci-
entiæ, hoc est fidem de Christo, per quam
ad intellectum Scripturæ intratur, Isaia
Is. VII, 9, juxta LXX. dicente : Nisi credideritis, non intelligetis.
Isti autem in Christum præsentem credere
contempserunt, aliosque ab eo avertere
ausi sunt. Horum Scribarum impietatem
sequuntur quidam pravissimi, qui Scri-
A pturarum habentes notitiam, secundum
eas non vivunt, nec regnum ingrediun-
tur cœleste; quin potius simplices ac de-
votos ab ingressu regni cœlestis, hoc est
a conversatione laudabili, impedire ni-
tuntur.

Denique, ut Augustinus libro de Con-
sensu Evangelistarum conscribit, ea quæ
Lucas hic recitavit dicta a Christo adhuc
iter agente Jerusalem versus, Matthæus di-
cta refert postquam Christus in Jerusalem
venit. Unde mihi, ait Augustinus, videntur
B similes esse sermones, quorum unum Mat-
thæus, alterum Lucas descripsit.

Porro, quam vere Christus Pharisæos ac
Scribas reprehenderit, ipsi per effectum
mox ostenderunt, sicut subjungitur. *Quum* 53
*hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi
et legisperiti graviter insistere,* id est se
Christo opponere, *et os ejus opprimere,*
hoc est verba ejus reprobare ac calumni-
ari, *de multis insidiantes ei,* hoc est, ex 54
variis verbis factisque Christi quærentes
aliquid elicere quod ei objicerent, *et quæ-
C rentes aliquid capere ex ore ejus, ut ac-
cusarent eum* principibus sacerdotum, seu
Pilato, sive Herodi, aut communitati, tan-
quam derogantem Deo aut imperatori. Ita-
que patet, quod qui sibi videntur aliis ex-
cellentiores, sive in vita, ut Pharisæi, sive
in scientia, ut Scribæ, frequenter diffici-
lius corriguntur, et magis indignantur at-
que remurmurant arguenti. Ob hoc vere
stulti censendi sunt, et verificatur in eis
illud Ecclesiastici : Sicut sagitta infixa fe- Eccli. XIX, 12.
mori canis, sic verbum in corde stulti :
D verbum videlicet correptionis, quod pun-
git eos tanquam sagitta ; et sicut canis
sagittatus mordet sagittam, clamans ac la-
trans, sic isti verbum correptionis mente
revolvunt ac murrant, non pensantes quod
in Proverbiis scriptum est : Qui abjicit di- Prov. XV, 32.
sciplinam, despicit animam suam; qui au-
tem acquiescit increpationibus, possessor
est cordis. Sed et Jacobo apostolo in sua
Canonica protestante, si zelum amarum Jacob. III, 14.
habemus, et contentiones sunt inter nos,
sapientia vera caremus. Non est, inquit, Ibid. 15, 17.

sapientia ista a Deo, sed terrena, animalis, et diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primo quidem pudica est, deinde A pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis.

ARTICULUS XXXII

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : MULTIS AUTEM TURBIS CIRCUMSTANTIBUS, ITA UT SE INVICEM CONCULCARENT.

CIRCA præcedentis finem capituli dictum est, quemadmodum Scribæ ac Pharisæi Christo multipliciter insidiari cœperunt, ut plebem ab ipso averterent; sed oppositum contigit eis hac vice, quia tam evidens fuit veritas sapientiæ prædicationumque Christi contra iniquos, tamque præclara ejus in miraculorum operatione potestas, ut vulgus certatim ad ipsum conflueret, sicut gloriosus Evangelista jam re-
1 citat. *Multis autem turbis circumstantibus* Christum, ita quod ipse fuit in medio earum, nullum repellens, dansque prælatis exemplum ut stent in medio gregis sui, non ad unam personam potius quam ad aliam declinando ex inordinato affe-
Jacob. II, 1-9. ctu, sed sine personarum acceptione ad omnes caritative se habeant; *ita ut se invicem conculcarent :* in quo patet quod cum maxima aviditate undique concurrerunt ad Jesum, et quilibet illi propinquior fieri affectavit, quemadmodum superius
Luc. VI, 19. dictum est : Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus exibat de illo et sanabat omnes. *Cœpit dicere ad discipulos suos,* tanquam ad peculiarius caros et magis capaces, quorum instructio ad ipsum specialiter pertinebat. Nihilo minus quod dixit discipulis suis, ad aliorum quoque retulit instructionem, secundum quod ali-
Marc. XIII, 37. bi contestatur : Quod vobis dico, omnibus dico.

Attendite, hoc est, solerter caveto et fugite, *a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis,* id est, ipsam hypocrisim B in Pharisæis regnantem præcipue evitate. Quamvis enim quædam sint vitia hypocrisi graviora, ipsa tamen hypocrisis mentem vehementer excæcat. Nunc quoque hypocrisim specialiter docet vitandam, quia in præcedenti capitulo dictum est quemadmo- *Luc.* XI, 53, 54.
dum Pharisæi Christo cœperunt insidiari sub specie sanctitatis. Denique hypocrisim Christus appellat Pharisæorum fermentum, quoniam sicut fermentum massam de qua fit panis, alterat et corrumpit, si immoderate addatur, juxta verbum Pauli C dicentis, Modicum fermentum totam massam corrumpit; *I Cor.* V, 6.
ita hypocrisis alterat et corrumpit cordium intentiones, affectiones, et opera. Nihil enim sic alterat mores sicut hypocrisis, secundum Theophilum. Insuper, Christus in Evangelio a duplici Pharisæorum fermento docet esse cavendum, videlicet a fermento perversæ doctrinæ, prout in Matthæo habetur, item a *Matth.* XVI, 12.
fermento hypocrisis, sicut hoc loco. Interdum vero fermentum in bono accipitur, ita quod fides seu caritas per ipsum signa- D tur : quoniam sicut fermentum moderate sumptum, dat pani bonum saporem, sic fides seu caritas omne opus meritorium dirigit seu informat, quemadmodum apud Matthæum Christus loquitur : Simile est re- *Ibid.* XIII, 33.
gnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

Consequenter Christus efficacissimam rationem adjungit, cur hypocrisis sit vitanda. *Nihil autem opertum est, quod non* 2

reveletur, hoc est, nullum opus vitiosum A
tanta simulatione potest colorari seu tegi,
quin ejus pravitas suo tempore aperiatur,
quia in die judicii a Christo cunctis pan-
detur ; *neque absconditum, quod non scia-
tur,* id est, nulla interior actio seu passio
animæ, ita in præsenti vita poterit homi-
nibus occultari, quin a Christo judice in
hora judicii sit manifestanda : quoniam co-
gitationes affectionesque cordis tunc ape-
rientur, præsertim si per pœnitentiam non
sint deletæ ; etiam quæcumque actiones
iniquæ. In die quippe judicii, ut ait Apo- B
1 Cor. IV, 5. stolus, illuminabit Dominus abscondita te-
nebrarum, et manifestabit consilia cordi-
um. Secundo exponitur sic : Nihil opertum,
hoc est obscure et mystice dictum, quod
non reveletur, hoc est, me illustrante cla-
Dan. II, 22. rescat : juxta illud Danielis, Ipse revelat
profunda et abscondita, et novit in tene-
bris constituta. Porro secundum Origenem,
ideo Christus hoc dixit, quoniam quantum-
cumque conetur quis occultare bona alio-
rum infamiis, bonum naturaliter latere
non potest. Quasi Christus dicat discipulis C
et cunctis vere fidelibus : Quamvis jam
aliqui vocent vos seductores et impios,
tempus tamen omnia deteget, arguetque
eorum calumniam, et vestram declarabit
justitiam.

3 *Quoniam quæ in tenebris dixistis,* hoc
est obscure vel in adversis, *in lumine di-
centur,* id est, clare omnibus patefient ; *et
quod in aure locuti estis,* hoc est voce sub-
missa, *et in cubiculo,* puta in loco quan-
tumcumque secreto, *prædicabitur in te-
ctis,* id est tam evidenter ac si super tecta D
prædicaretur. Et loquitur Christus secun-
dum morem Palæstinæ ubi hæc dixit, ubi
et plana sunt tecta, ita ut homines super
ea stent ad loquendum. Denique verba hæc
multipliciter verificantur. Constat enim,
quod in die judicii virtutes bonorum et
vitia impiorum detegentur. Rursus, quæ
Apostoli in adversitatibus, et carceribus,
seu locis angustis egerunt ac prædicave-
runt in primitiva Ecclesia, interim fide
invalescente, ubique prædicata sunt pu-
blice, et in ecclesiis solenniter nunc le-
guntur.

Sed quia Salvator ob suam justitiam
varias pertulit persecutiones, hortatur di-
scipulos omnesque Christianos, ne corpo-
ralem mortem inordinate formident, ejus
metu deserendo justitiam. *Dico autem vo-* 4
bis amicis meis. Ex quo claret, quod ver-
ba sequentia perfectis ac virtuosis præ-
sertim dicuntur, qui cum Apostolo dicere
queunt : Quis nos separabit a caritate Dei? Rom. VIII, 35.
Verumtamen aliquo modo ad omnem per-
tinent Christianum adultum, ita quod sunt
de necessitate salutis. *Ne terreamini ab
his qui occidunt corpus,* hoc est, non ti-
meatis inordinate, utpote mundano aut car-
nali timore, tyrannos et persecutores, qui
vos corporaliter occidere possunt, *et post
hæc,* id est post corporis occisionem, *non
habent amplius quid faciant,* id est, ma-
gis nocere sive affligere nequeunt, quoni-
am animam a corpore separatam, quum
sit insensibilis, nequeunt molestare, cor-
pus quoque exanime nil valet sentire. Quo
patet, quanta fuerit perfidorum insania,
qui mortuis martyrum corporibus inho-
norationes irrogare conati sunt.

Præterea contuendum, quod timor est
multiplex, scilicet : naturalis, quo quis
naturaliter metuit mala pœnæ, videlicet
tormenta et mortem. Et de illo Christus
non loquitur : imo ipsemet tempore pas-
sionis illum timorem sponte ac dispensa-
tive assumpsit, secundum illud Marci, Cœ- Marc. XIV, 33.
pit Jesus pavere et tædere. Hic etenim
timor, secundum quod naturalis, non est
illicitus neque culpabilis ; sed indiget mo-
deramine rationis, ne fiat immoderatus
atque illicitus, sicut ceteræ passiones sen-
sitivi appetitus. Alius vero est timor car-
nalis, quo quis immoderate timet propriæ
pelli, ita quod potius eligit in culpam cor-
ruere, quam pœnas aut mortem corporis
pati : quem Psalmista sibi petit auferri,
dicendo, A timore inimici eripe animam Ps. LXIII, 2.
meam : eripe, inquam, non ut non occi-
dar, sed ne occidentem carnaliter verear.
Alius autem est timor mundanus, quo quis

Digitized by Google

immoderanter timet damna rerum, infamiam, atque similia. Et de istis timoribus loquitur Christus.

Quemadmodum vero omnis Christianus tenetur Deum super omnia amore diligere, ita tenetur Deo tam firmiter amoroseque adhærere, ut magis timeat et quælibet damna pati, quam Deum negare, præcepta non observare, mortaliterve peccare : et quantum ad hoc, præsens Christi doctrina vim habet præcepti. Hinc ait Chrysostomus : Omnia mala operatur timor mortis, scilicet inordinatus, et omnia bona (B) operatur contemptus mortis. Si gratis post mortem morituri sumus, quare non et ante mortem in causa Dei cum gloria morimur, ut fiat voluntarium quod futurum est necessarium? Si multo anteponis bovem, equum aut asinum, operaris instanter et bene. Forte dicis : Tollitur a me : quare non idem agis in corpore? Itaque, si propter timorem eorum qui corpus occidunt, impium est veritatem tacere : quomodo non major impietas est propter miserum ventrem et spem vani honoris, (C) tacere veritatem, meliusque facere gloriam panis et honoris, quam gloriam Dei ac veritatis? Itaque mala culpæ incidere, id est peccare, jugiter formidemus, juxta illud Proverbiorum : Beatus homo qui semper est pavidus. *Prov. XXVIII, 14.* Sed mala pœnalia hujus vitæ immoderanter non timeamus, imo adversa cum gaudio toleremus. Propter quod in Isaia habetur : Nolite timere opprobrium hominum et blasphemias eorum. *Isa. LI, 7.*

5 Consequenter Salvator docet salubrem ac ordinatum timorem. (D) *Ostendam autem vobis*, hoc est docebo, *quem timeatis. Timete eum qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam*, hoc est corpus et animam æternaliter condemnare : qui tanto plus metuendus est, quanto intolerabilius est æternalia pati incendia acerbissimaque tormenta, quam brevem ac momentaneam ferre corporis mortem. Propter quod per Isaiam præcipitur : Dominum exercituum ipsum sanctificate : ipse pavor vester et terror ve- *Isa. VIII, 13.*

(A) ster. Et sanctus Job protestatur : Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, *Et pondus ejus ferre non potui.* *Job XXXI, 23.* Quasi diceret : Ille Deus omnipotens incomparabiliter magis timendus est quam alia omnia : imo ipse solus per se est timendus, quoniam alia non sunt timenda nisi propter ipsum, in ipso et secundum ipsum. Propter quod Ecclesiasticus asserit : Qui timet Deum, nihil trepidabit. *Eccli. XXXIV, 16.* Sed multi sunt viles ac vitiosi, qui homines magis quam Deum verentur, quum tamen in (B) Proverbiis dicat Scriptura : Qui timet hominem, cito corruet. *Prov. XXIX, 25.*

Præterea triplex est timor Dei. Primus vocatur servilis, quo quis metuit Deum, non amore justitiæ, sed intuitu pœnæ : qui timor est imperfectorum, imo et impiorum, qui quidem caritate et gratia carent, quibus inhæret : disponit tamen ad bonum, et præparat ad virtutes, in quantum retrahit a peccatis. Secundus est timor initialis, quo quis timet Deum, partim amore boni ac justi, partim timore supplicii : (C) qui timor spectat ad proficientes. Tertius vero est timor filialis, castus et sanctus, quo Deus timetur solum amore bonitatis, vel quæ æquitatis : estque timor iste fuga mali culpæ, seu detestatio offensæ inhonorationisque Dei, pertinens ad perfectos ac Dei amicos, qui timent Deum ne eum offendant, ne separentur ab ipso, ne ipsum in aliquo inhonorent. De quo timore nunc potissimum loquitur Christus, quanquam et de timore initiali verba ejus possint intelligi. Quemadmodum autem perfecta (D) caritas foras mittit sive expellit timorem servilem, *I Joann. IV, 18.* ita producit conjunctumque habet timorem filialem, quo Deum semper timere debemus, tanquam fidelissimum ac benignissimum patrem. De cujus timoris eminentia multipliciter loquitur sacra Scriptura : ut quum in Ecclesiastico scriptum est, Nihil dulcius quam timere Deum : *Eccli. XXIII, 37.* et, Timor Domini super omnia se posuit : *Ibid. XXV, 14.* atque in Psalmo, Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. *Ps. XXXIII, 10.* In Ecclesiaste quo-

Digitized by Google

Eccle. XII, 13. que : Deum time et mandata ejus observa :
hoc est enim omnis homo.

Insuper Filius Dei docet inordinatum
timorem abjicere, atque pro Deo mortem
libenter sufferre, ex consideratione divinæ
providentiæ, quæ nullum malum relinquit
inultum, nec aliquod bonum irremunera-
6 tum. *Nonne quinque passeres veneunt,* id
est venduntur, *dipondio,* id est pretio le-
vissimi ponderis, quod ex duobus assibus
constat, videlicet pretio parvo ac vili, *et*
unus ex illis non est in oblivione coram
Deo? hoc est, quilibet passer Deo est in-
variabiliter cognitus, et ejus providentiæ
subjacet. Nec obest quod Paulus ait Apo-
I *Cor.* IX, 9. stolus, Numquid cura est Deo de bobus?
Loquitur enim de cura seu providentia
speciali, puta doctrinæ ac disciplinæ, qua
creaturas rationales gubernat; hic vero est
sermo de providentia generali, qua Deus
cuncta disponit et regit, juxta illud Sapi-
Sap. XII, 13. entiæ : Non est alius Deus quam tu, cui
7 cura est de omnibus. *Sed et capilli capitis*
vestri [*omnes*] *numerati sunt,* id est Deo
perfecte distincteque cogniti. *Nolite ergo*
timere corporum occisores; *multis passe-*
ribus pluris estis vos, id est amplioris di-
gnitatis ac pretii. Ideo si passeres et capilli
sub divina sic cadunt providentia, multo
magis homo : unde se Deo debet commit-
tere, nec timore adversitatum a Creatore
ejusque lege recedere, certus de providen-
tia Dei omnia moderantis. Itaque si passer,
cujus pretium est nummus vilissimus, di-
vinæ providentiæ moderamine incipit, de-
fluit et finitur, quum sit Dei creatura :
quanto magis homo, cujus pretium san-
Gen. I, 27. guis est Christi, et qui ad imaginem Dei
Job V, 6. creatus est? Hinc scriptum est : Nihil in
terra sine causa fit.

Secundum Origenem, quinque passeres,
sensus spirituales justorum designant : qui
sensus excelsa et super hominem senti-
unt, Deum intuentes, vocem audientes di-
vinam, panem vitæ gustantes, olfacientes
odorem unguentorum Christi, palpantes
vivum Verbum; qui dipondio venientes,
id est, vilipensi ab eis qui ea quæ sunt
spiritus stultitiam judicant, non dantur in
oblivione coram Deo. Præterea, per capil-
los, secundum Gregorium, mystice desi-
gnantur minutissimæ cogitationes, quia sic
Deus vias nostras considerat et gressus di- *Job* XXXI, 4.
numerat, ut nec minutissimæ cogitationes
ac tenuissima verba quæ apud nos usu
viluerunt, ejus judicio remaneant indis-
cussa. Non ergo sunt negligendæ cogita-
tiones, affectiones et locutiones quantum-
libet parvæ, de quibus reddenda est ratio.
Hinc sapiens in omnibus metuit. Et sanctus *Eccli.* XVIII, 27.
Job loquitur Deo : Signasti quasi in sac- *Job* XIV, 17.
culo delicta mea. Postremo, circa hunc
locum Athanasius dicit : Quæro ab Aria-
nis, si quasi dedignaretur Deus alia facere,
solum Filium fecit, cetera vero Filio subro-
gavit : quomodo provisione utitur usque
ad tam modica, scilicet capillum et pas-
serem? Quorum enim provisione fungitur,
horum creator est suo Verbo.

Deinceps ostendit Salvator nullo timore
a se esse recedendum, ex intuitu retribu-
tionis bonorum atque malorum. *Dico au-* 8
tem vobis : Omnis quicumque confessus
fuerit me coram hominibus, id est, tem-
pore persecutionis non omiserit me coram
quibuscumque tyrannis ac perfidis confi-
teri, ex timore, pudore, aut simili causa,
sed fidem suam verbis constanter fideli-
terque expresserit, contestando me esse
unicum Dei Filium, Deum verum ac ho-
minem, et cetera quæ ad christianam per-
tinent fidem ; *et Filius hominis confite-*
bitur illum coram angelis Dei, id est, ego
Filius Virginis in conspectu angelorum
sanctorum protestabor illum pertinere ad
me fide et actu, atque condigne a me Chri-
sto christianum fuisse vocatum : propter
quod æternam beatitudinem ei condona-
bo, juxta illud Apocalypsis, Esto fidelis *Apoc.* II, 10.
usque ad mortem, et dabo tibi coronam
vitæ. Hinc ad Romanos ait Apostolus : Cor- *Rom.* X, 10.
de creditur ad justitiam, ore autem con-
fessio fit ad salutem. Hæc nempe confessio
est fidei actus, utpote protestatio creden-
dorum. — Quomodo autem confessio ista
sit necessaria ad salutem, Thomas in se-

Digitized by Google

cunda secundæ, quæstione 3, docet, dicendo : Confessio fidei quum sit quid affirmativum, non nisi sub affirmativo cadit præcepto. Porro præcepta affirmativa obligant semper, sed non ad semper : imo obligant solum pro loco et tempore, et secundum alias circumstantias ad actum virtutis requisitas. Itaque fidem seu Christum confiteri coram incredulis, tunc solum est necessarium ad salutem, quando per hujus actus omissionem honor Dei subtraheretur, aut proximorum utilitas. Si autem fides videretur periclitari, tunc quilibet tenetur fidem publice confiteri. Quod si ex fidei confessione major oriretur seditio, aut infidelium irrisio, et nulla proximorum utilitas, tunc non esset laudabile fidem confiteri, ne canibus sanctum detur. (*Matth.* VII, 6.)

Postremo, præter prætactam laudabilem confessionem, quæ est fidei actus, est adhuc duplex confessio virtuosa : quarum una est actus latriæ, puta laudatio Dei, de qua fertur in Psalmo, Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua; (*Ps.* CXLIV, 10.) alia est actus pœnitentiæ, estque accusatio propriæ culpæ, de qua Jacobus ait apostolus : Confitemini alterutrum peccata vestra. (*Jacob.* V, 16.)

Debemus ergo Christum confiteri mente et ore, imo et opere, coram cunctis. Aliqui vero fide informi et ore inani coram fidelibus Christum Dominum confitentur, sed opere negant, juxta illud : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. (*Tit.* I, 16.) Factis quippe (secundum Glossam) negat Christum, qui ejus jussionibus non obedit.

9 *Qui autem negaverit me coram hominibus,* id est, fidem christianam, seu me, coram persecutoribus timore quodam verbis negaverit; aut factis, peccando mortaliter, negans me fuerit; *denegabitur coram angelis Dei,* id est, ego omnium judex protestabor, tam in particulari ejus judicio, quam in generali omnium judicio, non pertinere eum ad me per prædestinationem et meritum. Quod intelligendum est de Christi negatione finali, de qua homo ante mortem non pœnitet, non de negatione quæ per contritionem deletur : sic enim Petrus negavit.

Et omnis qui dicit verbum in Filium 10
hominis, remittetur illi; ei autem qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur. Locus iste, secundum Augustinum, ita difficilis est, ut vix in tota Scriptura canonica aliquid difficilius inveniatur. Denique, ut ejus difficultas eluceat, advertendum quid alii Evangelistæ conscribant. Itaque in Matthæo scriptum est : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. (*Matth.* XII, 31, 32.) Porro in Marco scriptum est : Omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiæ, quibus blasphemaverunt; qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. (*Marc.* III, 28, 29.) Itaque ex verbis his non explanatur, sed potius difficultatur verbum Lucæ jam exponendum. Non enim sic intelligenda sunt verba Evangelistarum expressa, quasi peccata quædam mortalia de quibus in hac vita homo contritus non est, post vitam hanc dimittantur, ita quod pœna inferni aliquando finiatur; nec rursus ita sunt intelligenda, quasi aliquod peccatum quantumlibet grave sit, absolute loquendo, viatoribus irremissibile, quia tota hæc vita via est ad vitam futuram, et in quacumque hora ingemuerit peccator condigne ex corde, Deus indulget.

Igitur iste est sensus : *Omnis qui dicit verbum in Filium hominis,* id est, opera Christi humana blasphemaverit ex consideratione naturalis imperfectionis suæ humanitatis, sicut fecerunt Judæi dicentes de Christo : Homo vorax, potator vini, amicus peccatorum; (*Matth.* XI, 19.) *remittetur illi,* id est, ex se causam habet remissibilitatis, quia quodammodo excusabilitatis aliquid habet, propter naturalem defectuositatem naturæ creatæ. Vel sic : Omnis qui dicit ver-

bum in Filium hominis, id est, qui ex ignorantia peccaverit, quæ opponitur sapientiæ, quæ appropriatur Filio Dei; remittetur illi, id est, peccatum ejus præfatum remissibilitatem habet, et pœnitenti satis facile remittetur, ignorantia namque partim excusat, si affectata non sit. Propter quod Paulus ad Timotheum inquit :
1 *Tim.* 1, 13. Ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Et paulo post in hoc capi-
vers. 48. tulo ait Salvator : Servus qui non cognovit voluntatem domini sui et fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Ei autem qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit,* id est, ex certa malitia aut ex contemptu eorum quæ peccata impediunt, in peccatum processerit [*non remittetur*]. Taliter enim peccans, dicitur in Spiritum Sanctum peccare, quia malitia contrariatur bonitati, quæ Spiritui Sancto appropriatur. Proprie tamen, secundum Thomam, dicitur peccatum esse in Spiritum Sanctum, quia est ex contemptu eorum quæ peccata impediunt, ut sunt timor divinæ justitiæ, et spes divinæ misericordiæ.

Denique secundum Augustinum, sex sunt peccata in Spiritum Sanctum, quæ etiam proprie appellantur species peccati in Spiritum Sanctum, videlicet : præsumptio, desperatio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, et invidentia fraternæ gratiæ : quorum distinctio sumitur penes ea, vel penes contemptum eorum per quæ homo a peccati electione retrahitur. Quorum quædam sunt ex parte divini judicii, quædam ex parte donorum Dei, quædam ex parte peccati. Avertitur namque homo a peccato, considerando judicium Dei, in quo comprehenduntur misericordia atque justitia : et ex consideratione misericordiæ oritur spes; ex consideratione autem justitiæ, timor. Quum ergo peccator tollit a se spem, de misericordia Dei diffidendo, dicitur desperatio; quum vero timorem abjicit, dicitur præsumptio, dum aut præsumit gloriam sine meritis, aut veniam sine pœnitentia adipisci. Dona vero Dei quibus a peccato retrahimur sunt duo,
A videlicet : agnitio veritatis : contra quam est impugnatio veritatis agnitæ, dum homo agnitam fidei veritatem impugnat, ut licentius peccet. Aliud est gratiæ interioris auxilium : contra quod est invidentia gratiæ fraternæ, dum homo, non solum personæ proximi sui, sed gratiæ Dei in eo est invidens. Ex parte quoque peccati sunt duo per quæ homo a peccato retrahi debet. Primum est inordinatio seu turpitudo peccati : et contra hoc est impœnitentia, non secundum quod dicit permanentiam
B in peccato usque in finem, quia sic est communis circumstantia culpæ; sed prout dicit propositum non pœnitendi. Aliud est parvitas ac brevitas boni quod in peccato optatur : et hoc removetur per obstinationem, qua quis in se firmat propositum inhærendi peccatis. Hæc est distinctio peccatorum in Spiritum Sanctum, secundum Thomam in secunda secundæ, quæstione 14, ubi de ista materia pulchre scribit : quorum multa, brevitati studens, omitto.

C Dicit demum Richardus de S. Victore : Quædam peccata hominum specialiter pertinent ad corruptelam propriam, ut ebrietas et stupra; quædam vero ad injuriam proximi, ut homicidia, furta; quædam autem ad contumeliam Dei, sicut blasphemia : sed quidam hanc incidunt ex coactione et infirmitate, et hi peccant in Patrem; alii ex deceptione, qui peccant in Filium; alii ex sola malignitate, et hi peccant in Spiritum Sanctum. Est autem hoc genus sceleratissimum, in quo malitia cre-
D vit usque ad summum, quando quis in vituperiis Dei delectatur et gloriatur. Hinc secundum Glossam, Spiritus Sancti blasphemia est, quum quis opera Dei magnifica intelligit; et quum virtutem negare non possit, stimulatus invidia, calumniatur, adscribens ea diabolo quæ Spiritus Sancti potestate geruntur.

Postremo, si inquiratur quomodo peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile asseratur, quum de nullo viatore, si voluerit pœnitere, sit desperandum : di-

Digitized by Google

cendum, quod quantum ad illam hujus A
peccati speciem quæ finalis impœnitentia
nominatur, irremissibile est omnino, quia
nec in præsenti sæculo nec in futuro di-
mittitur; sed quantum ad alias ejus spe-
cies irremissibile dicitur, non quia remitti
non possit, sed quia difficulter remitti-
tur : non ex parte Dei, cujus misericordia
est immensa et infinita potentia, sed ex
parte hominum, qui de hujusmodi pecca-
to raro difficulterque pœnitent. Postremo,
ut aliqui dicunt, irremissibile tripliciter
dicitur, scilicet negative, privative, con- B
trarie. Negative, quod nullo modo est re-
missibile, ut peccatum dæmonum et om-
nium damnatorum. Privative, quod non
habet aptitudinem ut remittatur : sic omne
peccatum mortale est irremissibile. Con-
trarie, quod habet dispositionem contra-
riam remissibilitati : sicque peccata in
Spiritum Sanctum irremissibilia perhiben-
tur, quia excludunt et spernunt ea per
quæ remissio fit culparum, videlicet mi-
sericordiam, gratiamque divinam. — Hoc
quoque sciendum, quod quolibet pecca- C
to tota superbenedicta Trinitas æqualiter
offenditur ; sed quædam peccata dicun-
tur contra Patrem, quædam contra Filium,
quædam contra Spiritum Sanctum, per
appropriationem propter causam præha-
bitam.

Sed quia tam horribiliter comminatus
est Christus negantibus eum, consequen-
ter præstat fiduciam, auxiliumque promit-
11 tit fidelibus suis. *Quum autem inducent
vos,* scilicet tyranni ac perfidi, *in synago-
gas,* id est ad publicos suos conventus, ut D
multitudine sua vobis timorem incutiant,
et ad magistratus, id est principes Syna-
gogæ, quemadmodum Christum et Apo-
stolos induxerunt Judæi, *et potestates,* id
est ad præsides sæculares ; *nolite solliciti
esse,* id est formidolosi aut anxii, *qualiter
aut quid respondeatis :* ita nec de modo
respondendi, nec de inventione responsi
sitis perplexi ; *aut quid dicatis* pro fidei
defensione et adversariorum confutatione.
12 *Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa
hora,* quum adducti fueritis coram fidei
inimicis, *quæ oportet dicere,* id est, prom-
pta, sapientialia, atque constantia vobis
inspirabit responsa : quia hoc bellum non
est vestrum, sed Dei ; estque supernatu-
rale, in quo infirmitas humana potissi-
mum indiget ope divina. Quam verissima
fuerit hæc Christi promissio, et quam in-
numerabiliter ac copiosissime sit impleta,
abundantissime patet in Sanctorum legen-
dis, et in viris ac feminis pro Christo mar-
tyrizatis est superplene ac gloriosissime
adimpleta : sicut in beatissimis Apostolis,
atque in S. Laurentio, Vincentio, aliisque
innumeris, qui etiam naturaliter rudes et
idiotæ fuerunt. Præclarissime tamen in
sanctis puellis ac feminis constat eam esse
completam, sicut in sacratissima Cathari-
na, Agatha, Agnete, etc., in quibus fuit
evidentissimum opus Divinitatis omnipo-
tentis, quod tam prompte ac sapientialiter
responderunt, tamque imperterrite et con-
stantes permanserunt.

Insuper Christus avaritiam docet esse
vitandam. *Ait autem ei,* scilicet Christo, 13
*quidam de turba : Magister, dic fratri
meo ut dividat mecum hereditatem,* id
est, justam faciat hereditariorum bonorum
nostrorum divisionem inter se et me. *At* 14
*ille dixit ei : Homo, quis me constituit
judicem aut divisorem* temporalium fa-
cultatum *inter* vos,* id est inter te et fra- * super
trem tuum ? Christus hunc reprehendit,
quia cor ejus intendit seu vidit. Quamvis
enim talis divisio licite possit peti, Sal-
vator tamen mentem hujus inspiciens, co-
gnovit quod ex avaritia id petivit, prout ex
verbis claret sequentibus. Iterum, redar-
guit eum, quia istam divisionem non con-
gruo tempore postulavit, interrumpendo
Christi prædicationem de rebus spirituali-
bus ac divinis tractantem, per propositio-
nem hujus causæ terrenæ, et temporali-
um causam tractatui divinorum miscendo.
Rursus, redarguit eum, quia petivit a
Christo quod ad ipsum Christum non per-
tinebat, videlicet temporalium rerum cau-
sas discutere, et per hoc divina saltem

Digitized by Google

ad tempus omittere, quum Christus idcirco in summa venerit paupertate, ut doceret terrena propter cœlestia derelinqui. Hinc ait Ambrosius : Non dignatur judex esse litium aut arbiter facultatum, qui vivorum et mortuorum habet judicium. Venit enim Salvator in spiritualibus, non in temporalibus determinare atque discernere. Quo exemplo realiter docuit et implevit quod postea ad Timotheum Paulus
II *Tim.* II, 4. conscripsit : Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis. Nec voluit Christus intermittere spiritualia propter temporalia. Quod secuti sunt sancti Apostoli,
Act. VI, 2. dicentes illud Actuum : Non est æquum nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Cujus contrarium faciunt multi jam sacerdotes atque canonici, qui propter occupationes terrenas etiam eis non necessarias, omittunt prædicationes, et Missas, ac orationes diversas. Unde ex his verbis factoque Christi, deberent prælati exemplum accipere, ne judicia sæcularium frequentarent, imo judicia temporalium aliis delegarent, quemadmodum Corin-
I *Cor.* VI, 4. thiis scribit Apostolus : Sæcularia judicia si habetis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia constituite ad judicandum.

Denique Christus dicendo, Homo, sumit nomen hominis prout sonat in vitium, puta in terrenitatem et carnalitatem, quem-
Ibid. III, 3. admodum et quum ait Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem am-
Galat. I, 10. bulatis ? Itemque : Si hominibus placerem, Christi servus non essem.

15 *Dixitque ad illos,* scilicet ad universos qui aderant : quoniam avaritia quam prohibere volebat, commune est vitium clericorum ac laicorum, ac seniorum ac ju-
Is. I, 23. niorum, juxta illud Isaiæ : Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Jeremias
Jer. VI, 13. quoque : A minori usque ad majorem, omnes avaritiæ student. Magis tamen solet hoc vitium regnare in senioribus. *Videte,* per intellectualem considerationem, *et cavete,* per doctrinæ meæ adimpletionem, *ab omni avaritia,* mente et actu illam

A vitando : quia quo quis ad temporalia magis inordinate afficitur, eo a divino amore et Creatore altissimo vehementius elongatur, et corde deorsum premitur, atque in infimis excæcatur. — Avaritia vero est immoderatus amor temporalium divitiarum. Quum itaque corporalia et terrena ad spiritualia ordinentur sicut ad finem, in tantum possunt amari, appeti et exquiri, quantum sunt homini necessaria ad vivendum in Dei obsequio, et ad prosequendum rationis judicium. Propter quod
B dicit Apostolus : Habentes victum et qui- I *Tim.* VI, 8.
bus tegamur, his contenti simus. Porro, quam detestanda sit avaritia, pandit
Apostolus : Omnium malorum radix est *Ibid.* 10.
cupiditas. Et rursus, avaritiam idolorum *Ephes.* V, 5.
nominat servitutem. Propterea in Ecclesi-
astico scriptum est : Avaro nihil scele- *Eccli.* X, 9, 10.
stius ; nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim animam suam habet venalem. Itaque cavendum est ab omni avaritia, scilicet tam mobilium quam immobilium, a parva et magna, quoniam par-
C va disponit ad magnam : estque vitanda avaritia, tam in acquirendo, quam in conservando et in erogando. — *Quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet.* Ordo verborum est iste : Avaritiam omnem, quia non in abundantia cujusquam, id est non in opulentia alicujus ex his quæ possidet, utpote temporalium rerum, consistit vita ejus. Opulentia enim temporalium rerum non facit hominem diutius vivere : imo frequenter occasio est quod dives citius moritur, eo
D quod suis abutens divitiis, crapulose se habeat, vitamque gratiæ perdat, et exigente divina justitia, propter sua peccata citius ab hac vita tollatur. Hinc Seneca contestatur : Quæris quis sit divitiarum modus ? Primo, habere quod naturæ est ; secundo, quod satis est. Nulli potest secura vita contingere, qui de providenda re nimis cogitat.

Præterea, quia in moralibus documentis plus conferunt particularia quam generalia dicta, magisque movent audientium

Digitized by Google

corda particularia exempla quam commu-
nia monita ; idcirco Salvator exemplum
ponens, similitudinem introducit : quæ ta-
men potuit esse res gesta, imo frequenter
16 id contingit. *Dixit autem similitudinem*
ad illos, dicens. Talis ingeminatio in lo-
quendo, frequens est in veteri Testamen-
to, ut quum in libris Regum Dominus ait
I *Reg.* II, 30. ad Heli : Loquens locutus sum, etc. *Ho-*
minis cujusdam divitis, in temporalibus
rebus, sed in spiritualibus inopis, *ube-*
res, id est copiosos, *fructus ager attulit,*
id est produxit. Occulto nempe ac justo
Dei judicio, mali et reprobi in hoc sæcu-
Ps. LXXII, 2, 3. lo prosperantur, juxta illud Psalmi : Mei
autem pene moti sunt pedes, quia zelavi
super iniquos, pacem peccatorum videns.
Verumtamen, Deus naturaliter infiniteque
bonus ac pius, temporalia ista largitur
iniquis, ut quantum in se est, per muni-
ficentiam suam trahat eos ad sui imitati-
onem, ad gratiarum actionem, ad liberali-
Luc. VI, 36. tatem, ut sint misericordes egentibus, sicut
Pater cœlestis ipsis misericors est, sint-
que liberales in dando, non tenaces in
reponendo, sicque ad summi benefactoris
inflammentur amorem, et ei gratiarum ac-
tionem rependant perpetuam. Sed, heu !
multi beneficiis Dei prorsus ingrati con-
trarium agunt, et quo plura habent aut
adipiscuntur, eo cupidiores redduntur :
quibus instar hydropicorum sitis ex po-
tu crescit, secundum Gregorium. Quorum
unus fuit hic dives. Nam subditur :
17 *Et cogitabat intra se, dicens : Quid fa-*
ciam? Quo verbo exprimitur anxia ejus in
temporalibus sollicitudo. Divitiarum nam-
que possessio sollicitudinem gignit pœ-
nalem, multiplicemque timorem. Propter
quod asserit Augustinus : Dives avarus for-
midat omnem hominem : nam videt divi-
tem, et putat prædonem ; videt pauperem,
et suspicatur furem. *Quod,* id est quia,
scilicet ex hoc quod, *non habeo quo con-*
gregem fructus meos. Secundum suam
excæcationem ex avaritia ortam hoc dixit.
Si enim illuminatæ mentis fuisset, scivis-
set utique ubi fructus suos saluberrime
colligere potuisset. Ideo Rabanus ait : Men-
titur ; nam horrea parata, sunt pauperum
esurientium ventres. Sed nesciebat iste
dives cogitare nisi de congregatione tem-
porali, non de cœlesti, cujus horrea sunt
pauperes.
Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea 18
mea, et faciam majora ; et illuc congre-
gabo omnia quæ nata sunt mihi in anno
præsenti, *et bona mea* ex annis priori-
bus habita atque residua. Hoc est terrenæ
sapientiæ consilium, de qua ait Aposto-
lus : Prudentia carnis, mors est. Quocontra *Rom.* VIII, 6.
consilium æternæ sapientiæ habetur in
Matthæo : Nolite thesaurizare in terra. De- *Matth.* VI, 19.
nique iste avarus et omnes iniqui, quo-
niam summo et incommutabili bono, vide-
licet supergloriosissimo Creatori, ejusque
spiritualibus donis ac gratiis præferunt at-
que præeligunt ista terrena, carnalia at-
que caduca ; idcirco talia vocant et repu-
tant bona sua potius quam spiritualia et
divina : quum tamen bona hominis secun-
dum quod homo est, sint bona spiritualia
et interna, non carnalia et terrena, dicente
Ambrosio : Non sunt bona hominis, quæ
secum ferre non valet. Gregorius quoque
testatur : Non est hominis terrena posses-
sio, sed cœlestis. Refert Valerius de quo-
dam philosopho, qui quum evasisset in-
cendium, ait : Ego nil perdidi ; bona mea
mecum sunt : animo enim illa porto, non
humeris. Itaque corporalia non sunt ho-
minis bona, nisi secundum quod ei ne-
cessaria ac adminiculatoria sunt ad spiri-
tualia bona : ideo tantum appeti possunt
et possideri, quantum necessaria atque uti-
lia sunt ad spiritualia obtinenda. Propter
quod ait Apostolus : Habentes victum et I *Tim.* VI, 8.
quibus tegamur, his contenti simus.
Et dicam animæ meæ, id est mihi ipsi. 19
Anima namque est principalior pars ho-
minis : ideo pro toto homine ponitur. Et
aliqui dicunt materiam non esse de es-
sentia materialium ac naturalium rerum.
Anima, habes multa bona posita in annos
plurimos, id est copiosas divitias, de qui-
bus per multos annos laute vivere potes.

Hæc est una cæcitas avarorum, quod sibi longam in hoc sæculo vitam promittunt, aut superesse existimant : sicque loquantur quasi diu victuri, quum de crastino sint incerti. Contra quem modum loquendi incautum scribit S. Jacobus in sua
Jacob. IV, 13-16. Canonica : Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur et lucrum faciemus : qui ignoratis quid sit vobis futurum in crastino. Quæ enim est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis, Si Dominus voluerit et si vixerimus, faciemus hoc aut illud ; nunc autem exsultatis in superbiis vestris.

Præterea S. Basilius ait : Si fateris temporalia tibi divinitus provenisse, an injustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens? Cur tu abundas, ille vero mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille vero patientiæ bravio decoretur? At tu nonne spoliator es, qui quæ dispensanda suscepisti, propria reputas? Est panis famelici quem tu tenes, nudi tunica quam in conclavi conservas, discalciati calceus qui penes te marcescit, indigentis argentum quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus injuriaris, quot dare valeres. Hæc eadem scribit S. Ambrosius, quæ valde pensanda sunt cunctis divitibus, potissimum clericis, qui multa aut pinguia beneficia habent, et de patrimonio Crucifixi, bonisque pauperum recondunt thesauros, lauta parant cibaria, diversaque fercula, pretiosa quoque ac plurima vestimenta. Quod quantæ sit impietatis, quanti sacrilegii, quam incomprehensibilis damnationis, ex præinductis S. Basilii verbis, clarius vero ex dictis sanctorum patrum Hieronymi et Bernardi probatur.

Requiesce a labore, et otiositatibus vaca : quum tamen otia dent vitia. Sic et de
Ps. LXXII, 5. reprobis ait Psalmista : In labore hominum non sunt. Verumtamen primo dictum
Gen. III, 19. est homini post peccatum : In sudore vultus tui vesceris pane tuo. *Comede, bibe,*
A *epulare*. Ecce qui spirituales ignorant delicias, qui non delectantur in Deo, qui in spiritualibus exercitiis non exsultant, in carnalibus rebus atque oblectamentis summum suum ponunt solatium ac ultimum finem, bestiis similes, imo incomparabiliter pejores ac viliores. Tanguntur autem hic quatuor vitia divitias concomitantia, scilicet : otiositas, ibi, Requiesce ; gulositas, ibi, Comede ; ebrietas, ibi, Bibe ; comessationis celebritas, ibi, Epulare. Postremo, sicut gulosi malunt ventrem suum
B in tantum replere, ut non solum saluti animæ, sed et corporis noceat sanitati ; ita avari malunt in horreis blada sua putrescere, quam pauperibus erogare.

Dixit autem illi Deus. Dum enim dives 20
avarus sibi ipsi in abdito loquitur, eloquia ejus in cœlo examinantur, judicantur et reprehenduntur. *Stulte*. Stultus verissime est omnis peccator in mortalibus vitiis manens : Primo, quoniam æternæ sapientiæ non consentit neque obedit, sed potius per inobedientiam contrariatur, dum di-
C vina præcepta transgreditur. Secundo, quoniam illa sapientia quæ est donum Spiritus Sancti, caret, et stultitia puerilitatisque vitio adimpletur : estque similis puero qui poma et pira, auro et gemmis præeligit, quia sic ipse spiritualibus et æternis, transitoria atque carnalia præfert. Tertio, quoniam animam suam incessabiliter vulnerat, odit, imo æternæ damnationis exponit periculis. Quid enim sunt peccata, nisi animæ vulnera? Et qui diligit iniquitatem, *Ps.* X, 6.
odit animam suam, quia hoc vult quod
D animæ suæ maxime est nocivum. Quarto, quia atrocissimis suis hostibus, puta dæmonibus, se subjicit et consentit, eosque per suam impiam lætificat vitam, angelicæ vero inspirationi non præbet assensum. Quinto, quia quotidie posset in spiritualibus tantum proficere, atque æternam sibi felicitatem augere : et tamen vice versa, omni spirituali neglecto profectu, quotidie se in spiritualibus efficit pauperiorem, et a vera beatitudine distantiorem. Nonne hæc agere, et taliter se

Digitized by Google

sapientia ista a Deo, sed terrena, animalis, et diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primo quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis.

ARTICULUS XXXII

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : MULTIS AUTEM TURBIS CIRCUMSTANTIBUS, ITA UT SE INVICEM CONCULCARENT.

CIRCA præcedentis finem capituli dictum est, quemadmodum Scribæ ac Pharisæi Christo multipliciter insidiari cœperunt, ut plebem ab ipso averterent; sed oppositum contigit eis hac vice, quia tam evidens fuit veritas sapientiæ prædicationumque Christi contra iniquos, tamque præclara ejus in miraculorum operatione potestas, ut vulgus certatim ad ipsum conflueret, sicut gloriosus Evangelista jam re-
1 citat. *Multis autem turbis circumstantibus* Christum, ita quod ipse fuit in medio earum, nullum repellens, dansque prælatis exemplum ut stent in medio gregis sui, non ad unam personam potius quam ad aliam declinando ex inordinato affectu, sed sine personarum acceptione ad omnes caritative se habeant (*Jacob.* II, 1-9); *ita ut se invicem conculcarent :* in quo patet quod cum maxima aviditate undique concurrerunt ad Jesum, et quilibet illi propinquior fieri affectavit, quemadmodum superius dictum est (*Luc.* VI, 19) : Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus exibat de illo et sanabat omnes. *Cœpit dicere ad discipulos suos,* tanquam ad peculiarius caros et magis capaces, quorum instructio ad ipsum specialiter pertinebat. Nihilo minus quod dixit discipulis suis, ad aliorum quoque retulit instructionem, secundum quod alibi contestatur (*Marc.* XIII, 37) : Quod vobis dico, omnibus dico.

Attendite, hoc est, solerter caveto et fugite, *a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis,* id est, ipsam hypocrisim in Pharisæis regnantem præcipue evitate. Quamvis enim quædam sint vitia hypocrisi graviora, ipsa tamen hypocrisis mentem vehementer excæcat. Nunc quoque hypocrisim specialiter docet vitandam, quia in præcedenti capitulo dictum est quemadmodum Pharisæi Christo cœperunt insidiari (*Luc.* XI, 53, 54) sub specie sanctitatis. Denique hypocrisim Christus appellat Pharisæorum fermentum, quoniam sicut fermentum massam de qua fit panis, alterat et corrumpit, si immoderate addatur, juxta verbum Pauli dicentis (I *Cor.* V, 6), Modicum fermentum totam massam corrumpit; ita hypocrisis alterat et corrumpit cordium intentiones, affectiones, et opera. Nihil enim sic alterat mores sicut hypocrisis, secundum Theophilum. Insuper, Christus in Evangelio a duplici Pharisæorum fermento docet esse cavendum, videlicet a fermento perversæ doctrinæ, prout in Matthæo habetur (*Matth.* XVI, 12), item a fermento hypocrisis, sicut hoc loco. Interdum vero fermentum in bono accipitur, ita quod fides seu caritas per ipsum signatur : quoniam sicut fermentum moderate sumptum, dat pani bonum saporem, sic fides seu caritas omne opus meritorium dirigit seu informat, quemadmodum apud Matthæum Christus loquitur (*Ibid.* XIII, 33) : Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

Consequenter Christus efficacissimam rationem adjungit, cur hypocrisis sit vi-
tanda. *Nihil autem opertum est, quod non* 2

Digitized by Google

reveletur, hoc est, nullum opus vitiosum A tanta simulatione potest colorari seu tegi, quin ejus pravitas suo tempore aperiatur, quia in die judicii a Christo cunctis pandetur; *neque absconditum, quod non sciatur,* id est, nulla interior actio seu passio animæ, ita in præsenti vita poterit hominibus occultari, quin a Christo judice in hora judicii sit manifestanda : quoniam cogitationes affectionesque cordis tunc aperientur, præsertim si per pœnitentiam non sint deletæ; etiam quæcumque actiones iniquæ. In die quippe judicii, ut ait Apo-
I Cor. iv, 5. stolus, illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Secundo exponitur sic : Nihil opertum, hoc est obscure et mystice dictum, quod non reveletur, hoc est, me illustrante cla-
Dan. ii, 22. rescat : juxta illud Danielis, Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta. Porro secundum Origenem, ideo Christus hoc dixit, quoniam quantumcumque conetur quis occultare bona aliorum infamiis, bonum naturaliter latere non potest. Quasi Christus dicat discipulis et cunctis vere fidelibus : Quamvis jam aliqui vocent vos seductores et impios, tempus tamen omnia deteget, arguetque eorum calumniam, et vestram declarabit justitiam.

3 *Quoniam quæ in tenebris dixistis,* hoc est obscure vel in adversis, *in lumine dicentur,* id est, clare omnibus patefient; *et quod in aure locuti estis,* hoc est voce submissa, *et in cubiculo,* puta in loco quantumcumque secreto, *prædicabitur in tectis,* id est tam evidenter ac si super tecta prædicaretur. Et loquitur Christus secundum morem Palæstinæ ubi hæc dixit, ubi et plana sunt tecta, ita ut homines super ea stent ad loquendum. Denique verba hæc multipliciter verificantur. Constat enim, quod in die judicii virtutes bonorum et vitia impiorum detegentur. Rursus, quæ Apostoli in adversitatibus, et carceribus, seu locis angustis egerunt ac prædicaverunt in primitiva Ecclesia, interim fide invalescente, ubique prædicata sunt publice, et in ecclesiis solenniter nunc leguntur.

Sed quia Salvator ob suam justitiam varias pertulit persecutiones, hortatur discipulos omnesque Christianos, ne corporalem mortem inordinate formident, ejus
metu deserendo justitiam. *Dico autem vo-* 4
bis amicis meis. Ex quo claret, quod verba sequentia perfectis ac virtuosis præsertim dicuntur, qui cum Apostolo dicere
queunt : Quis nos separabit a caritate Dei? Rom. viii, 35.
Verumtamen aliquo modo ad omnem per- B tinent Christianum adultum, ita quod sunt de necessitate salutis. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus,* hoc est, non timeatis inordinate, utpote mundano aut carnali timore, tyrannos et persecutores, qui vos corporaliter occidere possunt, *et post hæc,* id est post corporis occisionem, *non habent amplius quid faciant,* id est, magis nocere sive affligere nequeunt, quoniam animam a corpore separatam, quum sit insensibilis, nequeunt molestare, corpus quoque exanime nil valet sentire. Quo C patet, quanta fuerit perfidorum insania, qui mortuis martyrum corporibus inhonorationes irrogare conati sunt.

Præterea contuendum, quod timor est multiplex, scilicet : naturalis, quo quis naturaliter metuit mala pœnæ, videlicet tormenta et mortem. Et de illo Christus non loquitur : imo ipsemet tempore passionis illum timorem sponte ac dispensa-
tive assumpsit, secundum illud Marci, Cœ- Marc. xiv, 33.
pit Jesus pavere et tædere. Hic etenim timor, secundum quod naturalis, non est D illicitus neque culpabilis; sed indiget moderamine rationis, ne fiat immoderatus atque illicitus, sicut ceteræ passiones sensitivi appetitus. Alius vero est timor carnalis, quo quis immoderate timet propriæ pelli, ita quod potius eligit in culpam corruere, quam pœnas aut mortem corporis pati : quem Psalmista sibi petit auferri,
dicendo, A timore inimici eripe animam Ps. lxiii, 2.
meam : eripe, inquam, non ut non occidar, sed ne occidentem carnaliter verear. Alius autem est timor mundanus, quo quis

Digitized by Google

immoderanter timet damna rerum, diffa- A
miam, atque similia. Et de istis vitiosis
timoribus loquitur Christus.

Quemadmodum vero omnis Christianus
tenetur Deum super omnia toto corde dili-
gere, ita tenetur Deo tam fortiter amorose-
que adhærere, ut malit occidi, et quælibet
damna pati, quam fidem negare, præce-
pta non observare, mortaliterve peccare :
et quantum ad hoc, præsens Christi do-
ctrina vim habet præcepti. Hinc ait Chry-
sostomus : Omnia mala operatur timor
mortis, scilicet inordinatus, et omnia bo- B
na operatur contemptus mortis. Si gratis
post modicum morituri sumus, quare non
et ante modicum in causa Dei cum gloria
morimur, ut fiat voluntarium quod futu-
rum est necessarium? Si mutuo acceperis
bovem, equum aut asinum, operaris in-
stanter, et dicis, Forte cras tolletur a me :
quare non idem agis in corpore? Ita-
que, si propter timorem eorum qui corpus
occidunt, impium est veritatem tacere :
quomodo non major impietas est propter
miserum ventrem et spem vani honoris, C
tacere veritatem, melioremque facere glo-
riam panis et honoris, quam gloriam Dei
ac veritatis? Itaque mala culpæ incidere, id
est peccare, jugiter formidemus, juxta il-
Prov. lud Proverbiorum : Beatus homo qui sem-
xxviii, 14. per est pavidus. Sed mala pœnalia hujus
vitæ immoderanter non timeamus, imo ad-
versa cum gaudio toleremus. Propter quod
Is. li, 7. in Isaia habetur : Nolite timere opprobri-
um hominum et blasphemias eorum.

Consequenter Salvator docet salubrem
5 ac ordinatum timorem. *Ostendam autem* D
vobis, hoc est docebo, *quem timeatis. Ti-*
mete eum qui postquam occiderit corpus,
habet potestatem mittere in gehennam, hoc
est corpus et animam æternaliter con-
demnare : qui tanto plus metuendus est,
quanto intolerabilius est æternalia pati
incendia acerbissimaque tormenta, quam
brevem ac momentaneam ferre corporis
mortem. Propter quod per Isaiam præci-
Ibid. viii, pitur : Dominum exercituum ipsum san-
13. ctificate : ipse pavor vester et terror ve-
ster. Et sanctus Job protestatur : Semper *Job* xxxi.
quasi tumentes super me fluctus timui 23.
Deum. *Ita dico vobis, hunc timete.* Quasi
dicat : Hic Deus omnipotens incomparabi-
liter magis timendus est quam alia om-
nia; imo ipse solus perhibetur timendus,
quoniam alia non sunt timenda, nisi pro-
pter ipsum, in ipso, et secundum ipsum.
Propter quod Ecclesiasticus asserit : Qui *Eccli.*
timet Deum, nihil trepidabit. Sed multi xxxiv, 16.
sunt viles ac vitiosi, qui homines magis
quam Deum verentur, quum tamen in
Proverbiis dicat Scriptura : Qui timet ho- *Prov.* xxix,
minem, cito corruet. 25.

Præterea triplex est timor Dei. Primus
vocatur servilis, quo quis metuit Deum,
non amore justitiæ, sed intuitu pœnæ :
qui timor est imperfectorum, imo et im-
piorum, quoniam caritate et gratia carent,
quibus inhæret; disponit tamen ad bo-
num, et præparat ad virtutes, in quantum
retrahit a peccatis. Secundus est timor ini-
tialis, quo quis timet Deum, partim amore
boni ac justi, partim timore supplicii :
qui timor spectat ad proficientes. Tertius
vero est timor filialis, castus et sanctus,
quo Deus timetur solum amore bonitatis,
zeloque æquitatis : estque timor iste fuga
mali culpæ, seu detestatio offensæ inho-
norationisque Dei, pertinens ad perfectos
ac Dei amicos, qui timent Deum ne eum
offendant, ne separentur ab ipso, ne ipsum
in aliquo inhonorent. De quo timore nunc
potissimum loquitur Christus, quanquam
et de timore initiali verba ejus possint
intelligi. Quemadmodum autem perfecta
caritas foras mittit sive expellit timorem I *Joann.* iv,
servilem, ita producit conjunctumque ha- 18.
bet timorem filialem, quo Deum semper
timere debemus, tanquam fidelissimum
ac benignissimum patrem. De cujus timo-
ris eminentia multipliciter loquitur sa-
cra Scriptura : ut quum in Ecclesiastico
scriptum est, Nihil dulcius quam timere *Eccli.* xxiii,
Deum; et, Timor Domini super omnia se 37.
posuit; atque in Psalmo, Timete Domi- *Ibid.* xxv, 14.
num, omnes sancti ejus, quoniam nihil *Ps.* xxxiii, 10.
deest timentibus eum. In Ecclesiaste quo-

Digitized by Google

Eccle. XII, 13. que : Deum time et mandata ejus observa : A
hoc est enim omnis homo.

Insuper Filius Dei docet inordinatum
timorem abjicere, atque pro Deo mortem
libenter sufferre, ex consideratione divinæ
providentiæ, quæ nullum malum relinquit
inultum, nec aliquod bonum irremunera-
6 tum. *Nonne quinque passeres veneunt,* id
est venduntur, *dipondio,* id est pretio le-
vissimi ponderis, quod ex duobus assibus
constat, videlicet pretio parvo ac vili, *et
unus ex illis non est in oblivione coram
Deo?* hoc est, quilibet passer Deo est in- B
variabiliter cognitus, et ejus providentiæ
subjacet. Nec obest quod Paulus ait Apo-
I Cor. IX, 9. stolus, Numquid cura est Deo de bobus?
Loquitur enim de cura seu providentia
speciali, puta doctrinæ ac disciplinæ, qua
creaturas rationales gubernat; hic vero est
sermo de providentia generali, qua Deus
cuncta disponit et regit, juxta illud Sapi-
Sap. XII, 13. entiæ : Non est alius Deus quam tu, cui
7 cura est de omnibus. *Sed et capilli capitis
vestri* [*omnes*] *numerati sunt,* id est Deo
perfecte distincteque cogniti. *Nolite ergo* C
timere corporum occisores; *multis passe-
ribus pluris estis vos,* id est amplioris di-
gnitatis ac pretii. Ideo si passeres et capilli
sub divina sic cadunt providentia, multo
magis homo : unde se Deo debet commit-
tere, nec timore adversitatum a Creatore
ejusque lege recedere, certus de providen-
tia Dei omnia moderantis. Itaque si passer,
cujus pretium est nummus vilissimus, di-
vinæ providentiæ moderamine incipit, de-
fluit et finitur, quum sit Dei creatura :
quanto magis homo, cujus pretium san- D
Gen. I, 27. guis est Christi, et qui ad imaginem Dei
Job V, 6. creatus est? Hinc scriptum est : Nihil in
terra sine causa fit.

Secundum Origenem, quinque passeres,
sensus spirituales justorum designant : qui
sensus excelsa et super hominem senti-
unt, Deum intuentes, vocem audientes di-
vinam, panem vitæ gustantes, olfacientes
odorem unguentorum Christi, palpantes
vivum Verbum; qui dipondio venientes,
id est, vilipensi ab eis qui ea quæ sunt
spiritus stultitiam judicant, non dantur in
oblivione coram Deo. Præterea, per capil-
los, secundum Gregorium, mystice desi-
gnantur minutissimæ cogitationes, quia sic
Deus vias nostras considerat et gressus di- Job XXXI, 4.
numerat, ut nec minutissimæ cogitationes
ac tenuissima verba quæ apud nos usu
viluerunt, ejus judicio remaneant indis-
cussa. Non ergo sunt negligendæ cogita-
tiones, affectiones et locutiones quantum-
libet parvæ, de quibus reddenda est ratio.
Hinc sapiens in omnibus metuit. Et sanctus Eccli. XVIII, 27.
Job loquitur Deo : Signasti quasi in sac- Job XIV, 17.
culo delicta mea. Postremo, circa hunc
locum Athanasius dicit : Quæro ab Aria-
nis, si quasi dedignaretur Deus alia facere,
solum Filium fecit, cetera vero Filio subro-
gavit : quomodo provisione utitur usque
ad tam modica, scilicet capillum et pas-
serem? Quorum enim provisione fungitur,
horum creator est suo Verbo.

Deinceps ostendit Salvator nullo timore
a se esse recedendum, ex intuitu retribu-
tionis bonorum atque malorum. *Dico au-* 8
*tem vobis : Omnis quicumque confessus
fuerit me coram hominibus,* id est, tem-
pore persecutionis non omiserit me coram
quibuscumque tyrannis ac perfidis confi-
teri, ex timore, pudore, aut simili causa,
sed fidem suam verbis constanter fideli-
terque expresserit, contestando me esse
unicum Dei Filium, Deum verum ac ho-
minem, et cetera quæ ad christianam per-
tinent fidem ; *et Filius hominis confite-
bitur illum coram angelis Dei,* id est, ego
Filius Virginis in conspectu angelorum
sanctorum protestabor illum pertinere ad
me fide et actu, atque condigne a me Chri-
sto christianum fuisse vocatum : propter
quod æternam beatitudinem ei condona-
bo, juxta illud Apocalypsis, Esto fidelis Apoc. II, 10.
usque ad mortem, et dabo tibi coronam
vitæ. Hinc ad Romanos ait Apostolus : Cor- Rom. X, 10.
de creditur ad justitiam, ore autem con-
fessio fit ad salutem. Hæc nempe confessio
est fidei actus, utpote protestatio creden-
dorum. — Quomodo autem confessio ista
sit necessaria ad salutem, Thomas in se-

Digitized by Google

cunda secundæ, quæstione 3, docet, dicen- A
do : Confessio fidei quum sit quid affirmativum, non nisi sub affirmativo cadit præcepto. Porro præcepta affirmativa obligant semper, sed non ad semper : imo obligant solum pro loco et tempore, et secundum alias circumstantias ad actum virtutis requisitas. Itaque fidem seu Christum confiteri coram incredulis, tunc solum est necessarium ad salutem, quando per hujus actus omissionem honor Dei subtraheretur, aut proximorum utilitas. Si autem fides videretur periclitari, tunc quilibet B
tenetur fidem publice confiteri. Quod si ex fidei confessione major oriretur seditio, aut infidelium irrisio, et nulla proximorum utilitas, tunc non esset lauda-
Matth. VII, 6. bile fidem confiteri, ne canibus sanctum detur.

Postremo, præter prætactam laudabilem confessionem, quæ est fidei actus, est adhuc duplex confessio virtuosa : quarum una est actus latriæ, puta laudatio Dei, de
Ps. CXLIV, 10. qua fertur in Psalmo, Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua; alia est actus C
pœnitentiæ, estque accusatio propriæ cul-
Jacob. V, 16. pæ, de qua Jacobus ait apostolus : Confitemini alterutrum peccata vestra.

Debemus ergo Christum confiteri mente et ore, imo et opere, coram cunctis. Aliqui vero fide informi et ore inani coram fidelibus Christum Dominum confitentur,
Tit. I, 16. sed opere negant, juxta illud : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. Factis quippe (secundum Glossam) negat Christum, qui ejus jussionibus non obedit.

9 *Qui autem negaverit me coram homini-* D
bus, id est, fidem christianam, seu me, coram persecutoribus timore quodam verbis negaverit; aut factis, peccando mortaliter, negans me fuerit; *denegabitur coram angelis Dei,* id est, ego omnium judex protestabor, tam in particulari ejus judicio, quam in generali omnium judicio, non pertinere eum ad me per prædestinationem et meritum. Quod intelligendum est de Christi negatione finali, de qua homo ante mortem non pœnitet, non de negatione quæ per contritionem deletur : sic enim Petrus negavit.

Et omnis qui dicit verbum in Filium 10
hominis, remittetur illi; ei autem qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur. Locus iste, secundum Augustinum, ita difficilis est, ut vix in tota Scriptura canonica aliquid difficilius inveniatur. Denique, ut ejus difficultas eluceat, advertendum quid alii Evangelistæ conscribant. Itaque in Matthæo scriptum
est : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Porro in Marco *Matth.* XII, 31, 32.
scriptum est : Omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiæ, quibus blasphemaverunt; qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Itaque ex verbis his non explanatur, sed potius difficultatur verbum Lucæ jam exponendum. Non enim sic intelligenda sunt verba Evangelistarum expressa, quasi peccata quædam mortalia de quibus in hac vita homo contritus non est, post vitam hanc dimittantur, ita quod pœna inferni aliquando finiatur; nec rursus ita sunt intelligenda, quasi aliquod peccatum quantumlibet grave sit, absolute loquendo, viatoribus irremissibile, quia tota hæc vita via est ad vitam futuram, et in quacumque hora ingemuerit peccator condigne ex corde, Deus indulget. *Marc.* III, 28, 29.

Igitur iste est sensus : *Omnis qui dicit verbum in Filium hominis,* id est, opera Christi humana blasphemaverit ex consideratione naturalis imperfectionis suæ humanitatis, sicut fecerunt Judæi dicentes de Christo : Homo vorax, potator vini, amicus peccatorum; *remittetur illi,* id est, ex se causam habet remissibilitatis, quia quodammodo excusabilitatis aliquid habet, propter naturalem defectuositatem naturæ creatæ. Vel sic : Omnis qui dicit ver- *Matth.* XI, 19.

bum in Filium hominis, id est, qui ex ignorantia peccaverit, quæ opponitur sapientiæ, quæ appropriatur Filio Dei; remittetur illi, id est, peccatum ejus præfatum remissibilitatem habet, et pœnitenti satis facile remittetur, ignorantia namque partim excusat, si affectata non sit. Propter quod Paulus ad Timotheum inquit : 1 *Tim.* 1, 13. Ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Et paulo post in hoc capi- vers. 48. tulo ait Salvator : Servus qui non cognovit voluntatem domini sui et fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Ei autem qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit*, id est, ex certa malitia aut ex contemptu eorum quæ peccata impediunt, in peccatum processerit [*non remittetur*]. Taliter enim peccans, dicitur in Spiritum Sanctum peccare, quia malitia contrariatur bonitati, quæ Spiritui Sancto appropriatur. Proprie tamen, secundum Thomam, dicitur peccatum esse in Spiritum Sanctum, quia est ex contemptu eorum quæ peccata impediunt, ut sunt timor divinæ justitiæ, et spes divinæ misericordiæ.

Denique secundum Augustinum, sex sunt peccata in Spiritum Sanctum, quæ etiam proprie appellantur species peccati in Spiritum Sanctum, videlicet : præsumptio, desperatio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, et invidentia fraternæ gratiæ : quorum distinctio sumitur penes ea, vel penes contemptum eorum per quæ homo a peccati electione retrahitur. Quorum quædam sunt ex parte divini judicii, quædam ex parte donorum Dei, quædam ex parte peccati. Avertitur namque homo a peccato, considerando judicium Dei, in quo comprehenduntur misericordia atque justitia : et ex consideratione misericordiæ oritur spes; ex consideratione autem justitiæ, timor. Quum ergo peccator tollit a se spem, de misericordia Dei diffidendo, dicitur desperatio; quum vero timorem abjicit, dicitur præsumptio, dum aut præsumit gloriam sine meritis, aut veniam sine pœnitentia adipisci. Dona vero Dei quibus a peccato retrahimur sunt duo, A videlicet : agnitio veritatis : contra quam est impugnatio veritatis agnitæ, dum homo agnitam fidei veritatem impugnat, ut licentius peccet. Aliud est gratiæ interioris auxilium : contra quod est invidentia gratiæ fraternæ, dum homo, non solum personæ proximi sui, sed gratiæ Dei in eo est invidens. Ex parte quoque peccati sunt duo per quæ homo a peccato retrahi debet. Primum est inordinatio seu turpitudo peccati : et contra hoc est impœnitentia, non secundum quod dicit permanentiam B in peccato usque in finem, quia sic est communis circumstantia culpæ; sed prout dicit propositum non pœnitendi. Aliud est parvitas ac brevitas boni quod in peccato optatur : et hoc removetur per obstinationem, qua quis in se firmat propositum inhærendi peccatis. Hæc est distinctio peccatorum in Spiritum Sanctum, secundum Thomam in secunda secundæ, quæstione 14, ubi de ista materia pulchre scribit : quorum multa, brevitati studens, omitto.

C Dicit demum Richardus de S. Victore : Quædam peccata hominum specialiter pertinent ad corruptelam propriam, ut ebrietas et stupra; quædam vero ad injuriam proximi, ut homicidia, furta; quædam autem ad contumeliam Dei, sicut blasphemia : sed quidam hanc incidunt ex coactione et infirmitate, et hi peccant in Patrem; alii ex deceptione, qui peccant in Filium; alii ex sola malignitate, et hi peccant in Spiritum Sanctum. Est autem hoc genus sceleratissimum, in quo malitia cre- D vit usque ad summum, quando quis in vituperiis Dei delectatur et gloriatur. Hinc secundum Glossam, Spiritus Sancti blasphemia est, quum quis opera Dei magnifica intelligit; et quum virtutem negare non possit, stimulatus invidia, calumniatur, adscribens ea diabolo quæ Spiritus Sancti potestate geruntur.

Postremo, si inquiratur quomodo peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile asseratur, quum de nullo viatore, si voluerit pœnitere, sit desperandum : di-

Digitized by Google

cendum, quod quantum ad illam hujus peccati speciem quæ finalis impœnitentia nominatur, irremissibile est omnino, quia nec in præsenti sæculo nec in futuro dimittitur; sed quantum ad alias ejus species irremissibile dicitur, non quia remitti non possit, sed quia difficulter remittitur : non ex parte Dei, cujus misericordia est immensa et infinita potentia, sed ex parte hominum, qui de hujusmodi peccato raro difficulterque pœnitent. Postremo, ut aliqui dicunt, irremissibile tripliciter dicitur, scilicet negative, privative, contrarie. Negative, quod nullo modo est remissibile, ut peccatum dæmonum et omnium damnatorum. Privative, quod non habet aptitudinem ut remittatur : sic omne peccatum mortale est irremissibile. Contrarie, quod habet dispositionem contrariam remissibilitati : sicque peccata in Spiritum Sanctum irremissibilia perhibentur, quia excludunt et spernunt ea per quæ remissio fit culparum, videlicet misericordiam, gratiamque divinam. — Hoc quoque sciendum, quod quolibet peccato tota superbenedicta Trinitas æqualiter offenditur; sed quædam peccata dicuntur contra Patrem, quædam contra Filium, quædam contra Spiritum Sanctum, per appropriationem propter causam præhabitam.

Sed quia tam horribiliter comminatus est Christus negantibus eum, consequenter præstat fiduciam, auxiliumque promit-
11 tit fidelibus suis. *Quum autem inducent vos,* scilicet tyranni ac perfidi, *in synagogas,* id est ad publicos suos conventus, ut multitudine sua vobis timorem incutiant, *et ad magistratus,* id est principes Synagogæ, quemadmodum Christum et Apostolos induxerunt Judæi, *et potestates,* id est ad præsides sæculares; *nolite solliciti esse,* id est formidolosi aut anxii, *qualiter aut quid respondeatis :* ita nec de modo respondendi, nec de inventione responsi sitis perplexi; *aut quid dicatis* pro fidei defensione et adversariorum confutatione.
12 *Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora,* quum adducti fueritis coram fidei inimicis, *quæ oportet dicere,* id est, prompta, sapientialia, atque constantia vobis inspirabit responsa : quia hoc bellum non est vestrum, sed Dei; estque supernaturale, in quo infirmitas humana potissimum indiget ope divina. Quam verissima fuerit hæc Christi promissio, et quam innumerabiliter ac copiosissime sit impleta, abundantissime patet in Sanctorum legendis, et in viris ac feminis pro Christo martyrizatis est superplene ac gloriosissime adimpleta : sicut in beatissimis Apostolis, atque in S. Laurentio, Vincentio, aliisque innumeris, qui etiam naturaliter rudes et idiotæ fuerunt. Præclarissime tamen in sanctis puellis ac feminis constat eam esse completam, sicut in sacratissima Catharina, Agatha, Agnete, etc., in quibus fuit evidentissimum opus Divinitatis omnipotentis, quod tam prompte ac sapientialiter responderunt, tamque imperterrite et constantes permanserunt.

Insuper Christus avaritiam docet esse
vitandam. *Ait autem ei,* scilicet Christo, 13
quidam de turba : Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem, id est, justam faciat hereditariorum bonorum
nostrorum divisionem inter se et me. *At* 14
ille dixit ei : Homo, quis me constituit judicem aut divisorem temporalium facultatum *inter** *vos,* id est inter te et fratrem tuum ? Christus hunc reprehendit, quia cor ejus intendit seu vidit. Quamvis enim talis divisio licite possit peti, Salvator tamen mentem hujus inspiciens, cognovit quod ex avaritia id petivit, prout ex verbis claret sequentibus. Iterum, redarguit eum, quia istam divisionem non congruo tempore postulavit, interrumpendo Christi prædicationem de rebus spiritualibus ac divinis tractantem, per propositionem hujus causæ terrenæ, et temporalium causam tractatui divinorum miscendo. Rursus, redarguit eum, quia petivit a Christo quod ad ipsum Christum non pertinebat, videlicet temporalium rerum causas discutere, et per hoc divina saltem

* super

ad tempus omittere, quum Christus idcir- A
co in summa venerit paupertate, ut doceret terrena propter cœlestia derelinqui. Hinc ait Ambrosius : Non dignatur judex esse litium aut arbiter facultatum, qui vivorum et mortuorum habet judicium. Venit enim Salvator in spiritualibus, non in temporalibus determinare atque discernere. Quo exemplo realiter docuit et implevit quod postea ad Timotheum Paulus
II *Tim.* II, 4. conscripsit : Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis. Nec voluit Christus intermittere spiritualia propter temporalia. Quod secuti sunt sancti Apostoli,
Act. VI, 2. dicentes illud Actuum : Non est æquum nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Cujus contrarium faciunt multi jam sacerdotes atque canonici, qui propter occupationes terrenas etiam eis non necessarias, omittunt prædicationes, et Missas, ac orationes diversas. Unde ex his verbis factoque Christi, deberent prælati exemplum accipere, ne judicia sæcularium frequentarent, imo judicia temporalium aliis delegarent, quemadmodum Corin-
I *Cor.* VI, 4. thiis scribit Apostolus : Sæcularia judicia si habetis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia constituite ad judicandum.

Denique Christus dicendo, Homo, sumit nomen hominis prout sonat in vitium, puta in terrenitatem et carnalitatem, quem-
Ibid. III, 3. admodum et quum ait Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem am-
Galat. I, 10. bulatis ? Itemque : Si hominibus placerem, Christi servus non essem.

15 *Dixitque ad illos,* scilicet ad universos qui aderant : quoniam avaritia quam prohibere volebat, commune est vitium clericorum ac laicorum, ac seniorum ac ju-
Is. I, 23. niorum, juxta illud Isaiæ : Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Jeremias
Jer. VI, 13. quoque : A minori usque ad majorem, omnes avaritiæ student. Magis tamen solet hoc vitium regnare in senioribus. *Videte,* per intellectualem considerationem, *et cavete,* per doctrinæ meæ adimpletionem, *ab omni avaritia,* mente et actu illam vitando : quia quo quis ad temporalia magis inordinate afficitur, eo a divino amore et Creatore altissimo vehementius elongatur, et corde deorsum premitur, atque in infimis excæcatur. — Avaritia vero est immoderatus amor temporalium divitiarum. Quum itaque corporalia et terrena ad spiritualia ordinentur sicut ad finem, in tantum possunt amari, appeti et exquiri, quantum sunt homini necessaria ad vivendum in Dei obsequio, et ad prosequendum rationis judicium. Propter quod
B dicit Apostolus : Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus. I *Tim.* VI, 8.
Porro, quam detestanda sit avaritia, pandit Apostolus : Omnium malorum radix est *Ibid.* 10.
cupiditas. Et rursus, avaritiam idolorum *Ephes.* V, 5.
nominat servitutem. Propterea in Ecclesiastico scriptum est : Avaro nihil scele- *Eccli.* X, 9, 10.
stius; nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim animam suam habet venalem. Itaque cavendum est ab omni avaritia, scilicet tam mobilium quam immobilium, a parva et magna, quoniam par-
C va disponit ad magnam : estque vitanda avaritia, tam in acquirendo, quam in conservando et in erogando. — *Quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet.* Ordo verborum est iste : Avaritiam omnem, quia non in abundantia cujusquam, id est non in opulentia alicujus ex his quæ possidet, utpote temporalium rerum, consistit vita ejus. Opulentia enim temporalium rerum non facit hominem diutius vivere : imo frequenter occasio est quod dives citius moritur, eo
D quod suis abutens divitiis, crapulose se habeat, vitamque gratiæ perdat, et exigente divina justitia, propter sua peccata citius ab hac vita tollatur. Hinc Seneca contestatur : Quæris quis sit divitiarum modus ? Primo, habere quod naturæ est ; secundo, quod satis est. Nulli potest secura vita contingere, qui de providenda re nimis cogitat.

Præterea, quia in moralibus documentis plus conferunt particularia quam generalia dicta, magisque movent audientium

Digitized by Google

corda particularia exempla quam commu- A
nia monita ; idcirco Salvator exemplum
ponens, similitudinem introducit : quæ ta-
men potuit esse res gesta, imo frequenter
16 id contingit. *Dixit autem similitudinem*
ad illos, dicens. Talis ingeminatio in lo-
quendo, frequens est in veteri Testamen-
to, ut quum in libris Regum Dominus ait
I Reg. II, 30. ad Heli : Loquens locutus sum, etc. *Ho-*
minis cujusdam divitis, in temporalibus
rebus, sed in spiritualibus inopis, *ube-*
res, id est copiosos, *fructus ager attulit,*
id est produxit. Occulto nempe ac justo B
Dei judicio, mali et reprobi in hoc sæcu-
Ps. LXXII, 2, 3. lo prosperantur, juxta illud Psalmi : Mei
autem pene moti sunt pedes, quia zelavi
super iniquos, pacem peccatorum videns.
Verumtamen, Deus naturaliter infiniteque
bonus ac pius, temporalia ista largitur
iniquis, ut quantum in se est, per muni-
ficentiam suam trahat eos ad sui imitati-
onem, ad gratiarum actionem, ad liberali-
Luc. VI, 36. tatem, ut sint misericordes egentibus, sicut
Pater cœlestis ipsis misericors est, sint-
que liberales in dando, non tenaces in C
reponendo, sicque ad summi benefactoris
inflammentur amorem, et ei gratiarum ac-
tionem rependant perpetuam. Sed, heu !
multi beneficiis Dei prorsus ingrati con-
trarium agunt, et quo plura habent aut
adipiscuntur, eo cupidiores redduntur :
quibus instar hydropicorum sitis ex po-
tu crescit, secundum Gregorium. Quorum
unus fuit hic dives. Nam subditur :

17 *Et cogitabat intra se, dicens : Quid fa-*
ciam? Quo verbo exprimitur anxia ejus in
temporalibus sollicitudo. Divitiarum nam- D
que possessio sollicitudinem gignit pœ-
nalem, multiplicemque timorem. Propter
quod asserit Augustinus : Dives avarus for-
midat omnem hominem : nam videt divi-
tem, et putat prædonem ; videt pauperem,
et suspicatur furem. *Quod,* id est quia,
scilicet ex hoc quod, *non habeo quo con-*
gregem fructus meos. Secundum suam
excæcationem ex avaritia ortam hoc dixit.
Si enim illuminatæ mentis fuisset, scivis-
set utique ubi fructus suos saluberrime
colligere potuisset. Ideo Rabanus ait : Men-
titur ; nam horrea parata, sunt pauperum
esurientium ventres. Sed nesciebat iste
dives cogitare nisi de congregatione tem-
porali, non de cœlesti, cujus horrea sunt
pauperes.

Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea 18
mea, et faciam majora ; et illuc congre-
gabo omnia quæ nata sunt mihi in anno
præsenti, *et bona mea* ex annis priori-
bus habita atque residua. Hoc est terrenæ
sapientiæ consilium, de qua ait Aposto-
lus : Prudentia carnis, mors est. Quocontra *Rom.* VIII, 6.
consilium æternæ sapientiæ habetur in
Matthæo : Nolite thesaurizare in terra. De- *Matth.* VI, 19.
nique iste avarus et omnes iniqui, quo-
niam summo et incommutabili bono, vide-
licet supergloriosissimo Creatori, ejusque
spiritualibus donis ac gratiis præferunt at-
que præeligunt ista terrena, carnalia at-
que caduca ; idcirco talia vocant et repu-
tant bona sua potius quam spiritualia et
divina : quum tamen bona hominis secun-
dum quod homo est, sint bona spiritualia
et interna, non carnalia et terrena, dicente
Ambrosio : Non sunt bona hominis, quæ
secum ferre non valet. Gregorius quoque
testatur : Non est hominis terrena posses-
sio, sed cœlestis. Refert Valerius de quo-
dam philosopho, qui quum evasisset in-
cendium, ait : Ego nil perdidi ; bona mea
mecum sunt : animo enim illa porto, non
humeris. Itaque corporalia non sunt ho-
minis bona, nisi secundum quod ei ne-
cessaria ac adminiculatoria sunt ad spiri-
tualia bona : ideo tantum appeti possunt
et possideri, quantum necessaria atque uti-
lia sunt ad spiritualia obtinenda. Propter
quod ait Apostolus : Habentes victum et *I Tim.* VI, 8.
quibus tegamur, his contenti simus.

Et dicam animæ meæ, id est mihi ipsi. 19
Anima namque est principalior pars ho-
minis : ideo pro toto homine ponitur. Et
aliqui dicunt materiam non esse de es-
sentia materialium ac naturalium rerum.
Anima, habes multa bona posita in annos
plurimos, id est copiosas divitias, de qui-
bus per multos annos laute vivere potes.

Digitized by Google

Hæc est una cæcitas avarorum, quod sibi longam in hoc sæculo vitam promittunt, aut superesse existimant : sicque loquantur quasi diu victuri, quum de crastino sint incerti. Contra quem modum loquendi incautum scribit S. Jacobus in sua
Jacob. IV, 13-16. Canonica : Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur et lucrum faciemus : qui ignoratis quid sit vobis futurum in crastino. Quæ enim est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis, Si Dominus voluerit et si vixerimus, faciemus hoc aut illud ; nunc autem exsultatis in superbiis vestris.

Præterea S. Basilius ait : Si fateris temporalia tibi divinitus provenisse, an injustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens? Cur tu abundas, ille vero mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille vero patientiæ bravio decoretur? At tu nonne spoliator es, qui quæ dispensanda suscepisti, propria reputas? Est panis famelici quem tu tenes, nudi tunica quam in conclavi conservas, discalciati calceus qui penes te marcescit, indigentis argentum quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus injuriaris, quot dare valeres. Hæc eadem scribit S. Ambrosius, quæ valde pensanda sunt cunctis divitibus, potissimum clericis, qui multa aut pinguia beneficia habent, et de patrimonio Crucifixi, bonisque pauperum recondunt thesauros, lauta parant cibaria, diversaque fercula, pretiosa quoque ac plurima vestimenta. Quod quantæ sit impietatis, quanti sacrilegii, quam incomprehensibilis damnationis, ex præinductis S. Basilii verbis, clarius vero ex dictis sanctorum patrum Hieronymi et Bernardi probatur.

Requiesce a labore, et otiositatibus vaca : quum tamen otia dent vitia. Sic et de
Ps. LXXII, 5. reprobis ait Psalmista : In labore hominum non sunt. Verumtamen primo dictum
Gen. III, 19. est homini post peccatum : In sudore vultus tui vesceris pane tuo. *Comede, bibe,*

A *epulare.* Ecce qui spirituales ignorant delicias, qui non delectantur in Deo, qui in spiritualibus exercitiis non exsultant, in carnalibus rebus atque oblectamentis summum suum ponunt solatium ac ultimum finem, bestiis similes, imo incomparabiliter pejores ac viliores. Tanguntur autem hic quatuor vitia divitias concomitantia, scilicet : otiositas, ibi, Requiesce ; gulositas, ibi, Comede ; ebrietas, ibi, Bibe ; comessationis celebritas, ibi, Epulare. Postremo, sicut gulosi malunt ventrem suum B in tantum replere, ut non solum saluti animæ, sed et corporis noceat sanitati ; ita avari malunt in horreis blada sua putrescere, quam pauperibus erogare.

Dixit autem illi Deus. Dum enim dives 20
avarus sibi ipsi in abdito loquitur, eloquia ejus in cœlo examinantur, judicantur et reprehenduntur. *Stulte.* Stultus verissime est omnis peccator in mortalibus vitiis manens : Primo, quoniam æternæ sapientiæ non consentit neque obedit, sed potius per inobedientiam contrariatur, dum di- C vina præcepta transgreditur. Secundo, quoniam illa sapientia quæ est donum Spiritus Sancti, caret, et stultitia puerilitatisque vitio adimpletur : estque similis puero qui poma et pira, auro et gemmis præeligit, quia sic ipse spiritualibus et æternis, transitoria atque carnalia præfert. Tertio, quoniam animam suam incessabiliter vulnerat, odit, imo æternæ damnationis exponit periculis. Quid enim sunt peccata, nisi animæ vulnera? Et qui diligit iniquitatem, *Ps.* X, 6.
odit animam suam, quia hoc vult quod D animæ suæ maxime est nocivum. Quarto, quia atrocissimis suis hostibus, puta dæmonibus, se subjicit et consentit, eosque per suam impiam lætificat vitam, angelicæ vero inspirationi non præbet assensum. Quinto, quia quotidie posset in spiritualibus tantum proficere, atque æternam sibi felicitatem augere : et tamen vice versa, omni spirituali neglecto profectu, quotidie se in spiritualibus efficit pauperiorem, et a vera beatitudine distantiorem. Nonne hæc agere, et taliter se

Digitized by Google

habere, est summæ insaniæ, imo infinitæ A stultitiæ ?

Hac nocte animam tuam repetent a te, id est, a corpore tuo egredi exigent exactores durissimi, puta dæmones, quibus servisti, atque peccando tuam animam vendidisti, dum pro delectatione ab eis oblata, te ipsum illorum dominationi obligasti ac subdidisti : propter quod Deus justus et sanctus illos licentiat, ut animam tuam eis obligatam requirant, secumque pertrahant in infernum. Denique, de hoc verbo scribit Gregorius in Moralibus super B Job : Eadem nocte sublatus est qui multo tempore fuerat præstolatus, ut qui in longum sibi temporalia congregavit, unum diem sequentem nequaquam videret. Dicit autem, Repetent a te : exposcebant enim eam forsitan terribiles quædam virtutes ad hoc missæ : quoniam si de civitate in civitatem migrantes indigemus ductore, multo magis anima absoluta a corpore, et ad futuram vitam transmigrans eget ducatu. Et ob hoc multoties recusat anima, et regreditur in profundum, quum debet C exire a corpore. Semper enim stimulat nos conscientia peccatorum, sed præcipue quum debemus trahi ad terribile Dei judicium. Tunc enim tota congeries criminum innovatur, et præ oculis posita, percutit mentem. Et sicut incarcerati semper dolorosi sunt, tunc autem præcipue quum debent judici præsentari ; sic et anima, maxime in ipso tempore egressionis instantis, de peccato cruciatur ac dolet, multoque magis quum fuerit evulsa. Recte insuper dicitur anima impii nocte evulsa, quia in D vitiorum suorum obscuritate est deprehensa, et lucem saluberrimæ considerationis abjecit, per quam mortis suæ horam præcogitare parareque debuit. Postremo, secundum Glossam, dicere Dei ad hominem vitiosum, est pravas ejus operationes subita districtione æquitatis compescere.

Quæ autem parasti, cujus erunt ? id est, divitiæ tuæ cui manebunt ? Imo sæpissime accidit ut defuncti damnatio atque punitio augeantur propter iniquitatem abutentium suis divitiis, eo quod materiam peccandi illis paravit ac dereliquit. Itaque illorum peccata in ipsum redundant. Hinc de homine vano, veræ sapientiæ illustratione privato, ait Psalmista : Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. (Ps. xxxviii, 7.) In Ecclesiastico quoque scriptum est : Est qui locupletatur et dicit, Inveni requiem (Eccli. xi, 18-20.) mihi, et manducabo de bonis meis solus ; et nescit quod tempus prætereat illum, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et moriatur.

21 *Sic est qui sibi thesaurizat,* id est, præfato diviti avaro et fatuo coram Deo similis est in culpa, et par erit in pœna, qui sibi temporalia cupide colligit, nec ea egenis communicat, *et non est in Deum dives,* id est, caritate Dei infusa, ceterisque spiritualibus donis Spiritus Sancti atque virtutibus caret. Veræ enim hominis divitiæ sunt virtutes et merita sanctitatis : per quæ Deus fit ejus possessio, et æternam beatitudinem sibi habet repositam ac paratam, ita quod dicere potest illud Threnorum : Pars mea Dominus, dixit anima (Thren. iii, 24.) mea, propterea exspectabo eum ; et illud : Dominus pars hereditatis meæ. (Ps. xv, 5.) Hinc Beda testatur : Qui vult esse dives in Deo, non thesaurizet, scilicet privatæ utilitati, sed pauperibus possessa distribuat. Ambrosius quoque ait : Nostra temporalia ista non sunt, quæ nobiscum auferre non possumus. Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quæ defunctis tabernacula promeretur æterna. De hac divitum periclitatione ait Psalmista : Turbati sunt omnes insipientes corde, (Ps. lxxv, 6.) dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIII

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS HUJUS CAPITULI DUODECIMI, A LOCO QUO DICITUR : DIXITQUE AD DISCIPULOS SUOS.

POSTQUAM Christus docuit immodera- A
tum affectum temporalium esse vi-
tandum, jam docet etiam sollicitudinem
inordinatam necessariorum funditus ex-
stirpandam : nam et sollicitudo necessa-
riorum frequenter inducit sollicitudinem
22 superfluorum. *Dixitque ad discipulos su-
os.* Illos quippe de hac re specialiter in-
struit, et ad mundi invitat contemptum,
quia futuri erant prædicatores hujus evan-
gelicæ perfectionis ac legis, atque magistri
totius mundi : idcirco oportuit eos ista
primo perfecte implere, prout de Christo B
Act. I, 1. scriptum est, Cœpit Jesus facere et doce-
re. Prædicanti namque et non agenti ait
Rom. II, 21. Apostolus : Qui alium doces, te ipsum non
doces? *Ideo,* id est, quia taliter, sicut jam
dixi, contigit diviti avaro, *dico vobis.* Fe-
lix enim quem faciunt aliena damna pe-
ritum. *Nolite solliciti esse animæ vestræ,*
id est vobis seu vestræ personæ : ponendo
partem pro toto, ut dictum est præcedenti
articulo. Vel, Animæ vestræ, id est vitæ
vestræ animali, vel animæ proprie dictæ,
quæ indiget cibo, potu et vestibus, non C
in quantum est intellectualis ac spiritua-
lis essentia, sed in quantum est corpo-
ris forma, illud conservans in vita cor-
porea, quæ sine alimentis et tegumentis
non conservatur. Anima quoque in corpo-
re posita est, ut quamdiu in eo consistit,
virtutibus se ipsam exerceat : quod im-
plere non valet, nisi corpus suum cibo
ac necessariis sustentetur, ipsa quoque il-
li talia administret : sicque indiget illis.
*Quid manducetis ; neque corpori vestro
quid induamini,* id est, neque de alimen- D
tis neque de vestimentis sitis solliciti.

Quocirca sciendum, quod est sollicitudo
quædam inquietudinem gignens in ani-
ma, et ex diffidentia quadam proveniens,
seu immoderationem includens, qua quis
anxie circa aliquid occupatur, quasi non
esset providentia Dei : et de ista potissi-
mum Christus nunc loquitur. De qua etiam
ad Philippenses Apostolus dicit, Nihil sol- Philipp. IV, 6.
liciti sitis ; et in Proverbiis Salomon lo-
quitur, Exspectatio sollicitorum peribit. Prov. XI, 7.
Alia est sollicitudo prudentiæ : et sic circa
exteriora ordinate sollicitari, ea ad spiri-
tualia ordinando, Christus permittit ; imo
et quibus ex officio incumbit, meritorium
est hoc ipsum. De hac sollicitudine dixit
Salvator ad Martham : Sollicita es, et tur- Luc. X, 41.
baris erga plurima. De qua Apostolus, Sol- Galat. II, 10.
licitus (inquit) fui hoc ipsum facere : ut-
pote sanctis pauperibus qui in Jerusalem
erant, eleemosynas congregare. Tertia est
sollicitudo spiritualis, quæ est diligentia
cordis circa divina charismata, et ut Deo
complaceatur : quæ est valde laudanda. De
qua in Michæa habetur : Indicabo tibi, Mich. VI, 8.
quid sit bonum : utique sollicitum ambu-
lare coram Deo. Et in Deuteronomio : Cu- Deut. IV, 9.
stodi temetipsum et animam tuam solli-
cite. Præterea, quamvis Christus prohibeat
sollicitudinem, non tamen laborem, quum
scriptum sit : Labores manuum tuarum Ps. CXXVII, 2.
quia manducabis, beatus es et bene tibi
erit. Et Apostolus dixit : Qui non laborat, II Thess. III, 10.
non manducet.

Deinde legifer noster ponit rationem cur
vitanda sit sollicitudo prædicta, per quam
libertas mentis in Deo, et quieta devotio,
stabilisque profectus in spiritualibus ma-
xime impediuntur. *Anima plus est quam* 23
esca, id est majoris dignitatis, quum sit
immortalis, vitalisque forma, et rationalis

sui Creatoris imago; *et corpus plus* est, id A
est dignius, *quam vestimentum*. Corpus
namque est instrumentum seu organum
animatum, conjunctum, immediatum ac
proprium animæ. Itaque, qui absque nostra sollicitudine nobis corpus et animam dedit, de cibo et vestimentis sine præfata sollicitudine in se sperantibus providebit.

Deinde aliam rationem inducit, in qua sicut et supra, arguit quasi per locum a
24 majori. *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, et Deus pascit* B *illos,* quia per divinam providentiam necessaria victui inveniunt et procurant. *Quanto magis vos pluris,* id est majoris valoris seu dignitatis, *estis illis* irrationalibus creaturis, quum sitis intellectualis naturæ? Ergo si Deus illis de necessariis providet, etiam vobis potius providebit, si in ipso sperantes fueritis, immoderata sollicitudine spreta. Non tamen discreta provisio reprobatur, quia et aves necessaria quærunt. Porro, secundum Theophilum *, (* Theodoretum) specialis de corvis fit mentio, quoniam C pullos corvorum Deus speciali providentia alit. Nam corvi pariunt, sed pullos suos non nutriunt : quibus pullis miro modo ab aere pabulum quadam aura allatum ad os pervenit, quod hiantes suscipiunt. Aliqui quoque affirmant, quod corvus cernens pullum suum plumis albescere, tanquam non suum relinquit ; sed alitur pullus rore cœlesti aut quibusdam vermiculis circa os suum volantibus. Constat itaque quod providentia Dei usque ad irrationalia, imo usque ad infima quæque D pertingit, et universa includit. Unde in libro Job habetur (*Job* xxxviii, 41.) : Quis præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum vagientes, eo quod non habeant cibos? Itemque in Psalmo (*Ps.* cxlvi, 9.) : Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum; et rursus (*Ps.* ciii, 27.), Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore.

Insuper tertium argumentum adducit.
25 *Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* quasi dicat : Certum est quod nullus vestrum potest corporis sui naturalem staturam sola cogitatione augere, nec sola nutritione, sed divina provisione corpus
mensuram sortitur augmenti. 26
Si ergo neque quod minimum est potestis, id est, si agere non valetis hoc quod in se valde parvum est, et Deo facillimum, utpote aliquid augmenti staturæ adjicere cogitando, volendo aut imperando, seu brevissimam horæ morulam vitæ apponere; *quid de ceteris solliciti estis,* videlicet de necessariis corpori? tanquam dicat : Creatori talem curam relinquite. Denique, sicut maxima opera animæ, sunt operationes virium intellectivarum, quia cognitione et electione reguntur; magna vero ipsius opera, sunt operationes virium sensitivarum, quia cognitione reguntur; minima vero, operationes virium vegetativarum, quoniam naturali necessitate reguntur : sic maxima opera Dei, sunt opera gloriæ; magna vero, sunt opera gratiæ; minima autem opera naturæ.

Insuper idem probat Salvator consideratione inanimatorum, quibus Deus necessaria providet; ergo et hominibus sibi obedientibus providebit sine eorum sollici-
tudine immoderata. *Considerate lilia agri,* 27
quomodo crescunt, sine humani cultus labore; *non laborant* ut incrementum plenum acquirant, *neque nent* ut decorentur. *Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua,* id est, in statu suo inclyto et famoso, *vestiebatur sicut unum ex istis* liliis agri, id est, tam speciose ornatus non est vestibus quibuscumque, sicut lilium suo ornatur colore, ceterisque quibus superficie tenus decoratur. Quamvis enim ars imitatur naturam, non tamen potest æquari eidem. Nec mirum si Deus pulchrius vestiat, quam homo unus alium queat vestire. Apte quoque de Salomone fit mentio, quia divitiis, et deliciis, ac sapientia ad excogitandum decora, plurimum abundavit. (III *Reg.* iii, iv.)

Si, pro quia, *autem fœnum quod hodie* 28
in agro est. Quidam per fœnum intelligunt

lilium agri, secundum quod fœnum vocatur quodlibet hujusmodi germen terræ. Alii per fœnum intelligunt herbam seu gramen. Unde in Genesi, ubi nostra trans-
Gen. I, 11. latio habet, Producat terra herbam; alia continet, Producat terra fœnum. *Et cras,* id est paulo post, seu in futuro. Sicque in veteri Testamento frequenter accipitur Cras : ut quum in Deuteronomio Moyses
Deut. VI, 20. ait, Si interrogaverit te filius tuus cras. In
Gen. XXX, 33. Genesi quoque Jacob testatur : Cras respondebit mihi justitia mea. *In clibanum mittitur,* quum scilicet fuerit desiccatum et apta materia ignis. *Deus sic vestit,* id est, colore et aliis tam pulchre ornat. *Quanto magis vos?* id est, multo plus vobis de vestimento providebit, si confidatis in eo, o homines *pusillæ,* id est modicæ, *fidei,* quia tam proni estis ad diffidendum de provisione divina : quod constat per hoc, quod tam sollicite atque superflue vobis
I Petr. V, 7. temporalia providetis. Hinc Petrus : Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.
Hebr. XIII, 5, 6. Et ad Hebræos Paulus : Sint mores sine avaritia contenti præsentibus. Deus enim
Josue I, 5. dixit : Non te deseram neque derelinquam.
Ps. CXVII, 6. Ita ut confidenter dicamus : Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mi-
Ps. XXXIX, 18. hi homo. Et Psalmista fatetur : Dominus
Ps. LIV, 23. sollicitus est mei; itemque, Jacta, inquit, super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. O quam multi qui religiosi videntur, contra hanc Christi agunt doctrinam, non cessantes circa temporalia augenda sollicitari, in alimentis et vestimentis, non solum necessitati, sed et voluptati ac curiositati satisfacere, et ita terrena accumulare, quasi non esset vita post hanc vitam!

Itaque ex præinducta irrationalium provisione, inanimatorumque decoratione, clare ostenditur providentia Dei ad cuncta pertingere. Hinc quinto de Civitate Dei asserit Augustinus : Deus nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium, sine suarum convenientia

A partium et quadam veluti pace reliquit. Hugo quoque, libro de Tribus diebus, disseruit : Est verum et evidens divinæ sapientiæ argumentum, quod omne genus simile sibi procreat, et in tam multis similitudo una propagata, primæ originis formam non variat. Unumquodque suam speciem habet, et unumquodque generis sui similitudinem servat. Vide folium, quomodo serratis dentibus per gyrum distinguitur, quomodo intrinsecus productis costulis huc illucque intexitur. Numera
B unum, numera aliud. Omne quod unius est generis, unius invenies similitudinis : tot dentes in uno, quot in alio; tot costulas in uno, quot in alio; talem colorem et formam in uno, qualem in alio.

Insuper ex horum contemplatione subtili, quidam præclari philosophi attenderunt et conscripserunt providentiam Dei sublimis et benedicti usque ad inferiora ac ima pertingere. Propter quod decimo de Civitate Dei asserit Augustinus : Plotinus Platonicus de providentia disputans,
C eam a summo Deo, cujus est intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, usque ad hæc terrena et ima pertingere, ex flosculorum ac foliorum pulchritudine comprobat : quæ omnia quasi abjecta et velocissime pereuntia, decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, ubi forma intelligibilis et incommutabilis simul exempläriter habens omnia, perseverat. Hinc etiam Beda : Quæ, inquit, purpura regum, quæ pictura textricum, potest floribus in
D pulchritudine comparari?

Postremo, si Deus gloriosus et felix, rebus tam vilibus tantum impressit decorem, ut in pennis patet pavonis : quam superexcellens, incomparabilis et immensa est pulchritudo ipsius in se ipso, quamque delectabilissima ad videndum? Idcirco ut eam nunc per fidem et sapientiæ donum, deinde per speciem intueri simus dispositi, mentem ab omni labe peccati mundemus. Etenim beati mundo corde, Matth. V, 8.
quoniam ipsi Deum videbunt, cujus pul-

Digitized by Google

chritudinem intueri, vera et plena felicitas est omnis mentis creatæ.

Denique, ut prædicta Christi documenta nobis magis inhæreant, ipse ea resumit.
29 *Et vos, nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis.* Istud tamen aliqui dicunt ad exteriorem actum referri, ut non solum interiorem sollicitudinem immoderatam vitemus, sed etiam actus importunos ex ea manantes, quibus aliqui circa prædicta corporalia agitantur. Vel, secundum Glossam, quod hic dicitur, potius referendum est ad ciborum qualitatem, quam ad eorum substantiam. Præterea circa cibum et potum sex modis peccamus : primo, nimis ardenter desiderando ; secundo, curiose et laute parando; tertio, ante tempus congruum manducando ; quarto, superflue sumendo; quinto, indisciplinate edendo; sexto, delectationem carnalem in eis quærendo.

Et nolite in sublime tolli, id est superbire et ambitiosi esse : sicut monet Apostolus, Noli altum sapere, id est te ipsum magnum reputare, sed time. (Rom. xi, 20.) Hoc convenientissime Christus totius perfectionis magister adjecit. Sicut enim ad temporalem et exteriorem opulentiam sequi solet carnalis ac sæcularis superbia, ita ex interioribus divitiis, id est virtutum profectibus, solet oriri spiritualis superbia. Admonet ergo Christus, ut sive in temporalibus, sive in spiritualibus abundemus, nequaquam inaniter erigamur, sed Deo in omnibus humillime regratiemur. Hinc ad Timotheum scribit Apostolus : Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde. (I Tim. vi, 17.) Porro, quam detestabilis et Deo contraria ac rebellis sit superbia, patet ex eo quod in Job improperatur superbo : Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus? (Job xv, 12, 13.)

Deinde a Christo tangitur duplex ratio, cur temporalia non sint sollicite exquirenda.
30 Prima est : *Hæc enim omnia,* puta divitias et cetera ad vitam præsentem spectantia, *gentes mundi,* hoc est homines sæculares, amatores mundi magis quam Dei, qui præsentia magis quam futurum sæculum pensant, *quærunt* sollicite ; sed devoti et electi qui sunt filii Dei, quærunt regnum Patris æternum. Ex hoc Christi sapientissimo verbo unusquisque perpendat, an pertineat ad gentes mundi, vel ad filios Dei. Nempe, si carnalia et terrena atque præsentia amplius cogitat, quærit et appetit, quam spiritualia, cœlestia et futura, utique de numero est gentium mundi.

Deinde secunda ad idem ratio subditur : *Pater autem vester scit quoniam his indigetis,* id est, Deus creator, Pater cœlestis, qui pater hominum piissime vocari dignatur, certissime noscit quantum et qualiter corporalibus rebus egetis : idcirco in ipsum filialiter immobiliterque confidite, nam et ideo pater noster vocari dignatus est, ut provocet nos ad plenam fiduciam ac perfectum amorem. Quis autem pater, qui filio suo ad se converso necessaria non ministrat, si habeat? Deus autem, quum sapiens sit, omnia novit; et quia omnipotens, omnia potest; et quoniam pater est, pie vult : ideo ad providendum est summe idoneus; et qui naturam creavit, ejus indigentiam noscit. Ideo loquitur Augustinus : Scit cœlestis medicus, quid nobis daturus est ad consolationem, quidve subtracturus sit ad exercitationem. Non ergo timendum est quin provideat nobis, quum nec homo necessaria subtrahat suo jumento; sed homines peccando, frequenter merentur ut fame deficiant.

Verumtamen quærite regnum Dei, id est, cœlestem patriam, æternam felicitatem, regnum cœleste amate, appetite, et bene agendo adipisci satagite*. In Matthæo habetur : Quærite primum, id est primo ac principaliter, regnum Dei. Ipsa enim beatitudo regni cœlestis, est finis noster ultimus, ad quem omnia alia ordinare debemus. Finis quoque est primum intentione, secundum philosophos. Idcir- 31

* [Et justitiam ejus.] Matth. vi, 33.

co, antequam exteriora et manualia opera aggrediamur, primo quærere debemus regnum cœleste, Deum orando, divina meditando, mentem ad Deum levando, Missam audiendo, aut similia bona agendo : sicque ad hoc principale bonum cetera opera nostra referre debemus. Sed istud implere non valet homo, quamdiu in mortali jacet peccato. Hinc quotidie discutienda est conscientia; et si de peccato mortali conscius sibi fuerit homo, statim cordialiter doleat, veniam poscat, confiteri, vitare et satisfacere ac emendare firmiter integraliterque proponat. *Et hæc omnia,* id est corporali vitæ necessaria, *adjicientur vobis,* id est, divinitus concedentur, tanquam minus principalia. Nihilo minus homo facere debet quod ad suum pertinet statum, et quod in se est, ne sit quasi tentans Deum.

Ecce per verba et documenta præhabita docet nos Christus certissimam habere fidem de providentia Dei, plenam quoque possidere fiduciam ad Deum, tanquam ad fidelissimum patrem, omniumque infallibilem provisorem. Propter quod ait Psal-
Ps. xxxvi, 25. mista : Junior fui, etenim senui; et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

Sed quia sollicitudo superflua ex inordinato timore procedit, Christus talem timorem docet vitandum, datque fiduciam
32 quærendi regnum cœlorum. *Nolite timere*
carnali aut sæculari timore. De speciebus
Art. xxxii, vers. 4. autem timoris dictum est articulo tricesimo secundo. *Pusillus grex,* id est vos, discipuli ceterique electi, qui pusilli estis, quoniam humiles in oculis vestris, et parum reputati ab aliis, paucique numero
Matth. xx, 16; xxii, 14. respectu reproborum. Multi enim vocati, pauci electi. *Quoniam complacuit Patri vestro,* hoc est Deo creatori qui vos prædestinavit, *dare vobis regnum* cœlorum post vitam præsentem in re et plena possessione, nunc autem in spe et quodam prægustu. Et hoc placuit sibi ab æterno, dare vobis hæc bona tempore ipso præordinato, ita quod non vestra merita, sed

A ejus voluntas, amor, clementia, sunt ratio prædestinationis et gratiæ vestræ, seu complacentiæ qua ei complacuit dare vobis regnum cœlorum, et dona gratiæ per quæ illud mereamini adipisci. Hinc Christus in Joanne ait discipulis : Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et alibi : Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis : etiam, Pater, quia sic placuit ante te. Apostolus quoque ad Ephesios fatetur : Deus prædestinavit nos in adoptionem fi- Ephes. i, 5.
B liorum per Jesum Christum, secundum propositum voluntatis suæ. Itemque Psalmista : Brachium eorum non salvavit eos, Ps. xliii, 4.
scilicet patres nostros ; sed dextera tua, quoniam complacuisti in eis.

(Joann. xv, 16. Matth. xi, 25, 26.)

Vendite quæ possidetis, et date eleemo- 33
synam. Hoc consilium est perfectionis, et opus supererogationis, si ita intelligatur ut omnia vendita dentur pauperibus, ita quod venditor nil proprium sibi reservet. Si vero ultra hoc, etiam de cetero de propriis laboribus vivat, et eleemosynas lar-
C giatur, sicut se fecisse Paulus testatur, erit Act. xx, 34; xxiv, 17; I Cor. ix, 12, 15.
opus valde perfectum. Si vero sic intelligatur, ut vendita partim dentur pauperibus, et partim remaneant venditori ad necessaria vitæ, erit consilium, sed non perfectum.

Facite vobis sacculos qui non veterascunt, id est, nolite in hoc sæculo pecunias congregare, atque in bursis seu repositoriis corruptibilibus ponere ad commodum privatum et inordinatum; sed in regno cœlorum eas colligite, dando eas modo egenis,
D ut ibi inveniatis mercedem. Quemadmodum S. Laurentius Decio dixit : Facultates Ecclesiæ quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum deportaverunt. Hinc subditur : *thesaurum non deficientem in cœlis :* quia hi sacculi sunt thesaurus cœlestis nunquam deficiens, hoc est merita copiosa et divitiæ interiores per intentionem in cœlo reposita, per quæ ad regnum devenitur cœleste; *quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit :* quia in cœlo nulla est violentia, nulla inju-

ria, nulla corruptio, nulla iniquitas, quæ A
merita tollat aut præmia.

Hoc autem diligenter implendum est :
34 *Ubi enim est thesaurus vester,* id est res
a vobis præcipue amata, et congregata si-
ve possessa, *ibi et cor vestrum erit,* id est,
cogitatio atque affectio animæ vestræ ver-
sabitur et quiescet. Unde secundum Augu-
stinum, Anima potius est ubi amat, quam
ubi animat. Si ergo in terra quis thesau-
rum reponat, animam suam, quæ Dei ima-
go est, terrenis immergit : quod enorme
peccatum est. Si vero circa Deum et bea- B
titudinem æternalem studium applicat, de-
sideriumque defigit, jam in Deo est cor
Philipp. III, 20. ejus, et conversationem habet in cœlis.
Hinc ait Hieronymus : Gulosus cor habet
in ventre, lascivus in ludicris, lubricus in
libidine, avarus in pecunia.

Insuper Christus hortatur nos habere
vitam paratam ad corporalem hanc mor-
35 tem, æternaque gloria dignam. *Sint lumbi
vestri præcincti,* id est, parati agilesque
estote ad exsequendum opera Dei, ad am-
bulandum in via Domini, ad refrenan- C
dum concupiscentiam voluptatemque car-
nis, quæ viget in lumbis. Denique duplices
sunt lumbi hominis, scilicet : carnales, ex
quibus prodeunt concupiscentiæ carnis et
opera impudica. De quibus lumbis scri-
Job XL, 11. ptum est in Job : Fortitudo ejus in lumbis
ejus. Hi lumbi per disciplinæ rigorem ac
temperantiam refrenantur ac præcingun-
tur : quod omni Christiano necessarium
Galat. V, 24. est ad salutem, dicente Apostolo, Qui au-
tem sunt Christi, carnem suam crucifi-
xerunt cum vitiis et concupiscentiis. Hoc D
I Petr. II, 11. enim est abstinere a carnalibus desideriis
quæ militant adversus animam. Unde rur-
Rom. VIII, 13. sus ait Apostolus : Si secundum carnem
vixeritis, moriemini; si autem spiritu fa-
cta carnis mortificaveritis, vivetis. Porro
alii sunt lumbi spirituales, videlicet intel-
lectus atque affectus, ex quibus cogitatio-
num et appetitionum spiritualium abun-
dantia oritur : propter quod præcingendi
sunt spirituali cinctorio, utpote assidua
cordis custodia, et meditatione divinæ Scri-
pturæ continua, ne ex eis emanent inuti-
lium cogitationum ac desideriorum pro-
flumina, juxta illud in Psalmo : In lege *Ps.* I, 2.
Domini voluntas ejus, et in lege ejus me-
ditabitur die ac nocte. Hinc ad Ephesios
hortatur Apostolus : State ergo succincti *Ephes.* VI, 14.
lumbos vestros in veritate.

Et lucernæ ardentes in manibus vestris.
Per lucernas intelliguntur discretio ratio-
nis in agendis, et eruditio aliorum verbo
aut facto. Sint ergo lucernæ ardentes : id
est, discretio dirigat opera et inflammet,
juxta illud Apostoli ad Romanos, Rationa- *Rom.* XII, 1.
bile, id est discretum, sit obsequium ve-
strum; et ratio hominis proximos illumi-
net et accendat, docendo, exemplariterque
vivendo, quemadmodum apud Matthæum
ait Salvator : Sic luceat lux vestra coram *Matth.* V, 16.
hominibus, ut videant opera vestra bona,
et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis
est. Unde secundum Gregorium : Lumbos
præcingimus, dum carnis luxuriam coarc-
tamus; lucernas quoque ardentes in ma-
nibus tenemus, quum proximis exempla
virtutum monstramus. Itaque lucernæ non
solum debent esse lucentes per veritatis
notitiam, sed et ardentes per caritatis fer-
vorem, quia cognitio veritatis absque di-
lectione bonitatis informis est. Rursus, per
lucernas possunt intelligi divina eloquia et
præcepta, quibus nostræ animæ illustran-
tur, juxta illud Proverbiorum : Mandatum *Prov.* VI, 23.
lucerna est, et lex lux; atque in Psalmo,
Lucerna pedibus meis verbum tuum. Hæ *Ps.* CXVIII, 105.
autem lucernæ fiunt ardentes, quando ex
caritate considerantur ac observantur.

Et vos similes sitis *hominibus exspectan-* 36
*tibus dominum suum, quando revertatur
a nuptiis : ut quum venerit et pulsaverit,
confestim aperiant ei :* id est, sicut servi
boni præstolantur reditum domini sui a
nuptiis cum diligentia ac patientia, non
audentes se interim male habere, nec hinc
inde vagari, sed domum custodientes, sem-
perque parati ostium redeunti domino ape-
rire; ita et vos cum omni diligentia ac
patientia exspectate meum adventum ad
vos, quo venturus sum ad vos, tam in

Digitized by Google

judicio vestro particulari, videlicet hora mortis, quam in generali judicio, quando in forma humana descendam ad judicandum vivos et mortuos. In particulari autem judicio venit Christus per æquitatis suæ effectum, retribuendo quod anima in corpore suo promeruit. Dicitur quoque Christus venire a nuptiis, quia in cœlo sibi univit triumphantem Ecclesiam plenissima unione, tanquam sponsam penitus illibatam, indesinenter ac intime sibi conjunctam. De quibus nuptiis in Apocalypsi scribitur : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. (*Apoc.* XIX, 9.) A quibus dicitur quoque Christus reverti, non quod eas relinquat, aut quia aliquando finiantur, sed quia a loco voluptatis illius purissimæ corporaliter aut spiritualiter venire asseritur.

Itaque Christum judicem præstolemur, ut quum venerit ad nos in hora mortis, vel in extremo judicio, ut pulsaverit, id est, mortis debitum exegerit, seu per infirmitatem letalem tetigerit, confestim aperiamus ei, id est, parati simus ad mortem, et Christum judicem secure atque hilariter, vel saltem prompte ac obedienter, suscipiamus. Talis fuit Paulus qui dixit : Cupio dissolvi et esse cum Christo; (*Philipp.* I, 23.) Psalmista quoque, qui clamat : Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est. (*Ps.* CXIX, 5.) Hinc in Jacobo habetur : Patientes estote usque ad adventum Domini, et confirmate corda vestra, quia adventus Domini appropinquabit : ecce judex ante januam adsistit. (*Jacob.* V, 7-9.)

37 *Beati* sunt nunc in spe, et per merita virtuosa, *servi illi,* similiter et ancillæ, *quos quum venerit dominus* Jesus Christus (in judicio particulari seu universali, ut dictum est), *invenerit vigilantes,* hoc est in divino obsequio diligentes, non pigros aut somnolentos, sed mentis oculos ad supernæ lucis contemplationem apertos habentes, considerando divina, quemadmodum ad Ephesios ait Apostolus : Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri. (*Ephes.* I, 17, 18.) Præterea, sicut lumen corporale oppositum oculis, somnolentiam pellit; sic illuminatio lucis divinæ perfundens et clarificans mentem, negligentiam desidiamque ab ea avellit.

Amen, id est vere, *dico vobis, quod præcinget se,* hoc est, Christus judex disponet se ad dandum eis dignam felicitatis æternæ mercedem, secundum uniuscujusque capacitatem, proportionem seu meritum : ut sicut ipsi præcinxerunt se ad ejus obsequium, sic ipse præcingat se ad eorum glorificationem seu præmium, quum fuerint suo judicio præsentati; *et faciet illos discumbere,* id est plene quiescere, et cum angelis sanctis in mensa æternæ felicitatis reficere, id est Divinitatis beatifica fruitione repleri ac satiari : quemadmodum ait Psalmista, Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos; (*Ps.* XXXV, 9.) itemque, Satiabor quum apparuerit gloria tua. (*Ps.* XVI, 15.) Unde infra loquitur Christus : Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam. (*Luc.* XXII, 29, 30.) Hinc divinus Dionysius in epistola sua ad Titum scribit : Discubitum opinamur quietem a multis laboribus, et vitam sine læsione, et conversationem divinam in lumine, in regione viventium, universo sancto affectu adimpletam, copiosam donationem omnium donorum, secundum quam lætitia adimpletur. *Et transiens,* id est, singulorum corda jucundissime visitans, atque in cunctis spiritualiter gradiens, illos convertendo, seu potius conversos tenendo in se; vel, Transiens, id est, secundum humanitatem suam a loco judicii generalis ad cœlos revertens; *ministrabit illis,* id est, omnia ad eorum beatitudinem pertinentia prompte ac copiosissime, amorose atque lætissime exhibebit. Hæc quippe est ministratio suffragii, non obsequii, ministratio caritatis, non subjectionis : quæ est ministratio sufficientiæ beneficiorum, sicut pater filiis ministrat expensas. Nam et angeli sancti ac felices nobis pauperrimis, peccato et miseria plenis, ministrare dicuntur, quamvis secundum Bernardum, sint domini et principes nostri.

Sed quoniam Deus novit pronitatem no-

stram ad vitia, atque instabilissimam nostram fragilitatem; idcirco longanimis est super nos, nec statim ulciscitur, sed semper durante hac vita, paratus est nostram pœnitentiam conversionemque suscipere.
38 Ideo subditur : *Et si venerit in secunda vigilia,* id est, si Christus hominem visitaverit ad judicandum eum tempore suæ juventutis, *et si in tertia vigilia venerit,* id est, diutius permiserit eum vivere, et visitaverit eum ad judicandum tempore senectutis, *et ita invenerit,* id est, hominem ad mortem paratum compererit; *beati sunt servi illi,* qui a Christo fuerint ita parati atque in bonis operibus vigilantes inventi, quia coronabuntur gloriose ab ipso. Itaque secundum Gregorium, prima vigilia primævum tempus est vitæ nostræ, videlicet pueritia; secunda vigilia est juventus seu adolescentia; tertia autem, senectus; quarta vero est illa ætas quæ decrepita nominatur. Qui ergo in pueritia male vixit, in juventute pœniteat et emendet. Quod si in juventute quoque conversatus est vitiose, saltem in senectute a malitiis resipiscat. De prima autem vigilia non fit hic mentio, quia in illa ætate non sunt homines tam apti ad ardua virtutum; similiter nec in ætate decrepita : unde nec de ipsa fit sermo, nam et pœnitentiam quæ in ipsa fit, Deus minus acceptat, et quoniam raro est pœnitentia vera, quæ est adeo sera, ut asserit Augustinus. Verumtamen in Marco Christus omnes has quatuor tangit ætates, dicendo : Vigilate; nescitis enim quando Dominus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane. (*Marc.* XIII, 35.) Fit autem sermo de ætatibus vitæ humanæ, seu partibus vitæ hominis metaphorice, ad similitudinem partium noctis. Sunt vero quatuor vigiliæ noctis : prima vocatur conticinium, secunda intempestum, tertia gallicinium, quarta antelucanum. Sic enim vigilantes in mœniis civitatum et castris, noctem consueverunt dividere, ut sibi invicem in vigilando succedant.

Deinde Salvator per simile in exterioribus rebus compertum, monet impleri quæ
dixit; et dicit : *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam* a fure. 39
Hoc ad litteram ita est, quod homo tantum diligit corporalia bona sua, ut contra furis adventum vigilando se præpararet, si sciret quando venturus sit fur. Multo ergo plus custodire debet homo animam suam, et spiritualia bona sibi a Deo collata, seque per diligentem divinorum observantiam præceptorum, contra spiritualem furem parare atque armare, id est contra diabolum, qui domum mentis, id est conscientiam, indesinenter perfodere seu lædere ac maculare conatur; seu contra mortem, ne ipsum corpus corrumpat, antequam anima ad occurrendum Christo, et ad ejus suscipiendum judicium se ipsam paraverit. Porro, Theophilus per furem intelligit Christi adventum ad judicandum, eo quod instar furis venturus sit improvise, juxta illud Apostoli : Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. (I *Thess.* V, 2.) Itaque mentem nostram contra pessimum ac callidissimum furem, puta diabolum, indesinenter custodiamus, ne nos omni gratiarum charismate spoliet : quia si nos ad tentationis suæ consensum induxerit, omni virtute et gratia protinus nos privabit. Ideo Paulus nos hortatur : Nolite locum dare diabolo. (*Ephes.* IV, 27.) Et Jacobus : Resistite (inquit) diabolo, et fugiet a vobis. (*Jacob.* IV, 7.) Petrus quoque : Sobrii (ait) estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide. (I *Petr.* V, 8, 9.)

Deinceps Christus istud exemplum ad propositum applicat. *Et vos estote parati,* 40
id est, semper et indesinenter in caritate et gratia esse et vivere satagite, nec mortale peccatum vobis inhæreat : imo, si (quod absit) evenerit, per pœnitentiam mox tollatur. Sic ergo estote parati ad Christi adventum, ad mortem, ad divinum judicium, *quia qua hora non putatis,* id est tempore vobis incerto, *Filius hominis,* scilicet Christus, *veniet,* id est, per mortis

Digitized by Google

inflictionem, seu per judicii exhibitionem, A vos visitabit : quod tam de hora mortis, seu particulari cujuslibet judicio, quam de die extremi judicii potest intelligi. Unde et alibi loquitur Christus : Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam; et in Actibus Apostolorum, Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate : quod de tempore finalis dixit judicii. Porro utramque hanc horam Dominus voluit nos latere, ut tanto diligentius ac indesinentius ad mortem et ad divinum nos judicium disponamus, B quanto determinatum tempus minus agnoscimus, scientes quia revera periculum est immensum, si quis inventus ac deprehensus fuerit imparatus. Hinc quoque in Apocalypsi loquitur Christus reprehensibili servo : In mente habe qualiter acceperis et audieris, et pœnitentiam age; et esto vigilans. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te. Sed et summus ille philosophus Plato in Phædone disseruit, quod summa philosophia sit meditatio mortis assidua. Seneca quoque testatur : Quoniam diem mortis nescimus, quilibet nostræ vitæ dies ordinandus est tanquam ultimus dies.

Matth. xxv, 13. Act. i, 7. Apoc. iii, 3, 2.

Postremo, prædictis Christi verbis non obviat, quod quidam Sanctorum ex singulari Dei gratia, diem mortis suæ per revelationem præcognoverunt divinam. Christus enim loquitur hæc secundum legem communem, quemadmodum Salomon in Ecclesiaste : Nescit (inquit) homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, quum eis extemplo supervenerit. Eccle. ix, 12.

ARTICULUS XXXIV

EXPOSITIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS DUODECIMI CAPITULI : AIT AUTEM EI PETRUS : DOMINE, AD NOS DICIS HANC PARABOLAM, AN AD OMNES?

41 *AIT autem ei Petrus.* Circa hæc ait C Theophilus : Petrus cui jam commissa Ecclesia fuerat, quasi omnium curam gerens, inquirit an ad omnes Dominus præinductam parabolam protulisset. *Domine, ad nos* tuos Apostolos atque discipulos tuos, qui non solum præcepta, sed et consilia tua observant, *dicis hanc parabolam, an ad omnes,* salvandos seu Christianos? quasi dicat : Pertinet hæc tua doctrina ad nos dumtaxat, an ad omnes fideles? Sed quia facillimum fuit pensare quod parabola immediate præhabita, ad omnem spectet sal- D vandum, ut scilicet semper ad mortem et Christi adventum paratus sit; ideo Beda et quidam eum sequentes, affirmant Petrum de hac non interrogasse parabola, sed de subtilibus illis vitæ cœlestis institutis, quibus superius dixit Salvator : Vendite quæ possidetis, Facite vobis sacculos qui non veterascunt, etc. Verumtamen magis videtur secundum seriem textus, quod de parabola immediate præhabita sciscitatus sit Petrus, præsertim quia adhuc simplex et rudis fuit; et in superioribus illis verbis, non videtur Christus posuisse parabolam, quamvis metaphorice quædam ibi locutus sit. Hinc quoque Ambrosius atque Theophilus exponunt istud de parabola immediate præmissa, qua dictum est : Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, etc. vers. 39.

42 *Dixit autem Dominus* Jesus : *Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?*

Digitized by Google

quasi dicat : Præhabita parabola omnes A concernit : sed ista ad vos meos discipulos specialiter pertinet, quos meos dispensatores efficio, dum vos aliis ad regendum, et ad erogandum eis documenta ac sacramenta salutis præficio. Ideo quæro : Quis, putas, est, etc. ? Non quasi quis sit talis ignorans, sed innuens quam difficulter ac raro dispensator hujusmodi reperiatur, eo
Philipp. II, 21. quod omnes quæ sua sunt quærant, paucissimique consistant, qui directe, pure et irreflexe ad Deum conversi sint, illius honorem tantum, non proprium commo- B dum exquirentes. Itaque : *Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens,* hoc est aliorum prædicator, rector sive prælatus, qui fidelitate justitiæ ac discretione prudentiæ sit ornatus, *quem constituit dominus,* Deus omnipotens, seu Christus summus Ecclesiæ pontifex, *super familiam suam,* hoc est gregem fidelium, *ut det illis in tempore,* id est congruo tempore, *tritici mensuram,* hoc est spiritualem alimoniam, videlicet prædicationis verbum, virtutis exemplum, sacramenta salutis, secundum C dignitatem et capacitatem illorum ? Itaque dispensatoribus Christi, puta sacerdotibus et prælatis ac prædicatoribus verbi Dei, præcipue necessariæ sunt fidelitas atque prudentia, ut fideles sint Christo, intendendo et quærendo ejus honorem in omnibus, ac divina populis fideliter erogando, seu suum officium efficaciter adimplendo : quod totum cum discretionis moderamine debito est agendum. Hinc ait Apostolus :
I Cor. IV, 2. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. D

43 *Beatus ille servus* est jam in spe, et per merita quibus beatitudine sempiterna condignus est : servus, inquam, non a servitute timoris servilis (de quo in Joanne
Joann. VIII, 35. loquitur Christus : Servus non manet in domo in æternum), sed a servitute filialis timoris, seu obeditionis et observantiæ præceptorum, *quem quum venerit dominus* ad judicium ejus particulare, vel ad judicium generale, *invenerit ita facientem,* hoc est fideliter ac prudenter suum officium prosequentem, et non verbis tantum, sed et operibus virtuosis docentem. Peccatori enim dixit Deus : Quare tu enar- Ps. XLIX, 16, 17. ras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.

Vere dico vobis, quia super omnia quæ 44
possidet, constituet illum, hoc est, super quædam omnium bonorum quæ possidet, Christus ponet hujusmodi servum, quia in regno cœlesti eum valde eminenter ac singulariter elevabit ; et non solum pro suis coronabitur meritis, sed et pro meritis universorum qui sua directione conversi fuerint ac salvati : ita quod pro suis meritis adepturus est auream, et pro acquisitione aliorum, aureolam. Unde Thessalonicensibus scribit Apostolus : Quæ est I Thess. II, 19. spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum ? Augustinus quoque testatur : Apud Deum nihil beatius episcopi et presbyteri aut diaconi officio, si eo modo militetur quo noster præcepit Imperator, hoc est, si fiat et impleatur quemadmodum Christus jubet.

Denique, quia opposita juxta se posita clarius innotescunt, dicto de gloria boni dispensatoris, de mali dispensatoris pœna subjungitur. *Quod si dixerit servus ille,* 45
a Domino super ejus familiam constitutus, hoc est aliis prælatus : *Moram facit dominus meus venire,* hoc est, adhuc longum est tempus quo visitabor a Christo, per particulare judicium meum tempore mortis meæ, vel in die finalis judicii. Hæc est vana et stulta promissio, qua suggerente diabolo, multi fallunt se ipsos, juxta illud Ecclesiastici : Repromissio nequis- Eccli. XXIX, 24. sima perdidit multos. *Et cœperit percutere pueros et ancillas,* hoc est subditos sibi commissos, præsertim pusillos, qui per pueros et ancillas congrue designantur. Tales autem pastor seu dispensator indignus, percutit tribus modis, scilicet : verbis injuriosis, juxta illud Jeremiæ, Venite et Jer. XVIII, 18. percutiamus eum lingua ; malis exemplis,

Digitized by Google

I Cor. viii, 12. secundum illud Apostoli, Sic peccantes in A
fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis ; et
manibus violentis, prout in Matthæo legi-
Matth. xxvii, 30. tur, Percutiebant caput ejus arundine. *Et
edere et bibere et inebriari,* hoc est, carnalitati vacare, quæ hominem facit de-
Rom. xvi, 18. mentem. Tales, secundum Apostolum, Christo non serviunt, sed suo ventri. Circa hæc scribit Beda : In hoc servo, cunctorum præsulum malorum narratur damnatio, qui neglecto Dei timore, non solum ipsi luxuriæ vacant, sed etiam subditos B
injuriis stimulant.

46 *Veniet dominus servi illius,* scilicet Christus justus judex, *in die qua non sperat, et hora qua nescit* servus ille malignus, puta in die mortis sive judicii; *et dividet eum,* hoc est, a consortio electorum et a gratia Spiritus Sancti eum æternaliter sepa-
Is. xxvi, 10, juxta LXX. rabit, juxta illud in Isaia : Tollatur impius
Matth. xxv, 41. ne videat gloriam Dei; et in Matthæo, Ite, maledicti, in ignem æternum. Unde per Malachiam Dominus apertissime ait de die novissimo, et separatione electorum a re- C
Malach. iii, 18; iv, 1, 2. probis : Convertemini et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei. Ecce enim dies veniet succensa quasi ignis; et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula, et inflammabit eos dies veniens ; et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ. *Partemque ejus cum infidelibus ponet,* id est, cum incredulis erit retributio seu damnatio ejus : imo gravius illis torquebitur, quum dicat
I Tim. v, 8. Apostolus, Si quis suorum, et maxime do- D
mesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Itaque acerbissima erit impiorum et negligentium prælatorum ac dispensatorum damnatio,
Sap. vi, 6, 7, 9. sicut in libro Sapientiæ habetur : Judicium durissimum in his qui præsunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur; et fortioribus fortior instat cruciatus.

Consequenter Christus ostendit quod mali dispensatores, imo et omnes eruditi sed vitiosi, graviora sustinebunt supplicia,
ex sua scientia. *Ille autem servus* nomi- 47
ne, non re, nisi forte servitute servilis timoris, *qui cognovit voluntatem domini sui,* id est præcepta divina, et quid ab ipso Deus requirat, *et non præparavit,* id est, ad bene agendum se non disposuit, nec mentem aptavit. Homo namque debet facere quod in se est, juxta illud Prover-
biorum : Hominis est animum præparare. Prov. xvi, 1.
Propter quod Samuel in libris Regum hor-
tatur : Præparate corda vestra Domino. I Reg. vii, 3.
Et non fecit secundum voluntatem ejus, obediendo Dei imperio ; *plagis vapulabit multis,* id est, pluribus ac gravioribus punietur suppliciis, quia gravius multipli-
ciusque peccavit. Ideo scriptum est : Sci- Jacob. iv, 17.
enti bonum facere, et non facienti, pec-
catum est illi. Petrus quoque : Melius (ait) II Petr. ii, 21, 22.
erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad vomitum suum ; et, Sus lota in volutabro luti. Hinc ait Gregorius : Ubi donum majoris scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ. Et Cyrillus hic loquitur : Homo perspicacis ingenii, qui turpibus se inclinat, inexcusabile committit peccatum ; sed homo rusticanus, rationabilius veniam impetrabit.

Qui autem non cognovit voluntatem do- 48
mini sui, *et fecit digna plagis,* id est peccata quibus debentur tormenta, plagis *vapulabit paucis,* id est, minoribus subjacebit pœnis. Nihilo minus æternaliter punietur, si in mortali peccato discessit.

Quocirca sciendum, quod omnis peccans est aliquo modo ignorans et errans : quoniam caret scientia actuali et practica, bonique approbativa, et est in eo error ele-
ctionis. Ideo in Proverbiis habetur : Omnis Prov. xxi, 2.
via viri recta sibi videtur. Malum namque secundum quod tale, non appetitur, quum bonum sit appetitus objectum. Unde S. Dionysius fassus est, quod nullus respiciens ad malum operatur. Appetit enim agitque malum ut bonum apparens. Insuper advertendum, quod duplex est

ignorantia, utpote facti et juris. Ignorantia facti est duplex : quia interdum adhibetur debita diligentia : et tunc ignorantia excusat a toto, ut patet de concubitu Jacob cum Lia. (*Gen.* XXIX, 21 *et seq.*) Interdum non adhibetur diligentia debita : et tunc excusat a tanto, non a toto, ut patet in homicidio quo Lamech occidit Cain, putans quod bestia esset. (*Ibid.* IV, 23.) Porro ignorantia juris est duplex, scilicet vincibilis, et invincibilis. Ignorantia quoque vincibilis duplex est. Quædam est affectata, quæ a nullo excusat, quia nec a toto, neque a tanto : ut dum quis non vult aut spernit jus scire, ut peccet liberius. Quædam est non affectata, quæ excusat a tanto. Ignorantia quoque invincibilis duplex est. Quædam enim accidit sine culpa, sicut dum homo operam dando rei licitæ efficitur furiosus : et hæc excusat a toto. Alia accidit ex culpa : unde de hac ignorantia aliqui dicunt, quod excusat a tanto. Quod vero dicit Ambrosius, Gravissime peccas quia ignoras, intelligendum est non de enormitate culpæ, sed de magnitudine periculi. Qui enim peccare se nescit, non dolet nec confitetur de tali peccato, saltem in speciali.

Deinceps ratio assignatur, cur scienter peccans gravius condemnatur. *Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo :* hoc est, quanto Deus alicui plura beneficia est largitus, videlicet plura aut majora dona naturæ aut gratiæ, fortunæ sive Ecclesiæ, tanto districtiorem ab eo exiget rationem, et majorem requirit gratiarum actionem, perfectioremque servitutem, ceteris paribus. Sed ei qui scit voluntatem Dei, et novit quid agendum, quid item vitandum, plus datum est : ergo plus requiretur ab eo. *Et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo :* id est, sicut homines plus exquirunt ab eo cui plus commendaverunt, ita et Deus.

Porro hæc duo, videlicet datum et commendatum, referri possunt ad idem; et tamen distinctim ponuntur, ad innuendum quod bona nobis divinitus impertita,

A sic data sunt nobis, ut tamen non liceat nobis uti eis ad libitum nostrum, sed aliquando de eis ratio exigetur a nobis : propter quod quasi commendata sunt nobis. Vel, datum refertur ad dona homini pro se ipso collata; commendatum vero, ad dona homini præstita pro aliorum directione, vel ad gregem dominicum alicui commendatum : et certum est quod plus requiretur ab eo, cui major animarum cura commissa est, quia de cunctis et singulis daturus est rationem. Ad quod applicari B potest illud Regum : Custodi virum istum : qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. (III *Reg.* XX, 39.) Joseph quoque in Genesi in figura Christi ait fratribus suis patriarchis, personam prælatorum tenentibus : Non videbitis faciem meam, nisi adduxeritis fratrem vestrum minimum ad me. (*Gen.* XLIII, 3.)

Præterea, audiant hæc et contremiscant homines excæcati, vani et stulti, qui de donis Dei se ipsos erigunt et extollunt, qui de subtilitate ingenii, excellentia scientiæ, eloquentia, pulchritudine, opulentia, no- C bilitate, potentia, dignitate, se jactant, inaniter gaudent, et alios spernunt, quasi hæc ipsa a se ipsis, non a Deo sortiti sint, et quasi non sint de universis et singulis districtissimo Judici rationem daturi : quum tamen unumquemque oporteat tanto esse Deo subjectiorem, gratiorem, atque de ejus judicio amplius timoratum, quanto plura desuper sortitus est dona. Idcirco, Beatus homo qui semper est pavidus, (*Prov.* XXVIII, 14.) perpendens quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis. (*Hebr.* X, 31.) Unde Apostolus sciscitatur : D Quid habes quod non accepisti? Quod si accepisti, cur gloriaris quasi non acceperis? (I *Cor.* IV, 7.)

Post hæc ostendit Salvator, quod præinducta sua præcepta, documenta, sive consilia, implenda sint potius amore Divinitatis, quam timore damnationis : quia multo perfectius est omittere mala et agere bona ex puro Dei amore seu zelo justi-
tiæ, quam terrore supplicii. *Ignem veni* 49
mittere in terram, id est, ad hoc a summo cœlo descendi, hominibusque apparui per

Digitized by Google

incarnationis mysterium, ut divini amoris
ardorem in cordibus hominum collocarem. *Et quid volo, nisi ut accendatur,*
hoc est, actuetur, et Spiritus Sancti motione inflammetur, atque in opus virtuosum erumpat? Porro cor humanum, instar
terræ, per ignorantiam fuit obscurum, per
concupiscentiam molle, et per malitiam
frigidum : ideo eguit igne hoc caritatis inflammante contra frigiditatem, illuminante contra obscuritatem, consolidante contra
mollitiem. Recte ergo caritas ignis vocatur, quia per eam peccati labes consumitur, affectus accenditur, spiritus in cœlestia elevatur. Potest quoque per ignem
intelligi evangelica Christi doctrina, quæ
mentem a vitiis purgat atque inflammat,
quemadmodum aurum per ignem purgatur et incalescit. Similiter, lex novi Testamenti, quæ est lex caritatis et gratiæ,
ignis rite asseritur, juxta illud Deutero-
Deut. XXXIII, 2. nomii : In dextera ejus ignea lex. Unde et
Act. II, 3. Spiritus Sanctus in specie ignis, seu igneis
linguis Apostolis missus est, ut igneam
legem evangelizarent sermone ferventi. De
prædicto dilectionis igne ait Psalmista :
Ps. XXXVIII, 4. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. De igne
Ps. CXVIII, 140. autem divini sermonis fatetur : Ignitum
eloquium tuum vehementer. Jeremias quo-
Jer. XX, 9. que inquit : Factus est sermo Domini in
corde meo quasi ignis exæstuans. Non
ergo pigro et frigido corde Deo altissimo obsequamur, sed corde ferventi atque promptissimo : nempe, quo opus ex
promptiori ferventiorique corde procedit,
eo plus complacet Deo.

Deinde Christus prædicit se mortem crucis passurum antequam genus humanum
prædicto caritatis igne inflammetur. Christus enim sua sacratissima passione, tantam gratiam humano promeruit generi, atque ex suæ passionis memoria præcipue
50 accenduntur corda fidelia. *Baptismo autem habeo baptizari,* hoc est, mihi incumbit et restat ex præordinatione divina, ut
baptismo sanguinis, scilicet proprii cruoris effusione instar aquæ, perfundar atque

A intingar in cruce pro totius mundi redemptione ; *et quomodo coarctor,* id est secundum judicium rationis ad passionem hanc
vehementer afficior, tum ex amore divino
quo Patris honorem instaurari peropto, ut
ejus cœleste regnum adimpleatur, tum ex
amore hominum, quo eorum salutem exopto. Hinc Christus in novissima professus est Cœna : Desiderio desideravi hoc *Luc.* XXII, 15.
pascha manducare vobiscum antequam
patiar. Et Petro passionem dissuadenti,
dixit : Vade retro me, satana, quia non sa- *Marc.* VIII, 33.
B pis ea quæ Dei sunt. Itaque, Coarctor *usque dum perficiatur,* hoc est, quousque
mea passio consummetur et dicam, Con- *Joann.* XIX, 30.
summatum est. Christus enim incessabiliter fuit in actu interiori dilectionis.

Denique Chrysostomus ponit sex genera
baptismorum. Quorum primus fit verbo,
quemadmodum in Joanne loquitur Christus discipulis : Jam vos mundi estis pro- *Ibid.* XV, 3.
pter sermonem quem locutus sum vobis. Secundus fit aqua tantum, sicut fuit
baptismus Joannis. Tertius, Spiritu tan- *Matth.* III, 6.
C tum : de quo in Actibus Apostolorum ait
discipulis Christus : Joannes quidem ba- *Act.* I, 5.
ptizavit aqua, vos autem baptizabimini
Spiritu Sancto. Quartus fit aqua et Spiritu, juxta illud Joannis : Nisi quis renatus *Joann.* III, 5.
fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quintus fit
igne tribulationis et pœnitentiæ, secundum illud Isaiæ : Si abluerit Dominus sor- *Is.* IV, 4.
des filiarum Sion spiritu ardoris. Sextus
fit per martyrium, de quo nunc sermo :
de quo etiam Christus locutus est filiis
D Zebedæi, Potestis baptizari baptismo quo *Marc.* X, 38.
ego baptizor? Communiter autem ponitur
triplex baptismus, videlicet fluminis, flaminis ac sanguinis.

Deinde ponitur modus perveniendi ad
divini perfectionem amoris. *Putatis quia* 51
pacem veni dare in terram? quasi dicat :
Nolite putare quod ad hoc venerim ut pacem carnalem, mundanam et inordinatam
præstem hominibus, per quam concordent
in vitiis, et prosperitatem consequantur
terrenam. *Non, dico vobis,* id est, talem

Digitized by Google

pacem dare non veni, *sed separationem,*
hoc est bonam ac saluberrimam divisionem spiritualem imo et corporalem, ut scilicet homines in me credentes, amore Dei desiderioque pacis internæ dissentiant a malis hominibus, et discedant ab eis qui eos a spirituali profectu et sinceritate divini amoris quærunt avertere, aut impedire nituntur.

Est igitur pax spiritualis, interna et bona, quæ est quies mentis in Deo seu ordinata concordia : propter quam dandam Christus potissimum venit. Propter quod
Luc. x, 5. jussit discipulis : In quamcumque domum
intraveritis, primum dicite, Pax huic do-
Joann. XIV, 27. mui ; et iterum, Pacem, inquit, relinquo
vobis, pacem meam do vobis. De inordinata vero falsaque pace loquitur ad Jeru-
Luc. XIX, 42. salem : In hac die, quæ ad pacem tibi ; et
Ps. LXXII, 3. Psalmista, Quia zelavi super iniquos, pa-
cem peccatorum videns. Sed de vera pace,
Galat. V, 22. quam Apostolus ad Galatas inter fructus
Spiritus computat, scriptum est apud Isa-
Is. XLVIII, 22. iam : Non est pax impiis, dicit Dominus.
Illa etenim pax interna, est caritatis effectus, et imperturbatum quoddam gaudium mentis in Deo, quæ vocatur pax pectoris ; et est inchoatio et prægustatio quædam pacis Sanctorum in patria, quæ est pax
Ps. CXLVII, 14. æternitatis : de qua fertur in Psalmo, Qui
posuit fines tuos pacem.

52 *Erunt enim ex hoc,* id est de cetero,
præsertim post evangelicæ legis divulgationem ubique, *quinque* personæ *in domo una* manentes, *divisi,* hoc est dissentientes, ita quod boni non consentient malis. Nam *tres* erunt divisi *in duos,* id est con-
53 tra duos; *et* similiter *duo in tres dividentur,* id est contra tres erunt divisi : prout consequenter exemplificatur in textu. *Pater in filium, et filius in patrem suum,* ita ut unus eorum discors erit ab alio amore justitiæ, potius volens Deo adhærere quam homini vitioso, quantumcumque propinquo : sicque gratia in electis prævalebit naturæ, amorque spiritualis amori carnali. Juxta eumdem sensum, *mater divisa erit in filiam, et filia in matrem,*

A *socrus* quoque *in nurum suam, et nurus in socrum suam.* Sed cur jam sex personæ exprimuntur, quum supra de quinque facta sit mentio? Ad quod respondet Ambrosius, quod quamvis sex personæ exprimantur, realiter tamen sunt quinque, quia eadem persona est mater et socrus. Quæ enim est mater filii, socrus est uxoris filii sui. Denique istud in primitiva Ecclesia potissimum accidit, quando in eadem domo aliqui erant fideles, aliqui infideles ; et adhuc sæpe contingit, in tantum
B ut filii et filiæ invitis parentibus religionem introeant.

Præterea, quum Christus de primo suo adventu atque secundo, et de passione sua edidisset sermonem, reprehendit Ju-
dæos, incredulos præsertim. *Dicebat autem* 54
et ad turbas : Quum videritis nubem orientem ab occasu, hoc est a plaga occidentali exsurgentem, *statim dicitis : Nimbus,* id est pluvia, *venit,* hoc est, cito pluet; *et ita fit* frequenter, quamvis non semper, propter causam contrariam interdum emer-
C gentem. Ab occidente etenim pluvialis ventus exsurgit, quia tunc calor solis debilior fit, ita ut vapores calidos elevet, et eorum humiditatem non desiccet : propter
quod pluvia generatur. *Et quum Austrum,* 55
id est ventum australem seu meridionalem, *flantem videritis,* id est, cognoveritis, vel tactu senseritis : visus enim pro quolibet sensu accipitur ; *dicitis : Quia æstus erit,* id est calida aura ; *et ita fit,* quoniam ventus australis est calidus, juxta
illud Job : Nonne vestimenta tua calida *Job* XXXVII, 17.
D sunt, quum perflata fuerit terra Austro?
— Dicit quoque Basilius : Necessariæ sunt humanæ vitæ siderum conjecturæ, dummodo quis ultra mensuram non perquirat eorum indicia. Contingit autem quædam de pluviis futuris prænoscere, plura quoque de æstibus et impetu ventorum; quanta vero commoditas ex talium conjectura vitæ humanæ præstetur, quis nescit? Pertinet namque ad nautam prænosticare procellarum pericula, ad viatorem mutationem aeris, ad colonum fructuum copiam.

Digitized by Google

56 *Hypocritæ.* Sicut in Matthæo scribitur,
Matth. xvi, 1 et seq. Christus potissimum hæc Pharisæis Sadducæisque dixit, qui pleni erant hypocrisi. *Faciem,* id est dispositionem, *cœli* aerii *et terræ probare,* hoc est per præfata signa præconjecturare, *nostis,* videlicet quod tempestas erit aut calor; *hoc autem tempus quomodo non probatis?* id est, quare ex oraculis Prophetarum non advertitis neque probatis quod modo impletum sit tempus primi adventus Christi vobis in lege et Prophetis promissi? Quia ex his quæ in lege et Prophetis scripta fuerunt, hoc debuerunt advertere potissimum Pharisæi. Nam Christo ista loquente, ablatum fuit sceptrum a Juda, et alienigena imperavit Judæis : per quod patuit esse tempus primi adventus Christi, quemadmodum in
Gen. xlix, 10. Genesi Jacob prædixit : Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium. Similiter nume-
Dan. ix, 23 et seq. rus hebdomadarum de quibus Daniel prophetavit, et infra quas Christum prædixit venturum, tunc fuit completus. Christus quoque fecit miracula quæ Isaias eum es-
Is. xxxv, 4-6. se facturum prædixit : Ecce Deus vester, inquit; ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.

Sed ne aliqui Judæorum de ignorantia Scripturarum veteris Testamenti se excu-
57 sarent, Christus adjecit : *Quid autem et a vobis ipsis,* hoc est, cur ex naturali ratione vestra, *non judicatis quod justum est,* id est, non concluditis me esse Christum, quum per tot miracula me esse Christum demonstrem? Quum enim verbis protester me esse Christum, si ita non esset, essem pessimus blasphemator, nec possem operari miracula proprie dicta, soli Deo possibilia, quum Deus non sit testis falsitatis, nec per impios agit miracula ad roborationem mendaciorum. Hinc in Joanne
Joann. xv, 24. Christus fatetur : Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Imo Jesus, ex modo agendi

A miracula, utpote tam auctoritative et imperialiter atque repente ea agendo, Christum Dei Filium se esse probavit. Dicit præterea Origenes : Nisi esset nobis naturaliter insitum id quod justum est judicare, nunquam Salvator verbum istud dixisset.

Præterea Christus hortatur ad cautissimam periculorum damnationis æternæ declinationem. *Quum autem vadis cum adversario tuo ad principem,* etc. Gregorius 58
et Beda, per adversarium istum intelligunt
B verba sacræ Scripturæ, seu divinum sermonem, qui nostris carnalibus desideriis contrariatur. Augustinus autem interdum per adversarium istum intelligit conscientiam remordentem. Origenes vero per adversarium istum intelligit diabolum.

Itaque, secundum primam acceptionem, iste est sensus : *Quum vadis cum adversario tuo,* id est cum sermone divino, *ad principem,* id est ad Christum omnium dominatorem. Nunc enim habendo in nobis verba Dei, propinquamus ad Christi
C tribunal, properando ad mortem. [*In via*] *da operam,* id est satage, *liberari ab illo,* id est ab ejus accusatione : hoc est, acquiesce et obediens esto divino sermoni, ne per allegationem ipsius in divino judicio inveniaris reus atque damnabilis : prout apud Joannem loquitur Christus, Sermo Joann. xii, 48.
quem locutus sum, judicabit eum in novissimo die; *ne forte trahat te ad judicem,* id est, ne transgressio divini sermonis seu prænuntiatio ejus, sit causa quod etiam invitus compellaris coram Christo
D judice comparere : sicut ait Apostolus, Omnes stabimus ante tribunal Christi. Dicit Rom. xiv, 10.
autem, Forte, propter libertatem arbitrii, qua potest homo malum vitare. *Et judex tradat te exactori,* id est diabolo, qui exigit tibi pœnam pro culpa infligi, teque sibi puniendum adjudicari. *Et exactor mittat te in carcerem* infernalem : de quo apud Isaiam prædicitur, Claudentur in car- Is. xxiv, 22.
cere. *Dico tibi,* non solum comminando, sed etiam certissime prænuntiando, *non exies inde,* id est, de pœnis inferni non 59

Digitized by Google

erueris : quamvis in hora judicii localiter A contingat exire ad modicum tempus, vel interim per dispensationem divinam ; *donec etiam novissimum minutum reddas,* id est, pro minimis culpis debitas tuleris pœnas : quod nunquam implebitur, quia nunquam plenarie illud debitum persolvetur, eo quod pœna æterna debeatur peccato mortali directe ; sed venialibus peccatis non debetur pœna æterna, in quantum sunt venialia, sed ratione adjuncti, id est, peccati mortalis sibi annexi. Denique quod ait, Donec, quamvis frequenter accipiatur B inclusive, hic accipitur exclusive, sicut quum dicitur, Iste non recessit a suo errore, donec obiit. Sic quoque sumitur in *Ps.* cxxii, 2. Scripturis, quum dicitur, Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur *Matth.* i, 25. nostri ; et, Non cognovit eam, scilicet Joseph Christiferam Virginem, donec peperit.

Secundo, exponitur : *Quum vadis cum adversario tuo,* id est remurmurante conscientia, *ad principem* Christum, *da operam liberari ab illo,* id est, a remorsu C conscientiæ te expurga, emendando quod conscientia reprehendit ; *ne trahat te ad judicem,* id est, ex ejus remorsu et testimonio contra te, inveniaris damnabilis. Cetera sicut jam dictum est exponantur.

Tertio sic : *Quum vadis cum adversario tuo,* id est diabolo, *ad principem* Christum : quia durante hac vita, in qua viator es, tendens ad aliam vitam et ad divinum examen, tentator te non deserit, sed insidiando graditur tecum ; *da operam liberari ab illo,* id est, ab ejus tentamentis te excute, viriliterque resiste, *ne trahat te ad judicem,* id est, potestatem et jus habeat in te, ita ut possit te violenter trahere ad divinum tribunal, *et judex tradat te exactori* diabolo. Potest quoque per exactorem intelligi angelus bonus, exigens justitiam fieri contra iniquos, qui mittit in carcerem permissive seu effective. Unde in Matthæo Christus de angelis sanctis profatur : In consummatione sæculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio *Matth.* xiii, 49, 50. justorum, et mittent eos in caminum ignis. Postremo Origenes hic ait, quod quilibet homo duos angelos habet, videlicet malum, qui hortatur ad vitia, et bonum, qui persuadet ad bona ac optima. A malo autem angelo liberamur, habendo virtutes ; et si absque peccato fuerimus, secure ei possumus respondere, Nihil debeo tibi.

ARTICULUS XXXV

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ADERANT AUTEM QUIDAM IPSO TEMPORE, NUNTIANTES ILLI DE GALILÆIS.

JAM præcedenti capitulo longam fecit D Salvator de pœnis peccantium mentionem : ideo hac occasione, quidam adstantium nuntiaverunt ei de occisione quorumdam qui inique se habuerunt, quasi
1 alludentes eloquio Christi. *Aderant autem quidam,* hoc est, Christo corporaliter adfuerunt, *ipso tempore,* quo sermonem præcedenti capitulo scriptum deprompsit, *nuntiantes illi,* scilicet Christo, quasi ipse non omnia sciret, vel, ut quid ipse de materia proponenda sentiret, callide explorarent, *de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum,* hoc est, quos Pilatus occidit dum sacrificarent, ita quod sanguis eorum et sanguis victimarum quas mactabant, seu ipsa eorum sacrificia, se invicem contingebant, vel jungebantur. Porro, secundum Cyrillum, hi Galilæi sequebantur doctrinam Ju-

Act. v,37. dæ Galilæi, de quo in Actibus Apostolorum habetur : qui docuit, nullum præter Deum debere dominum appellari, neque Judæos debere tributa solvere imperatori, nec pro imperatore populoque Romano Judæos debere sacrificia immolare. Hinc contra eos indignatus Pilatus, ipsos necavit.

2 *Et respondens* Jesus, *dixit illis* sibi hæc nuntiantibus : *Putatis quod hi Galilæi* a Pilato taliter interfecti, *præ omnibus Galilæis peccatores fuerunt,* hoc est gravioribus involuti criminibus, *quia talia passi sunt,* eo quod præ ceteris sunt occisi ? Hoc enim posset alicui apparere, eo quod pœna debeatur proportioneturque culpæ. Unde qui gravius puniuntur, enormius peccasse videntur. Sed in hac vita non semper sic accidit, quia judicia humana sunt imperfecta, nec judices hujus mundi de omnibus judicant. Verum in divino judicio summe perfecto et omnia includente, semper sic est, quod majori culpæ majorem infligit pœnam secundum justitiæ ordinem, post hanc vitam, quando in hac vita non præcessit correctio aliqua. Hinc subditur :

3 *Non, dico vobis,* id est, præfati occisi non fuerunt omnibus ceteris Galilæis pejores, quamvis iniqui fuerunt et morte hac digni ; *sed nisi pœnitentiam habueritis,* id est dolorem veræ contritionis de vestris peccatis, *omnes similiter peribitis,* hoc est, æternaliter condemnabimini, quemadmodum illi in suis sacrilegis sacrificiis deprehensi atque perempti. Vel ideo ait, Similiter peribitis, quia et ipsi Judæi, quia de Christi occisione non pœnituerunt, postea a Romanis pro magna parte occisi sunt, non obstante quod tunc sacrificia plurima Deo pro sua liberatione in Jerusalem obtulissent.

4 *Sicut illi decem et octo, super quos cecidit turris in Siloe*.* Siloe fons est in Jerusalem, juxta illud Isaiæ : Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ transeunt cum silentio. Et in Joanne Christus loquitur cæco nato : Vade ad natatoria Siloe. Juxta hunc fontem quidam Jerosolymitarum turrim ædificaverunt, quæ subito cadens, decem et octo ex illis oppressit. *Putatis, quia et ipsi debitores fuerunt,* hoc est transgressores, et talis mortis supplicium promerentes (peccator quippe est debitor pœnæ, ut eam luat ; et pœna ei debetur, ut ei infligatur, nisi emendet), *præter omnes homines habitantes in Jerusalem,* id est ceteris istis exceptis, ita quod isti similia aut majora pati non meruerunt ?

* et occidit eos. — Is. viii, 6. — Joann. ix, 7.

Non, dico vobis, id est, ipsi soli non 5
fuerunt illo mortis supplicio digni. Deus enim quorumdam peccata in præsenti ulciscitur, ut suam justitiam providentiamque ostendat, atque ut ceteri terreantur et vitam emendent, vel ut per ultionem vitæ præsentis, a gravioribus futuris eruantur suppliciis, vel ne diutius hic vivendo, gravius peccent, et duriora sibi parent tormenta. Quorumdam vero peccata, quamvis majora, non vindicat in præsenti, suam in eis ostendens longanimitatem, patientiam, pietatem, et ut diu piissime tolerati, tandem ad cor convertantur : quod si facere neglexerint, postea justius condemnentur, graviusque æternaliter puniantur. In quibus, sicut in ceteris multis, apparet quam incomprehensibilia sint sublimis Dei judicia (Rom. xi, 33) : quæ nec temere perscrutari, nec comprehendere velle licet conari, quia scrutator majestatis opprimetur a gloria (Prov. xxv, 27). *Sed si pœnitentiam non egeritis* ante exitum animæ de corpore, *omnes similiter peribitis.* Deus enim peccatum inultum ire non patitur (Job xxiv, 12). Ideo in Ecclesiastico legitur (Eccli. ii, 22) : Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, et non in manus hominum. — Postremo constat ex his, quod ea quæ casualiter evenire videntur, et quæ per humana fiunt judicia in punitione reorum, nutu et moderamine providentiæ divinæ aguntur.

Deinde Salvator exemplo parabolico rui-
nam Synagogæ prænuntiat. *Dicebat autem* 6
hanc similitudinem, volens humiliare Judæos, qui semper se justos putare ceterisque præferre proni exstiterunt. *Arbo-*

Digitized by Google

rem fici habebat quidam plantatam in vinea sua. Per arborem fici intelligitur Synagoga, quæ olim fuerat Deo valde grata, familiaris et cara, bonis ac dulcibus fructibus plena, quemadmodum ficus primatum habet in fructibus. Unde in Deu-
Deut. vii, 6. teronomio Moyses loquitur Synagogæ : Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris, de cunctis populis qui sunt super terram. Hanc arborem habuit Christus, qui secundum suam divinitatem æternus est, et plebis illius creator. Unde Judas apo-
Judæ 5. stolus scribit : Jesus populum salvans de terra Ægypti, etc. Hanc itaque ficum habuit Christus plantatam in vinea sua, hoc est in populo Judæorum : ita ut nunc per arborem fici, intelligatur plebs Judaica habitans in Judæa, de cujus eversione per Romanos completa, Christus jam fatur ; per vineam vero, totus Israel populus per varia mundi climata segregatus ac habitans, quando Christus hæc dixit. Quod autem populus Israel, Dei vinea nuncupetur, certissimum est. Scriptum est enim
Is. v, 7. in Isaia : Vinea Domini exercituum, do-
Osee x, 1. mus Israel est ; et apud Osee, Vitis fron-
Ps. LXXIX, 9. dosa Israel ; atque in Psalmo, Vineam de Ægypto transtulisti.

Et venit Filius Dei, per humanæ naturæ assumptionem, et inter Judæos con-
Baruch III, 38. versans, secundum illud Baruch : Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est ; *quærens fructum,* id est opera virtuosa, *in illa ; et non invenit :* non quod tempore adventus Christi, nulli Judæorum fuerint virtuosi, sed quia paucissimi, ita quod respectu aliorum, quasi nulli videbantur. Propter quod in Joanne
Joann. I, 11. habetur de Christo : In propria venit, et sui eum non receperunt.

7 *Dixit autem* Christus *ad cultorem vineæ,* id est ad cœtum et ordinem Apostolorum aliorumque discipulorum, qui post Christi ascensionem ad tempus soli huic Judæorum populo prædicaverunt. Hujus
Act. IV, 32. autem multitudinis fuit cor unum et anima una : ideo singulariter cultor vocatur. Nam verbo prædicationis atque exemplaris vitæ virtute, variisque miraculis, et precibus amorosis, Synagogam a peccatis purgare, ad pœnitentiam scindere, virtutibus fecundare, intra horreum Dei, quod est Ecclesia, congregare conati sunt.

Ecce anni tres sunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, id est, satis diu plebis hujus emendationem sum præstolatus, quia per tria tempora condistincta, scilicet ante captivitatem Babylonicam, et item post reditum Judæorum de Babylone, et nunc tertio, in meo adventu, quæsivi opera virtutum in plebe hac ; *et non invenio,* id est, hucusque non reperi : non quia nullo tempore bene se habuit Synagoga, quum in libro Judicum scriptum sit quemadmodum filii Israel tempore Jo- Judic. II, 7.
sue, et seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, Domino servierunt, similiter tempore David, et aliis quibusdam temporibus, ut ex libris Regum Paralipomenonque probatur ; sed quia comparative loquendo, qui Domino servierunt, pauci fuerunt, et tempora quibus hoc contigit, brevia erant, quemadmodum ex decursu libri Judicum et Regum ostenditur. Propter quod Deus per Jeremiam de Jerusalem protestatur : In indignatione et in ira Jer. XXXII, 31.
facta est civitas ista, a die qua fundata est. Dicitur autem Christus quærere, nec invenire, non quod infecunditatem malorum ignoret, sed ut suam ad nos diligentiam providentiamque demonstret, et ut humanam declaret ignaviam, seque pro nostra salute probet sollicitum, et examinatorem totius vitæ nostræ, secundum id Psalmi : Dominus de cœlo prospexit super Ps. XIII, 2.
filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum.

Succide ergo illam, hoc est, destruendam atque damnandam prænuntia, eo quod non susceperit Christum : sicut per Danielem prædictum est, Civitatem et sanctuarium Dan. IX, 26.
dissipabit populus cum duce venturo ; et in Psalmo, Fiat habitatio eorum deserta. Ps. LXVIII, 26.
Juxta hunc modum loquendi Dominus loquitur per Jeremiam : Ejice illos a facie Jer. XV, 1.
mea, id est, ejiciendos prænuntia. *Ut quid*

Digitized by Google

etiam terram occupat? hoc est, cur inaniter terram promissionis, quæ est omnium terrarum egregia, immoratur? Terram namque inutiliter indigneque occupat, qui locum suæ mansionis bonis operibus non adornat. Et sicut talis indignus est pane quo vescitur, ita indignus est terra qua sustentatur.

8 *At ille,* id est præfatus vineæ hujus cultor, videlicet chorus Apostolorum ac primitivæ Ecclesiæ in Jerusalem congregatæ, *respondens, dixit illi,* videlicet Christo : *Domine, dimitte illam et hoc anno,* hoc est, clementer differ hanc ultionem, quousque tempus prædicationis meæ in Judæa compleatur : quod per quadraginta duos circiter annos duravit; *usque dum fodiam circa illam,* id est, orando, docendo, exemplariterque vivendo, et miracula operando, mentem populi hujus ad suscipiendam fidem et gratiam tuam aperiam, vel hoc facere nitar, *et mittam stercora,* id est, per memoriam vitiorum ejus, eam ad humilitatem et compunctionem inducam. Peccata enim sunt stercora, quorum dolorosa recordatio ac deploratio cordialis agrum mentis impinguat atque fecundat,
9 quemadmodum fimus terram. *Et si quidem fecerit fructum,* supple, Bene res gesta est, nec succidetur : et hic est modus loquendi truncatus, ut moris est loqui eis qui ex vehementi dolore loquuntur. Ideo Apostolorum chorus sic loquitur, quoniam Synagogam pro maxima sua parte novit non convertendam : propter quod cordialissime tristabatur, prout ad Romanos fatetur Apostolus : Tristitia mihi magna est, et dolor continuus cordi meo pro fratribus meis, qui sunt Israelitæ. *Sin autem,* id est, si conversa non fuerit, *in futurum succides illam,* hoc est, post quadraginta duos annos Romanorum manibus eam trades, quantum ad corporis mortem, animas vero dæmonibus æternaliter puniendas : ut novimus contigisse. — Ex præmissis (ut dicunt nonnulli) patet, quod precibus ac meritis Apostolorum ac primitivæ Ecclesiæ fuit dilata Judæorum succisio per tot annos, intra quos multa millia eorumdem fuerunt conversa.

Rom. IX, 2-4.

Præterea, quoniam Synagoga figura fuit Ecclesiæ, facile est parabolam hanc ad Ecclesiam applicare, seu ad religionem quamcumque, quæ frequenter venit ad lapsum notabilem, maxime tyrannorum persecutione cessante, ita quod Christus voluit eam in parte plagare et exstirpare : sicut, proh dolor! in Terra sancta dudum jam fecit, quam propter Christianorum facinora canibus tradidit possidendam. Sed cultor Ecclesiæ, scilicet chorus bonorum pastorum ac prædicatorum, precibus obviavit, sæpeque veniam impetravit, ut Deus in hoc anno, id est tempore gratiæ, parcat et differat ultionem. — Postremo, quidam per ficulneam intelligunt genus humanum, quod peccavit in lege naturæ, in lege scripta, et in lege evangelica.

Deinceps præclarum describitur Christi miraculum suæ doctrinæ roborativum.
Erat autem docens in synagoga eorum, 10
scilicet Judæorum, *sabbatis,* id est die quodam sabbati : imo sabbatis frequentius docuit, eo quod dies illa celebris fuit Judæis ; et tunc copiosius confluebant ad synagogam, id est ad domum orationi et doctrinæ seu lectioni deputatam. Eratque in singulis Judæorum urbibus communiter talis domus : imo et in civitatibus ubi sub dominio gentilium morabantur, synagogas habebant, sicut ex Actibus Apostolorum facile est probare. Interdum vero synagoga, Judæorum collectionem designat.

Act. IX, 2; XIII, 5, 14; XIV, 1; etc.

Et ecce mulier fuit ibidem præsens, *quæ* 11
habebat spiritum infirmitatis, id est infirmitatem ex diabolico spiritu sibi, Deo permittente, inflictam : vel propter sua peccata, quemadmodum spiritus malus vexavit Saulem ; vel propter majorem feminæ hujus exercitationem, profectum et gloriam, ut fuit infirmitas sancti Job a dæmone percussi ; vel ut ex feminæ hujus tam miraculosa sanatione, virtus Christi patesceret, glorificareturque Deus, sicut de cæco nato dicitur in Joanne, quod natus est cæcus, ut opera Dei manifestaren-

I Reg. XVI, 14; XVIII, 10; XIX, 9.

Job II, 7.

Joann. IX, 3.

Digitized by Google

tur in eo: *annis decem et octo,* sicque in- A
firmitas fuit ei magis inolita difficiliusque
curabilis ex sua natura, juxta illud Ovidii,

> Sero medicina paratur,
> Quum mala per longas invaluere moras;

quamvis omnipotentiæ Christi nil esset
difficile. *Et erat inclinata,* hoc est vultu
et corpore versus terram depressa et in-
curvata instar brutorum, contra naturalem
hominis figuram et situm : cui competit
caput habere erectum, quoniam congruit
ei cœlestia quærere et terrena transcen- B
dere, supernorum intuitu et amore; *nec
omnino poterat sursum respicere,* tanquam
ita contracta.
12 *Quam quum vidisset Jesus* corporali in-
tuitu, imo potius miserationis affectu, *vo-
cavit ad se.* Poterat utique a se corporaliter
distantem curare, sed vocavit eam ad se
ut cunctis pateret miraculum ad Dei ho-
norem, et hominum ædificationem. *Et ait
illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate
tua,* hoc est, me jubente, hæc tua indispo-
sitio in instanti fugatur et desinit, quia C
meum dixisse, fecisse est, et virtuti im-
mensæ competit agere in instanti, quum
nil ei queat resistere. Christus autem se-
cundum quod Deus, omnipotens est, et
immensus in omni perfectione, sanctita-
13 te et gloria. *Et imposuit illi manus :* non
quia sine tactu hujusmodi non potuerit
eam sanare ; sed ad insinuandum quod
corpus suum fuit divinitatis suæ instru-
mentum, potentia plenum; et item ad os-
tendendum benevolentiam, caritatem et
humilitatem suam ad pauperes et infir- D
mos. *Et confestim erecta est* corpore, et
ad naturalem situm reducta est. In quo pa-
tet, quam imperialiter Christus egit mira-
cula. Et sicut feminam istam non rogatus
Luc. IV, 38, 39. curavit, socrum autem Petri rogatus : ita
interdum gratiæ dona largitur antequam
Act. IX, 3 et seq. invocetur, ut patet in Pauli conversio-
ne; interdum vult invocari. *Et glorifica-
bat Deum,* id est, mulier hæc Deo gratias
retulit, ejusque potestatem cognovit, con-
fessa est et exaltavit corde, verbo et opere,

pro tam gratiosa sua curatione. Et quamvis fortasse nondum tunc noverit quod ille qui eam sic vocavit, tetigit et sanavit, consisteret Deus, non tamen fuit ambigua, quin potestate eam curasset supernaturali atque divina : ideo Deo specialiter gratias dixit, nec dubium quin et Christo tanquam homini sancto.

Juxta intelligentiam spiritualem, per feminam inclinatam intelligi potest quæcumque anima seu persona carnalibus vitiis implicata, quam Deo juste permittente diabolus diu intus ligavit vinculis peccatorum, juxta illud Proverbiorum : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. *Prov. V, 22.* Talis igitur anima a diabolo vincta, ita efficitur debilis, spiritualiterque infirma, ut hostibus suæ salutis nequaquam resistat, sed in omni pene tentatione succumbat, atque quotidie frequentissime vulneretur, divina transgrediendo præcepta, ac mortalia incidendo peccata. Itaque, toto affectu terrenis immersa, sursum non valet respicere, Deum sinceriter contemplando, ejus judicia contuendo, et quæ ad salutem suam pertinent ponderando : quemadmodum in Daniele de luxuriosis presbyteris legitur, quod everterunt oculos suos, ut non *Dan. XIII, 9.* adspicerent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. Talem autem animam Christus interdum misericordissime adspicit, prævenit, et per inspirationem internam, per directionem angelicam, per exhortationem humanam, seu alio modo, ad se vocat, videlicet ad conversionem mentalem, pœnitentiamque condignam; et paulo post infundit ei fiduciam de remissione peccatorum suorum. Manum quoque imponit, hoc est, suum ei impendit auxilium, ita quod subito ad divinorum meditationem atque amorem erigitur : sicque cognoscens in quantis fuit periculis, erroribus et peccatis, Deo totis regratiatur præcordiis; et tanto ferventius ei obsequitur, quo majorem ab ipso misericordiam est sortita.

Denique Christus in corporali hujus fe-

Digitized by Google

minæ curatione quinque effecit, quæ in
spirituali impiorum curatione spiritualiter
agit. Etenim feminam illam vidit, vocavit,
sanavit, tetigit, et erexit. Similiter pecca-
torem spiritualiter curaturus, primo videt
Matth. ix, 9. eum oculis suæ clementiæ, sicut vidit Mat-
thæum in telonio sedentem. Secundo, vo-
cat per inspirationem internam, juxta il-
Job xiv, 15. lud Job : Vocabis me, et ego respondebo
Apoc. iii, 20. tibi ; in Apocalypsi quoque, Ego sto ad
ostium et pulso. Tertio, sanat per pecca-
torum remissionem, quemadmodum per
Is. xliii, 25. Isaiam loquitur : Ego sum qui deleo ini-
quitates tuas. Unde per Jeremiam petitur :
Jer. xvii, 14. Sana me, Domine, et sanabor. Atque in
Ps. cii, 3. Psalmo : Qui propitiatur omnibus iniqui-
tatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates
tuas. Quarto, tangit per virtutum infusio-
nem, et per excitationem mentis ad sa-
tisfactionem, seu opera quælibet bona, se-
I Reg. x, 26. cundum illud Regum : Abiit cum eo pars
exercitus, quorum tetigerat Deus corda.
Quinto, erigit ad cœlestia per æternorum
contemplationem, fervidumque amorem,
Is. l, 4. prout apud Isaiam scribitur : Dominus
erigit mihi aurem, ut audiam eum quasi
magistrum.

14 *Respondens autem archisynagogus.* Re-
spondit autem non ad alicujus interroga-
tionem, quia interrogatus non legitur, sed
ad miraculosum opus Christi apte se loqui
putavit aut finxit. Porro archisynagogus
est nomen officii, non personæ, quia prin-
cipem synagogæ designat. *Indignans quia
sabbato curasset Jesus hominem,* hoc est
feminam istam. In quo patet indiscretio,
ignorantia et falsa justitia, imo et invidia
Rom. x, 2. ejus : indiscretio, quia zelum legis habuit,
sed non secundum scientiam ; ignorantia,
quia præceptum de observantia sabbati
non intellexit ; falsa justitia, quia indigna-
tus est Christo (vera enim justitia habet
compassionem, falsa dedignationem, se-
cundum Gregorium) ; invidia, quia ut ait
Chrysostomus, non indignabatur ob sab-
bati violationem, sed propter Christi glo-
rificationem. Hinc infra vocatur hypocri-
ta, quia finxit se de sabbati violatione

A turbari, quum torqueretur invidia. *Dice-
bat turbæ : Sex dies sunt* in hebdomada,
in quibus operari oportet, hoc est, licet et
expedit : sicut Deus sex diebus omnia fe- Gen. i; ii, 1-3.
cit, septimo autem die quievit, in cujus
memoriam jussit septimum diem seu sab-
batum celebrari. *In his ergo* sex diebus
venite, et curamini, qui estis infirmi, *et
non in die sabbati,* ne prævaricemini di-
vinum præceptum.

Subinde Salvator archisynagogum re-
darguit, ostendens quod ille magis contra
B sabbatum fecit quam ipse, et quod præ-
ceptum de sabbati observatione non intel-
lexit, quia non quæcumque opera Deus
sabbato fieri prohibuit, alioqui non licuis-
set sabbato comedere, bibere, loqui, ciba-
ria scindere, potum effundere. Servilia er-
go opera fuerunt illo die illicita, non opera
caritatis, pietatis, et necessitatis. Hinc ait
Ambrosius : Deus septimo die ab operi-
bus mundi quievit, non ab omni operati-
one, quum sempiterna et jugis sit operatio
ejus, sicut Filius ait, Pater meus usque Joann. v, 17.
C modo operatur, et ego operor : ut ad si-
militudinem Dei sæcularia nostra opera,
non religiosa, cessarent.

Respondens ad illum Dominus, dixit. 15
Archisynagogus ausus non fuit Christum
directe arguere, sed populum alloquendo,
quasi indirecte redarguit eum. Sed Chri-
stus Dei injuriam non sustinens, nec po-
puli deceptionem ferens, apertissime re-
darguit archisynagogum et ejus fautores.
Hypocrita, qui justum te simulas, quum
plenus sis vitiis, *unusquisque vestrum in
D sabbato non solvit,* propria manu, vel per
ministrantem, *bovem suum aut asinum,
et ducit adaquare ?* quasi dicat : Imo hoc
facitis, quum tamen hoc sit opus magis
manuale, quam infirmum verbo curare,
aut manu contingere. *Hanc autem filiam* 16
Abrahæ, tam carnis propagatione, quam
fidei ac virtutum imitatione, *quam alliga-
vit,* hoc est, vinculo infirmitatis constrin-
xit, *Satanas, ecce decem et octo annis, non
oportebat solvi a vinculo isto die sabbati ?*
quasi dicat : Utique expediebat, tum quia

homo nobilior est jumento, tum quia in- A
digentia feminæ hujus major fuit quam
jumentorum in sabbato, tum quia alliga-
tio ista miserabilior fuit.

17 *Et quum hæc diceret, erubescebant om-
nes adversarii ejus :* quia clarissime eos
convicit, et derisione dignos monstravit.
Et omnis populus, hoc est populares et
simplices : nam adversarii erant Scribæ
et Pharisæi, humanæ gloriæ cupidi, ideo
Christi honorationem ferre non poterant ;
*gaudebat in universis quæ gloriose fiebant
ab eo,* hoc est in præclarissimis Christi B
miraculis, quæ ipse potentissime atque
promptissime fecit : ita quod summa nu-
merum superavit, juxta illud Joannis evan-
Joann. xxi, 25. gelistæ : Multa alia fecit Jesus : quæ si
scribantur per singula, nec ipsum mun-
dum arbitror posse capere eos qui scri-
bendi sunt libros. Naturale equidem est
menti humanæ, in tam supernaturalibus
atque insolitis delectari, eo quod natura-
liter scire et in cognoscendo proficere op-
tet : unde et nova placent.

Denique Christus adversarios suos variis C
modis convicit : Primo, per operationem
Luc. v, 23. miraculorum, sicut quum dixit : Quid est
facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata,
an dicere, Surge et ambula ? Secundo, per
allegationem Scripturarum, sicut quum al-
Matth. xxi, 16; Ps. viii, 3. legavit illud ex Psalmo, Ex ore infantium
et lactentium perfecisti laudem propter
Matth. xxi, 42; Ps. cxvii, 22. inimicos tuos ; item, Lapidem quem re-
probaverunt ædificantes, etc. Tertio, per
propositionem parabolarum, ut quum di-
Luc. vii, 41. xit ad Pharisæum : Duo debitores erant,
etc. Quarto, efficacia testimoniorum, sicut D
Joann. v, 33. quum dixit Judæis : Vos misistis ad Joan-
nem, etc. Quinto, subtilitate quæstionum,
Matth. xxii, 20. ut quum interrogavit Judæos : Cujus est
imago hæc et superscriptio ? Itemque :
Marc. xi, 30. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex ho-
minibus ? Sexto, exhibitione exemplorum,
sicut hoc loco.

Postremo, quia Judæi Christum frequen-
ter de sabbati transgressione reprehende-
runt, ideo multipliciter se excusat et illos
convincit : Primo, ex hominis dignitate,
ut quum ait apud Marcum : Sabbatum fa- Marc. ii, 27.
ctum est propter hominem, non homo
propter sabbatum. Secundo, ex sua ma-
jestate, ut quum ait in Matthæo : Dominus Matth. xii, 8.
est Filius hominis etiam sabbati. Tertio,
ex legis auctoritate, dum ait : Si circum- Joann. vii, 23.
cisionem accipit homo in sabbato, ut non
solvatur lex Moysis, etc. Quarto, ex sacer-
dotum operatione, quoniam sacerdotes sab-
batum violabant, nec tamen se reos puta- Matth. xii, 5.
bant, prout in Matthæo allegat. Quinto, ex
eorum cupiditate et perversitate, quoniam
curam pecorum sanationi hominum præ-
ferebant. Sexto, ex operis qualitate, quo-
niam solvere hominem a vinculo Satanæ,
opus est caritatis. Et hi duo modi in præ-
senti loco tanguntur.

Præterea, confutatis incredulis, subditur
instructio credentium, qui in Christi ope-
ribus gloriabantur. *Dicebat ergo* Jesus ad 18
turbas : *Cui simile est regnum Dei ? et cui
simile esse existimabo illud ?* Primo inter-
rogat, et interrogationem sub aliis verbis
resumit, ut attentos redderet auditores, et
materiæ proponendæ excellentiam decla-
raret. Deinde respondet : *Simile est grano* 19
sinapis, etc.

Regnum Dei seu regnum cœlorum, in
Scripturis multipliciter sumitur : primo,
pro Ecclesia militanti ; secundo, pro Ec-
clesia triumphanti ; tertio, pro æterna fe-
licitate, seu præmio Beatorum ; quarto, pro
cœlesti mansione eorum, puta pro cœlo
empyreo ; quinto, pro activo regimine Dei ;
sexto, pro negotio quod in militanti Ec-
clesia agitur ; septimo, pro statu Ecclesiæ
militantis ; octavo, pro virtute et gratia
Ecclesiæ militantis, per quas ad Ecclesi-
am triumphantem perducitur ; nono, pro
sacra Scriptura ; decimo, pro ipso Domino
Salvatore, secundum Hieronymum. Itaque
regnum Dei hic accipi potest, primo, sex-
to, septimo, octavo, nono et decimo modis.
Quum enim Christus hæc dixit, primitiva
Ecclesia militans, scilicet plebs credens
in ipsum, instar grani sinapis parva fuit.
Unde superius vocavit eam gregem pu- Luc. xii, 32.
sillum. Rursum, prædicationis negotium,

Digitized by Google

quod tunc in plebe hac agebatur a Christo, A in loco agebatur angusto, et in parvo terræ angulo fuit, comparatione orbis terrarum. Præterea, status hujus Ecclesiæ, et virtus ac gratia ejus, tunc modici erant, præsertim extensive loquendo, quia adhuc pauci credebant; et ipsi quoque Apostoli adhuc rudes tunc erant, valdeque imperfecti. Similiter Scriptura divina tunc nondum fuit multiplicata per mundum, ut postmodum per Apostolorum prædicationem. Sed et ipse Christus tunc adhuc parvus fuit in cordibus Judæorum, quia B modice reputabatur ab eis. Unde Joannes
Joann. III, 30. Baptista prædixit : Illum oportet crescere, me autem minui.

Itaque, *Simile est* regnum Dei *grano sinapis,* quod primo permodicum est, *quod acceptum homo misit in hortum suum ; et crevit, et factum est in arborem magnam ; et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.* Pariformiter primitivam Ecclesiam militantem misit Deus in hortum suum, hoc est in templum Jerusalem, quod fuit locus cultus divini et habitaculum Dei, in C quo Apostoli, suscepto Spiritu Sancto, post Christi ascensionem primo orsi sunt præ-
Act. II, 46; V, 12. dicare evangelicam legem. Quotidie quoque unanimiter fuerunt in templo et porticu Salomonis, prout in Actibus Apostolorum habetur. Deinde Ecclesia crevit mirabiliter omni die, velut in arborem magnam, quia per totum mundum diffusa est, et plena fuit fructibus bonis : ita quod volucres cœli, hoc est viri contemplativi, ac spirituales doctores, atque prælati, requieverunt in ramis ejus, id est sub prote- D ctione et umbra, documentis et gratia Apostolorum, qui fuerunt velut rami Ecclesiæ, per climata mundi hinc inde extenti. Vel rami Ecclesiæ, sunt potestas ejus spiritualis ac sæcularis.

Quemadmodum autem dictum est de incremento Ecclesiæ, ita de incremento evangelicæ prædicationis et ecclesiastici status, itemque virtutis et gratiæ primitivæ Ecclesiæ, est dicendum : quia hæc omnia, primo in Jerusalem et Judæa, quasi in loco angusto fuerunt ; deinde per quatuor mundi plagas diffusa sunt. Fueruntque ista plantata in horto Dei, hoc est in ipsa Ecclesia seu corde credentium. Unde Sponsa in Canticis ait : Veniat dilectus Cant. V, 1. meus in hortum suum. Insuper Scriptura sacra, primo paucis cognita et concessa, per discipulorum Christi prædicationem toti mundo est communicata : in cujus ramis, hoc est variis expositionibus, præfatæ volucres cœli quiescunt, divinis vacando. Postremo, Christus primo inter Judæos modice reputatus, imo vilipensus, reprobatus et crucifixus, per Apostolorum prædicationem ac signa toti mundo innotuit; atque in cordibus electorum sic crevit, quod agnitus est, honoratus ac adoratus ut verus Deus, sicque in ejus ramis, hoc est potestatibus, defensionibus et gratiis, requieverunt fideles. Unde apud Danielem designatus est Christus per la- Dan. II, 34, 35. pidem abscissum de monte absque manibus : qui lapis factus est mons magnus, implevitque totam terram. Sed et Christum misit Pater in hortum suum, hoc est in Ecclesiam, et primo ad Synagogam.

Et iterum dixit : Cui simile æstimabo 20
regnum Dei? De quo jam dictum est. *Si-* 21
mile est fermento, quod acceptum mulier abscondit, hoc est miscuit, *in farinæ sata tria,* id est in tres mensuras farinæ aqua adspersæ. Satum enim, secundum Bedam, est mensura juxta morem provinciæ Palæstinæ, unum et dimidium modium capiens. *Donec fermentaretur totum,* hoc est, tota massa a fermento virtutem acciperet, ut esset apta materia panis. Simili modo, sacra Scriptura seu Christus, vel fides et caritas ejus, seu prædicatio evangelica, tanquam virtuosum optimumque fermentum; a muliere, hoc est ab increata Sapientia, tanquam a causa principali, et ab apostolica congregatione, tanquam a causa secundaria instrumentali, seu ministerio illibatæ carnis Christi; commixta est congregationi fidelium, seu credentium cordi infusa; tanquam in tria sata, propter summæ Trinitatis mysterium, vel propter

tres status servorum Dei, scilicet incipi- A
entium, proficientium, et perfectorum, vel
propter statum conjugatorum, continen-
tium, et virginum; donec fermentaretur
totum, hoc est, quousque universum my-
sticum corpus Christi, quod est universa
Ecclesia electorum fidelium, Christo in-
corporaretur, ejusque fide, caritate et gra-
tia formaretur, et per sacram Scripturam
instrueretur, et tantam a Christo virtutem
acciperet, ut de ea Apostolus fateatur :
Unus panis et unum corpus, multi sumus. I Cor. x, 17.
Itaque fermentum hoc loco in bono ac-
cipitur. Alibi vero in malo accipitur, ut
quum Apostolus ait : Modicum fermen- Ibid. v, 6.
tum totam massam corrumpit; et quum
in Osee legitur, Quievit civitas paululum a Osee vii, 4.
commixtione, donec fermentaretur totum.

ARTICULUS XXXVI

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI TERTIIDECIMI, AB EO LOCO QUO DICITUR : ET IBAT PER CIVITATES ET CASTELLA, DOCENS.

QUONIAM Christus jam de evangelicæ B
prædicationis ac fidei multiplicatione
figuraliter est locutus, consequenter facto
22 verba sua verificat. *Et ibat* Jesus cum di-
scipulis suis *per civitates et castella* Ga-
lilææ atque Judææ, *docens* tam urbanos
quam villanos, tanquam personarum acce-
ptor non exsistens, sed omnes tam parvos
quam magnos, tam doctos quam idiotas,
quantum in se fuit, ad salutem inducens;
et iter faciens in Jerusalem, hoc est, ad
locum suæ passionis propinquans, et ge-
nus humanum liberare desiderans, sicut C
Luc. xii, 50. jam ante testatus est : Baptismo habeo ba-
ptizari, et quomodo coarctor donec perfi-
ciatur ?
23 *Ait autem illi quidam : Domine, si
pauci sunt qui salvantur ?* Hoc ideo inter-
rogavit, quia audivit Christum de cœlesti
regno plurima prædicare, documentaque
ardua tradere pro acquirenda salute. *Ipse
autem dixit ad illos.* Unus quæsivit, sed
Christus ad omnes qui aderant, dirigit re-
sponsionem, quoniam quæstionis solutio
ad omnes spectavit : et forte iste unus ex D
24 aliorum interrogavit instinctu. *Contendite,*
id est, cum lite et pugna contra dæmones
et peccata, contra mundum et propriam
carnem, irrefrenatamque propriam volun-
tatem, satagite, *intrare,* hoc est ad æter-
nam beatitudinem proficisci per interiores
exterioresque actus virtutum, *per angu-
stam portam,* id est per vitam pœnitenti-
alem, per indesinentem cordis custodiam,
per conversationem timoratam; vel per
Christum, ejus sequendo vestigia, qui ait :
Ego sum ostium; itemque : Ego sum via, Joann. x, 9.
etc. Porro, Christum sequi et per ipsum Ibid. xiv, 6.
intrare, est adversa æquanimiter ferre, bo-
na pro malis rependere, inimicos diligere,
malle mori quam viam virtutis et æquita-
tis deserere. Hinc Paulus testatur : Omnes II Tim. iii,
qui volunt pie vivere in Christo, persecu- 12.
tionem patientur; et Joannes : Qui se di- I Joann. ii,
cit in Christo manere, debet sicut ille 6.
ambulavit, et ipse ambulare. Hæc est por-
ta angusta, de qua apud Matthæum aper-
tius loquitur Christus : Intrate, inquiens, Matth. vii,
per angustam portam, quia lata porta et 13, 14.
spatiosa via est quæ ducit ad perditionem,
et multi intrant per eam. Quam angusta
porta et arcta via quæ ducit ad vitam, et
pauci inveniunt eam !

Sed videtur his obviare, quod in Mat-
thæo dicit Salvator : Jugum meum suave Ibid. xi, 30.
est et onus meum leve. Et respondendum,
quod eadem via, est imperfectis ac inci-
pientibus arcta, laboriosa, dura sive ama-

Digitized by Google

ra; proficientibus vero dulcescit, et perfectis, puta ardenter amantibus, levis est,
I Petr. II, 3. suavis atque amœna : quia gustarunt quam dulcis est Deus, et quanta sit delectatio mente tranquilla Deo vacare, virtutibus occupari ; habentque passiones reformatas, et vitia de facili vincunt. Denique, si sæpe corporaliter affligantur sustinendo adversa, mente tamen consolantur et gaudent in Domino, quemadmodum Jacobus
Jacob. I, 2. in suæ epistolæ monet exordio : Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. Nam et quæ- B libet virtus, quanto perfectius alicui inest, tanto majorem habet delectationem suæ operationi adjunctam. Hinc in Proverbiis
Prov. IV, 11, 12. Sapientia loquitur : Ducam te per semitas æquitatis, quas quum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui. Unde Hieronymus : Virtutes duræ sunt incipienti, molles proficienti, suaves pervenienti. Et Augustinus : Semitæ æquitatis dum inchoantur, arctæ videntur et angustæ, dum autem profectum accipiunt, spaciosæ videntur et latæ.

Verumtamen, quamvis perfectis seu for- C titer proficientibus suave sit et jucundum psalmis orationibusque vacare, contemplationi intendere, ceteris quoque spiritualibus exercitiis inhærere ; nihilo minus difficultas et labor eis contingunt in refrenatione cordis ab omni evagatione, in venialium peccatorum evitatione, in quotidianorum defectuum deploratione ac castigatione, in multiplici quoque afflictione seu compassione, qua propter aliorum peccata et ruinam ecclesiastici status, intimo afficiuntur dolore. Nam et Paulus D
II Cor. I, 8. testatus est : Supra modum gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere. Sed et abbas Agathon dixit : Non est labor sicut orare Deum, videlicet propter difficultatem vitandi omnem animi evagationem, tempore orationis præcipue devitandam. Interdum quoque viris bonis spiritualis consolatio, alacritas cordis, fiduciæ gaudium, ad tempus dispensative divinitus subtrahuntur : tuncque dura sunt eis, quæ ante cum lætitia gerebantur.

A Postremo, si quis velit clarius scire quid sit dicere, Arcta est via salutis, advertat illud Apostoli : Qui autem sunt Christi, Galat. V, 24.
carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ; et denuo, Cum metu, inquit, et tremore ac timore vestram salutem operamini. Philipp. II, 12.
Sed, heu ! multi sunt jam nomine tenus christiani, qui abjecto Christi præcepto ac documento, contendunt quomodo abundent divitiis, et (quod periculosissimum est) quomodo pluribus beneficiis adeptis, lautam et carnalem vitam deducant, quomodo ad ecclesiasticas dignitates, ad prælationes, ad majoritatem pertingant, ut honorentur.

Itaque, Contendite intrare per portam angustam, *quia multi, dico vobis, quærent intrare* regnum cœleste, *et non poterunt,* quia non efficaciter quæsierunt, nec fervide optaverunt, sed pigre et negligenter, aut nimis tarde, quemadmodum virgines Matth. XXV, 10-12.
fatuæ. Sunt igitur quamplures fidem informem ac servilem timorem habentes, qui frequenter abhorrent pœnas inferni, se cogitant morituros, divinum formidant judicium, cupiuntque beatitudinem æternalem ; sed carnali amore, sæcularique vanitate seu ambitione, et feminea quadam mollitie, retrahuntur a via salutis, a bono proposito aut incepto ; sed et difficultas incedendi per viam arctam eos deterret, nec fiduciam sumunt in Domino, ideo miseri miserabiliter irreparabiliterque dispereunt.

Quum autem intraverit paterfamilias, 25
hoc est, dum Christus omnium fidelium princeps et Dominus, completo finali judicio, cum universis electis cœlestem paradisum seu cœlum empyreum ingressus fuerit, secundum naturam assumptam locum mutando, qui secundum divinitatem suam incircumscriptibilis invariabilisque consistit, *et clauserit ostium,* hoc est aditum regni cœlestis, ita quod pœnitentiæ et precum locus non erit, quia finita erit tunc via, id est præsens vita : qua durante durat tempus promerendi ac demerendi, et qua finem sumente, finitur hujus-

Digitized by Google

modi tempus; *et incipietis foris stare,* id A
est ab electis loco ac præmio segregari,
cum quibus in hac vita corporaliter mixti
fuistis, *et pulsare ostium,* id est ingres-
Joann. x, 9. sum deposcere, seu Christum qui ostium
est precari, *dicentes : Domine, aperi nobis*
januam gloriæ, nosque exaudi. *Et respondens*
Christus Dominus, *dicet vobis* verbo
oris seu facto : *Nescio vos* per approbati-
onem *unde sitis,* hoc est, de numero ele-
ctorum, de sorte justorum, vos esse non
fateor. Est autem duplex notitia, scilicet
approbationis, et simplicis intelligentiæ B
seu visionis. De prima ergo notitia jam
sermo : secundum quam Deus non novit
nisi justos, et ea quæ sunt virtutis et gra-
tiæ. Sic quoque de homine veraci dicitur,
quod nescit mentiri. Loquendo autem de
notitia simplicis visionis, Deus scit bona
Job xi, 11. et mala, secundum illud Job : Ipse no-
vit hominum vanitatem, et videns ini-
quitatem, nonne considerat? Rursusque :
Ibid. xii, 16. Ipse novit decipientem, et eum qui de-
cipitur.

26 *Tunc incipietis dicere,* hoc est, dicere C
optabitis, vel corde dicetis; vel si posse-
tis, diceretis : *Manducavimus coram te, et*
bibimus, et in plateis nostris docuisti. Hoc
primo exponitur de Judæis illius tempo-
ris, inter quos Christus corporaliter con-
versabatur : qui coram ipso, et cum ipso
sæpe cibum et potum sumpserunt; et in
eorum prædicavit viis, synagogis et locis.
Potest quoque exponi communiter de Ju-
dæis, qui secundum legem, certis tem-
poribus, in templo de victimis suis et
oblationibus comederunt : in quorum pla- D
teis et synagogis Christus per doctores ve-
teris Testamenti dicitur docuisse. Spiri-
tualiter vero, de Christianis exponitur qui
corpus et sanguinem Christi indigne par-
ticipant : propter quod damnationem in-
currunt majorem. In quorum etiam plateis,
viis, ecclesiis, Christus per suos ministros
quotidie docet : imo et in plateis anima-
rum eorum, hoc est in lata capacitate
intellectus ipsorum, per inspirationem in-
ternam, atque angelicam directionem, spi-
ritualiter docet ac loquitur; sed ipsi ad-
vertere ac parere recusant.

Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis : 27
sicut expositum est. Unde ad Judæos olim
electos Deus ait per Amos prophetam :
Tantummodo vos cognovi ex omnibus po- Amos iii, 2.
pulis. *Discedite a me, omnes operarii ini-*
quitatis, id est, qui in peccatis mortalibus
deprehensi estis, nec finaliter pœnitui-
stis. Hoc est quod in Matthæo loquitur eis
Christus : Ite, maledicti, in ignem æter- Matth. xxv, 41.
num. Ideo dicit Psalmista : Neque habita- Ps. v, 6.
bit juxta te malignus, neque permanebunt
injusti ante oculos tuos; et vice versa
de electis decantat, Verumtamen justi con- Ps. cxxxix, 14.
fitebuntur nomini tuo, et habitabunt re-
cti cum vultu tuo.

Ibi, videlicet in inferno, *erit fletus et* 28
stridor dentium. Fletus ibi erit ex diver-
sis generibus infernalium tormentorum :
etenim, Ignis, sulfur, spiritus procellarum, Ps. x, 7.
pars calicis eorum, id est, pars sunt sup-
plicii damnatorum. Stridor vero ibi specia-
liter erit ex vehementissimo frigore, juxta
illud Job : Ab aquis nivium transiet ad Job xxiv, 19.
calorem nimium. Ex indignatione quo-
que, impatientia, et furore poterit stridor
eis inesse, juxta illud Psalmistæ : Pecca- Ps. cxi, 10.
tor videbit et irascetur, dentibus suis fre-
met et tabescet. Quemadmodum enim, se-
cundum divinum Dionysium, in Divinis
nominibus, sunt in dæmonibus phanta-
smata proterva, amens furor, et irratio-
nabilis concupiscentia; sic et de cunctis
dici potest damnatis. Unde Deum benedi-
ctum incessanter blasphemare dicuntur.
— Præterea quæritur, an fletus ille dam-
natorum post resurrectionem erit corpo-
ralis. Ad quod respondent doctores, quod
duplex est fletus, utpote : spiritualis, qui
est intensus dolor interior, quem certum
est esse in tartaris. Alius est fletus cor-
poralis, in quo duo considerantur. Pri-
mum est resolutio lacrimarum : quæ in
damnatis non erit, quoniam cessante mo-
tu cœli, generatio corruptioque cessabunt;
et item, quum damnatio illa sit æternali-
ter duratura, esset et lacrimarum resolutio

Digitized by Google

infinita. Secundum quod in fletu corpo- A rali consideratur, est oculorum et capitis turbatio et obnubilatio : quod erit in illis.

Quum videritis Abraham et Isaac et Jacob et omnes Prophetas, qui Spiritu Sancto eos, non solum per gratiam gratis datam, qualis est gratia prophetiæ, sed etiam per gratiam gratum facientem, inhabitante, locuti sunt, *in regno Dei* quiescentes. — Circa quod quæritur, quomodo reprobi electos visuri sint tunc in regno Dei, quum secundum Gregorium, post diem judicii, damnati non amplius sint vi- B suri electos in regno cœlesti. Et respondendum, quod reprobi ad suæ calamitatis augmentum, videbunt electos, lata sententia, in cœlos conscendere, sicque facta illa ascensione, videbunt, hoc est, certissime scient, eos esse in regno cœlesti. — Denique Christus specialiter nominat hos tres Patriarchas, propter præcipuam eorum sanctitatem, et quoniam Deus in veteri Testamento specialiter se vocavit Deum eorum, juxta illud Exodi (*Exod.* III, 6, 15.) : Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Ja- C cob : hoc nomen mihi est in æternum. Item, quia ad hos specialiter facta est promissio, imo et eadem promissio de Christo et Salvatore facta per ipsum. Abrahæ enim locutus est Dominus in Genesi (*Gen.* XXII, 18.) : Benedicentur in semine tuo omnes gentes, hoc est in Christo, sicut ad Galatas exponit Apostolus (*Galat.* III, 14, 16.). Porro, ad Isaac locutus est Dominus (*Gen.* XXVI, 4.) : Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Ad Jacob quoque locutus est Deus (*Ibid.* XXVIII, 14.) : Benedicentur in semine tuo cunctæ tribus terræ. Unde quod aliqui D dicunt ad Abraham et ad David tantummodo factam esse repromissionem, sane intelligendum est.

Vos autem videbitis per experientiam *expelli foras,* hoc est, excludi a regno atque collegio electorum : secundum illud Matthæi (*Matth.* XXV, 30.), Inutilem servum projicite in tenebras exteriores; et in Apocalypsi (*Apoc.* XXII, 15.) : Foris canes, et venefici, et impudici, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.

Et venient electi *ab oriente, et occidente, et aquilone, et austro,* hoc est non solum ex Judæa, sed a quatuor plagis seu partibus terræ, *et accumbent,* id est, feliciter reficientur ac requiescent, *in regno Dei :* quia jam de omnibus mundi partibus, non Judæi dumtaxat, sed et innumerabiles gentilium sunt conversi ad Christum per fidem ac gratiam : qui sicut nunc requiescunt in regno Ecclesiæ militantis, hoc est in ipsa Ecclesia peregrinante ac viatrice, ita post finale judicium, æternaliter ac beatissime conquiescent in Ecclesia triumphanti. Hinc apud Matthæum loquitur Christus de semetipso (*Matth.* XXIV, 31.) : Mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabit electos a quatuor ventis, et accumbent in regno Dei. Ad quod applicari potest quod magnus ille Isaias propheta prædixit (*Is.* XLIX, 12.) : Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi.

Moraliter, per orientem designatur ortus nativitatis; per occidentem, occasus seu interitus mortis; per aquilonem, qui est ventus durissimus, duritia adversitatis; per austrum, qui est calidissimus ventus, favor et lenitas prosperitatis. Itaque spiritualiter ab oriente veniunt, qui consideratione suæ originis convertuntur, pensantes illud Job (*Job* XIV, 1.) : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Ab aquilone veniunt, qui mortis memoria, judicii metu, inferni formidine convertuntur, pensantes illud Apostoli (*Hebr.* X, 31.) : Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Ab aquilone veniunt, qui necessitate urgente, vel adversitate monente, compunguntur, et redeunt ad salutem : de quibus ait Salvator (*Luc.* XIV, 23.), Compelle intrare. De quibus Isaias asserit (*Is.* XXVI, 16.) : Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. In quibus impletur quod per Osee loquitur Dominus (*Osee* II, 6, 7.) : Ecce sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria; et quæret amatores suos, et non inveniet, et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam

29

nunc. Ab austro veniunt, qui arridentibus A sibi prosperis, nihilo minus Deo inhærent, in talibus Deo gratias referentes, et magis offendere metuentes, sicut B. Petrus hortatur : I Petr. ii, 9. Gratias agite Deo, qui vos vocavit in admirabile lumen suum. Hinc insuper constat, quod moraliter fando, ab oriente veniunt nobiles, ab occidente ignobiles, ab austro divites, ab aquilone pauperes : et de his omnibus aliqui salvabuntur. Ad quod illud Ezechielis coaptatur : Ezech. xxxvii, 9. A quatuor ventis cœli veni, spiritus, insuffla super interfectos istos, et reviviscant. B

30 *Et ecce sunt novissimi, qui erant primi,* hoc est, Judæi, qui ante gentiles fuerunt ad Christi fidem admoniti, propter suam incredulitatem sunt facti extremi et ultimi, id est conversis gentilibus postponendi ; *et sunt primi, qui erant novissimi,* hoc est, gentiles conversi incredulos præcesserunt Judæos, qui ante gentiles fuerunt vocati. Interdum quoque contingit quod primi, id est in gratia atque virtutibus perfectiores, fiunt novissimi, id est pejores, quia paulatim tepescunt, quem- C admodum in Apocalypsi Deus cuidam improperat : Apoc. ii, 4. Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Augustinus quoque : Vidi, inquit, cedros Libani cecidisse. Ideo monet Apostolus : I Cor. x, 12. Qui stat, videat ne cadat. Fiunt etiam primi, qui erant novissimi, dum homines vitiosi pœnitendo crescunt in viros virtutum : in quibus impletur illud Apostoli, Rom. v, 20. Ubi abundavit delictum, superabundat et gratia. Postremo, Primi, hoc est magni et inclyti in sæculo isto, sunt in futuro sæculo, quando dam- D nantur, novissimi ; et qui hic reputantur novissimi, id est viles et despecti, in futuro fiunt primi, dum humiles in cœlestibus exaltantur : nam ut Paulus fatetur, I Cor. i, 27. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.

31 *In ipsa die,* qua Christus verba statim præhabita dixit, *accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi* de terra hac Galilææ, *et vade hinc,* scilicet extra territorium potestatis Herodis, *quia Herodes vult te occidere.* Quod de Herode Antipa filio Herodis Ascalonitæ, qui occidit infantes, Matth. ii, 16. est intelligendum. Porro, secundum Cyrillum, Pharisæi hi ista malo zelo locuti sunt, tanquam provocati contra Christum propter verba ipsius, quibus gentiles Judæis præposuit. Alii quidam existimant, quod forte aliqui eorum bono zelo dixerunt ista. Cur autem Herodes quæsierit Christum occidere, aliqui opinantur quod ideo : quoniam audiebat tot millia sequi Christum, suspicabatur ne forte a Christo tanquam a Galilæo concitaretur seditio contra regnum suum. Vel forte finxerunt istud, ut Christum terrerent et effugarent.

Et ait illis : Ite, dicite vulpi illi, hoc 32 est callido et doloso Herodi. Vulpes quippe, secundum Bedam, est animal fraude plenum, in foveis ad insidiandum latens, odore fœtens, et nunquam itinere recto incedens. Sic princeps iniquus, est animal per vitam bestialem, dolosus per calliditatem, in foveis latens, hoc est simulatione et duplicitate suam pravitatem abscondens, atque insidians per excogitatam versutiam, fœtens per malam famam, curve incedens per conversationem injustam. Simili modo Deus per Isaiam nominavit Achaz vulpem. *Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio,* hoc est, languidos curo, *hodie et cras,* id est, nunc et tempore opportuno, quousque in corpore hic subsisto. Cras enim in Scripturis accipitur pro tempore propinquo, sicut in Genesi Jacob effatur : Gen. xxx, 33. Cras respondebit mihi justitia mea. *Et tertia die consummor,* hoc est, statim post tempus præfatum occidar, et implebuntur quæ de me prædixerunt Prophetæ.

Verumtamen oportet me, hoc est, ad ho- 33 minum salutem expedit, et me decet, seu etiam necessitate conditionata necesse est, ut præordinatio divina et prophetiæ de mea passione impleantur in me, *hodie, et cras, et sequenti die,* hoc est per tempus aliquantulum jam currens citoque finiendum, sicut expositum est, *ambulare,* id

Digitized by Google

est, in sæculo hoc conversari, et opera divina peragere, seu Jerusalem versus proficisci, *quia non capit,* hoc est, capacitatem seu congruentiam non habet, *Prophetam perire,* id est occidi, *extra Jerusalem.* Hoc per modum hyperbolicæ locutionis dictum videtur. Non enim omnes Prophetæ occisi, in Jerusalem sunt occisi, quum Jeremias in Ægypto, et Ezechiel in Chaldæa, et Amos in terra decem tribuum, legantur occisi. Sed ideo Christus hoc dixit, quia communiter in Jerusalem talia contigerunt; et ibi innocentium sanguis frequenter ac copiose effusus est, quia ibidem reges iniqui, pontifices impii, Scribæ et Pharisæi malitiosi habitaverunt, qui a Prophetis increpari et instrui contempserunt. Sumitur autem hoc loco Jerusalem, non solum pro spatio infra mœnia comprehenso, sed pro urbe simul cum appendiciis et adjacentiis ejus, quum certum sit Christum extra muros Jerusalem crucifixum, secundum illud Apostoli Pau-
Hebr. XIII, 12. li : Jesus ut sanctificaret populum, extra portam passus est.

34 *Jerusalem, Jerusalem,* id est, o plebs urbis illius : et repetitio nominis, est signum compassionis, vel seriositatis, et excitationis ad advertentiam diligentem; *quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te,* id est, sæpe hæc crimina perpetrasti, adhuc autem cito factura es
II Par. XXIV, 21, 22. talia. Nam Zachariam filium Joiadæ lapidaverunt, Isaiam serra diviserunt. *Quoties volui* (quasi dicat, Multoties volui) *congregare filios tuos,* hoc est pertinentes ad te, scilicet totum populum Judæorum, cujus metropolis fuit Jerusalem : quos Christus secundum suam divinitatem, diu ante suam incarnationem voluit per Moysen aliosque Sanctos veteris Testamenti, scilicet per judices et Prophetas ac Patriarchas, spiritualiter congregare sub sua gratiosa defensione, sub devoto cultu unius Dei, sub fide et caritate; *quemadmodum avis nidum suum sub pennis,* id est, sicut avis defendit et continet pullos suos in nido locatos sub propriis alis, ne a rapa-

A cibus avibus diripiantur, *et noluisti* taliter congregari, quia Deo et Sanctis ejus fuisti rebellis? Denique, si interdum populus ille bonis consensit, hoc raro fuit, et pro majori parte plebis ac temporis fuerunt perversi. Christus quoque antequam verba hæc protulit, sæpe in Jerusalem fuit, et quædam ibi miracula fecit, ac docuit : per quæ omnia voluit plebem illam convertere. Nec dubium quin et oravit frequenter pro ipsis. — Circa hoc quæritur : Quum divina voluntas sit omnipo-
B tens, cui nullus resistere potest, quomodo Esther XIII, 9.
si Deus vult homines congregare, convertere et salvare, aliter accidere potest? Ad quod respondet Damascenus, quod voluntas Dei antecedens non semper impletur, quia non est voluntas absoluta et plena, sed voluntas Dei consequens semper impletur. De hoc alibi sæpe clarius scripsi.

Ecce relinquetur vobis, id est ad vestram 35
confusionem, vestrarumque culparum vindictam, *domus vestra,* id est templum, vel urbs seu natio vestra, *deserta.* Quod
C factum est, quando Romani destruxerunt Jerusalem, et occiderunt, vendiderunt, ac disperserunt plurimos Judæorum, sicut frequenter jam dictum est, et ex Scripturis veteris Testamenti probatum. Nam Daniel dixit : Civitatem et sanctuarium dis- Dan. IX, 26.
sipabit populus cum duce venturo; et Psalmista, Fiat habitatio eorum deserta. Ps. LXVIII, 26.
Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat tempus *quum dicetis : Benedictus qui venit in nomine Domini.* Aliqui dicunt istud impletum in die Palmarum,
D quando pueri clamabant cum turbis : Ho- Matth. XXI, 9.
sanna, benedictus qui venit, etc. Verumtamen, secundum ordinem narrationis beatissimi evangelistæ Matthæi, Christus verba Ibid. XXIII, 37-39.
hæc protulit post facti illius executionem, imo et post diem Palmarum. Similiter secundum B. Lucæ narrationem, Christus hæc dixit, quum esset in via Jerusalem versus, ante diem Palmarum; et sicut ex evangelio S. Joannis probatur, Christus Joann. VII, 10; VIII, 2; X, 22, 23.
post hæc verba sæpe in Jerusalem fuit. Ideo istud exponitur de secundo ejus ad-

Digitized by Google

ventu, ut sit sensus : *Dico vobis* incredulis A et ingratis, *non videbitis me,* hoc est, in vestra cæcitate relinquemini justo Dei judicio, propter vestras malitias, ita quod non agnoscetis me esse Christum Filium Dei, *donec veniat quum dicetis,* id est usque ad diem judicii, quando corporaliter videbitis et Christum esse scietis me (*Zach.* XII, 10.) quem confixistis, tuncque invite dicetis seu confitebimini, *Benedictus qui venit in nomine Domini :* quia in nomine Jesu Christi omne genu flectitur, cœlestium, (*Philipp.* II, 10.) terrestrium, et infernorum. Porro secundum Theophilum, Christus dicendo, Non me videbitis, non significat horam illam qua hæc dixit, sed tempus crucis : quasi dicat, Postquam crucifixeritis me, non amplius videbitis me, donec iterum veniam omnia judicaturus. Postremo, in Scripturis aliqua per anticipationem dicuntur ; et Christus eadem verba sæpius potuit prædicare.

ARTICULUS XXXVII

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ET FACTUM EST, QUUM INTRARET IN DOMUM CUJUSDAM PRINCIPIS PHARISÆORUM.

CHRISTUS, qui venit in mundum hunc B peccatores convertere, variis modis studuit eos trahere ad salutem. Unde et eis convesci dignatus est, ut perfectissima morum suorum honestate, ac sapientissima collocutione, ac aliis modis ipsos ad meliora alliceret, prout in hujus capituli
1 fertur exordio. *Et factum est, quum intraret* Dominus Jesus, *in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem,* forte invitatus ad prandium. Per panem autem in Scripturis intelligitur quilibet cibus, sicut per aquam quilibet C potus : ut constat ex eo quod in libris Regum Eliseus loquitur regi Israel de Syriis : (IV *Reg.* VI, 22.) Pone panem et aquam coram eis, ut comedant et bibant. Moxque ibidem subjungitur : (*Ibid.* 23.) Et apposita est eis ciborum magna præparatio, et comederunt, et biberunt. *Et ipsi* Pharisæi *observabant eum,* quomodo in verbo aut facto possent reprehendere eum, præsertim an aliquid contra festivitatem sabbati ageret. Christus nempe, ut ait Bernardus, in factis passus est observatores, in dictis contra- D dictores, in tormentis illusores. De quibus observatoribus Christus ait in Psalmo : (*Ps.* LXX, 10.) Qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.

Et ecce homo quidam hydropicus erat 2
ante illum. Ordinatione divina hydropicus ille advenit, ut in ejus curatione potentia Christi claresceret, et per hoc error Pharisæorum confutaretur. Porro ab ὕδωρ, quod est aqua, dicitur hydropisis : quæ est morbus aquosus, ex vesicæ vitio natus, cum inflatione turgente et anhelitu fœtido. Proprium quoque hydropico est, quod quanto plus bibit, tanto plus sitit. Idcirco per eum avari et lubrici designantur, qui quanto plus delectationibus se exponunt et rebus acquirendis intendunt, tanto eorum affectus plus ad venerea et ad temporalia inflammatur. Denique septem ponuntur proprietates hydropici, per quas septem mortalia peccata denotantur. Prima est tumor corporis et membrorum, per quem signatur superbia, juxta illud Job : Quid tumet contra Deum spiritus (*Job* XV, 13.) tuus ? Secunda est expressio spirituum, per quam significatur invidia, quæ aliorum laudabilia comprimit ne pandantur. Tertia est ardor sitis, quæ designat avaritiam. Quarta est indigestio humorum,

Digitized by Google

quæ iram significat. Quinta est pigritia
seu tarditas pedum, per quam notatur ace-
dia. Sexta est genitalium inflatio, qua si-
gnatur luxuria...

3 *Et respondens Jesus,* non ad verba voca-
lia, sed ad insidiosas cogitationes illorum,
quas intuebatur, *dixit ad legisperitos,* id
est Scribas atque doctores Judæorum, *et*
ad *Pharisæos.* Isti enim præcipue invide-
bant famæ Christi, observabantque eum,
cupientes famam Christi denigrare, quoni-
am ipsi laudis humanæ cupidissimi erant.
Si licet sabbato curare, a corporali infir-
mitate supernaturaliter et miraculose? Non
quasi ignorans hoc quærit, sed ut illorum
errorem corrigeret. Taliter enim curare,
est opus divinum et caritativum, a vaca-
tione Dei nequaquam impediens, sed ad
divinæ potestatis contemplationem, ad di-
vinæ pietatis amorem et laudem vehemen-
ter accendens, tam eum qui curatur, quam
omnes qui adsunt aut audiunt, nisi om-
4 nino perversi invidique consistant. *At illi*
tacuerunt : quia sciebant subtilitatem at-
que prudentiam Christi, ideo convinci et
argui metuebant quidquid responderent.
Ipse vero Jesus, potentissimus atque piis-
simus medicus animarum et corporum, *ap-*
prehensum eum, puta hydropicum : quem
apprehendit cum manu ex humilitate, non
quod absque corporali contactu nequive-
rit illum curare; *sanavit* imperialiter ac
repente, *ac dimisit* abire expedite, ut ve-
ritas suæ curationis pateret.

5 *Et respondens* ad cogitationes legispe-
ritorum ac Pharisæorum, qui viso hoc si-
gno, cœperunt cogitare et judicare quod
sabbatum Christus solvisset : ideo contra
hoc *ad illos dixit : Cujus vestrum asinus*
aut bos in puteum cadet, et non continuo
extrahet illum die sabbati? quasi dicat :
Si licet jumentis cum grandi labore die
sabbati subvenire, cur non potius licet
homini ægro sanitatis opem hoc die im-
pendere, præsertim quando hoc fit sine
labore, imo facillime? — Denique perver-
sis et excæcatis illis legisperitis ac Phari-
sæis jam in Ecclesia multi etiam prælati
A et animarum curam habentes sunt simi-
les : quia si viderint pecoribus suis ali-
quid adversitatis contingere, mox succur-
runt; sed si viderint proximos suos aut
subditos spiritualiter lædi atque occidi, id
est peccare mortaliter aut notabiliter, ta-
cent, dissimulant, non curant, nec dolent.
Quo patet, quod veram Dei ac proximi ca-
ritatem non habent : nempe quo anima
præstantior est corpore omnique jumen-
to, eo de animarum læsione seu vitiis plus
dolendum est ac amplius succurrendum,
B quam de corporum aut pecorum læsioni-
bus sit tristandum. *Et non poterant ad* 6
hæc respondere illi. Videbant namque se
esse convictos, nec aliqua solutione posse
vim argumenti evadere.

Itaque, obturato ore invidorum, hydro-
pisique corporali sanata in uno, convertit
se Christus ad spiritualis hydropisis, id
est superbiæ et ambitionis, curationem in
omnibus talibus tunc ibi præsentibus. *Di-* 7
cebat autem et ad invitatos parabolam, id
est sermonem aliquid mystice significan-
C tem : quia per corporalia ista, innuebat
spiritualia documenta; *intendens,* id est,
considerans vel intelligi dans, *quomodo*
primos accubitus eligerent, id est, quili-
bet eorum ad eminentiora loca in mensis
adspiraret, aviditate honoris, et etiam for-
te propter fercula lautiora quæ altius se-
dentibus solent apponi; *dicens ad illos :*
Quum invitatus fueris ad nuptias, non 8
discumbas in primo loco, id est, non te
ipsum vane ingeras ad sedendum in loco
altiori seu primo, *ne forte honoratior te*
D *sit invitatus,* etc. Sensus superficialiter
litteralis difficultatem non habet; sed ma-
gister humilitatis hoc exemplo, hacque
rationabili persuasione, intendit nos infor-
mare, ut semper, quantum in nobis est,
parvi faciamus nos ipsos, nec ultra pro-
priam mensuram nos erigamus, imo potius
etiam inferioribus nos viliores arbitremur.
Denique quum per Christi ministros, id
est prædicatores et prælatos, invitati fu-
erimus ad nuptias, id est unionem mentis
cum Deo in via ista per fidem et gratiam

Digitized by Google

ac dona Spiritus Sancti, in patria vero per A beatificam visionem (quia hæ nuptiæ hic inchoantur, et in futuro æternaliter continuantur), non debemus in primo loco discumbere, id est aliis nos præferre, neque de meritis nostris præsumere, ne quum Christus omnium judex venerit judicaturus, nos confundat atque dejiciat. Huic autem morali documento Salvatoris concordat quod in Proverbiis Salomon ait :
Prov. xxv, 6, 7. Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris; melius est ut dicatur tibi, Ascende huc, quam ut hu- B
10 milieris coram principe. *Sed quum vocatus fueris* ad mensam plurimorum sive ad nuptias, *vade, recumbe in novissimo loco,* id est, humiliorem locum, quantum in te est, elige, præsertim si status aut ordo permittat; *ut quum venerit qui te invitavit, dicat tibi,* non graviter objurgando, sed leniter injungendo (sufficit enim monitio apud discretos) : *Amice, ascende superius.* Sicque per humilitatem honor acquiritur. Hinc subditur : *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus :* jux- C
Job xxii, 29. ta illud Job, Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Dicit autem Basilius : Occupare ultimum locum in conviviis, juxta mandatum Christi, conveniens est; sed rursus in hunc contentiose se ponere, vituperabile est, tanquam destructivum ordinis, et causativum tumultus, et de eo mota contentio æquiparabit nos litigantibus de primatu. Quapropter, sicut docet hic Christus, expedit accubitus ordinem committere facienti convivium. Sic enim in pa-
1 Cor. xiv, 40. tientia nos mutuo sustinebimus, honeste D et secundum ordinem omnia prosequentes.

11 *Quia omnis qui se exaltat* per superbiam, ***humiliabitur,*** humilitate pœnali in futuro, tanto confusibilius atque pœnalius, a Christo omnium judice, quanto se nunc magis extulerit, nisi per veram pœnitentiam se ipsum in vita hac humiliaverit, suam confitendo, deflendo et emendando superbiam. *Et qui se humiliat,* id est, veram humilitatem fuerit amplexatus, propriam parvitatem, defectuositatem (se culpando) pensando, seque coram Deo dejiciendo aut prosternendo, et ejus misericordiam jugiter implorando, *exaltabitur* in hac vita per sublimia dona gratiæ Dei, et in futuro per alta dona gloriæ ejus. Deus enim *Jacob.* iv, 6. superbis resistit, humilibus vero dat gratiam. Hinc Moyses ait : Anima quæ per *Num.* xv, 30, 31. superbiam aliquid commiserit, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo : verbum enim Domini contempsit. In Ecclesiastico quoque habetur : Odibilis coram Deo et hominibus est su- *Eccli.* x, 7. 29. perbia. Noli te extollere in faciendo opere tuo. Quanto major es, humilia te in om- *Ibid.* iii, 20. nibus, et invenies gratiam coram Deo et hominibus. Unde, sicut discretio seu prudentia vocatur quadriga virtutum, quia in omni actu virtuoso dirigit hominem, faciens eum servare modum, ut sit ratio- *Rom.* xii, 1. nabile et discretum ejus obsequium : ita humilitas vehiculum est virtutum, promovens actus virtuosos ad specialem complacentiam Dei; et quanto quis vitam suam in profundiori, stabiliori ac perfectiori humilitate fundaverit, tanto plus atque celerius in omni gratia et virtute proficiet, citiusque ad perfectionem venturus est. Cur enim tam parum proficimus? cur ad iram et impatientiam sumus tam proni? nisi quia sincera et plena humilitate caremus. Postremo et ipsa humilitas ab omni vanitatis stultitia est diligentissime custodienda, ne quis de ipsa sua humilitate inaniter glorietur, erigatur, aut sibi ipsi complaceat, aliosve tanquam superbos dijudicet, et contemnat.

Dicebat autem et ei qui se invitaverat, 12
scilicet principi Pharisæorum, cui pro refectione corporali, spiritualem ac meliorem retribuit, instruens eum ad virtutes : *Quum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos,* id est eos inter quos et te est amicitia sæcularis atque politica, *neque fratres tuos, neque cognatos,* id est consanguineos seu affines, *neque vicinos divites.* Quod ait, Divites, referendum arbitror ad omnes præfatos, scilicet ad amicos, ad fratres, ad cognatos. Si enim hi

Digitized by Google

pauperes essent, meritorie invitarentur, imo, ceteris paribus, potius essent invitandi quam alii : non principaliter, neque dumtaxat quia amici et fratres ac cognati, sed quoniam pauperes et egentes, et potissimum intuitu et amore Christi, ad gloriam Dei : qui ita requirit, ut non solum dilectio, sed et ordo caritatis servetur, qui exigit ut propinquiores magis amentur, non solum amore naturali, sed etiam spirituali, ceteris paribus. Propter quod in
Cant. II, 4. Canticis Sponsa testatur : Ordinavit in me
I Tim. V, 8. caritatem. Et Paulus Apostolus : Si quis, inquit, suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. De hoc Augustinus libro de Doctrina christiana, et Thomas in secunda secundæ, plenius tractant.

Deinde Salvator ponit causam cur tales præfato modo invitandi non sint. *Ne forte et ipsi te reinvitent,* ut carnalibus moris est, *et fiat tibi retributio* corporalis in hac vita, ita quod apud Deum mercedem non habeas. Dicit autem hic Beda : Fratres et amicos ac divites alterutrum convivia celebrare, non quasi peccatum Christus interdicit; sed sicut cetera necessitatis humanæ commercia, ad promerenda vitæ cœlestis præmia, nil valere ostendit. Cui
Luc. VI, 33. simile est quod alibi dicit : Si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ gratia est vobis? Hinc Gorra testatur : Amici et fratres et cognati atque vicini, aut sunt pauperes, et tunc meritorie invitantur : aut sunt divites, et tunc, aut vocantur propter faciendam mutuam caritatem, et sic est meritorium; aut propter lasciviam seu aliam malam causam, videlicet propter carnalia illa immoderata solatia, et tunc est demeritorium; aut propter quamdam liberalitatem et amicitiam naturalem, et sic est quasi indifferens.

13 *Sed quum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos :* qui si ire nequiverint, adducendi seu apportandi sunt;
14 *et beatus eris,* id est, pro tanta pietate ex caritate procedente, æternam beatitudinem consequeris, *quia non habent retribuere tibi* in hac vita beneficium corporale. In spiritualibus tamen possunt ac debent rependere, orando fideliter pro benefactoribus suis. *Retribuetur enim tibi,* id est, plena merces tibi a Deo præstabitur, scilicet duplex stola, seu corporis et animæ glorificatio sempiterna, si interim beatitudinem animæ non fueris consecutus, *in resurrectione justorum,* id est in die novissimo, per hoc quod inter electos resurges. Unde resurrectio illa finalis, quamvis bonorum erit atque malorum, specialiter tamen dicitur esse justorum, quoniam illis erit ad gloriam, reprobis ad miseriam.

Porro moraliter, quum facimus prandium, id est, quum ad orationes aut celebrationes accedimus, ut spiritualiter reficiamur, et de mensa Domini communicemus, non solum oremus pro amicis et parentibus ac cognatis, et pro divitibus, id est pro justis qui in charismatibus Spiritus Sancti abundant, sed etiam pro inimicis et peccatoribus, qui vere et infeliciter pauperes sunt. Sed in hoc multi deficiunt, quia pro inimicis raro aut tepide orant, pro amicis et propinquis frequenter : quod est quasi reliquias mensæ suæ mittere principi.

Præterea, invitationes atque convivia ex diversis causis procedunt : Primo, ex naturali dilectione, sicut de filiis Job pa- Job I, 4.
tet. Si tamen naturalis dilectio spirituali dilectione formetur ac elevetur ad Deum, tunc hoc meritorium erit : sicut de filiis Job credendum videtur, quia Gregorius dicit eos fuisse justos. Secundo, ex pietate, sicut fecit Tobias. Tertio, ex reve- Tob. II, 1.
rentia, sicut Matthæus fecit Christo : sic- Luc. V, 29.
que religiosis et justis facere convivium ex reverentia, in quantum sunt per antonomasiam famuli Dei, valde est meritorium. Quarto, ex liberalitate, sicut in Tobia Tob. VIII,
legitur de Raguel. Quinto, ex approbata 21, 22.
consuetudine, sicut in nuptiis. Et hæc duo si ex caritate fiunt, sunt meritoria. Sexto, ex ostentatione, ut legitur in Esther Esther I,
de Assuero. Septimo, ex gulositate, ut pa- 3, 4.

I *Reg.* xxv, 36. tet in libris Regum de Nabal. Octavo, ex ambitione, ut faciunt canonici electione III *Reg.* I, 25. instante, sicque fecit Adonias. Nono, ex II *Reg.* XIII, 27. malignitate et simulatione, ut Absalon.

Postremo Chrysostomus ait : Non sub hac spe aliis beneficia conferamus, ut nobis retribuant : hæc enim frigida est intentio, et talis amicitia celeriter evanescet. Si vero pauperem vocaveris, Deum nunquam obliviscentem habebis debitorem. Quanto enim minor est frater, tanto magis Christus per eum accedit et visitat. Nam qui magnum suscipit, sæpe propter vanam gloriam facit hoc ; sed et utilitas sæpius quæritur, ut per illum promoveatur. Sed dicis : Immundus est pauper et sordidus. Lava eum, et fac tecum in mensa sedere. Si vestes sordidas habet, mundum indumentum exhibeas. Christus accedit per eum, et tu frivola loqueris ? Gregorius quoque Nyssenus hortatur : Non negligas jacentes, quasi nullo sint digni honore. Cogita quid sint, et pretiositatem eorum invenies : id est, Salvatoris induerunt imaginem, futurorum bonorum heredes sunt, et regni cœlestis clavigeri, accusatores et excusatores idonei, non loquentes, sed inspecti a Judice. Itaque, ut ait Chrysostomus, decet eos in solario reverenter locari. Sed si hoc non placet, saltem deorsum, ubi sunt subjugalia et ministri, Christum suscipias : fiat saltem pauper æditius, id est domesticus, tuus ; et si non secum consedeas, mitte eis fercula de tua mensa. Mystice, secundum Origenem, qui vanam gloriam vitat, vocat ad spirituale convivium pauperes, id est imperitos, ut eos ditet ; debiles, id est conscientiam læsam habentes, ut eos sanet ; claudos, id est declinantes a ratione, ut rectas semitas faciant ; cæcos, id est, qui carent contemplatione virtutis, ut veram videant lucem.

15 *Hæc,* scilicet quod Christus dixit de beatifica retributione in resurrectione finali præstanda, *quum audisset quidam de simul discumbentibus,* tactus desiderio retributionis illius, *dixit illi,* scilicet Christo,

A tanquam alludens verbis ipsius : *Beatus* est jam in spe et in prædestinatione æterna, *qui manducabit panem,* id est, spiritualiter reficietur clara et fruitiva Divinitatis visione, quæ est panis, fortitudo atque refectio omnium electorum in patria, puta *in regno Dei,* quod est triumphans Ecclesia, seu beatificæ locus ac mansio visionis. Præterea dicunt quidam, quod iste fuerit de opinione Sadducæorum, qui vitam futuram putant esse carnalem, et quod cibum manducarent corporeum. B Sed istud non est perite dictum. Sadducæi namque prorsus negabant resurrectionem *Act.* XXIII, 8. futuram, dicentes animam esse mortalem, et nec angelum esse nec spiritum, prout in Actibus Apostolorum habetur.

Deinceps Salvator per parabolam docet, quam multi per diversa obstacula impediantur a resurrectione beata. *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.* 16 Per hunc hominem intelligitur Christus, qui fecit cœnam, id est, beatificam æternæ gloriæ refectionem suis præ- C paravit electis, de qua ait Apostolus : Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in I *Cor.* II, 9. cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Ad hanc cœnam Christus multos vocavit, dicendo : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum *Matth.* IV, 17. cœlorum. Unde ait in Psalmo : Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. *Ps.* XXXIX, 6. *Et misit servum suum,* id 17 est Apostolorum omniumque prædicatorum chorum seu ordinem. Sæpe etenim in Scripturis fit sermo de tota aliqua ple- D be seu multitudine quasi de una persona, sicut in Exodo Deus loquitur Pharaoni : Dixi tibi, Dimitte filium meum, id est *Exod.* IV, 23. populum Hebræorum. *Hora cœnæ,* id est in hac ultima mundi ætate, in cujus fine cœna ista exhibenda est plene cunctis electis : et interim a tempore passionis seu descensus Christi ad inferos cœpta est dari, quoniam Christus pretio sui sanguinis januam regni cœlestis aperuit. De hac hora scriptum est : Filioli, novissima hora I *Joann.* II, 18. est. Porro refectio ista beata, dicitur cœna

Digitized by Google

magis quam prandium, quoniam alia ei A non succedet refectio, et quies æterna ei adjuncta est, quemadmodum cœnæ quies nocturna conjungitur. De qua cœna scri- Apoc. xix, 9. ptum est in Apocalypsi : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. *Dicere invitatis,* id est hortari homines ad regni cœlestis præmia promerenda, *ut venirent,* id est, Deum proximosque amando, et juste ac timorate vivendo, ad patriam Beatorum incessanter appropinquare studerent : nempe amando, et juste agendo, non corporaliter transeundo, venitur et pro- B pinquatur ad regnum cœleste. *Quia jam parata sunt omnia,* id est, superna gaudia merito passionis Christi hominibus sunt parata, dummodo virtus, gratia seu meritum passionis Christi eis per sacramenta Ecclesiæ applicetur, et ipsi obicem suæ non ponant saluti. Ideo dicit Gregorius : Omnia sunt parata, quoniam Christo immolato patet introitus regni cœlestis.

18 *Et cœperunt simul omnes excusare* se ab exsecutione operum virtuosorum, et ab adeptione regni superni : qui terrena et C sensibilia potius quam spiritualia et divina amabant, ideo excusaverunt se, etsi non verbo, tamen facto.

Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam ; rogo te, habe me excusatum. Per primum hunc invitatum, qui ex occupatione circa villam quam emit, neglexit Deo servire ac obedire, designatur pluralitas superborum et ambitiosorum : qui ita se occupant circa honorem, principatum et excellentiam acquirendos seu possidendos in sæculo isto, D quod divina negligunt adimplere præcepta, nec ad æternos summæ beatitudinis adspirant honores, sed temporalia atque præsentia æternis præferunt ac futuris : propria excæcati superbia, quæ mentem ineffabiliter damnabiliterque obtenebrat, ita quod fidem formatam et vivam non habent, secundum quod talibus ait Salva- Joann. v, 44. tor : Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis? Superbia namque et ambitio impediunt mentem ne se Creatori suo substernat : idcirco influxum gratiæ ejus nequit suscipere. Porro, per hoc quod ait, Rogo te, habe me excusatum, datur intelligi quod superbi, sicut et ceteri vitiosi, maxime tamen superbi, de suis se excusant peccatis. Nam sicut accusatio sui ipsius, effectus est et signum seu comes humilitatis ; ita excusatio propriorum vitiorum, est effectus, signum et comes superbiæ. Propter quod orat Psalmista Deum : Non declines cor meum in Ps. cxl, 4. verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Unde taliter se excusanti Dominus ait per Jeremiam : Ecce ego ju- Jer. ii, 35. dicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi. Postremo, secundum Gregorium, quod ait, Rogo te, habe me excusatum, tantum est ac si dicat : Ora pro me, quia converti non possum. Sicque humilitas sonat in voce, dum ait, Rogo te; superbia vero in actione, dum venire contemnit.

Et alter dixit : Juga boum emi quinque, id est quinque paria boum, *et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum.* 19 Per hunc secundum, intelligitur multitudo hominum avarorum : qui ita circa terrenas divitias congregandas ac conservandas intenti sunt, quod spiritualium ac cœlestium obliviscuntur bonorum ; sicque circa pecunias et possessiones suas afficiuntur, quasi eas nunquam essent amissuri, et quasi non esset vita post hanc vitam, et tanquam corpus esset nobilius anima. Tanta denique est gravitas hujus peccati, ut avaritiam nominet servitutem Ephes. v, 5. idolorum Apostolus. Et iterum : Radix (in- I Tim. vi, 10. quit) omnium malorum est cupiditas. Nam sicut idololatra colit idola sua falsosque deos magis quam verum Deum, ita avarus plus cupit, amat et colit opes terrenas, quam Deum altissimum. Ideo sapiens vir testatur : Nihil iniquius quam amare Eccli. x, 10. pecuniam ; et rursus, Avarus animam su- Ibidem. am habet venalem. Quum enim bona temporalia sint finaliter ordinanda ad spiritualia bona, non plus debemus amare et

Digitized by Google

congregare aut retinere temporalia, quam necesse seu utile nobis est ad spiritualia obtinenda. Propter quod ait Apostolus : I Tim. vi, 8, 9. Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus : nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes et laqueum diaboli. Præterea, secundum Gregorium, quoniam sensus corporales interna comprehendere nequeunt, sed sola exteriora cognoscunt, recte per hunc secundum, qui quinque juga boum emit, id est, quinque sensus exteriores a Deo accepit, tanquam rationem redditurus de eis, curiosi signantur, qui dum aliorum quærunt vitam discutere, proprios defectus omittunt adspicere.

20 *Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Per hunc designantur luxuriosi. Nam quamvis matrimonium sit bonum ac licitum, atque ad propagandam sobolem divina providentia institutum, multi tamen per hoc non fecunditatem prolis, sed turpitudinem expetunt voluptatis. Ideo per rem justam ac licitam, non incongrue designatur res impia, ut dicit Gregorius. Et quia voluptas carnalis fortissime ligat et occupat, infimisque immergit hominem : ideo tertius iste non dixit, Rogo te, habe me excusatum ; sed simpliciter loquitur, Non possum venire. Nam et ipsa voluptas carnalis parit acediam atque fastidium divinorum, facitque hominem ad virtutum opera impotentem. Osee iv, 11. Propter quod in Osee habetur : Fornicatio, et ebrietas, et vinum auferunt cor.

Itaque Christus in ista parabola denotat, quod per superbiam, avaritiam atque luxuriam homines a sua præcipue impediantur salute. I Joann. ii, 16. Ideo Joannes asserit : Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.

21 *Et reversus servus,* id est, ordo prædicatorum ab actu prædicationis ad contemplationis quietem revertens : quia post operum exteriorum exsecutionem, debet prædicator atque prælatus ad interiora sua Ps. lxi, 9. redire, Deo vacare, et coram eo cor suum

A effundere ; *nuntiavit hæc,* per interiorem confessionem et allocutionem, *domino suo,* scilicet Christo. Prædicatores namque et prælati devoti ac fervidi, zelo salutis proximorum succensi, Deo dolorose ac pie conqueruntur, dum parum aut nihil proficiunt : sicut et maxime gaudent, dum multos convertunt, quemadmodum Apostolus : Multa mihi fiducia est apud vos, II Cor. vii, 4. multa mihi gloriatio est pro vobis ; repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Dicitur au- B tem servus Domino Christo nuntiare, non quasi ipse ignoret quod gestum sit, sed ut nos ordinem parabolæ sive historiæ intelligamus.

Tunc iratus paterfamilias, scilicet Christus, propter tantam hominum ingratitudinem. Ira autem non competit Christo secundum suam divinitatem, quantum ad passionum affectus, sed quoad similitudinem operis. Porro ira per zelum, quæ est appetitus vindictæ secundum rationis dictamen, fuit in Christo secundum suam C humanitatem. *Dixit servo suo,* id est, ordini prædicatorum suorum præcepit : *Exi* a contemplatione ad aliorum informationem ac conversionem, *cito,* quia periculum est in mora, et sine dilatione providendum est animarum saluti. Quo verbo redarguuntur prædicatores et prælati ignavi et tardi, qui facili occasione prædicationem omittunt aut differunt. *In plateas et vicos civitatis.* Per civitatem hoc loco intelligitur Synagoga, quæ fuit aliquando civitas Dei, sicut nunc est Ecclesia ; fuit- D que Synagoga lege munita, quasi muro clausa. Per plateas quoque signantur multitudines hominum majores ; per vicos autem, multitudines minores, quia non multis tantum, sed et paucis est prædicandum. Vel per plateas notantur qui in prosperis quasi in latitudine erant ; per vicos, qui adversitatibus premebantur. Platea enim est latior vico. *Et pauperes,* id est gratia Dei ac spiritualibus donis carentes, *ac debiles* ad bene agendum. Peccatum enim vulnerat naturalia, ita ut vi-

Digitized by Google

res animæ fiant debiles ad actus virtutum. *Cæcos,* id est veritatis notitia destitutos; *et claudos,* id est rectitudinem justitiæ non servantes, sive instabiles : qui quasi in utramque claudicant partem, dum in nulla virtute constantes exsistunt. De qua-
Ps. xvii, 46. libus fertur in Psalmo : Filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis. Unde et in libris Regum instabili-
III Reg. xviii, 21. bus filiis Israel ait Elias : Usquequo claudicatis in duas partes. *Introduc huc,* id est, ad regnum cœleste perducere stude, prædicando, orando, exemplariterque vivendo. Itaque, principibus sacerdotum et majoribus Judæorum ad Christum conver-
Act. ii, 41; iv, 4. ti nolentibus, multa millia ex minoribus ejusdem populi sunt conversa, sicut in Actibus Apostolorum describitur. Nam, ut ait Gregorius, hos elegit Deus quos despicit mundus : et ipsa despectio plerumque hominem revocat ad se ipsum; et tanto celerius Dei vocem aliqui audiunt, quanto minus in mundo hoc habent ubi delectentur.

22 *Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti,* id est, Judæis prædicavimus sicut jussisti, quamvis non omnes converti voluerint ut mandasti; *et adhuc locus est,* id est, adhuc vacant loca in regno cœlesti, in quibus recipi queant gentiles. Non enim numerus hominum prædestinatorum ex Judæis erat implendus in cœlis.

23 *Et ait dominus servo : Exi in vias et sepes,* id est ad populos gentiles per lata perditionis itinera incedentes : qui lege caruerunt divina Judæis collata, sicque quasi agrestes fuerunt : propter quod per sepes signantur. Itaque primo fuit prædicandum Judæis, deinde gentilibus. Propter quod Paulus et Barnabas loquuntur
Ibid. xiii, 46, 47. Judæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, convertimur ad gentes : sic enim præcepit nobis Dominus. *Et compelle intrare,* id est, quasi importune, et per comminationes damnationis æternæ, instiga illos ut
II Tim. iv, 2. convertantur : prout ait Apostolus, Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia. Unde per Jeremiam Dominus loquitur : Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram? Itaque (Jer. xxiii, 29.) quod ait, Compelle intrare, non intelligitur de coactione absoluta atque omnimoda (quia sic liberum arbitrium cogi non potest, nec Deus vult habere coacta obsequia), sed aliquali et inductiva. *Ut impleatur domus mea,* id est, numerus prædestinatorum compleatur in cœlo : de qua ait Salvator, In domo Patris mei mansiones multæ sunt. (Joann. xiv, 2.) De qua et illud Baruch potest exponi : O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis (Baruch iii, 24, 25.) ejus, magnus et non habens finem, excelsus et immensus! Sed si finem non habet, quomodo potest impleri? Et respondendum, quod immensus vocatur, non propter interminabilitatem, sed ob suam latissimam et ineffabilem capacitatem.

Dico autem vobis, quod nemo virorum 24
illorum, utpote se excusantium, *qui vocati sunt* vocatione exteriori per prædicatores, *gustabit cœnam meam,* id est, æternam cœlestis felicitatis suavitatem non experietur. Hoc quoque notandum, quod Deus interdum vocat inspiratione interna, interdum prædicatione externa, aliquando beneficiis, quandoque flagellis : ad quod designandum dicit in Canticis quater, Revertere. Sic enim ait ibidem Sponsus cœlestis : Revertere, revertere, Sunamitis, (Cant. vi, 12.) revertere, revertere.

Ibant autem turbæ multæ cum eo, scilicet cum Jesu, ob varias causas, ut dictum 25
est sæpe. Etenim eloquentia suavissima prædicationis ejus, eminentia miraculorum, morum venustas, turbas attraxit. *Et conversus ad illos :* quia faciem suam corporalem, interiorem quoque pietatis suæ respectum, et bonorum suorum spiritualium communicationem convertit ad eos. Ita et nos si cor nostrum ad ipsum convertimus, si eum sequi conamur, si ejus desideramus clementiam, statim pietatis suæ effectum nobis impendit, sicque ad nos se convertit, quemadmodum per Za-

Digitized by Google

Zach. I, 3. chariam testatur : Convertimini ad me, dicit Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

26 *Dixit : Si quis venit ad me,* id est, me sequi voluerit per vitæ assimilationem, et debitam servitutem, *et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores.* Omnes istæ personæ odiendæ sunt servis Christi, non quantum ad id quod habent a Creatore, videlicet quoad esse naturæ suæ aut gratiæ, sed quantum ad id quod habent a se ipsis, hoc est a propria inordinata voluntate, utpote quantum ad culpam et impietatem quam habent, qua etiam nobis in via Dei contrariantur, a salute nos nitendo retrahere, aut a profectu virtutum. Natura autem et persona amandæ sunt. Juxta prætactam distinctionem, homo conformat se Deo, qui omnia amat secundum id quod sunt per naturam, gratiam aut gloriam, Sap. XI, 25. prout Sapiens loquitur : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Nihilo minus odit iniquos, secundum quod tales, quemadmodum in eodem libro scri- Ibid. XIV, 9. bitur : Odio sunt Deo impius et impietas Ps. V, 7. ejus ; atque in Psalmo, Odisti omnes qui operantur iniquitatem ; per Jeremiam quo- Jer. XV, 1. que, Non est anima mea ad populum istum. *Adhuc autem et animam suam,* id est se ipsum, ponendo partem pro toto. Eodem equidem modo debemus diligere et odire nos, quo et proximos. Quum enim amare sit alicui bonum velle ; odire autem, alicui malum velle : debemus nos ipsos aliosque diligere, nobis ipsis ac aliis necessaria naturæ, donaque gratiæ, et munera gloriæ sempiternæ optando ac imprecando. Porro nos ipsos ac alios debemus odire, id est impietates nostras ac alienas abhorrere et velle non esse, atque pro malis culpæ mala pœnæ nobis ac aliis affectare zelo justitiæ, imo et nos ipsos ac nobis commissos debite castigare, inordinatis affectibus et carnalibus concupiscentiis reluctari. Istud est bonum virtuosumque odium, ex spirituali procedens Ps. CXXXVIII, 22. amore, de quo ait Psalmista : Perfecto

A odio oderam illos. Sicque David odivit se ipsum quum deprecatus est Deum, dicens : Vertatur, obsecro, manus tua in II Reg. XXIV, 17 ; I Par. XXI, 17. me, et populus tuus non percutiatur. *Non potest meus esse discipulus,* id est veraciter Christianus, utpote meæ doctrinæ obeditor seu adimpletor.

Præterea quæritur, an istud, scilicet odire parentes et ceteros atque se ipsum, sit consilium vel præceptum. Et respondendum, quod secundum aliquem modum ac sensum, est præceptum, et aliquo modo, B consilium. Est enim præceptum, quantum ad hoc, ut carnales affectus prædictarum personarum contrarios caritati spirituali abjiciamus, et item ut præfatas vitemus ac odiamus personas quantum ad hoc quod nos ab impletione præceptorum impedire nituntur. Sed est consilium, quoad hoc, ut carnales affectus, carnaliterque propinquos sive conjunctos, odiamus, relinquamus, vitemus, quantum ad hoc quod nos impedire nituntur aut possunt a spirituali profectu ad perfectionem tendente per ac- C tus et opera supererogationis : ut scilicet carnales præfatarum personarum affectus abjiciamus, non illos dumtaxat qui caritati divinæ contrariantur directe, sed illos quoque qui caritatis profectum, ardorem et perfectionem impediunt.

Et qui non bajulat crucem suam, id est, 27 opera pœnitentiæ non exercet, corpus per abstinentiam non affligit, proximis suis non condolet tempore opportuno, *et venit post me,* talia bona exercendo, non vana intentione pro laude humana, sed ad D laudem ac gloriam Dei, ædificationemque proximi, secundum quod ego feci, prout apud Joannem protestor : Ego non quæro Joann. VIII, 50, 49. gloriam meam, sed honorifico Patrem meum ; *non potest meus esse discipulus.* Istud quippe, loquendo in genere, ad omnem pertinet Christianum, dicente Apostolo : Qui autem sunt Christi, carnem suam cru- Galat. V, 24. cifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Istud etenim aliud prorsus non est, nisi per arctam viam incedere, quæ sola ad Matth. VII, 14. salutem perducit : sicque istud est præ-

Digitized by Google

ceptum, non consilium. Potest tamen exponi, ut sit consilium; eritque sensus : *Qui non bajulat crucem suam,* id est, se ipsum totaliter non mortificat, se et cetera hæc terrena propter Deum derelinquendo, *et venit post me,* id est, me secutus non fuerit per semitas perfectionis, videlicet per spontaneam paupertatem, perpetuam castitatem, plenamque obedientiam, quæ sunt substantialia omnium ordinum, *non potest meus esse discipulus,* id est imitator perfectus, non solum in præceptis, sed et in consiliis evangelicis observandis me audiens, atque efficaciter acquiescens.

Denique, quod documenta inducta observanda sint cunctis fidelibus salvari optantibus, præsertim ad perfectionem virtutum in hac vita pertingere cupientibus, Christus consequenter declarat per duas similitudines sive parabolas. Primam tan-
28 git, dicendo : *Quis enim ex vobis volens
turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat
29 ad perficiendum? Ne posteaquam posuerit
fundamentum et non potuerit perficere, omnes qui viderint, incipiant illudere ei,
30 dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare,
et non potuit consummare.* Hoc in exterioribus ita est, quod homo providæ mentis, non incipit aliquid ædificare, nisi ante præcogitet an habeat facultatem consummandi structuram, ne si aliter evenerit, cuncti adspicientes derideant eum, quod se inconsiderate habuerit, inchoando quod complere nequivit.

Conformiter est in spiritualibus, quod si quis fidelium proposuerit seu in religione professionem fecerit, se ad apicem humilitatis, aliarumque virtutum eminentiam, seu vitæ perfectionem quotidie transiturum, antequam istud attentet seu inchoet, perpendere præmeditarique debet, an possit continuare atque perficere quod cupit incipere, utpote an sit dispositus, aptus, idoneus ad exercitia vitæ intentæ. Quod si in se ipso viribus propriis se sufficientem non invenerit ac potentem, debet in Deo confidere, ejusque implorare auxilium, et impedimenta suæ vitare salutis. Isti enim sunt sumptus necessarii sibi ad consummandum quod aggredi debet vel optat. Unde si ista non egerit, in processu deficiet, et hostes suæ salutis spiritus maligni, videntes eum in processu succumbere, irridebunt, atque de sua perditione gaudebunt. Unde Gregorius : Omne quod agimus prævenire per studium considerationis debemus. Hoc est quod in Ecclesiastico docetur : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. (*Eccli.* xxxii, 24.) Apostolus quoque ait : Sine præjudicio, id est prævio judicio, nihil facias. (I *Tim.* v, 21.) Hinc providentia ponitur pars prudentiæ, quia per providentiam futura caventur pericula, et de necessariis providetur.

Porro diaboli, et vasa eorum, scilicet homines impii qui bonos a via salutis retrahere moliuntur, de eorum perditione seu apostasia quos tentando suggerendoque vicerint, gloriantur, juxta illud Ecclesiastici : Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, facient te in gaudium inimicis tuis; (*Eccli.* xviii, 31.) atque in Psalmo : Qui tribulant me, exsultabunt si motus fuero; ego autem in misericordia tua speravi. (*Ps.* xii, 5, 6.) Idcirco in Ecclesiastico vir sapiens orat, quod et nos semper orare debemus : Domine, pater et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu et consilio illorum, et incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat inimicus meus. (*Eccli.* xxiii, 1, 3.) Itaque pessimos ac invidissimos adversarios nostros diabolos, nil aliud nisi animarum nostrarum sanguinem sitientes, non lætificemus, negligenter et viliter nos habendo, mundanas consolatiunculas exquirendo, mentis custodiam omittendo; sed in lingua cunctisque sensibus et cordis custoditione jugiter custoditi esse conemur.

Postremo, parabola ista religiosis potissimum est pensanda, ne tempore procedente tepescant, sed quotidie ferventiores effici satagant, ne conveniat eis illud Apo-

Galat. III, 3. stoli : Sic stulti estis, ut quum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Unde in Apocalypsi Christus ait cuidam : Apoc. II, 4, 5. Habeo adversus te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age. Advertant hæc, qui sibi in claustris de annorum quibus fuerunt in ordine multitudine blandiuntur, quum tamen adhuc leves et passionati monstrentur. Sed et omni Christiano consideranda ac metuenda sunt ista, præsertim quum in via Dei non progredi, sit retroire.

31 Deinde secunda parabola subditur. *Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, nonne* prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se?* (*alias non sedens)
32 *Alioqui adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.* Parabola plana est, quia rex providus contra alium regem pugnaturus, si viderit regem alium multo potentiorem, ante congressum pacem componit cum illo si potest, nec se committit periculo. Ita et nobis, si contra principem sæculi hujus diabolum prævalere optamus, necessarium est proprias vires perpendere. Quod si conspexerimus nos non posse propria virtute aciem dæmonum expugnare, ad Dei auxilium debemus confugere, et vanam securitatem abjicere. Porro, cum diabolo pacem inire ut ab impugnatione desistat, vituperabile est, quia cum illo nequaquam concordare debemus. Unde, sicut in rege se inferiorem cernente, pacem ab adversario postulare, ex infirmitate procedit, quamvis aliquo modo providentiæ adscribatur ; ita et diabolo concordare, id est malle peccare quam contra tentationes viriliter dimicare, ex infirmitate et imperfectione hominis talis causatur.

Quidam autem per regem contra quem homo tendit ad prælium, intelligunt Deum : contra quem quasi pugnare præsumunt, qui se ipsos excusant, justificant, et meritis suis salvandos esse de jure contendunt. De qualibus dicit Apostolus, quod Rom. X, 3 Dei justitiam ignorantes, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Hi ergo redeuntes ad cor, et se suis operibus non posse secundum justitiæ rigorem salvari, nisi ad immensam Dei confugiant pietatem, juxta illud Job : Non Job IX, 2, 3. justificabitur homo compositus Deo ; et si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum pro mille : hoc ergo pensantes, quum Christus rex adhuc longe est, id est, judicium differt, et corporaliter ac visibiliter in cœlo consistens nondum apparet, legationem mittunt, hoc est, per opera satisfactionis Deo reconciliari precantur, et pacem cum ipso adipisci nituntur, sicut hortatur Apostolus : Obsecramus pro Christo, reconciliamini II Cor. V, 20. Deo. Itaque, flendo, abstinendo, orando, offerendo, et alia opera virtuosa agendo, cum judice Christo componunt, seque in cunctis humiliant, sicut sanctus Job egit, dicendo : Si justificare me voluero, os Job IX, 20, 15. meum condemnabit me ; etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo ei, sed ut meum judicem deprecabor. Idem fecit beatus David, orando : Non intres in ju- Ps. CXLII, 2. dicium cum servo tuo, Domine.

33 *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus,* id est, qui caute non habuerit se, abjiciendo cupiditatum et carnalitatum affectus, et cetera quæ profectum virtutum impediunt, non potest vere, realiter, dici discipulus meus, quia doctrinæ meæ non acquiescit, sicut non potest prudenter ædificare, qui sumptus non providet. Porro, si quod dictum est de odio parentum et propinquorum ac propriæ animæ, exponatur ut est consilium, tunc renuntiare hic sumitur pro omnimoda derelictione omnium possessionum seu propriorum : quod est religiosorum, qui cum Petro apostolo dicere possunt Christo, Ecce nos reliquimus omnia. Matth. XIX, 27. Si vero exponatur ut est præceptum, tunc renuntiare designat abjectionem immoderatæ affectionis et curæ circa possessa.

Digitized by Google

Sicque accipit Beda : Distat, inquiens, inter renuntiare omnibus, et relinquere omnia : paucorum enim, scilicet perfectorum, est relinquere omnia, id est curas mundi postponere ; cunctorum autem fidelium est renuntiare omnibus, hoc est sic tenere quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneantur in mundo, sed licite eis afficiantur atque utantur. Hoc est quod hor-
Ps. LXI, 11. tatur Psalmista : Divitiæ si affluant, no-
I Cor. VII, 29, 31. lite cor apponere; et Apostolus : Reliquum
est, ut qui habent uxores, sint tanquam non habentes, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes : præterit enim figura hujus mundi.

34 *Bonum est sal.* Est enim utile valde, ac necessarium ad condimenta ciborum. *Si autem sal* quoque *evanuerit,* id est, vigorem suum amiserit, et corruptionem incurrerit, *in quo condietur?* id est, aptum
35 non erit ut alicui misceatur cibario. *Neque in terram, neque in sterquilinium utile est :* terram enim a sua impedit fecunditate, nec expedit ipsum miscere fimo seu sterquilinio ad terram fecundandam ; *sed foras mittetur,* id est, ejicietur tanquam omnino inutile. Per hoc Salvator insinuat, quod simili modo oportet discipulum suum omnibus renuntiare, ne per terrenorum carnaliumque amorem evanescat, esse gratiæ ac virtutum perdendo, et putrefiat, vitia incurrendo. Sicque ad nihil valeret, nisi ut in ignem mittatur gehennæ,
Joann. XV, 6. sicut apud Joannem loquitur Christus : Si
quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet; et colligent eum, et in ignem mittent. — Denique, per sal intelligitur sapientia seu discretio, quæ omni operi virtuoso necessaria est, et condimentum largitur. Ad quod designandum
Lev. II, 13. Deus in Levitico præcepit : Quidquid ob-
Ibidem. tuleris sacrificii, sale condies; itemque, In
omni sacrificio offeres sal. Et apud Mar-
Marc. IX, 49. cum admonet Christus, Habete in vobis
sal, id est discretionem : ut scilicet, juxta
I Cor. XIV, 40. Pauli doctrinam, Omnia honeste et secun-
dum ordinem fiant in vobis. Si ergo sal

A istud evanuerit, hoc est, si per indiscretionem et negligentiam nostram lumen discretionis ac sapientiæ amiserimus, in quo condietur ? id est, quid eo perficietur ? Constat quod nihil, quum sit corruptum. Ideo foras mittetur, id est, tolletur, esseque desinet in eo quo fuit.

Rursus, per sal designatur prælatus ac prædicator, seu doctor aliorum, cujus est audientium corda discretione condire, sapientia erudire, ad gustum virtutum et spiritualium rerum saporem perducere.
B Hinc in Matthæo Christus ait Apostolis :
Vos estis sal terræ. Sal quippe, ut dicit *Matth.* V, 13.
Eusebius, secundum substantiam ex aqua constat, modicum terrestreitatis participans, desiccatque fluidam naturam vel materiam corporum corruptorum, et mortua corpora conservat. Hinc Christus discipulos suos recte comparat sali, quia alios regeneraturi erant ex aqua et Spiritu, corruptamque hominum vitam a fluxu vitiorum debebant restringere. Porro, si sal istud evanuerit, id est, si prædicator sive
C prælatus aliqua vitiosa affectione corrumpatur in mente, in quo condietur ? id est, ineptus erit aliorum corda præfato modo condire : ita quod nec in terram, nec in sterquilinium utilis erit, hoc est, nec ad hoc ut his præficiatur qui sani sunt mente et fecundi ut terra, nec his qui instar sterquilinii, vitiis et carnalitatum suarum fœtoribus squalent sordentque, juxta il-
lud Joelis : Computruerunt jumenta in *Joel* I, 17.
stercore suo, hoc est, carnales in gulæ atque luxuriæ inquinamentis corrupti sunt.

D Postremo, quia præhabita Christi eloquia erant obscura, parabolica et profunda, hortatur ad sagacem dictorum suorum intelligentiam; vel quia saluberrima sunt, monet ut efficaciter impleantur. *Qui habet aures audiendi,* hoc est, intellectum habet bene dispositum et capacem, *audiat,* id est, advertat, agnoscat et impleat quæ jam dixi. Itaque de interioribus auribus, obedientiali quoque auditu, dicit hoc Christus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXVIII

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : ERANT AUTEM APPROPINQUANTES EI PUBLICANI ET PECCATORES, UT AUDIRENT ILLUM.

QUIA Salvator verbis et factis exhibuit A miraculisque ostendit se potissimum atque piissimum medicum animarum, et tam per comminationes æternæ damnationis, quam per promissiones perpetuæ salvationis, hortabatur ad pœnitentiam peccatores : hinc confluebant ad ipsum, sicut
1 jam recitat Evangelista. *Erant autem appropinquantes ei publicani,* hoc est, qui publicis negotiis intendebant, videlicet vectigalia seu tributa exigendo, levando aut conducendo. Et quoniam tale officium vix aut raro fit absque peccato, ideo Phari- B sæi et Scribæ publicanos reputabant magnos atque notorios peccatores. Hi ergo *et peccatores,* hoc est, qui minus vitiosi erant, aut putabantur. Isti appropinquaverunt Christo corporaliter et spiritualiter, scilicet localiter accedendo ad eum, secundum suam circumscriptam humanitatem, et mentaliter se vertendo seu disponendo ad ipsius incircumscriptibilem deitatem seu ad ejus caritatem et gratiam. *Ut audirent illum* auribus mentis et corporis. Christus namque aliquos talium C gratiose prævenit, attraxit, convertit. Concurrerunt quoque ad ipsum propter incomparabilis suæ eloquentiæ motivam et affectuosissimam venustatem, ob morum ejus condecentiam, ob vitæ et famæ eminentiam, ob miraculorum claritatem et abundantiam, et præsertim quoniam Christus valde caritativum, dulcem, compassivum et pium se eis exhibuit, sicut mox subditur.

2 *Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes : Quia hic* Jesus *peccatores recipit, et manducat cum illis.* Quasi dicant, Non decet : quum Salomon dixerit, Viri justi sint tibi commensales. (Eccli. IX, 22.) Et Psalmista, Superbo (inquit) et insatiabili corde, cum hoc non edebam (Ps. C, 5.); et item, Cum perverso perverteris. (Ps. XVII, 27.) Sed Christus, qui peccare non poterat, atque ad hoc venit in mundum ut peccatores intus curaret atque converteret, absque periculo et cum fructu ingenti peccatoribus se adjunxit, ac convesci dignatus est ; nec præfatis auctoritatibus prohibebatur quin justi hac intentione possent se peccatoribus sociare, ut eos ad Dei obsequium perpetuamque salutem inducerent. Christus quoque, in cujus adventu tempus gratiæ et lex caritatis cœperunt, veterem legem non fregit, sed perfecit, omnemque caritatem verbo et factis edocuit. Porro Pharisæi, qui erant religiosi Judæorum, et Scribæ qui fuerunt doctores eorum, non vere caritativi et justi, sed magni et sapientes in oculis suis, falseque justi, indignati sunt de Christi clementia, de qua gaudere debuerant. Falsa namque justitia habet indignationem, vera justitia compassionem, secundum Gregorium.

Insuper, Christus solitus uti parabolis, per quasdam parabolas ostendit Pharisæorum ac Scribarum errorem, seque agere quod ad suum pertinebat officium : quod fuit peccatores convertere, perditos quærere, spiritualiter mortuos per gratiam vivificare, per peccata dispersos in Deo per fidem et caritatem colligere. Hinc subditur prima parabola.

Quis ex vobis homo qui habet centum 4
oves, et si perdiderit unam ex illis, etc. ? D Parabola ista ad propositum Christi declarandum aptissima fuit et est, atque planissima. Aliud nempe ostendere non in-

tendit per eam, nisi quod ex quo homo A multas possidens oves, si unam amiserit, diligenter eam inquirit, atque inventam hilariter recipit, multo magis Filius Dei omnium Dominus, genus humanum seu peccatorum collegium, quod amisit per illius propriam culpam et dæmonis fraudem, requirere debuit per suam pietatem et gratiam, atque recipere ad pœnitentiam et salutem. Per hominem itaque istum intelligitur Christus, qui habuit centum oves, hoc est universitatem angelicorum spirituum et genus humanum. Etenim angeli sancti oves sunt Dei, propter suam innocentiam, ac beatificam refectionem qua indesinenter pascuntur a Deo. Similiter homines oves sunt Dei, juxta illud
Ps. XCIV, 7. Psalmistæ, Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus : quod de bonis hominibus Creatori suo subjectis, et ab eo per charismata gratiæ et sacramenta Ecclesiæ pastis, potissimum verum est. Quarum pastor est Christus, quia sub virga suæ directionis ambulant, dum secundum evangelicæ legis præcepta fideliter conversantur.
Joann. X, 14, 15. De quibus apud Joannem protestatur : Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ, et animam meam ponam pro ovibus meis. Dicuntur autem oves hæ centum, propter numeri hujus perfectionem. Harum vero ovium periit una, quia in primis parentibus perdita fuit natura humana. Nam secundum Apo-
Rom. V, 12; Ephes. II, 3. stolum, in uno cecidimus, et in Adam peccavimus omnes, ita quod eramus natura filii iræ.

Nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Hoc fecit unigenitus Filius Dei, dum cives cœlestes, puta angelicos spiritus, in cœlo, quod homo deseruit peccando, reliquit; et non angelum, non legatum misit, sed in propria venit persona, assumpta in unitate personæ natura humana; quæsivitque genus humanum, pro illius conversione, reductione, salvatione, orando, prædicando, miracula faciendo, moriendo, Spiritum Sanctum mittendo seu infundendo, Apostolos ceterosque discipulos destinando. Ideo ait Apostolus : Fidelis sermo et omni acceptione I Tim. I, 15. dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Et per Zachariam : Lauda et lætare, filia Sion, Zach. II, 10, 11. quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus ; et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum. Porro hæc applicatio populorum ad Deum, est eorum conversio atque inventio, qua inventi sunt a B Christo : quibus in prima Canonica sua loquitur Petrus : Eratis aliquando sicut I Petr. II, 25. oves errantes ; sed conversi estis nunc ad episcopum et pastorem animarum vestrarum.

Et quum invenerit illam, imponit in humeros suos gaudens. Hoc egit Salvator, 5
quia dum quosdam Judæorum convertisset, pro illis et pro cunctis electis hominibus, propriis humeris crucem tulit ad supplicii locum : quod faciendo peccata nostra super se sumpsit, portavit et luit. C Propter quod per Isaiam scriptum est : Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi Is. LIII, 5, 6, 4. oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Hinc Christus fatetur in Psalmo : Quæ non rapui, tunc exsolve- Ps. LXVIII, 5. bam. Denique Christus hæc fecit gaudens, quia licet de passionis suæ acerbitate vehementer doleret, nihilo minus de passio- D nis ejusdem fructu secundum superiorem animæ portionem gaudebat.

Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. 6
Sic Christus in die ascensionis, revertens secundum naturam humanam ad cœlum empyreum (de quo ait Apostolus : Quam II Cor. V, 1. ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam æternam in cœlis ; et Christus, In domo Patris mei mansiones Joann. XIV, 2. multæ sunt), illuc Christus ovem perdi-

Digitized by Google

tam reportavit, quoniam testibus Aposto- A lo et Psalmista, *Ephes.* IV, 8; *Ps.* LXVII, 19. Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem. Tunc convocavit, hoc est, sibi occurrere fecit, amicos et vicinos, hoc est angelicos spiritus divinæ voluntati plene et inavertibiliter conformatos, divina secreta scientes, et Deo in omnibus obedientes, secumque in supermundano illo habitantes palatio, atque ipsius vultum immediate cernentes cum exuberantissimo gaudio sempiterno (propter quæ merito amici et vicini ac filii Dei vocantur) : quos hortatur ut sibi B de ovis suæ inventione congratulentur. In quo patet dilectio Dei ad nos, et quantum nostram optat salutem. Unde ait Apostolus : *I Thess.* IV, 3. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra; *II Esdr.* VIII, 10. et Nehemias, Gaudium Dei est fortitudo vestra. Per Isaiam quoque Dominus loquitur *Is.* XLVIII, 18. Israelitico populo : Utinam attendisses mandata mea.

Denique Christus hanc ovem laboriosissime recuperavit, et pretiosissime liberavit seu emit, sicut ait Apostolus Petrus : *I Petr.* I, 18, 19. Non corruptibilibus auro vel argento re- C dempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati; *I Cor.* VI, 20. et Paulus, Empti estis pretio magno. Christus tamen redemptionem hanc reputat et appellat inventionem, quasi nil ponderans quidquid pro ea exposuit, præ nimia sua dilectione ad genus humanum. Propter quod fassus est in Proverbiis : *Prov.* VIII, 31. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum ; *Cant.* VIII, 7. in Canticis quoque, Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Sed et per Jeremiam *Jer.* XXXII, 41. Dominus dixit : Lætabor D super eis, quum benefecero eis.

Præterea, ut scribit Gorra : Ovis de sua natura est animal innocens. Cetera autem animalia aut mordent dentibus, ut canis et lupus; aut impingunt cornibus, ut aries et taurus; aut percutiunt pedibus, ut equus et mulus; aut dilaniant unguibus, ut leo et ursus : sed ovis nihil istorum facit. Igitur ovem Christi se non esse agnoscat, qui vel dentibus mordet, detrahendo; vel impingit cornibus, alios violenter opprimendo; aut percutit pede, proximis irascendo ; aut dilaniat unguibus, aliena rapiendo. — Postremo, secundum Theophilum, supernæ virtutes oves dicuntur, eo quod omnis creatura respectu Dei, sit bestialis.

*Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœ- 7
lo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* Si istud generaliter de quocumque pœnitente et quibuscumque justis seu innocentibus intelligatur, non est absolute sumendum ut sonat, quasi simpliciter angeli sancti plus glorientur de quolibet pœnitente, quam de quibuscumque nonaginta novem justis. Non enim plus gaudent de peccatore qui post pœnitentiam non pertingit ad magnam perfectionem, quam de gloriosissima virgine Maria et beatis Apostolis ac aliis Sanctis gavisi sunt, quando adhuc erant in terra, vel quam modo de ipsis lætentur : imo nec de Paulo, nec de Maria Magdalene majus gaudium est in cœlo, quam de sola Virgine gloriosa.

Ideo, quod gaudium de peccatore pœnitente dicitur, magis intelligendum videtur, non simpliciter, sed quantum ad aliquid, et quoad recentem quamdam ac evidentiorem manifestationem gaudii, quo se de hominum salvatione lætari ostendit : quia de peccatoris conversione est Christo specialis, imo et multiplex ratio gloriandi. Primo, quoniam peccator dum convertitur, de periculo graviori eripitur. Etenim consuetissimum est ut de eo specialiter et quodammodo amplius exsultemus, quem de majori periculo erui cernimus, quamvis, absolute loquendo, non plus eum amemus. Secundo, quia in peccatoris conversione misericordia Dei præcipue declaratur. Tertio, quoniam fructus dominicæ passionis in illo evidentissime commendatur. Quarto, quia in peccatoris conversione adversarii Christi ac nostræ salutis, puta diaboli, specialiter confunduntur. — Denique, absolute loquendo, si comparemus statum ad statum, constat quod status in-

Digitized by Google

nocentiæ præferendus sit statui pœnitentiæ, eo quod majus Dei donum exsistat innocentia quam pœnitentia. Si vero comparemus personam unius status ad personam alterius, habent se sicut excedens et excessum : ita quod quidam de statu uno præferuntur quibusdam de statu altero, secundum quod sunt in majori aut minori caritate et gratia. Hinc absolute loquendo, de multis justis ac innocentibus, tanquam de simpliciter melioribus et Deo magis dilectis, majus est gaudium Christo supernisque civibus, quam de peccatoribus pœnitentibus quibuscumque.
Rom. v, 20. — Postremo, quoniam teste Apostolo, Ubi abundavit delictum, superabundat et gratia, frequenter contingit ut impii pœnitentes, tanto postmodum in divino fiant ferventiores obsequio, tantoque humiliores ac meliores, quanto se gravius deliquisse, et Deum circa ipsos clementius egisse considerant : sicque de eorum conversione specialis causa lætandi oritur angelis Dei.

Unde et qualiter majoritas gaudii hujus sit intelligenda, in Matthæo plenius tangitur, ubi habetur : Si fuerint alicui centum oves, et si erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit ad eam quæ erravit? Et si invenerit eam, gaudet super eam magis quam super nonaginta novem quæ non erraverunt. (Matth. XVIII, 12, 13.) Itaque, sicut paterfamilias plus lætatur de una ove post perditionem inventa, quam de reliquis cunctis quæ non erraverunt (non quod unam plus diligat quam ceteras omnes, sed quia de ejus inventione quædam specialis ac nova exsultatio ingignitur ei, tum quoniam ovem illam magis considerat, tum quia propter præcedentem de ejus perditione mœrorem, oppositum de ejus inventione gaudium magis afficit et sentitur); sic proportionabiliter, de peccatore pœnitente cives cœli plus gaudent, aut signa lætitiæ abundantius monstrant. Nam et angeli sancti de hominum sibi commissorum transgressione et recidivatione dolere et flere fe-

A runtur : quod tamen sane intelligi par est. Non enim veraciter inest eis aliqua pœnalis affectio, sed per modum dolentis se habent : juxta quem sensum ira, furor, et pœnitudo, Deo attribuuntur.

Consequenter per aliam parabolam docet Salvator, quod peccatores non debuit spernere et vitare, sed potius clementer admittere, atque ad viam salutis reduce-
re. *Aut quæ mulier habens drachmas,* id 8
est hujusmodi nummos, *decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit*
B *lucernam,* præsertim si tempore tenebroso aut in locis obscuris quærere velit, *et evertit domum,* id est, contenta in domo transfert de loco ad locum, ne forte sub aliquo illorum jaceat lateatque quod quæritur, *et quærit diligenter* perditam drachmam, *donec inveniat* eam, præsertim quum feminæ vehementer afficiantur ad rem,
quum ad eam cœperint affici? *Et quum* 9
invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. Hoc litte-
C raliter ita est.

Spiritualiter vero, per mulierem hanc intelligitur æterna et increata sapientia Dei, quæ ob suam amabilitatem, speciositatem, pietatem et fecunditatem, sponsa et mulier appellatur. De qua Sapiens protestatur, pudicus et purus amator : Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam eam mihi assumere; et amator factus sum formæ illius. (Sap. VIII, 2.) Porro, per lucernam intelligitur Christi humanitas, quam Verbum æternum eodem quo D eam assumpsit instanti, accendit, hoc est, divinæ caritatis fervore, totius sapientiæ splendore, omnique virtute nullam imperfectionem in sua ratione includente, implevit : sicque Sapientia incarnata inter homines conversando, evertit domum, hoc est, populum Judæorum multipliciter excitavit, movit, deduxit, docendo, exemplariter conversando, miracula perpetrando, qui, ut in Actibus loquitur Petrus, Pertransivit benefaciendo (Act. X, 38.); et quæsivit diligenter hominem perditum, summi Regis

imagine insignitum, sicque per drachmam
Luc. xix, 10. congrue designatum. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Donec invenit, id est, sua passione redemit genus humanum, quemadmodum
Joann. xvii, 4. apud Joannem loquitur Patri : Opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem. Inventa itaque drachma hac, id est homine taliter liberato, Christus in die ascensionis convocavit amicas atque vicinas, id est cœlestium civium societates beatas, divinæ voluntati perfecte conformatas, et Deum altissimum clare per speciem immediate cernentes. Propter quod mentes angelicæ et beatæ merito nuncupantur Dei amicæ atque vicinæ, quia non solum prope eas, sed etiam in eis moratur, easque sibi familiarissime ac amorose nimis unire dignatur. Dixitque eis : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdidi. Christus quippe in sua ascensione angelicos spiritus sibi fecit occurrere :
Ps. xxiii, 8, 10. quibus interrogantibus, Quis est iste Rex
Is. lxiii, 1-3. gloriæ? ut ait Psalmista ; itemque, Quis est iste qui venit de Edom? et, Quare rubrum est indumentum tuum? ut recitat Isaias; respondit : Torcular calcavi solus, hoc est, per passionis pressuram liberavi genus humanum. Tuncque, ut in Hymno ait Ambrosius, Gavisa sunt cœli regna reditu Unigeniti. Tanta autem est Christi dilectio ad nos, ut nostram salvationem suam fateatur esse lætitiam.

10 *Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei,* id est, in regno cœlesti ad invicem lætabuntur angeli sancti, et Christus eis præsentibus exsultabit, *super uno peccatore pœnitentiam agente :* quia de ejus evasione qua evadit æternæ damnationis periculum, caritative et pie congaudent, et quoniam prædestinationem divinam vident impleri, pretium quoque sanguinis Christi fructificare, et cœlestis Jerusalem instaurari ruinam, atque intellectualis creaturam naturæ quam diligunt, Deo uniri, Creatorisque omnium honorem et cultum in ea augeri, dæmones superari, et vitia quibus Deus offenditur, minui.

A Sic et in palatio regum lætitia oritur, quando propinquus seu filius regis de maximis adversis eripitur.

Itaque Christus sapientia Patris habuit drachmas decem, id est novem ordines angelorum, et genus humanum, quod tanquam decima drachma, per originale peccatum deperiit. Præterea, secundum Bedam, ovem et drachmam perditam Christus invenit, quando hominem restauravit; et super eam inventam majus gaudium est in cœlo quam supra nonaginta novem ju-
B stis seu angelis pœnitentia non indigentibus, quoniam major divinæ laudis materia est in restauratione hominum, quam in creatione aut etiam beatificatione angelorum. Mirabiliter namque angelos Deus creavit, sed hominem mirabilius restauravit.

Postremo, sicut Christus hæc egit, ita et omnis Christi vicarius, aliorum sibi habens curam commissam, si contigerit quempiam sibi commissum peccando errare, ceteris sub bona custodia derelictis,
C debet ad illum reducendum se totum convertere, properare, satagere, illum quærendo, hortando, et si opus fuerit, juste puniendo, ad Christi gratiam revocare, sicut ad Galatas scribit Apostolus : Filioli Galat. iv, 19.
mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.

Insuper ad idem declarandum, videlicet quod decuit Christum peccatores ad pœnitentiam invitare, et venientes clementer suscipere, inducit Christus parabolam tertiam, ceteris evidentiorem ac pulchrio-
D rem. *Homo quidam,* id est, Deus Pater, 11
seu Unigenitus Dei propter nos incarnatus, de quo (secundum antiquam translationem) loquitur Jeremias, Et homo est, et Jer. xvii, 9. juxta LXX.
quis cognoscet eum? atque Psalmista, Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Ps. lxxxvi, 5.
Altissimus; *habuit duos filios,* id est duos populos, Judaicum et gentilem. Est autem consuetudo Scripturæ, totum aliquem populum nomine filii aut filiæ designari, quemadmodum in Prophetis Israelitica plebs frequenter per filiam Sion aut fi-

Digitized by Google

Soph. III, 14; *Zach.* IX, 9. liam Jerusalem denotatur, ut patet in Sophonia et Zacharia. Nec solus populus ille Judaicus, sed et gentilis, ita a Deo voca- *Is.* XLVII, 1. tur, juxta illud Isaiæ : Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon. Quod fit ad insinuandum quod ipsa natura secundum se, a Creatore paterno amore quasi filia diligatur. Interdum quoque aliquis totus populus dicitur filius, prout per Osee Dominus *Osee* XI, 1. loquitur : Puer Israel, et dilexi eum, et ex Ægypto vocavi filium meum. Præterea, per hos duos filios, indeterminate, intelligi possunt quicumque justus seu innocens, et transgressor, quia et impius appellatur quodammodo filius Dei, in quantum ad ejus imaginem est creatus, vel in Baptismo spiritualiter regeneratus.

12 *Et dixit adolescentior ex illis* duobus *patri,* hoc est populus gentilis : qui rite adolescentior nominatur : Primo, quoniam ab exordio generis humani, prior fuit cultus veri Dei quam gentilitatis error, ritus ac cultus ; imo post diluvium idololatria cœpit. Secundo, quoniam gentiles Judæis fuerunt pueriliores, insipientiores, et bestialiores : quia ut asserit Augustinus, Nihil tam puerile, ut idola colere, et nihil stolidius, quam divinæ legis non obedire præceptis. Hinc quoque de populo *Exod.* IV, 22. Judæorum Deus testatur : Filius meus pri- *Jer.* XXXI, 9. mogenitus Israel ; et per Jeremiam, Primogenitus meus Ephraim. Porro, Gorra ait hoc loco : Qui idola coluerunt, puta gentiles, amiserunt nomen divinæ filiationis, et dicti sunt filii hominum, ut in *Gen.* VI, 2. Genesi : Videntes filii Dei filias hominum. Verumtamen hoc intelligendum non est, quasi illi qui filii hominum nuncupantur, qui utique diluvium præcesserunt, venerati sint idola, aut quod idololatria diluvium ipsum præcesserit. Unde quod Gorra allegat de idololatris, ad litteram dictum non est, sed de posteritate Cain, qui non ob idololatriam, sed ob vitia carnis, filii hominum appellantur ibidem.

Itaque adolescentior filius dixit verbo, seu potius facto, patri suo, scilicet Deo : *Pater, da mihi portionem substantiæ quæ*

A *me contingit,* id est possessionem boni pertinentem ad me, quæ possessio est portio substantiæ, id est pars boni creati, mihi conveniens, seu partialis substantia spectans ad me. Omne quippe bonum creatum, est Creatoris substantia sive possessio, sicut in Genesi Abraham ait : Levo *Gen.* XIV, 22. manum meam ad Dominum Deum possessorem cœli et terræ. Ex hac vero substantia aliquid ad hominem specialiter pertinet, utpote corpus ejus, et anima, et naturalia dona ipsius, supernaturalia quo- B que dona sibi concessa, et bona fortunæ. Petiit adolescentior filius sibi partem pertinentem a patre suscipere, quia naturalibus donis ac ceteris bonis sibi a Deo collatis voluit secundum voluntatem propriam uti, potius autem abuti, nec subjici legi divinæ, aut protegi supernaturalibus donis gratiæ Salvatoris, quemadmodum per Jeremiam quibusdam loquitur Deus : A sæculo confregisti jugum, rupisti vin- *Jer.* II, 20. cula, et dixisti, Non serviam. Hinc ait Psalmista : Homo quum in honore esset, *Ps.* XLVIII, 13, 21. C non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. Istud quoque similiter dicit omnis transgressor legis divinæ.

Et divisit illis substantiam, hoc est, unicuique dedit quod petiit, et quemlibet facere permisit quod voluit, secundum illud Ecclesiastici : Deus ab initio constituit *Eccli.* XV, 14, 17. hominem, et reliquit eum in manu consilii sui. Apposuit tibi aquam et ignem : ad quodcumque volueris, porrige manum tuam. Hinc et Apostolus fassus est : Unus- *I Cor.* VII, 7. quisque proprium donum habet a Deo. D Judæis quoque dedit dona gratiæ, ac legem scriptam divinam ac supernaturalem ; gentilibus vero, dona naturæ, quos et in naturali lege reliquit, quam pauci eorum conservasse leguntur.

Et non post multos dies, id est, paucis 13 evolutis diebus, *congregatis omnibus* quæ ad se pertinebant, hoc est, bonis sibi desuper præstitis, ad proprium commodum pariter ordinatis, ac vitiose reflexis, *adolescentior filius peregre,* a patria Beatorum per impiam vitam se elongando : quæ est

Digitized by Google

peregrinatio mala, qua quis hoc mundo atque præsenti exsilio pro patria utitur; *profectus est,* non tam corporaliter transeundo, quam mentem suam a Deo improbe avertendo. Sicut enim ad Deum incircumscriptum, ubique substantialiter vere præsentem, acceditur mentis affectu, non corporis gressu, nisi in quantum exterior actus habet rationem virtutis ex interiori intellectus voluntatisque actu; ita a Deo receditur mentis aversione, non corporis motione, nisi in quantum actus exterior ex interiori mentis inordinatione seu culpa efficitur vitiosus. *In regionem longinquam,* id est peccati statum, dissimilitudinem et continuationem, per quam longe a Deo distatur, juxta illud Proverbiorum :
Prov. xv, 29. Longe est Dominus ab impiis; atque in
Ps. cxviii, 155. Psalmo, Longe a peccatoribus salus. Hæc est spiritualis distantia, utpote dissimilitudo.

Et ibi dissipavit substantiam suam, id est, dona gratiæ gratum facientis amisit, bona fortunæ consumpsit, dona naturæ infecit, ac pejoravit, *vivendo luxuriose,* corporali fornicatione, quæ est peccatum mortale; itemque fornicatione spirituali, quæ est aversio mentis a bono incommutabili et immenso, atque conversio ejus ad bonum creatum caducum et vanum. Potissimum tamen idololatria spiritualis fornicatio dicitur, prout in Deuteronomio
Deut. xxxi, 16. Deus locutus est Moysi : Populus iste fornicabitur post deos alienos; et in Osee,
Osee i, 2. Fornicans fornicabitur terra a Domino. Porro, secundum divinum Dionysium capitulo 4 de Divinis nominibus, peccata quamvis dona naturæ non penitus corrumpunt aut tollunt, ea tamen inficiunt, et rationem obtenebrant. Propter quod asserit Damascenus : Peccatum est aversio ab eo quod est secundum naturam, ad id quod est præter naturam. Hinc etiam peregrinum uno modo vocatur, quod est a
Is. xxviii, 21. natura rei alienum, sicut in Isaia ultio dicitur opus Dei, sed peregrinum ab eo : quoniam Deo secundum se et ex propria natura proprium est misereri ac parcere;

A ulcisci autem competit ei propter nostram malitiam.

14 *Et postquam omnia consummasset,* hoc est, dona sibi divinitus præstita aut amisisset, aut consumpsisset, aut infecisset :
nam et teste Apostolo, Qui fornicatur, in *I Cor.* vi, 18.
proprium corpus peccat, quia per immoderatam luxuriam homo interiora sua quasi consumit et vires enervat; *facta est fames valida in regione illa :* id est, inter impios et carnales grandis spiritualium bonorum carentia contigit; gentilibus
B quoque gratiarum charismata specialiter defuerunt. Vitiosis quoque hominibus, propter eorum peccata, interdum corpori necessaria subtrahuntur. *Et ipse cœpit egere* omnibus pertinentibus ad salutem, quæ peccando amisit, videlicet gratia atque virtutibus : quemadmodum acediosis contingere solet, secundum illud Proverbiorum :
Usquequo piger dormies? Paululum dor- *Prov.* vi, 9-11.
mies, paululum dormitabis, et veniet tibi quasi vir armatus egestas.

15 *Et abiit,* se a Deo infelicius elongando :
C a quo tanto vehementius elongamur, quanto gravius frequentiusve peccamus. Peccatum autem quod per pœnitentiam non statim diluitur, suo mox pondere trahit ad aliud, ut ait Gregorius. *Et adhæsit uni civium regionis illius,* hoc est diabolo, ut communiter exponitur. Diabolus enim jugiter manet et habitat in statu peccati et dissimilitudine vitiorum : qui etiam
non solum civis, sed et princeps mundi *Joann.* xii, 31.
hujus vocatur a Christo apud Joannem : ubi per mundum, mundani vitiosique ho-
D mines designantur, potissimum reprobi, de quibus iterum loquitur Christus Patri,
Non pro mundo rogo. Potest quoque per *Ibid.* xvii, 9.
civem istum quicumque hæresiarcha, seu præcipuus peccator in vitiis induratus, intelligi. Hujusmodi igitur civi, puta diabolo, filius iste nunc dicitur adhæsisse : non quia ante non adhæserit ei, imo statim quum se a Patre cœlesti avertit, huic adhæsit; sed jam dicitur adhæsisse, quia tenacius illi adhæsit quam ante, quemadmodum per Isaiam pravissimis dicitur :

Digitized by Google

Is. xxviii, 15. Dixistis, Percussimus fœdus cum morte, et
cum inferno fecimus pactum. *Et misit illum in villam suam,* id est, mundanis cupiditatibus implicavit, et carnalibus sociavit hominibus, qui sunt vasa et possessio dæmonis, *ut pasceret porcos* suos, hoc est dæmones inferiores, seu homines turpes, diabolo per carnalia vitia subditos, qui in obscenis ac impiis actibus delectantur,
II Petr. ii, 22. talibusque pascuntur; qui sunt velut sus
lota in volutabro luti; quibus competit
Joel i, 17. illud Joelis, Computruerunt jumenta in
stercore suo.

16 *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant; et nemo illi dabat.* Interior animæ venter interdum dicitur intellectus, qui veritatem concipit, mentaleque verbum profert, et boni operis fructum producit. Intellectus quoque realiter idem est quod memoria, seu potentia memorativa intellectiva, quam Philosophus locum specierum appellat. De hujusmodi ventre Deus Pater in Psalmo
Ps. cix, 3. loquitur Filio : Ex utero ante luciferum
Prov. xviii, 8; xxvi, 22. genui te; et in Proverbiis Salomon, Verba
(inquit) susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. Pariformiter voluntas seu ejus affectus, venter animæ nominatur, quoniam desiderata allicit, suscipit et conservat. Unde
Ibid. xiii, 25. et Salomon ait : Venter impiorum insati-
abilis. Porro siliqua est genus leguminis, ex sonoris et vacuis foliis, ventrem onerans potius quam reficiens : per quod sæcularis prudentia, et curiosa scientia quæ ventrem intellectus non implet, et terrena substantia quæ ventrem voluntatis
Eccle. v, 9. non satiat, designatur. Avarus namque, ut
Sapiens asserit, non impletur pecunia; et quanto avarus plura acquirit, tanto ad plura acquirenda anhelat. Denique nullum bonum creatum satiare et quietare valet animæ appetitum. Propter quod loquitur Augustinus : Domine, creasti nos propter te, et inquietum est cor nostrum, donec perveniat ad te.

17 *In se autem reversus,* id est, ad rectæ rationis dictamen se vertens, se ipsum dis-
A cutiens, interiora sua considerans, quem-
admodum per Isaiam jubetur : Redite, Is. xlvi, 8.
prævaricatores, ad cor. Homo enim peccando, extra se viliter evagatur, limitesque rationis transcendens, terminos sibi a Deo præfixos transgreditur. Interdum tamen dicitur quis ad se reverti, propter solam veritatis considerationem, juxta illud Ac-
tuum : Petrus ad se reversus, dixit, Nunc Act. xii, 11.
scio vere. *Dixit,* cordialiter pœnitendo, et ex afflictione sua se super se reflecten-
do, secundum illud Isaiæ : Vexatio dabit Is. xxviii, 19.
B intellectum. *Quanti mercenarii,* id est valde multi Deo propter æternam mercedem deservientes, secundum illud Psal-
mistæ : Inclinavi cor meum ad faciendas Ps. cxviii, 112.
justificationes tuas in æternum propter retributionem. Unde de Moyse ait ad He-
bræos Apostolus : Adspexit in remunera- Hebr. xi, 26.
tionem. Et in Genesi Abraham loquitur
Deo : Domine Deus, quid dabis mihi? Cui Gen. xv, 2.
et in Genesi Dominus ait : Ego protector Ibid. 1.
tuus et merces tua magna nimis. *In domo patris mei,* id est in Ecclesia militanti,
C quæ dicitur domus Dei seu Patris cœlestis,
prout scribit Apostolus : Scias quomodo I Tim. iii, 15.
te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi. *Abundant panibus,* id est multiplici alimonia spirituali, videlicet : pane sacramentali, de quo ait
Salvator, Ego sum panis vitæ; itemque, Joann. vi, 35, 48.
Caro mea vere est cibus : insuper pane Ibid. 56.
pœnitentiali, de quo fertur in Psalmo, Ci- Ps. lxxix, 6.
babis nos pane lacrimarum; et, Cinerem Ps. ci, 10.
tanquam panem manducabam. Est etiam panis bonæ operationis, de quo Christus :
D Meus cibus est, ut faciam voluntatem Pa- Joann. iv, 34.
tris mei. Est demum et panis contempla-
tionis, juxta illud Ecclesiastici : Cibabit Eccli. xv, 3.
illum pane vitæ et intellectus. Est iterum panis sanctæ affectionis, de quo fatetur ar-
dens amator : Fuerunt mihi lacrimæ meæ Ps. xli, 4.
panes die ac nocte. His panibus abundant, qui in Ecclesia Deo diligentissime obsequuntur, sicut ait fidelis minister :
Dominus regit me, et nihil mihi deerit; Ps. xxii, 1, 2.
in loco pascuæ ibi me collocavit.

Itaque hoc loco mercenarii in bono ac-

Digitized by Google

cipiuntur : qui licet intuitu præmii Deo A ministrant, ex amore quo se ipsos amant spiritualiter in Deo, principaliter tamen hoc agunt ex Dei amore, atque ad laudem et gloriam ejus : ad quam finaliter ordinant se ipsos et omne meritum suum ac præmium; alias nil mererentur, quoniam omne opus meritorium oportet ex divina procedere caritate, quæ vita est animæ. Interdum vero mercenarii sumuntur in malo, puta pro his qui proprii intuitu commodi, seu propter temporalia principaliter, Deo ministrant : de quibus B
Matth. vi, 2, 5, 16. in Evangelio testatus est Christus, Quia receperunt mercedem suam. Tales quippe non sibi constituunt Deum pro fine, sed ex privato operantur amore propter se ipsos.

Ego autem hic fame pereo, id est, ego qui quoniam filius sum Patris cœlestis (secundum modum præhabitum), possum Deo servire puro ac filiali amore, quod altius est quam amore mercedis servire, ex spiritualis defectu alimoniæ in anima morior, vitam gratiæ non habendo, et pec- C cata, quæ sunt interitus animæ, quotidie incidendo.

Hoc verbum Christus in persona membrorum suorum dicere potest: *Quanti mercenarii,* id est prælati et doctores commoda sua quærentes, propter quod mercenarii magis sunt quam pastores, *in domo patris mei,* scilicet in Ecclesia, *abundant panibus,* id est alimentis corporalibus, et scientia Scripturarum, et sacramentis! *Ego autem* in membris meis, puta egenis ac subditis, *fame pereo,* ex defectu materia- D lis cibi aut spiritualis edulii, id est verbi Dei et boni exempli.

18 *Surgam,* id est, a peccato desistam, et a terrenis ad cœlestia me levabo : sicut
Ephes. v, 14. hortatur Apostolus, Surge, qui dormis; et
Is. lii, 2. Isaias, Excutere de pulvere; *et ibo,* per mentis conversionem veramque contritionem, *ad patrem meum* cœlestem ubique
Ps. xxxiii, 6. præsentem : prout monet Psalmista, Accedite ad eum, et illuminamini. Unde per Zachariam Dominus misericordissime loquitur : Convertimini ad me, et convertar ad *Zach.* i, 3.
vos. Hinc ad Hebræos monet Apostolus : Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ *Hebr.* iv, 16.
ejus, ut misericordiam consequamur et gratiam. *Et dicam ei,* me accusando : juxta quod scriptum est : Dixi, Confitebor *Ps.* xxxi, 5.
adversum me injustitiam meam Domino. *Pater,* per creationem et redemptionem, *peccavi,* mala committendo, et bona omittendo, *in cœlum,* id est coram supernis spiritibus, et specialiter contra angelum vitæ meæ custodem, cujus præsentiam inhonoravi peccando, et ejus inspirationibus non acquiescendo.

Præterea, qui Creatorem offendit, totius creaturæ meretur offensam incurrere, atque ut omnis creatura contra eum insurgat, et Creatoris sui in eo ulciscatur injuriam. Nam et peccando in Deum, omnem creaturam quodammodo inhonorat, cujus Deum ac Creatorem sic parvipendit, inhonorat seu spernit : quemadmodum qui regem terrenum injuste percuteret, quemlibet ejus subditum inhonoraret atque offenderet. Sicut enim honor, ita et inhonoratio regis et cujuslibet præsidentis, redundat in subditos. Verumtamen creatura incomparabiliter magis debet Deum creatorem suum amare ac venerari, quam subditi regem terrenum. Unde de Dei inhonoratione summe dolendum est. Rursus cœlum, terra, et cetera quæ intellectum non habent, Deum materialiter laudant, benedicunt, glorificant et honorant, quia considerantibus ea ostendunt Deum creatorem suum super omnia esse laudandum et honorandum : idcirco qui peccat, illa quodammodo inhonorat, quia eorum materialibus laudationibus realiter contradicit; sicque potissimum peccat in cœlum, quod præ ceteris corporalibus creaturis, clarius magnificentiusque ostendit quam incomparabiliter honorandus sit Deus. Peccator quoque in cœlum peccat, quia peccando meretur cœlesti mansione privari.

Et coram te, qui omnia clarissime intueris : ideo impudenter et irreverenter me habui, quod te præsente et conspici-

Digitized by Google

ente peccare præsumpsi. Unde ad veram A sapientiam pertinet, ut Deum ubique præsentem et cuncta inspicientem jugiter attendamus : ex qua sapientiali consideratione mox gignitur castus pudor, pudicusque timor, quo in divini vultus præsentia turpiter et injuste erubescimus nos habere. Hinc, juxta Boetium, magna nobis indicta est ratio probitatis, quoniam in conspectu Judicis universa cernentis omnia agimus.

19 *Jam non sum dignus vocari filius tuus,* quia te toties et tam graviter inhonoravi : quod filio non licet, quum scriptum sit : B *Exod.* XX, 12. Honora patrem tuum. Et per Malachiam *Malach.* I, 6. ait Creator altissimus : Filius honorat patrem suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Rursus, indignus sum vocari filius tuus, quia imaginem tuam in me peccando multipliciter deturpavi, meque tibi valde dissimilem feci; iterum, quia peccando feci me ipsum servum diaboli *II Petr.* II, 19. et peccati (a quo enim quis superatus est, hujus et servus est, ut Petrus apostolus ait); rursus, quoniam extra disciplinam tuam me posui : quod non com- C *Hebr.* XII, 8. petit filio, dicente Apostolo, Si extra disciplinam estis, ergo adulteri et non filii estis. *Fac me sicut unum de mercenariis tuis,* id est, ad gradum, nomen ac gratiam filii recipi fateor me indignum : idcirco humiliter precor saltem inter mercenarios computari. Sic et Abigail prudentissima femina, cognito quod David vellet eam in *I Reg.* XXV, 41. conjugem sumere, dixit : Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei. Denique sunt mercenarii boni, qui serviunt Deo pro retributione æter- D *II Par.* XV, 7. na : quibus dicitur, Confortamini, et non dissolvantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro. Alii vero sunt mercenarii mali, qui pro temporali mercede Deo servire videntur. Unde in Joanne loqui- *Joann.* X, 12. tur Christus : Mercenarius et qui non est pastor, vidit lupum venientem, et fugit.

20 *Et surgens,* id est, a peccatis se erigens, et a carnalibus ad spiritualia se disponens, *venit ad patrem suum,* id est, per attritionem, et per opera bona ex genere, cœpit ad Deum mente redire, atque ad gratiam gratum facientem veramque contritionem cor suum disponere.

Quum autem adhuc longe esset : quia nondum per caritatem infusam, veram contritionem et virtutum adeptionem, fuit Deo conjunctus; imo adhuc fuit in suis peccatis, quousque attritio in contritionem mutata est; *vidit illum pater ipsius,* scilicet Deus Pater, oculo pietatis paternæ ac prædestinationis æternæ, de quo orat qui ait : Adspice in me, et miserere mei. *Ps.* CXVIII, 132. Interdum vero adspectus Dei accipitur pro animadversione districtæ justæve ultionis, juxta illud Habacuc : Quare non respicis, *Habac.* I, 13. Domine, super iniqua agentes? *Et misericordia motus est; et accurrens,* id est, per gratiam prævenientem clementer illi cooperans et succurrens. Quum etenim facit quis quod in se est, se præparando ad gratiam, Deus mox subvenit, gratiamque infundit. *Cecidit super collum ejus,* id est, pie et amorose illum suscepit, non solum dimittendo peccata, sed et gratiarum infundendo charismata. Propter quod apud Job habetur : Si direxerit homo ad Deum *Job* XXXIV, 14. cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. *Et osculatus est eum,* id est, familiariter et intime atque suaviter eum sibi univit, ita quod pacem internam ei infudit, per quam mens in Deo absque perturbatione quiescit, sicut in Canticis orat Sponsa : Osculetur me osculo oris sui. *Cant.* I, 1. Hoc osculum est adhæsio, unio seu conformatio mentis creatæ cum Deo, quia ut ait Apostolus : Qui *I Cor.* VI, 17. adhæret Deo, unus spiritus est cum illo.

Circa hæc ait Chrysostomus : Quid est quod pater accurrit, nisi quod peccatis nostris nos impedientibus, propria virtute ad eum venire non poteramus? Ipse pius et potens ad invalidos descendit. Osculatur autem os filii, per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat, quam pater lætus suscepit. Ait quoque Gregorius Nyssenus : Confessio placavit ei patrem, ita ut obviam ei iret, ac oscula daret. Si ergo et nos optamus ut Deus nobis clementer accurrat, subveniat, adsit, cor-

dialiter pœniteamus, et per humilem con- A fessionem Dominum accedamus. Propterea in Proverbiis asseritur : Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Prov.* xxviii, 13.

21 *Dixitque ei,* scilicet patri clementissimo, *filius : Pater, peccavi in cœlum et coram te,* sicut expositum est, *jam non sum dignus vocari filius tuus.* Hoc dixit, considerando se secundum peccata quæ fecit, seu secundum id quod fuit per culpam, quemadmodum dixit Paulus : Non B sum dignus vocari Apostolus. *I Cor.* xv, 9. Verumtamen considerando ipsum secundum id quod factus fuit per gratiam veramque pœnitentiam, jam pristinum recuperavit honorem et gradum, et filius meruit dici, præsertim quia osculatus a patre in signum concordiæ et amoris. Denique, quanto Deus omnipotens hominem peccatorem gratiosius visitat et illustrat, tanto se ille profundius humiliat, graviusque accusat : nempe, quo Dei pietatem evidentius circa se experitur, et majestatem ac sanctitatem C ipsius clarius contemplatur, eo propriam ingratitudinem, perversitatem et pravitatem lucidius intuetur, cordialius detestatur, plenius confitetur. Hinc Isaias post contemplationem illam sublimem, qua vidit Dominum in excelso solio residentem, testatus est : Væ mihi, quia vir pollutis labiis ego sum. *Is.* vi, 5. Verumtamen filius iste tantam circa se Dei Patris dilectionem expertus per osculum illud internum, non efficit mentionem de mercenarii statu ; sed inter filios Dei computari confidit, et D Deo propter puram ipsius bonitatem adhærere ac deservire proponit.

Ait autem Ambrosius : Servus est, qui timore pœnæ præsentis sive futuræ temperat se a vitiis; mercenarius, qui spe et desiderio regni cœlestis Deo ministrat; filius vero, qui amore Dei et zelo virtutum succensus, quidquid Deo contrarium est, toto studio detestatur. Hoc tamen intelligendum est de servo servitute timoris omnino servilis, in quo nullus est amor justitiæ : de quo apud Joannem loquitur Christus, Servus non manet in domo in æternum. *Joann.* ii, 35. Est autem et servus servitute timoris initialis seu filialis, cui loquitur Judex cœlestis : Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui. *Matth.* xxv, 21, 23. De talibus servis jam subditur :

Dixit autem pater ad servos suos, id 22 est, prælatis et ministris Ecclesiæ, puta Apostolis, eorumque successoribus, prædicatoribus atque doctoribus, jussit : *Cito proferte stolam primam,* id est, innocentiæ vestem in Baptismo susceptam, quam iste peccando amisit, ei ministerialiter exhibete seu prædicando promittite. Sed et gratia gratum faciens seu fides formata dici poterit stola prima. De adeptione autem innocentiæ dicit Salvator : Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. *Ibid.* xviii, 3. *Et induite illum,* id est, animam ejus hac virtute ornate, cooperando mihi in ejus interiori vestitione : de qua in Isaia habetur, Induit me Dominus vestimento salutis; *Is.* lxi, 10. et Sponsa in Canticis, Indui (inquit) me tunica mea. *Cant.* v, 3. Virtutes quippe et dona Spiritus Sancti ac opera virtuosa, sunt vestes et arma ornamentaque animæ. Unde in Apocalypsi Christus hortatur : Vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ. *Apoc.* iii, 18. Porro supergloriosissimus Deus, qui omnia per se ipsum plenissime facere potest, aliquos sibi assumit et efficit cooperatores, ut bonitatem suam creaturis suis magis communicet, ejusque perfectio in rebus clarius elucescat. Hinc ait Apostolus : Dei adjutores sumus, Dei cooperatores sumus. *I Cor.* iii, 9.

Et date ministerialiter seu dispositorie, *annulum,* id est veræ fidei signaculum, *in manu,* id est operatione *ejus,* ut bene agendo ostendat se fidem vivam habere (fides enim sine operibus mortua est, quemadmodum corpus sine anima), *Jacob.* ii, 17, 20, 26. imo tam virtuose conversetur, ut quicumque conversationis suæ sinceritatem attenderit, ipsa facti evidentia quasi convictus, fateri cogatur veram esse fidem, justamque

Digitized by Google

legem ipsius. Porro per annulum sphæ- A
ricæ figuræ, in quo non est principium
aut finem assignare, notatur fides Trini-
tatis æternæ : quo anima Sponso despon-
satur cœlesti, dicente hoc ipso Propheta,
Osee II, 20. Sponsabo te mihi in fide. Hinc sacratissi-
ma et innocentissima Agnes dixit : Annulo
fidei suæ subarrhavit me.

Et calceamenta, id est munimenta con-
tra ea quæ virtuosi processus sunt corru-
ptiva, *in pedes ejus,* id est in utroque suæ
animæ appetitu, scilicet sensitivo et in-
tellectivo, quibus in via Dei proceditur, B
quando hi appetitus rationis judicio diri-
guntur : amando namque et desiderando
ordinate, potissimum itur ad Deum. Et
quoniam calceamenta de mortuorum ani-
malium pellibus fiunt, recte per ea san-
ctorum patrum exempla, quibus contra
peccata munimur, signantur. De quibus
Cant. VII, 1. in Canticis legitur : Quam pulchri sunt
gressus tui in calceamentis, filia princi-
Ephes. VI, 15. pis! Apostolus quoque hortatur : Calce-
ati pedes in præparatione Evangelii pa-
cis. Denique per pedes intelligi possunt C
intellectus atque voluntas, quoniam con-
templando ac diligendo divina, præcipue
imus ad patriam. Hi pedes calceamentis
teguntur, quum dono sapientiæ et caritate
infusa ornantur, quibus ad superiora le-
vantur, ne terrenorum cogitatu aut affe-
ctu fœdentur.

23 *Et adducite vitulum saginatum,* id est,
Christum pro nobis passum, et instar vi-
tuli propter nos immolatum, ei prædicate,
imitandum proponite, et sub speciebus
Sacramenti sumendum præbete. Christus D
autem secundum humanam naturam dici-
tur vitulus, propter suam in cruce immo-
lationem, et saginatus, quoniam omnium
charismatum gratiæ plenitudine decora-
tus. De hujusmodi saginatione loquitur
Is. LV, 2. Isaias : Delectabitur in crassitudine anima
Ibid. XXV, 6. vestra; et rursus, Faciet Dominus in mon-
te hoc, scilicet in monte Sion, omnibus
gentibus convivium pinguium : quod de
refectione Eucharistiæ exponitur. *Et occi-
dite,* id est, Christi passionem commemo-
rate, et eum pro humana salute occisum
denuntiate : secundum quod Petrus ait :
Christus passus est pro peccatis nostris, I Petr. III,
justus pro injustis, ut nos offerret Deo. 18.
Hujus vero passionis commemoratio præ-
cipue fit in Missarum celebratione, Sacra-
mentique perceptione, sicut ait Apostolus:
Quotiescumque manducabitis panem hunc I Cor. XI, 26.
et calicem bibetis, mortem Domini an-
nuntiabitis. *Et manducemus, et epulemur,*
id est, de hujus filii mei emendatione spi-
ritualiter reficiamur et gloriemur. In pri-
mitiva quippe Ecclesia, Christiani quotidie
sacramentum Eucharistiæ acceperunt. In
tantum vero Deus nostram cupit salutem,
ut de nostra pœnitentia et spirituali pro-
fectu gloriari se protestetur. Nam et Apo-
stolus ait : Hæc est voluntas Dei, sancti- I Thess. IV,
ficatio vestra. Et in Apocalypsi loquitur 3.
Christus : Ego sto ad ostium et pulso; si Apoc. III, 20.
quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et
cœnabo cum eo. *Quia hic filius meus mor-* 24
tuus erat per culpam : juxta quem sen-
sum in Apocalypsi alicui dicitur, Nomen Ibid. 1.
habes quod vivas, sed mortuus es; *et re-
vixit* per pœnitentiam, quæ secundum
Hieronymum, est secunda tabula post nau-
fragium; *perierat, et inventus est.*

Et cœperunt epulari, id est ejus saluti
et gratiæ congratulari : quæ est spiritualis
refectio, de qua Corinthiis scribit Apo-
stolus, Refectus est spiritus Titi ab omni- II Cor. VII,
bus vobis; et Psalmista, Justi epulentur 13. Ps. LXVII, 4.
et exsultent in conspectu Dei. Qui enim
vere virtuosi et caritativi sunt, de aliorum
emendatione maxime exhilarantur et gra-
tias agunt Deo : qui actus sunt cibus, imo
et epulatio mentis. Epulatio enim vocatur
solennis refectio.

Erat autem filius ejus senior, id est 25
Judaicus populus : qui senior appellatur,
quia gentiles præcessit maturitate et sa-
pientia, cultuque veri Dei; *in agro,* id est
in terrenis promissionibus occupatus, lit-
terali sensu contentus, non in cœlestibus
radicatus : nam et Christum in primo suo
adventu putabant temporaliter regnatu-
rum, et omnibus mundi divitiis se copio-

Digitized by Google

sissime impleturum. *Et quum veniret*, id est, per legalium observantiam Deo appropinquare vellet, *et appropinquaret domui*,
I Tim. III, 15. id est Ecclesiæ, de qua Apostolus : Scias quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi. Legalia namque, erant eorum quæ in Ecclesia creduntur et fiunt, præfigurativa, et disponebant ad Christum. *Audivit symphoniam*, id est spiritualia cantica ex gentilitate conversorum ad fidem, *et chorum*, id est eosdem gentiles conversos, Deum consona voce laudantes, atque in mensa temploque Chri-
26 sti cordialiter exsultantes et epulantes ; *et vocavit unum de servis* ad Christum conversis, seu aliquem ex Prophetis, vaticinia ejus scrutando, *et interrogavit quæ hæc essent*, id est, quæ essent ista Christianorum solennia atque præconia. Denique in primitiva Ecclesia fuerunt aliqui in Jerusalem ex gentilibus ad Christum conversi, multoque plures in Galilæa et Samaria ac aliis locis, de quorum spirituali jucunditate et gratia admirantes Judæi, interrogabant quid essent hujusmodi festa.

27 *Isque dixit illi : Frater tuus venit*, id est, gentiles ejusdem tecum naturæ exsistentes, de tenebris ignorantiæ et regione dissimilitudinis, puta a loco et statu idololatriæ aliorumque vitiorum, per fidem ad Deum conversi sunt, credendo in Christum. Hanc equidem gentium conversionem Prophetæ et maxime Isaias sunt prælocuti, ut quum loquitur Isaias ad Deum :
Is. LV, 5. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis ; et
Ibid. IX, 2. rursus, Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam ; et Psalmista,
Ps. LXXXVI, 4. Ecce alienigenæ et Tyrus et populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Daniel quoque pro-
Dan. VII, 14. pheta inquit : Omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Hoc etiam Petrus apostolus dixit Judæis, qui cum indignatione sciscitati sunt eum cur ad Cornelium in-
Act. XI, 17. troisset, ostendens quod eamdem gratiam contulisset Deus illis gentibus, quam et Judæis. *Et occidit pater tuus*, id est Deus, qui est omnium pater per creationem, et specialiter fuit pater Judæorum per gratiam singularem et gubernationem præcipuam in veteri Testamento, quemadmodum in Deuteronomio plebi Israeliticæ Moyses ait : Numquid non ipse est pater tuus qui
Deut. XXXII, 6. possedit te, et fecit, et creavit te? In Isaia quoque habetur : Et nunc, Domine, pa-
Is. LXIV, 8. Deut. VII, 6. ter noster es tu. Judæi etenim fuerunt peculiaris populus Dei. *Vitulum saginatum*, scilicet Christum, secundum expositionem præhabitam : quem Pater occidit eo modo quo tradidit eum, utpote permissive, et etiam inspirando animæ Christi voluntatem patiendi pro mundi salute, itemque quia per Christi passionem decrevit salvare genus humanum. Hinc Isaias quoque protestatur : Propter peccata populi mei
Is. LIII, 8. percussi eum. Et in Actibus asserit Petrus : Deus qui prænuntiavit per os om-
Act. III, 18. nium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic. *Quia salvum illum recepit*, id est, gentilem populum olim perditum recuperavit.

Sed contra hoc objici potest. Nam Christus occisus est antequam merito suæ passionis gentiles conversi sunt : sicque dici potius debuit, Salvum illum recepit, quia vitulum saginatum occidit. Sed ad hoc patet responsio ex inductis. Nunc enim dicitur Pater hunc vitulum occidisse, in quantum per suos ministros, prælatos, et prædicatores eum esse passum pro gentibus denuntiavit. Insuper Pater Christum occidi permisit, quia salvum recepit populum gentilem secundum prædestinationem æternam, hoc est, quia præordinavit eum ita salvare. Vel, quod ait, Quia salvum, etc., dicit causam a posteriori, quæ potius est signum effectus quam causa.

Indignatus est autem frater senior, id est, Judæi de gentilium conversione et fi- 28
de in Christum ad indignationem commoti sunt, sicut de incredulis Judæis scribit Apostolus : Omnibus gentibus adversan-
I Thess. II, 15, 16. tur, prohibentes nos loqui gentibus verbum Dei, ut salvæ fiant. Præterea Judæi conversi ad Christum, de gentilium susceptione murmuraverunt, dicentes ad Pe-

Digitized by Google

Act. XI, 3. trum illud Actuum : Quare introisti ad
viros præputium habentes, et manducasti
cum eis ? *Et nolebat introire* ad spirituale
convivium, quod Deus Pater in Ecclesia
exhibet Christianis, nec voluit gentilibus
conversis communicare in fide sacramen-
tisque Christi.

Pater ergo illius egressus, non per loci
mutationem, aut motionem in se factam,
sed per recentem effectum, quemadmo-
Habac. III, 13. dum Habacuc dicit ei : Egressus es in sa-
lutem populi tui, in salutem cum Christo
tuo. Egressus est autem a Synagoga ad
Ecclesiam, illam justo relinquens, et hanc
misericorditer visitans. *Cœpit rogare il-
lum,* id est Judæos pie ac paternaliter in-
vitare ad Christum, inspiratione interna,
exhortatione angelica, prædicatione apo-
stolica. Unde in Actibus Petrus dixit ad
Act. III, 17, 19. illos : Fratres, scio quia per ignorantiam
fecistis, sicut et principes vestri. Pœni-
temini ergo, et convertimini, ut deleantur
vestra peccata. Sicut et Paulus gentibus
II Cor. V, 20. ait : Obsecramus pro Christo, reconcilia-
mini Deo.

29 *At ille respondens, dixit patri suo,* cu-
jus benignissimæ exhortationi non acqui-
evit, sed restitit : *Ecce tot annis servio
tibi,* id est, multis annis tibi per legis ve-
teris observantiam ministravi, *et manda-
tum tuum nunquam præterivi.* Quomodo
verum est hoc, quum plebs illa pene sem-
per Deo rebellis exstiterit, et frequenter
in idololatriam lapsa sit ? Propter quod in
Threnis Jeremias in persona loquitur Ju-
Thren. III, 42. dæorum : Nos inique egimus, et ad iracun-
diam provocavimus Dominum. Et Esdras
I Esdr. IX, 6. similiter confitetur : Iniquitates nostræ
multiplicatæ sunt super caput nostrum,
et delicta nostra creverunt usque ad cœ-
lum. Ad istud est duplex responsio : pri-
ma, quod istud verificatur non de omni-
bus, sed de aliquibus Judæorum, qui in
innocentia permanserunt, sicut Elias et
Jeremias ; secunda, quod istud est præ-
sumptio, non veritas : nec mirum si men-
tiuntur, qui invident fratri, et credere re-
spuunt. *Et nunquam dedisti mihi hædum,*

A id est, tanta mihi beneficia non præstitisti
in veteri Testamento, sicut nunc præstas
gentilibus in evangelica lege. Vel per hœ-
dum intelligitur Christus, qui veteri po-
pulo promissus fuit, non exhibitus. *Ut
cum amicis meis epularer,* id est, cum
ceteris tibi ministrantibus mihi caris, de
tuis beneficiis gloriarer atque reficerer.
Potest etiam hoc referri ad epulationem
felicitatis æternæ in patria, ad quam Ju-
dæi perduci non poterant ante Christi oc-
cisionem. *Sed postquam filius tuus hic.* 30
B Aspernando hoc dicit, quia Judæi contem-
nebant gentiles : tanquam dicat, Postquam
iste perversus et vilis, quem fratrem vo-
care despicio. Unde in Actibus loquitur
Petrus : Vos scitis quomodo abominatum Act. X, 28.
sit viro Judæo conjungi aut accedere ad
alienigenam. *Qui devoravit substantiam
suam cum meretricibus* (hoc ante expo-
situm est), *venit* ad te per pœnitentiam,
occidisti illi vitulum saginatum, id est,
Christi passionem ei annuntiasti, Christum-
que passum ei exhibuisti, et meritum pas-
C sionis ejus illi communicasti.

At ipse pater piissimus *dixit illi* filio 31
seniori ac invido : *Fili, tu semper mecum
es.* Hoc ideo dicitur, quoniam aliqui Ju-
dæorum toto veteris Testamenti tempore,
Deo stabiliter adhæserunt. *Et omnia mea
tua sunt,* id est, dona gratiæ meæ in præ-
senti, et dona gloriæ in futuro tibi parata
sunt dari, et quæ ego habeo per naturam,
tibi parata sunt, ut ea participes per bea-
tificam fruitionem. De quibus bonis ait
Apostolus : Oculus non vidit, nec auris I Cor. II, 9.
D audivit, nec in cor hominis ascenderunt,
quæ præparavit Deus his qui diligunt il-
lum. Postremo, omnia quæ Patris sunt, id
est, quæ Patri absolute conveniunt, sunt
Filii ac Spiritus Sancti per substantialem
unitatem et identitatem. Propter quod Fi-
lius ait ad Patrem : Omnia tua mea sunt, Joann. XVII, 10.
et mea tua sunt. *Epulari autem et gau-* 32
*dere oportebat, quia frater tuus mortuus
fuerat* per peccatum. De qua morte ait
Salvator : Dimitte mortuos sepelire mor- Matth. VIII, 22.
tuos suos. Vita enim animæ est caritas

Digitized by Google

Dei, quæ per mortale peccatum amittitur, et ipsum mortale peccatum mors animæ perhibetur. *Et revixit* per gratiæ infusionem. *Perierat,* æternam damnationem merendo, et dæmonum manum incidendo, *et inventus est,* id est, ad manus pastoris salvatorisque sui reductus est : non utique casu, sed præordinatione divina, quæ nullum electorum perire permittit, quamvis sinat eum ad tempus errare. Hinc talibus scribit apostolus Petrus : Eratis aliquando sicut oves errantes, sed conversi estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. (I *Petr.* II, 25.)

Itaque ex hac docemur parabola, quam incomprehensibilis et immensa sit misericordia Dei in pœnitentes : qui etiam frequenter in illis in quibus abundaverunt delicta, superabundare facit gratiarum charismata, (*Rom.* v, 20.) et eos qui longo tempore vitiose vixerunt, facit eos præire qui a pueritia in innocentia permanserunt. Nemo ergo desperet, nullus quoque præsumat, nec aliquis, quamvis ferventior videatur, alium spernat.

Denique, sensum hujus parabolæ divus Dionysius in libro Ecclesiasticæ hierarchiæ devotissime introducit, exponendo mysticas rationes cærimonialium actuum, quos in primitiva Ecclesia episcopus seu hierarcha circa baptizandos exhibuit. Itaque sententialiter ait : Vere optimus et superoptimus Deus, qui et redeuntibus se præbet amabilem, et accedentibus obviat et occurrit, totusque totos amplectens salutat, suscipit, et velut in humeris tollit, nec de prioribus malis illos accusat, sed festum peragit diem, convocatque amicos, ut sit omnium lætantium habitudo, optimos quoque in lætitiam suscitat angelos.

ARTICULUS XXXIX

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : DICEBAT AUTEM AD DISCIPULOS SUOS : HOMO QUIDAM ERAT DIVES.

SALVATOR in isto capitulo hortatur ad opera pietatis, præsertim ad eleemosynarum largitionem, primo per parabolam, secundo per rem (ut creditur) gestam.

1 *Dicebat autem ad discipulos suos :* quibus (*Matth.* XIII, 11 ; *Marc.* IV, 11; *Luc.* VIII, 10.) præ ceteris datum fuit nosse mysterium regni Dei, et quos tanquam totius mundi futuros doctores singulariter de evangelica lege edocuit ; ad quos etiam ista parabola præcipue pertinebat, in quantum ipsi omnium prælatorum tenebant figuram.

Homo quidam, videlicet Unigenitus Dei propter nos incarnatus, de quo in Baruch scriptum est : Qui fecit stellas, hic est Deus noster ; et post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est ; (*Baruch* III, 35, 36, 38.) *erat dives :* quia secundum naturam divinam, dives est in se ipso infinitis divitiis, quoniam Patris ac Filii et Spiritus Sancti una est opulentia, sicut et una essentia : et hæc opulentia est ipsa Divinitas adoranda, in qua est, vel potius quæ est omnium bonorum atque pulchrorum ac desiderabilium superplena et interminata possessio. Unde et in libro de Causis habetur : Causa prima est dives in se, et dives in aliis. Porro secundum assumptam humanitatem, Christus quoque est dives et ditior universis, quoniam ejus humanitas prælata est omni enti creato, omnisque creatura subjecta est ei. Propter quod in Matthæo dixit : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. (*Matth.* XXVIII, 18.) Spiritualis quoque opulentia animæ Christi est maxima in donis gratiæ bonisque gloriæ. Dicit autem Augustinus in libro de Civi-

Digitized by Google

tate Dei : Deus est dives, non pecunia,
sed omnipotentia. Verumtamen tempora-
II Cor. VIII, 9. lem in corporalibus paupertatem propter
nos Christus assumpsit, ut ejus inopia cor-
porali nos divites efficiamur opulentia spi-
Sap. VIII, 5. rituali. Denique, sicut Sapiens ait : Si
divitiæ quæruntur, quid sapientia locuple-
Prov. III, 16. tius ? De qua in Proverbiis legitur : Lon-
gitudo dierum in dextera ejus, et in si-
nistra ejus divitiæ et gloria ; et rursus :
Sap. VII, 27. Sapientia quoque, quum sit una, omnia
potest.

Qui habebat villicum, id est dispensa-
torem. Quamvis autem villicus, villæ re-
ctor et custos proprie nuncupetur, hic
tamen pro œconomo seu domus procura-
tore et dispensatore accipitur, qui univer-
sam substantiam domus dispensat. Œco-
nomus quippe tam pecuniæ quam frugum
et omnium quæ paterfamilias possidet,
dispensatorem designat. *Et hic diffama-
tus,* id est accusatus, *est apud illum,* sci-
licet Christum omnium judicem, quem la-
tere nil potest. Porro diffamatio ista iniqui
apud Deum seu Christum, fit variis mo-
dis, testimonio quoque multiplici. Primo
per ipsam infallibilem et omnia intuen-
tem sapientiam Dei, qui per Jeremiam
Jer. XXIX, 23. fatetur : Ego sum testis et judex. Secun-
do, per angelos bonos, qui zelo justitiæ
coram Deo opera hominum bona et mala
proponunt, ut super Danielem exposito-
res affirmant. Tertio, per angelos malos,
Zach. III, 1. quemadmodum in Zacharia patet de Sa-
tan, qui Jesu filio Josedec adversabatur
per accusationem procacem. Quarto, per
remorsum conscientiarum, secundum il-
Rom. II, 15. lud ad Romanos : Testimonium reddente
illis conscientia ipsorum. Quinto, per evi-
dentiam operum, prout in Genesi Domi-
Gen. IV, 10. nus ait ad Cain : Vox sanguinis fratris tui
Ibid. XVIII, 20, 21. clamat ad me ; et rursus, Clamor Sodo-
morum venit ad me. Sexto, querela vici-
norum atque egentium. Unde in Proverbiis
Prov. XI, 26. Salomon ait : Qui abscondunt frumentum
in tempore, maledicentur ; benedictio au-
tem super caput vendentium. *Quasi dis-
sipasset bona illius,* id est, bona sibi ad
A bene erogandum atque utendum commis-
sa, inutiliter consumpsisset et expendisset.

Per villicum istum intelligi potest qui-
cumque aliorum prælatus aut princeps,
imo et quilibet Christianus. Nam quilibet
horum dona et beneficia sibi desuper da-
ta, corpus et animam, seu sibi commis-
sos, juste ordinare debet ad honorem et
gloriam Dei : potissimum autem qui aliis
in spiritualibus præsident, gregem sibi
commissum et ecclesiastica bona recte dis-
ponere obligantur, sermone et opere sub-
B ditos ædificando, et temporalia fructuose
ac salubriter, non superflue aut carnali-
ter, expendendo. Sed et principes sæcu-
lares ea quæ sibi superfluunt, in pios
debent usus convertere ; et quilibet Chri-
stianus donis naturæ et gratiæ ac fortunæ
sibi concessis legitime ad Dei honorifi-
centiam uti tenetur. Omnia equidem quæ Rom. VIII, 32 ; I Cor. IV, 7, 1.
habemus, dona sunt Dei, et eorum dispen-
satores potius quam possessores aut do-
mini sumus, utpote rationem de eis da-
turi. Porro pretiosissima Dei bona sunt
C animæ rationales Christi sanguine libera-
tæ : quas dissipat, qui pravis exemplis,
falsis doctrinis aut negligentia eas ad vitia
trahit aut trahi permittit, nec revocat :
quod tanto sceleratius est apud Deum,
quanto exterioribus rebus præstantiores
sunt animæ immortales.

Et vocavit Dominus *illum* villicum. Hæc 2
vocatio, non est illa qua quisque tempore
mortis ad divinum vocatur tribunal, sed
ea qua quis in vita præsenti divinitus ad-
monetur per inspirationem angelicam seu
D divinam, per beneficia et flagella, per
prædicationes hominum et comminationes
æternalium tormentorum, ut cogitet quam
suo tempore Deo de omnibus rationem
reddere posset. *Et ait illi : Quid hoc au-
dio de te ?* id est, cur ita te habuisti, quod
mihi taliter accusaris ? Ut autem Gorra
hic scribit, in hoc verbo datur prælatis
exemplum in quatuor : Primo, ne peccata
suorum dissimulent. Secundo, ut verita-
tem famæ inquirant : nam ait, Quid au-
dio? Tertio, ne accusatores prodant, quia

Digitized by Google

non ait, Ille, vel, Talis mihi hoc dixit, sed, A Audio. Quarto, ut articulum de quo quis accusatur aut diffamatur, specificent. Melius enim potest se homo corrigere, quum ei exprimitur in quo deliquit, aut excusare, si innocens sit. Nam ait, Quid hoc? *Redde rationem villicationis tuæ,* id est, ad reddendum te præpara, et quomodo reddere possis examina, jamque dum tempus merendi superest, coram Deo te pone, et quasi ante ejus tribunal adductus esses, a te ipso exige rationem dispensationis tibi creditæ, et qualiter usus sis B beneficiis Dei. *Jam enim non poteris villicare,* id est, in proximo est ut de hac vita tollaris, et beneficiis Dei ad meritum diutius uti non queas, quia post mortem
Galat. VI, 10. non est tempus merendi. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad om-
Eccle. IX, 10. nes; sicut et Salomon hortatur : Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

3 *Ait autem villicus intra se,* id est, provide cogitavit, atque consilium a propria C ratione quæsivit, quid sibi in tanto esset agendum discrimine. Sic timor multos inducit ad meliora. *Quid faciam?* Potius cogitavit, Quid faciam, quam, Quid dicam, sciens quod apud justum ac infallibilem Judicem plus valeant opera virtuosa quam verba pulchra, dicente Apostolo :
I Cor. IV, 20. Non in sermone est regnum Dei; et Chri-
Matth. VII, 21. sto, Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. *Quia dominus meus aufert a me villicationem,* id D est, comminatur quod statim auferet me de vita præsenti, ita quod in ejus bonis dominari et promereri non potero : ideo nisi mihi modo provideam, nullum post mortem mihi restabit remedium. *Fodere non valeo,* id est, dura pœnitentiæ opera exercere non queo, abstinendo, me flagellando, flendo et vigilando : quamvis opera ista sint viris perfectis dulcia atque fa-
Hebr. V, 14. cillima, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, et in omni actu virtutum spiritualiter delectantur. *Mendicare erubesco;* id est, adversa æquanimiter ferre non possum, seu alios ad intercedendum pro me precari verecundor, nisi et ego ipse aliquid boni agam, et temporalia tribuendo, merear spiritualia mihi rependi suffragia.

Scio quid faciam, quia ratio mea per 4
evangelicæ legis doctrinam instructa, dictat mihi quid debeam agere, *ut quum amotus fuero a villicatione,* id est, per mortem sublatus fuero de hac vita, ita quod nec aliis, nec mihi ipsi præesse possim ad meritum, *recipiant me* hi quibus benefacere cogito, *in domos suas,* id est, meritis ac suffragiis pauperum atque humilium perducar ad regnum cœlorum : quod domus est pauperum, sicut ait Salvator :
Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum Matth. V, 3.
est regnum cœlorum. Et ait pluraliter, In domos suas, quia in uno regno cœlesti diversæ sunt mansiones, hoc est diversi gradus præmiorum, secundum gradus varios meritorum, prout asserit Christus : In Joann. XIV, 2.
domo Patris mei mansiones multæ sunt. Homines quoque secundum exigentiam meritorum suorum, ad angelorum ordines assumuntur. In has domos cœlestes, non ingrediuntur adulti nisi per ostium seu opera misericordiæ corporalia aut spiritualia : in cujus figuram legitur in libris Regum, quod Salomon fecit in ingressu
Sancti sanctorum duo ostiola de lignis III Reg. VI, 31.
olivarum : per quæ pietatis opera exprimuntur.

Convocatis itaque singulis debitoribus 5
domini sui, id est religiosis et indigentibus, qui quantumlibet justi sint, attamen debitores sunt Dei : vel propter peccata sua quotidiana, venialia saltem, propter
quorum remissionem exclamant, Dimitte Matth. VI, 12.
nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus; vel quia de acceptis donis Deo servire ac regratiari tenentur, nec Deo æquivalens valent rependere. *Dicebat primo :*
Quantum debes domino meo? At ille dixit: 6
Centum cados olei. Cadus est amphora certæ mensuræ seu quantitatis. Porro pa-

Digitized by Google

rabola ista, secundum expositionem hanc, non tenet in omnibus : quia et omne simile, est aliquo modo dissimile ; aliter idem esset, non simile. Non ergo necesse est ut parabola seu similitudo semper quatuor pedibus currat. Possunt tamen per centum cados universa humanæ fragilitatis peccata signari, quia ut Jacobus *Jacob.* III, 2. ait, in multis offendimus omnes. Qui autem vult sibi ignosci a Deo, debet et aliis libenter ignoscere. *Dixitque illi : Accipe cautionem tuam,* id est chartam in qua ad cautelam describitur forma contractus seu *Tob.* IV, 21. debitum : quæ a Tobia chirographum appellatur. *Sede cito.* Celeriter enim agenda sunt bona, et præsertim misericordiæ II *Cor.* IX, 7. opera. Sicut enim hilarem, ita et celerem datorem diligit Deus. Et qui cito dat, bis dat ; nescit dare, qui dare tardat. Propter quod asserit Augustinus : Et rem perdit et meritum, qui pauperem molesta mora *Prov.* III, 28. suspendit. Hinc Salomon ait : Ne dicas, Vade, cras dabo tibi, quum statim dare possis. *Et scribe quinquaginta.* Sicque mediam partem dimittit.

7 *Deinde alio,* secundum antiquam grammaticam, id est alteri, *dixit : Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici.* Corus hic sumitur pro mensura. *Ait illi : Accipe litteras tuas* (quæ paulo ante dictæ sunt cautio), *et scribe octoginta.* Cur minus dimisit huic quam præcedenti? Respondetur, quod ad insinuandum quod indigentioribus magis sit tribuendum; rursus, ad innuendum quod cordialius debeamus indigentibus compati quam succurrere valeamus. Oleo namque compassio, tritico autem subventio designatur.

Itaque ad hoc Christus hanc induxit parabolam, ut sciamus quod sicut dispensator qui de bonis domini sui fecit liberalitatem et curialitatem, in illorum receptus est domibus quibus taliter fecit : ita et nos de bonis nobis concessis, aliis communicare debemus ; et præcipue divites sæculi hujus, pauperibus debent liberaliter subvenire, ut per hoc in domo illorum, id est in regno cœlorum, suscipi mereantur, quemadmodum ad Timotheum scribit Apostolus : Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed facile tribuere. I *Tim.* VI, 17, 18.

Et laudavit dominus villicum iniquitatis, id est dispensatorem istum iniquum, qui et ante bona sui domini dissipavit, et nunc de residuo furtum commisit, *quia prudenter egisset :* id est, non de furto et dilapidatione rei alienæ eum laudavit, quoniam laus debetur virtuti, non vitio ; sed de quadam apparenti prudentia : quæ tamen non fuit vera prudentia, sed injustitia ; attamen aliquid simile veræ prudentiæ in ejus opere fuit, nam industriose sibi providit, et acute excogitavit. Unde et laudatio ejus non fuit laus absoluta, sed secundum quid. Multo magis Christus, qui nullum sustinet damnum, et vere piissimus est, laudabit prælatos ac divites, si subditis et egenis misericordes exstiterint. 8

Quia filii hujus sæculi, id est dilectores mundi, qui mundum istum pro patria amant, in terrenis hereditatem exoptant, sæculo se conformant, temporalibusque potius quam divinis intenti sunt : de quibus Joannes dicit, Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. I *Joann.* IV, 5. Tales ad Deum non pertinent, et frequenter mundi nomine exprimuntur. De quibus loquitur Filius Dei Patri æterno : Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo, quia tui sunt. *Joann.* XVII, 9. Ut ergo non simus de numero filiorum sæculi hujus, obtemperemus Apostolo exhortanti : Nolite conformari huic sæculo ; sed renovamini spiritu mentis vestræ. *Rom.* XII, 2; *Ephes.* IV, 23. *Prudentiores,* hoc est astutiores et diligentiores in temporalibus acquirendis, conservandis et expediendis, *filiis lucis,* id est devotis et spiritualibus hominibus, *in generatione sua* carnali, hoc est inter suos, *sunt.* Hoc dicitur, non quod impiis insit vera prudentia, quum dicat Apostolus, Prudentia carnis mors est ; *Rom.* VIII, 6. Aristoteles quoque in Ethicis probat, quod solis virtuosis insit prudentia : sed ideo Christus sic loquitur, quia mundani homines sol-

licitiores agilioresque sunt circa terrena negotia, quam spirituales circa divina et circa spiritualem charismatum divinorum profectum : quum tamen spiritualia bona incomparabiliter præstantiora sint rebus carnalibus et terrenis : propter quod incomparabiliter plus laborandum esset pro spiritualibus quam terrenis. Unde et aliqui, utpote viri sancti, infatigabiles ardentissimique fuerunt; sed tales comparatione aliorum paucissimi fuerunt, et sunt. Christus autem loquitur secundum quod communius accidit.

Hujus quoque ratio assignatur. Prima est mentis nostræ obscuratio, seu naturæ per peccatum corruptio sive infectio : propter quam proclivior est homo ad vana ac mala, quam ad bona atque salubria. Secunda est spiritualium rerum subtilitas, seu ad cognoscendum difficultas. Sensibilia namque sunt grossiora et notiora ; spiritualia vero subtilia minusque nota, ideo minus optantur, quia ut asserit Augustinus, invisa diligere possumus, non autem incognita. Sed hæc ratio in viris perfectis locum non habet, qui fidem habent cum copiosis rationibus credendorum, purificatæque mentis intelligentia. Tertia, quoniam multis viribus circa sensibilia versamur, atque ab eis movemur, utpote exterioribus ac interioribus sensibus, ac duplici appetitu sensitivo, videlicet concupiscibili, et irascibili. Porro, circa intelligibilia et spiritualia solo intellectu versamur et voluntate.

Merito quoque boni vocantur filii lucis : Primo, quia per caritatem et gratiam sunt filii lucis increatæ, de qua in Joanne habetur : Deus est lux, et tenebræ non sunt in eo ullæ. (1 *Joann.* I, 5.) Secundo, quoniam lucidam, hoc est virtuosam et exemplarem, habent conversationem. Unde ab Apostolo lux vocantur : Fuistis, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. (*Ephes.* V, 8.) Tertio, quoniam donis gratiæ gratum facientis, quæ lumina quædam sunt, intus ornantur, subduntur, reguntur. Quarto, quia veram lucem, quæ Deus est, super omnia diligunt.

A Quinto, quia ad lucem gloriæ præordinati sunt, et ad patriam claritatis æternæ suspirant, tendunt, festinant, ibi hereditari optantes.

Deinceps Salvator parabolam istam ad
propositum applicat. *Et ego dico vobis,* 9
salubriter consulendo, seu præcipiendo : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* id est, divitias et temporalia pauperibus erogando, procurate vobis amicitiam sanctam supersanctæ Trinitatis, et angelorum sanctorum, ac pauperum. Deus B enim et omnes electi misericordiam diligunt, et liberales ac misericorditer sua communicantes sinceriter amant. Mammon Syriace est nomen diaboli, de divitiis male acquirendis seu expendendis aut avariter conservandis tentantis. Hinc mammona appellantur divitiæ : quæ dicuntur mammona iniquitatis, non quod in se ipsis sint malæ aut vitiosæ, quum teste Apostolo, omnis creatura Dei sit bona ; (1 *Tim.* IV, 4.) sed multis de causis tales dicuntur : Primo, quia multorum vitiorum sunt materia at-C que occasio. Propter quod ait Valerius : Dives currit ad libitum, corruit ad illicitum. Et Paulus testatur : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et in desideria inutilia et nociva. (*Ibid.* VI, 9.) Secundo, quia communiter inique acquiruntur, avare servantur, illicite expenduntur. Unde ad innuendum quam rarum ac difficile sit divitem esse justum, scriptum est in Ecclesiastico : Beatus dives qui inventus est sine macula, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et the-D sauris. Quis est hic? et laudabimus eum : fecit enim mirabilia in vita sua. (*Eccli.* XXXI, 8, 9.) Insuper divitiæ dicuntur, Iniquitatis, quasi inæqualitatis, quia inæqualiter possidentur, et non æque retinentur : quia quod quis ultra necessaria vitæ sibi reservat, nec proximorum necessitati communicat, mammona iniquitatis censetur. Mensuram vero recti moderaminis in divitiis appetendis aut conservandis docet Apostolus, dicens : Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. (1 *Tim.* VI, 8.) Potest etiam verbum is-

tud exponi de divitiis vitioso affectu aut actu pravo adeptis : de quibus eleemosyna fieri potest, ut de acquisitis per lenocinium meretricium, aut laborem in die festo. De divitiis vero injusto titulo acquisitis, non debet fieri eleemosynarum largitio, sed restitutio.

Ut quum defeceritis a vita præsenti, id est, obieritis : de quo defectu scriptum est, Deficiens Abraham mortuus est (Gen. xxv, 8); *recipiant vos* præfati amici, scilicet Deus et angeli ac pauperes sancti, *in æterna tabernacula,* id est mansiones cœlestes : quæ non a parte ante, sed a parte post nuncupantur æternæ. De quibus ait Psalmista : Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! (Ps. lxxxiii, 2) Quamvis autem quilibet electorum recipiatur ad aliquam specialem et certam mansionem regni cœlestis, tamen qui unam ingreditur, in tabernacula ingredi dicitur, hoc est ad locum illum seu patriam Beatorum, ubi mansiones plurimæ distinguuntur, itemque ad totius cœlestis curiæ societatem. Sed et frequenter in Scripturis numerus pluralis pro singulari, et econtrario, ponitur. Horum tabernaculorum fuerunt figuræ tabernacula filiorum Israel, de quibus in Numeris Balaam ait : Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, tentoria tua, Israel ! (Num. xxiv, 5) Vel, Quum defeceritis a propriis meritis, illis carendo, recipiant vos, scilicet angeli et pauperes præelecti, id est, gratiam pœnitendi et finaliter obtinendi vitam beatam suis suffragiis vobis procurent.

10 *Qui fidelis est in minimo,* hoc est in usu, erogatione, seu dispensatione temporalium rerum et opum, *et in majori fidelis est,* id est in usu et dispensatione spiritualium. Qui enim temporalibus ordinate utitur, referendo ea ad spiritualia bona, per hoc ipsum meretur et suscipit gratiam bene se habendi circa res spirituales : quas temporalibus cunctis præponit, et circa eas virtuose exercendas, tractandas, communicandas, præsertim se occupat. Spiritualia autem hæc bona sunt, prædicatio, et sacra doctrina, ecclesiastica sacramenta, virtutes, et dona Spiritus Sancti : quorum dispensatio ad prælatos, doctores, et prædicatores, præcipue pertinet, quemadmodum Paulus in talium ait persona : Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (I Cor. iv, 1, 2). Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Verumtamen ad unumquemque dispensatio ista quodammodo spectat, prout divus Petrus princeps Apostolorum hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei (I Petr. iv, 10). Hinc constat quod avari, ambitiosi, immundi, nequaquam sunt boni prædicatores aut prælati, quia ad sua commoda, ad temporales honores, carnales delicias, impie reflectuntur. Qui vere in omnibus Dei honorem et proximorum quærit salutem, et commissum sibi diligenter implet officium, verbo et opere instruendo, virtutibus insistendo, et ea quæ Dei sunt subditis impendendo, hic dignus exstat prælatus et prædicator, atque in spiritualibus fidelis probatur, quemadmodum apud Timotheum docet Apostolus : Esto, inquiens, exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate; attende lectioni, exhortationi et doctrinæ; profectus tuus manifestus sit omnibus (I Tim. iv, 12, 13, 15). Postremo, minima dici possunt bona fortunæ seu exteriora; bona magna, dona naturæ; bona majora, dona gratiæ; bona maxima, dona gloriæ.

Ex his concludit Salvator : *Si ergo in* 11
iniquo mammona, id est in temporalibus divitiis dispensandis (quæ iniquæ vocantur ob causas præhabitas), *fideles non fuistis,* fidelitate ad justitiam pertinente, ea erogando secundum quod justum est, seu fide quæ est virtus theologica, per quam propter bona spiritualia et futura spernuntur, et liberaliter expenduntur corporalia et caduca; *quod vestrum* est,* id est bona spiritualia et interna vobis divinitus præparata, et immortali animæ connaturalia, haberique jussa, *quis credet,* id est, committet aut tribuet, *vobis?* quasi di-

* alias verum

cat : Indigni estis hujusmodi bonis, imo A
et prælatura, spiritualiumque dispensatio-
12 ne. *Et si in alieno fideles non fuistis,* id
est in exteriorum ac temporalium posses-
sione et usu ; *quod vestrum est,* id est
dona gloriæ sempiternæ, ad quæ finaliter
conditi estis, et quæ pretio sanguinis Chri-
sti recuperata ac empta sunt vobis, *quis
dabit vobis?* Nullus utique. Porro exteri-
ora ac temporalia dicuntur homini aliena,
tanquam extrinseca, et secum non per-
mansura, atque ab eo quod in homine
principale est, puta a parte intellectiva, B
prorsus extranea : ideo non sunt proprie
bona ejus. Unde et emigrantes de sæculo
isto, ferre ea nobiscum non possumus,
I *Tim.* vi, 7. dicente Apostolo : Nihil intulimus in hunc
mundum ; haud dubium quia nec aufer-
Ps. xlviii, 18. re quid possumus. Et Psalmista : Homo
quum interierit, non sumet omnia. Vera
igitur hominis bona sunt ac veræ divitiæ,
quæ sibi nolenti auferri non queunt, quæ
eum intus perficiunt, et secundum intel-
lectivam animæ portionem sibi conveni-
unt, atque in divino conspectu eum divi- C
tem reddunt. Hinc quidam philosophus
dixit : Thesaurum meum mihi nullus au-
ferre potest : per thesaurum sapientiam
suam intelligens.

Præterea advertendum, quod Christus
loquens de bonis viæ ait, Quis credet, id
est committet, vobis, quia de eis reddi-
turus est rationem ; sed de bonis patriæ
dicit, Quis dabit vobis, quoniam bona pa-
triæ dari dicuntur, eo quod donum sit
datio irreddibilis, secundum Philosophum :
de bonis autem gloriæ perceptis non est D
amplius ratio exigenda. Sed objici potest,
quod bona gloriæ sunt præmium quod
cadit sub debito, non sub dono, sicque
redditur magis quam datur. Ad hoc Gorra
respondet : Quum præmium æternum re-
cepturus sit homo propter meritum ope-
rum bonorum, si comparetur præmium
ad radicem meriti, puta ad gratiam quam
Deus gratis contulit homini ad merendum,
tunc dicitur præmium dandum, quoniam
datum est illud quo operatur ac promere-
tur, scilicet gratia. Si autem comparetur
ad ipsa opera meritoria, tunc dicitur red-
dendum sicut merces pro labore, et sicut
præmium pro merito condigno : condigno,
inquam, non condignitate valoris, quum
præmium sit bonum infinitum, meritum
autem bonum finitum, sed condignitate
conventionis. Sic enim Deus conventionem
fecit cum homine, ut si finaliter laborarit
in vinea sua, id est in Ecclesia, dabit ei
pro operibus meritoriis denarium æternæ
beatitudinis.

Consequenter dissuadet et prohibet Chri-
stus servire cupiditati, imo et omni ini-
quitati, eo quod peccato deserviens, Deo
subjectus non sit, sicque summum, incom-
mutabile et immensum bonum amittit :
ob cujus amissionem vitandam, debet ho-
mo omne peccatum summo cum studio
devitare, atque ob cujus amorem et ade-
ptionem debet omne opus bonum infati-
gabiliter continuare. *Nemo servus potest* 13
duobus dominis servire servitute utrisque
placente : dominis, inquam, voluntate con-
trariis, in quantum contrariis, hoc est in
eo in quo sibi invicem contrariantur. Et
per hos duos dominos intelliguntur hoc
loco Deus omnipotens, et diabolus, de quo
Christus contestatur : Venit ad me prin- *Joann.* xiv, 30.
ceps mundi hujus. Ipse enim est rex om- *Job* xli, 25.
nium filiorum superbiæ. His simul ser-
vire nequimus, quoniam sicut Deo placet
omne bonum vere honestum, virtuosum
et caritativum, omne quoque malum op-
positum displicet ei ; ita diabolus detesta-
tur omne tale honestum, et amat omne
inhonestum, turpe ac vitiosum. Porro idem
est servire diabolo, et mundo, ac carni seu
concupiscentiis ejus. Hinc omnis servus
peccati, est servus diaboli, et econtra ;
omnisque amator mundi, hoc est vanita-
tum et impietatum sæculi hujus, inimicus
est Dei. Quicumque autem a tentatione
seu concupiscentia, passione aut vitio su-
peratur, servit vitio atque diabolo, quem-
admodum Petrus dicit : A quo quis supe- II *Petr.* ii, 19.
ratus est, hujus et servus est. Hinc iniqui
sunt servi corruptionis. His consonat il-

Digitized by Google

Jacob. IV, 4. lud Jacobi : Nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo? Quicumque ergo voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituetur. Illud quoque Joannis : I Joann. II, 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quia si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Sed Galat. I, 10. et Apostolus profitetur : Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

Aut enim unum, scilicet diabolum, *odiet :* qui non est amandus ex caritate, quum non sit beatitudinis capax, sed obstinatus ; tamen quantum ad bonam naturam quam habet a Creatore, diligendus est naturali amore. Sic enim et Deus diligit eum, Sap. XI, 25. juxta illud Sapientiæ : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. *Et alterum,* scilicet Deum, *diliget :* qui propter sui ipsius puram, perfectam immensamque bonitatem, propter se ipsum primo summe incomparabiliterque amandus est, I Joann. IV, 10, 19. deinde quoniam prior dilexit nos, insuper propter beneficia sua atque promissa.

Aut uni adhærebit, scilicet diabolo, per conformitatem affectus, ea videlicet cupiendo et amplectendo quæ diabolo placent, ut sunt opera vitiosa. Diabolus quoque, secundum Gregorium, omnium impiorum est caput : ideo ei adhærent sicut capiti membra ; et ipse sua suggestione pestifera, influit eis vitam iniquam vitiorumque motum. Potius quoque ait Salvator Adhærebit, quam Diliget, quia peccator non amat diabolum, quamvis ei consentiat. *Et alterum,* scilicet Deum, *contemnet,* ejus præcepta parvi pendendo, transgrediendo, et vana ac vilia ei præferendo. Et secundum Augustinum non ait, Odio habebit, sed, Contemnet, quia (ut dicit) nullius fere conscientia Deum potest odisse. Augustinus tamen, secundum Gorram, hoc verbum retractavit. Nam et frequenter in Scripturis leguntur iniqui Deum odisse, quum Joann. XV, 24. apud Joannem Christus testetur : Oderunt me et Patrem meum. Et Psalmista loqui- Ps. LXXXII, 3. tur Deo : Quoniam ecce inimici tui sonuerunt ; et qui oderunt te, extulerunt caput. Verumtamen dici potest, quod Deus consideratur dupliciter : Primo, secundum se : et sic, quum sit pura bonitas, non potest odiri. Secundo, in quantum prohibet et punit ea quæ perversis voluntatibus placent : et ita perversi odiunt eum.

Non potestis, eodem tempore, *Deo servire, et mammonæ,* hoc est divitiis, seu dæmoni de avaritia divitiisque tentanti. Qui enim Deo veraciter servit, ejus mandata custodit, et nulli subjacet peccato mortali ; sed in summo ac invariabili bono finem sibi constituit, illi magis quam alicui rei creatæ per caritatem mentaliter adhærendo. Qui autem mammonæ servit, in terrenis opibus sibi finem constituit, et eas magis quam Deum cupit ac amat ; estque avaritiæ serviens ac subjectus : quæ tantæ est impietatis, ut eam Apostolus idolorum nominet servitutem. Ephes. V, 5. Et in Ecclesiastico scriptum est : Eccli. X, 9, 10. Avaro nihil est scelestius ; nihil est iniquius quam amare pecuniam.

Audiebant autem omnia hæc, id est præ- 14
scriptam Christi disputationem contra avaritiam, *Pharisæi,* qui ceteris religiosiores videbantur, *qui erant avari :* quorum perversitatem et carnalitatem multi clerici et specie tenus religiosi jam assequuntur ; *et deridebant eum.* I Cor. II, 14. Carnalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, secundum Apostolum. Tales sunt omnes indurati in vitiis, et sapientes in oculis Is. V, 21. propriis : qui dum vitia sua tangi, seque reprehendi advertunt, indignantur atque derident, quemadmodum scriptum est in Amos propheta : Amos V, 10. Odio habuerunt corripientem, et loquentem perfecte abominati sunt. Contra quos in Proverbiis asseritur : Prov. XXIX, 1. Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet ei interitus. Denique Pharisæi ideo Christum docentem hæc deridebant, quia in veteri lege temporalium abundantia promittebatur, Lev. XXVI, 3-13; Deut. XXVIII, 1-14; etc. et quoniam Abraham multique alii virtuosi in lege illa divites fuisse scribuntur. Gen. XIII, 2; XXIV, 35. Sed Pharisæi isti verba Christi non intellexerunt. Non enim simpliciter opu-

Digitized by Google

lentiam, sed avaritiam, seu ipsis deservi-
re divitiis, reprobavit. Temporalium quo-
que affluentia non promittebatur in veteri
lege, tanquam ultimatum ac principale
præmium virtutum, sed tanquam minus
principale et introductorium. Plebs nam-
que illa Israelitica, pro maxima sui parte
carnalis fuit ac rudis : idcirco per tempo-
ralium promissionem alliciebatur ad spi-
ritualia ac divina. Postremo, justi non ser-
viunt divitiis, sed divitiæ serviunt eis,
Ps. LXI, 11. quoniam implent illud Psalmistæ : Divitiæ
si affluant, nolite cor apponere.

Deinceps Christus modesta increpatio-
ne atque salubri informatione derisores
15 istos confutat. *Vos estis qui justificatis
vos coram hominibus,* hoc est, vestra vitia
palliatis, et multa mala sub specie boni
peragitis, atque per simulatam justitiam
decipitis homines, ita ut justos vos arbi-
trentur. Bona quoque quæ videmini age-
re, non propter Dei gloriam, sed ob pro-
priam laudem efficitis. Contra quos ait
Matth. VI, 1. Salvator apud Matthæum : Videte ne ju-
stitiam vestram faciatis coram hominibus,
ut videamini ab eis. De quibus legitur in
Job XXXVI, 13. Job : Simulatores et callidi provocant iram
Dei. *Deus autem novit corda vestra,* hoc
est, iniquitates vestras latentes infallibi-
liter inspicit : prout per Jeremiam pro-
Jer. XXIII, 24. testatur, Si occultabitur vir in absconditis,
et ego non videbo eum? Unde et in
I Reg. XVI, 7. libris Regum habetur : Homo videt quæ
parent, Dominus autem intuetur cor. Hæc
est notitia reprobationis, de qua per Amos
Amos V, 12. prophetam loquitur Deus : Cognovi multa
scelera vestra. *Quia quod hominibus al-
tum est,* hoc est ab hominibus magnum
reputatur, ut simulata justitia, opulen-
tia rerum, ornatus exterior, pompa atque
prosperitas mundi, *abominatio est apud
Deum,* seu ante Deum, hoc est, divinæ
mentis supersapientiali judicio vanum ac
detestabile reputatur, quia a vera beati-
tudine impedit, seu a sinceritate æquita-
tis ac veritatis recedit. Ideo alia sunt ju-
dicia Dei, alia judicia hominum. Propter
I Reg. XVI, 7. quod in libris Regum profatur : Non se-
A cundum intuitum hominum ego judico.
Per Isaiam quoque fatetur : Non enim co- Is. LV, 8, 9.
gitationes meæ, cogitationes vestræ, neque
viæ meæ, viæ vestræ : quia sicut exal-
tantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ
meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a
cogitationibus vestris.

Denique quod de vitiis dictum est, etiam
de vitiosis hominibus accipi potest, quia
frequenter contingit quod hi qui sua aut
aliorum hominum reputatione sunt ma-
gni, prudentes, seu virtuosi, coram Deo
B sint viles et vitiosi, quemadmodum per
Osee Dominus loquitur de quibusdam :
Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ di- Osee IX, 10.
lexerunt. In Proverbiis quoque increata
Sapientia asserit : Arrogantiam, et super- Prov. VIII, 13.
biam, et viam pravam, et os bilingue de-
testor. Sed et simulata æquitas non est
æquitas, sed duplex iniquitas. Quod vero
nunc ait Salvator, Quod altum est homi-
nibus, de hominibus carnalibus et mun-
danis, non de hominibus vere sapientibus
ac divinis, potissimum intelligendum vi-
C detur. Homines enim spirituales, sapien-
tes, divini, vere ac deiformiter judicant, et
in judicando se Deo conformant : quia per
dona Spiritus Sancti, quibus pleni sunt,
diriguntur ab eo in judicando; nec pas-
siones et vanitates sequuntur, sed habent
intellectum sincerum, atque purgatum af-
fectum. Unde quæ placent Deo, placent et
eis, et quæ displicent Deo, displicent eis.
Propter quod de homine justo ait Psalmi-
sta : Ad nihilum deductus est in conspe- Ps. XIV, 4.
ctu ejus malignus. In libro quoque Job, in
D persona justi quis ait : Ego vidi impium Job V, 3.
firma radice, et maledixi pulchritudini
ejus. Verumtamen sæpe decipi queunt in
judicando, quamdiu in hac vita subsistunt.
— Itaque coram Deo supermundissimo
sinceriter ambulemus, omnem vanitatem
versutiamque vitantes, neque hominibus
placere inaniter affectemus : Quoniam Deus Ps. LII, 6.
dissipavit ossa eorum qui hominibus pla-
cent; confusi sunt, quoniam Deus spre-
vit eos. Ecce, quid horribilius dici potest, Eccle. VII, 14.
quum Salomon dicat, Considera opera Dei,

Digitized by Google

quod nemo corrigere potest quem ille A despexerit?

Consequenter Christus breviter tangit, cur Pharisæi non debuerunt se contra sua documenta, quibus paupertatem opulentiæ prætulit, et affluentiam temporalium
16 rerum dissuasit, defendere. *Lex et Prophetæ usque ad Joannem,* hoc est, legalia et prophetica illa promissa, quibus cultoribus Dei temporalium abundantia promittebatur, usque ad Joannis Baptistæ prædicationem duraverunt. *Ex eo regnum Dei evangelizatur,* hoc est, a tempore quo B Joannes prædicare exorsus est, cœperunt cœlestia bona manifeste promitti, et vita æterna doceri, atque evangelica perfectio prædicari, quæ amore spiritualium cœlestiumque bonorum ad temporalium inducit contemptum. Hinc Matthæus scribit :
Matth. III, 1, 2. Venit Joannes prædicans in deserto, et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Tempus autem prædicationis Joannis et Christi discipulorumque ejus, reputatur unum et idem, quia prædicatio Joannis dispositiva fuit ad C Christum, et modico tempore Christi prædicationem præcessit, qui apertius quam Joannes paupertatem edocuit, cœlestisque regni beatitudinem evangelizavit, et ipso jubente discipuli ejus. Unde in libro de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur : Bonum est facultates cum possessione pauperibus erogare, melius est cum intentione sequendi Christum, totum simul donare, et absolutum a sollicitudine cum Christo egere.

Postremo, ob causam prætactam, Joan- D nes vocatur quasi horizon seu medium veteris et evangelicæ legis, itemque finis legis et principium evangelicæ veritatis. Potius tamen competit Christo esse finem legis, quia legem implevit cessareque fecit, et figuræ legalium ac vaticinia Prophetarum in ipso sunt adimpleta. Propter
Rom. X, 4. quod scriptum est : Finis legis est Chri-
Joann. I, 17. stus; et in Joanne, Veritas per Jesum Christum facta est. Hinc aliqui dicunt, quod Christus fuit finis legis extra; Joannes vero, finis intra, quia et ipse ad legis observantiam tenebatur.

Et omnis in illud vim facit, id est, quicumque regnum cœlorum adipisci satagit et meretur, necesse est ut per bonam violentiam vincat se ipsum, corpus suum subdendo spiritui, et propriam voluntatem voluntati mandatisque Dei : quod difficile exstat, potissimum in principio conversionis. Passiones namque sunt fortes, et viam justitiæ continuare usque in finem, non est mediocriter laboriosum (propter quod ait Psalmista : Propter verba labio- *Ps.* XVI, 4.
rum tuorum ego custodivi vias duras), quamvis perfectis caritate ferventibus suave sit jugum Dei et leve onus ipsius : qui *Matth.* XI, 30.
dicunt, Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum ; itemque, *Ps.* CXVIII, 32.
In via testimoniorum tuorum delectatus *Ibid.* 14.
sum, sicut in omnibus divitiis. Itaque omnis tendens in illud regnum, vim facit sibimetipsi. Hinc in Matthæo clarius ait Christus : Regnum cœlorum vim patitur, *Matth.* XI, 12.
et violenti rapiunt illud. Præterea, teste Gregorio, quidam rapiunt regnum cœlorum per omnium abjectionem, alii illud mercantur per eleemosynarum largitionem, alii id furantur per occultam sanctitatem, alii quasi compelluntur ipsum acquirere per temporalem adversitatem. Itaque a propriis vitiis non vincamur, passionibus non subdamur, pravis consuetudinibus efficaciter reluctemur, implentes illud Apostoli, Labora sicut bonus miles *II Tim.* II, 3.
Christi : ut impleatur in nobis quod in Apocalypsi spondet Salvator, Vincenti da- *Apoc.* II, 7.
bo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

Deinceps Christus ostendit, quod præinducta non protulit ut legis veritati in aliquo derogaret, quum et in Matthæo testetur : Non veni solvere legem, sed im- *Matth.* V, 17.
plere. *Facilius est cœlum et terram præterire,* hoc est annihilari, quantum ad 17
absolutam omnipotentiam Dei, hoc ipsum potentis per solam suæ conservationis liberrimæ subtractionem, juxta illud Machabæorum : Nos in omnipotente Deo *II Mach.* VIII, 18.

confidimus, qui potest nos et universum mundum uno nutu delere; *quam de lege unum apicem cadere,* id est, quam minimam legis portiunculam, jussionem seu verbum veritate destitui, effectu impletionis privari, irritari, cassari. Lex enim illa Mosaica, quum fuerit supernaturalis atque divina, increatæ veritati innitebatur : ideo, quam impossibile est Deum non esse veracem, tam impossibile est legem ipsius esse inanem. Sed quidquid in ea contentum est, verificatur et observatur pro loco et tempore, vel litteraliter, ut de præceptis moralibus patet, vel spiritualiter, ut de cærimonialibus constat præceptis. Hoc est quod in Matthæo lo-
Matth. v, 18. quitur Christus : Donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non
Is. XL, 8. præteribit de lege. Ideo Isaias scribit : Verbum Dei nostri stabit in æternum.

Porro, quod hæc ita se habeant, Christus consequenter quasi exemplariter ma-
18 nifestat. *Omnis qui dimittit uxorem suam* sibi legitime copulatam, ita quod inter eos contractum est matrimonium verum, *et ducit alteram,* prima adhuc vivente, *mœchatur,* adulterium committendo, quia cum altera non contrahit verum matrimonium, eo quod vinculum matrimoniale sit indissolubile. Unde quod in Matthæo addit Sal-
Matth. v, 32. vator, Excepta causa fornicationis, intelligendum est de dimissione quantum ad torum, quia sic licet eam ob fornicationem relinquere, non quantum ad vinculum, quod solum in morte dissolvitur. *Et qui dimissam a viro ducit, mœchatur,* eam cognoscendo, quum non sit veraciter conjux ejus legitima, priori vivente marito. Itaque Christus ostendendo vinculum conjugale esse indissolubile, legem perfecit,
Deut. XXIV, 1; *Matth.* XIX, 7. non solvit. Lex enim uxoris admisit repudium, non tanquam culpa carens ac licitum, sed propter majus malum vitandum, quia ad uxoricidium proni fuerunt Judæi. Unde in Malachia, postquam Domi-
Malach. II, 16. nus dixit, Quum odio habueris eam, dimitte; adjecit, Operiet autem iniquitas vestimentum ejus. — Moraliter, secundum

A Gorram, qui dimittit uxorem suam spiritualem, scilicet parochiam, et ducit aliam, utpote pinguiorem, quia pinguior est, mœchatur, quia non quærit spiritualem fructum, sed temporale lucrum.

Superius Christus hortatus est ad avaritiæ detestationem eleemosynarumque largitionem per parabolam; hic idem agit, commemorando rem gestam. *Homo qui-* 19
dam erat dives in exterioribus, pauper in anima, quia virtutibus carens. Non dicitur hic, quod sit parabola : ideo commu-
B niter dicunt expositores, quod sit res gesta; putantque aliqui, quod homo iste fuit Nabal, de quo in libris Regum habetur. *1 Reg.* XXV, 2 *et seq.*
Et induebatur purpura : quæ est vestis regii ornatus ac habitus, rubeique coloris, qua vestiebatur exterius ad ostentationem inanem; *et bysso.* Byssus est vestis seu genus candidissimi atque mollissimi lini, quod tantum nascitur in Ægypto. Bysso ergo interius induebatur ad carnem, propter ipsius mollitiem.

Porro, circa vestium usum seu fluxum,
C multa juste reprehenduntur. Primum est pretiositas seu pretii sumptuositas. Indignum est namque vile corpus cadaverque putridum, vestibus immoderanter pretiosis ornari, unde plurimi pauperes Christi possent refici et vestiri. Secundum est multiplicitas mutatoriorum seu vestimentorum, juxta varietatem dierum, temporum, aut festorum. Contra quod ait Hieronymus : Rapere aliena convincitur, qui retinere sibi superflua comprobatur. Unde multis, præsertimque clericis, dici jam
D potest : Vestimenta vestra a tineis come- *Jacob.* v, 2.
sta sunt. Tertium est curiositas, quæ respicit studium exterioris ornatus. Multi enim plus student ad ornatum vestium, ut hominibus placeant, quam virtutum, ut placeant Deo. Contra quod loquitur B. Augustinus : Non affectetis vestibus placere, sed moribus. In Ecclesiastico quoque fertur : In vestitu ne glorieris unquam, et *Eccli.* XI, 4.
in die honoris tui non extollaris. Et Gregorius scribit : Nemo putet in luxu et studio vestium deesse peccatum; alias Chri-

Digitized by Google

Matth. XI, 8. stus de asperitate vestitus non laudasset Joannem. Quartum est indecentia respiciens personæ statum aut ordinem, quia non decet clericum vestiri ut histrionem aut militem. Propter quod per Sophoniam Dominus comminatur (*Soph.* I, 8) : Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina. Sed, heu ! quia canonici jam incedunt vestiti tanquam milites. Quintum est ostentatio, qua multi tunc se pretiosius vestiunt, quum a pluribus videndos se arbitrantur. Denique superfluus vestium cultus tam in viris quam in feminis valde damnabilis est, quia ad libidinem provocat : propter quod in usu vestium multi mortaliter peccant. Contra diabolicam vero et insensatissimam vanitatem fractilationis institutionisque* vestium Dominus ait per Joelem (*Joel* II, 13) : Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.

*incisionisque

Et epulabatur quotidie splendide, hoc est delicate, crapulose, superflue, pompose, excedendo in ciborum et potuum multiplici varietate, exquisita præparatione, sumptuosa, seu pretiosa consumptione, vasorumque ornatu curioso ac splendido; atque in his assiduus fuit, gulam in consuetudinem vertens, ex qua luxuria, acedia, et alia varia consequuntur peccata. Huic carnalitati jam maxime subjacent, qui de Crucifixi patrimonio sustentantur, quum tamen ad præcipuam moderantiam obligantur. Talibus dicit Jacobus (*Jacob.* V, 5) : Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra. Quocontra hortatur Apostolus (*Rom.* XIII, 14) : Curam carnis ne feceritis in desideriis. Et denuo ad Romanos (*Ibid.* VIII, 12, 13) : Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus : si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Et Christus infra ait (*Luc.* XXI, 34) : Attendite ne graventur corda vestra crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ. O quam multi enormiter excedunt in istis ! quorum quum fuerit satisfactum naturæ, unius cibi aut duorum sumptione, jam tertium ferculum apportatur, et appetitus de novo ad gulam et

A voracitatem infeliciter provocatur. Tales divina illuminatione se reddunt indignos, et propriam vitam abbreviant, sanitateque privant, quum Salomon contestetur (*Prov.* XX, 1; XXI, 17) : Qui amat vinum et pinguia, non erit sapiens. Natura quoque paucis contenta est, et superfluitate obruitur atque gravatur.

Et erat quidam mendicus nomine La- 20
zarus. Non divitis, sed egeni et ægri nomen proprium Christus expressit : quoniam pauperem istum per approbationem cognovit, et in libro vitæ seu prædestinationis B æternæ habuit scriptum ; divitem vero per approbationem non novit, sicut et reprobis loquitur (*Matth.* VII, 23), Non novi vos. Hinc Moysi ait (*Exod.* XXXIII, 17) : Invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine. Ecce quomodo alia sunt judicia Dei, alia mundi, et quomodo sapientia sæculi hujus stultitia est apud Deum (I *Cor.* III, 19). Certe apud hunc mundum immundum, hoc est homines sæculares, carnales, magis famosa et nota sunt nomina opulentorum quam egenorum ; sed apud Deum est econverso. Porro, C ex hoc quod Christus pauperem nomine certo designat, conjicitur istud esse res gesta, secundum Ambrosium.

Qui jacebat ad januam divitis. In quo patet, quod infirmus ac debilis fuit ; et dives per ignorantiam se excusare nequiverit, quoniam intrans et exiens illum adspexit. *Ulceribus plenus,* tanquam alter Job : et sic miserabilior fuit, magisque
impium fuit ei non subvenire. *Cupiens* 21
saturari de micis, hoc est fragmentis, *quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi* D *dabat.* Quo constat, quod minima postulavit, et quod non solum dives ille, sed et ministri ejus, duri immisericordissimique fuerunt, qui infirmo, egeno, famelico, tam parva negabant. Crudeles namque et immisericordes domini, habere solent familiam sibi consimilem, juxta quod in Ecclesiastico legitur (*Eccli.* X, 2) : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus. Salomon quoque fatetur (*Prov.* XXIX, 12) : Rex impius omnes ministros habet injustos. *Sed et canes* divitis *veniebant, et lingebant ulcera ejus.* Sicque

Digitized by Google

canes benigniores fuerunt pauperi huic A quam dives. Canes quippe naturali magisterio suæ linguæ, vulneribus pauperis medebantur, quem dives contempsit contra jus naturale. Dives etiam suis canibus beneficentior fuit quam pauperi. Et heu, quam multi sunt hodie tales, qui pauperes adspicere vix dignantur, aut ex eorum adspectu gravantur! Qui illud Jacobi advertant : (Jacob. II, 13.) Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.

22 *Factum est autem ut moreretur mendicus,* hoc est, non casualiter, sed Deo sic B disponente, contigit pauperem istum mori. Deus enim unicuique præstituit certum tempus vivendi. *Et portaretur ab angelis,* id est, anima ejus ab angelis sanctis honorifice ducebatur, *in sinum Abrahæ,* hoc est ad secretam illam quietem Sanctorum in limbo patrum, quæ per sinum Abrahæ designatur. Per sinum etenim quies exprimitur : qui dicitur Abrahæ sinus, non quod ipsius sit tantum, aut ipse primus in limbum illum descendit, sed quoniam ipse specialiter pater credentium C multarumque gentium appellatur, secundum illud apostoli Pauli : (Galat. III, 7.) Qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Laudatur enim Abraham præcipue de magnitudine fidei suæ. (Rom. IV, 18, 19, 21.) Propter quod ait Apostolus, quod contra spem in spem credidit, et non est infirmatus in fide, sed plenissime credidit. Hinc loquitur Augustinus : Sinum Abrahæ intelligo remotam sedem quietis atque secretam, ubi exstitit Abraham : quæ ipsius dicta est, non quod ipsius sit solum, sed quoniam ipse ibi multarum gentium D pater est positus, quibus est ad imitandum fidei principatui* (* principatum) præpositus. Verumtamen, secundum Petrum Ravennensem, dicitur sinus Abrahæ, propter hospitalitatis officium, in quo Abraham fuit excellens, ita quod et nunc se beatum quasi non crederet, si in superna gloria a suo cessaret hospitalitatis officio. Præterea contuendum, quod quia Abraham jam de limbo inferni ad cœleste translatus est regnum, nunc per sinum Abrahæ significatur quies Sanctorum in patria. Unde S. Martinus dixit : Abrahæ me sinus suscipiet. Ecce quam salubre est in sæculo isto egere, infirmari, contemni, dummodo propter Deum patienter feratur. Patientia namque opus perfectum habet. (Jacob. I, 4.) Et utique ad deportationem animæ Lazari unus suffecerat angelus, sed ut ait Chrysostomus, multi angeli advenerunt, ut chorum lætitiæ facerent, et pauperis animam abundantius consolarentur ac honorarent. Merito quippe huic egeno angelica exhibebantur obsequia, cui negata fuerunt humana.

Mortuus est autem et dives, morte naturæ, qua anima separatur a corpore, et morte culpæ, qua separatur a Deo, itemque morte gehennæ, qua separatur a superna felicitate; *et sepultus est in inferno:* hoc est, anima ejus in profundo infernalium suppliciorum est collocata, et infra terram quasi in tumulo posita, conclusa ac relegata, quemadmodum in Ezechiele (Ezech. XXXII, 18 et seq.) sepulcra regum Ægypti et Assur dicuntur in inferno in circuitu eorum consistere. Ibi sepeliuntur parochiani diaboli. Quemadmodum autem parochianus Dei vocatur, qui ejus Baptismo intinctus est, eique primitias solvit ac decimas, et Horas ejus ac Missas libenter audit, propter quod moriens dignus est in ipsius cœmeterio sepeliri; sic parochianus diaboli judicatur, qui concupiscentiarum carnalium aquis intingitur, et primitias seu exordia operum suorum diabolo offert, agendo quæ illi sunt placita, bonaque temporalia vitiose consumit, et cantilenis mundanis, verbis scurrilibus, detractoriis et iniquis quasi diaboli Horis intendit : idcirco moriens sepelitur in cœmeterio infernali, sepultura asini, hoc est sine honore. (Jer. XXII, 19.) Merito ergo ait Psalmista : Mors peccatorum pessima; (Ps. XXXIII, 22.) et rursus : Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. (Ps. XLVIII, 15.)

Elevans autem oculos suos interiores, 23 id est, altiora considerans; et quia sola anima divitis ibi fuit, corporales oculos nec habuit nec levavit; *quum esset in tormentis* damni et sensus, videlicet in ca-

Digitized by Google

rentia beatificæ fruitionis Dei, atque in sensibilibus suppliciis tartari. Est quippe in illis æternaliter condemnatis valde multiplex dolor, utpote ex dæmonum horribili visione, ex majoris mali pœnalis futuri timore, ex remorsu conscientiæ, ex certa cognitione irrecuperabilis suæ damnationis, et desperatione omnis salutis. Nec tantum affliguntur ab igne tartareo, quantum puniuntur in mente, ex eo quod sciunt nunquam se liberandos, ut dicit Albertus. *Vidit Abraham a longe,* id est, consideravit eum esse in loco alte super se posito : quia non solum dissimilitudine, sed et locali distantia inter se distabant loca præfata, scilicet limbus patrum, infernusque damnatorum. Itaque huic diviti condemnato intellectum dedit vexatio. (*Is.* xxviii, 19.) Propter quod ait Gregorius : Oculos quos clausit hic culpa, ibi aperuit pœna. In hac etenim vita impiis delectationibus mente cæcatus, non consideravit pœnas pravorum et gaudia Beatorum. *Et Lazarum in sinu ejus,* id est, in participatione quietis et certæ exspectationis cœlestis beatitudinis in qua Abraham fuit.

Quocirca scribit Gregorius, quod damnati usque ad diem judicii Sanctos super se attendunt seu vident in gloria, non autem post diem judicii. Quod quomodo intelligendum sit, Lyra majorum judicio se committere perhibet, et addit : Quod damnati usque ad diem judicii videant gloriam Beatorum, ut sonare videntur verba Gregorii, non habetur ex hoc loco sufficiens argumentum, quia Salvator narrat hic rem gestam ante suam passionem, quando Abraham nondum fuit in gloria. Sed Gorra aliquo modo elucidat verba Gregorii dicens : Videre requiem aut gloriam Beatorum contingit dupliciter : primo in generali, ita quod damnati cogitent Sanctos esse in quiete et gloria, sed in quali non vident; secundo in particulari, ita ut videant qualis sit gloria electorum. Primo modo reprobi usque ad judicium cernunt requiem Beatorum, sed secundo modo non vident. Nec tamen de hujusmodi visione

A lætantur, sed contristantur, tam ex alienæ felicitatis invidia, quam ex illius quietis carentia. Post diem vero judicii, ad proprias pœnas consideratio eorum magis reflectetur, ita quod de Sanctorum gloria non cogitabunt. Sed contra hæc verba objici posset, quia in reprobis in æternum manebit pœna damni, quæ est ex consideratione felicitatis amissæ : ergo et post judicium cogitabunt iniqui de felicitate cœlesti, quam scient se amisisse et electos obtinuisse. Verumtamen satis proba-

B bile reor, quod quanto tunc illorum pœna augebitur, tantum eorum de gloria Beatorum consideratio minuetur. Sed circa hæc multa difficilia possent moveri, quæ potius pertranseunda existimo, ne incerta pro certis inducam.

Et ipse clamans : juxta illud Isaiæ, Clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. 24 (*Is.* lxv, 14.) Iste tamen clamor spiritualis fuit atque interior, scilicet affectio vehemens, quamvis indigna. *Dixit : Pater Abraham.* Patrem vocat, cujus vir-

C tutes imitari neglexit : propter quod indignus fuit eum patrem vocare, quamvis carnalem ab eo sumpsisset originem. Unde apud Joannem Christus ait Judæis : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite; vos ex patre diabolo estis. (*Joann.* viii, 39, 44.) Itaque si dives iste in pauperes pius ac liberalis et hospitalis fuisset, Abraham rite patrem vocasset. *Miserere mei.* Quum damnati sint in vitiis obstinati, nec unquam pœniteant, quomodo sibi petunt et cupiunt misereri? Dicendum, quod de peccatis suis non

D pœnitent in quantum sunt Dei offensiva, turpia et injusta, sed ut sunt eis causa tanti supplicii. Sed et dives iste damnatus petiit sibi misereri, quantum ad pœnæ mitigationem, non quoad culpæ ablationem. Nam addit :

Et mitte Lazarum, id est, dirige eum ad me, *ut intingat extremum digiti sui in aquam,* id est, aliquid, saltem modicum quid subventionis, mihi impendat. Christus autem hoc loco, per corporalia spiritualia metaphorice exprimit, ut com-

munitas hominum magis intelligat, quæ A spiritualia in sua simplicitate non capit. *Et refrigeret linguam meam :* in qua quia magis peccavit, tam per delectationes gustus in cibis et potibus, quam per verba inania, quæ abundant in crapula, ideo magis precatur relevamen pœnæ in lin-
Sap. XI, 17. gua. Per quæ enim quis gravius peccat, per hæc et in his magis punitur. *Quia crucior in hac flamma.* Qualiter incorporei spiritus corporeo igne affligantur, doctores super quartum Sententiarum describunt. Communis autem responsio est, quod B ille ignis, in quantum est instrumentum divinæ justitiæ, spiritus condemnatos affligit, quemadmodum aqua Baptismi agit in animam, in quantum est divinæ misericordiæ instrumentum.

25 *Et dixit illi Abraham.* Secundum Augustinum, quod in corporalibus facit situs, hoc in spiritualibus ordo. Ideo locutio animarum et angelorum ad invicem, intelligenda est fieri per spiritualem conversionem ad invicem. *Fili,* carnis propagatione, non virtutum imitatione, *recordare* C *quia recepisti bona* temporalia, divitias, delicias et honores, *in vita tua* super terram transacta : in qua si aliquid de genere operum bonorum egisti, mercedem tuam ultra condignum sortitus es. Nullum etenim bonum Deus irremuneratum relinquit. *Et Lazarus* in vita sua recepit *similiter mala,* id est, mala pœnalia, paupertatem, infirmitates, famem, opprobria copiose perpessus est, per quæ culpæ ejus quotidianæ quasi per ignem purgatæ sunt. Hinc ait Gregorius : Si quæ reprehensibi- D lia in pauperibus videmus, non debemus eos despicere, quia fortassis quos morum infirmitas vulnerat, hos medicina paupertatis curat. Divitibus vero, etiam si boni appareant, omnino timendum est ne forte pro bonis quæ agunt, in præsenti a Deo retributionem suscipiant. Nam ut ait Boetius, quamvis occulta sint Dei judicia, dum in sæculo isto electis proveniunt aspera, et reprobis prospera, occultiora sunt tamen, dum electis eveniunt prospera et reprobis dura. Potius igitur est in adversis quam in prosperis gloriandum, quemadmodum Jacobus dicit : Omne gaudium Jacob. I, 2.
existimate, fratres, quum in tentationes varias incideritis.

Nunc autem hic consolatur in certa præstolatione felicitatis æternæ, *tu vero cruciaris* cruciatu perpetuo. Quemadmodum autem momentaneum est quod hic delectat, æternum vero quod illic cruciat ; ita et momentaneum est quod hic nunc in vita pœnitentiæ temporalibusque adversitatibus cruciat, æternum autem quod in futura retributione delectat. Eligamus ergo cum Moyse potius cum populo Dei, id Hebr. XI, 25.
est electis, nunc in vita pœnitentiali affligi, quam temporalis peccati habere jucunditatem : quia ut ait Apostolus, Non Rom. VIII, 18.
sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis ; rursusque, Id quod in præsenti est II Cor. IV, 17.
momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Et in his omnibus, id est inter ea quæ 26
spectant ad hujus rei de qua loquitur materiam, *chaos magnum,* id est grandis distantia meritorum et statuum atque locorum, *inter nos* electos in bono jam confirmatos, *et vos* reprobos ac damnatos in malo inconvertibiliter obstinatos, *firmatum est,* id est irremovibiliter constitutum rigore divinæ justitiæ, quæ post hanc vitam non dat pœnitentiæ locum, secundum legem communem ; *ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint,* id est, vobis advenire et auxiliari non valent. Beati enim et Sancti sic sunt divinæ justitiæ post vitam hanc conformati, quod damnatis subvenire nec possunt nec volunt, loquendo de voluntate deliberativa et practica : quamvis voluntate naturali, eis, præsertim suis propinquis et olim carissimis, succurrere vellent, si esset possibile. Istud vero non posse, eorum beatitudini non repugnat, sicut nec non posse peccare. — Sed quæri potest, an Beati possint in infernum descendere, etiam cor-

Digitized by Google

poribus reassumptis et glorificatis. Et apparet quod imo, quia ut Augustinus et Anselmus testantur, ubicumque esse voluerit spiritus, erit mox corpus, per dotem agilitatis. Localis namque distantia motum corporum glorificatorum non poterit impedire. Et respondendum, quod Beati nunquam descendent, neque descendere volent seu cupient in infernum ad ibi manendum, vel ad inde eripiendum. Si tamen rationabilis causa eis esset descendendi illuc, non impedirentur.

Neque inde huc transmeare, id est, qui damnati sunt, ad locum et societatem Sanctorum non queunt ascendere, quia non pœnitent; sed immobiliter manent in illa aversione ac prava affectione, in qua a corpore recesserunt, juxta illud Ecclesi-
Eccle. xi, 3. astæ : Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Hinc, secundum Damascenum, quod angelis est ruina, hoc hominibus mors. Dicit autem Gregorius, dubium nullum esse quin damnati vellent ad locum atque consortium Beatorum ascendere, si esset possibile.

Sed contra hoc argui potest, quia secundum hoc, damnati non manerent in aversione sua a Deo, nec in sua prava affectione qua ad carnalia et caduca se finaliter converterunt. Præterea, in tantum odiunt Deum, quod non cupiunt sibi uniri aut esse cum ipso. Thomas quoque allegat Augustinum dicentem, quod damnati non cupiunt veram felicitatem, sed detestantur omne bonum honestum. Insuper, S. Brigitta in Revelationibus suis describit, quemadmodum anima quædam perversa, tribunali Christi oblata, dicebat : Quamvis possem salvari, non vellem, ne tu consolationem aut gaudium habeas de me. Cui alludens diabolus qui adstabat, asseruit : Talis est etiam mea voluntas. — Ad hæc breviter respondetur, quod sicut damnati in hac vita maluerunt frui bonis caducis et vanis, quam vero et incommutabili bono; ita perpetuo post mortem manet in eis talis perversa voluntas, mal-

A lentque turpiter delectari, quam Deum sinceriter contemplari. Nihilo minus tanta est eorum afflictio, quod mallent esse cum Beatis in cœlo, quam taliter cruciari in inferno, in quantum esse in cœlo atque in gloria, esset eis evasio tantæ miseriæ et proprium commodum : non tamen appetunt esse in cœlo, aut cum Deo ac Sanctis, in quantum hoc cederet ad honorem et gloriam Dei. Sicque per hæc facile est quæ allegata sunt concordare.

Præterea prædictis objici potest, quod
B quidam Sanctorum leguntur quosdam in peccatis mortalibus defunctos de inferno liberasse; damnati quoque interdum apparent viventibus. Et respondendum, quod nullus per sententiam definitivam et absolutam damnatus, liberari potest seu egredi de inferno tanquam non reversurus in illum; sed per dispensationem divinam ad tempus potest exire : imo in die judicii omnes exibunt, mox infelicius ruituri in pristinum lacum.

Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas 27
C *eum,* scilicet Lazarum, *in domum patris*
mei : habeo enim quinque fratres; ut te- 28
stetur, hoc est, firmiter et cum testimonio dicat, *eis,* quæ pertinent ad salutem et quid mihi acciderit; *ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum,* scilicet in infernum, qui teste beato Job, est terra te- *Job x, 21, 22.*
nebrosa, et operta mortis caligine, terra miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Cœlum vero est locus gaudiorum, et mundus iste locus est merito-
D rum. Damnatus ista petivit non ex caritate, quam nec in morte nec postea habuit; sed ex servili timore, ne sui ipsius damnatio augeretur ex fratrum suorum damnatione, cum quibus consors fuit in vitiis, et quibus vitiosæ vitæ reliquit exempla, materiamque peccandi, seu opes. *Et ait illi* 29
Abraham : Habent Moysen et Prophetas, hoc est libros legis et Prophetarum, in quibus de agendis credendisque instruuntur; *audiant illos* auribus cordis, intelligendo videlicet et obediendo.

Digitized by Google

30 *At ille dixit : Non, pater Abraham,* id A est, Moysen et Prophetas non audiunt. Ista cognovit damnatus hic ex recenti sensatorum memoria, seu conjecturali notitia, ex consideratione sui judicando de aliis. Porro, ex eo quod Abraham ait de fratribus divitis, Habent Moysen et Prophetas, elicitur quod Israeliticæ stirpis erant. *Sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent,* quia ex inconsueta apparitione atque ad ipsos exhortatione specialiter facta, fortius movebuntur. Sed frequenter contingit oppositum. Hujusmodi quoque B apparitiones sæpe judicantur phantasticæ; et licet ad horam aliquos moveant, multoties tamen tempore procedente, parum fructificant.

31 Hinc subditur : *Et ait illi* Abraham : *Si Moysen et Prophetas,* qui tantæ sanctitatis et auctoritatis fuerunt, *non audiunt,* per veritatis notitiam, atque justitiæ adimpletionem, *neque si quis ex mortuis resurrexerit,* ad eosque venerit, *credent* ei, credulitate procedente in stabilem actum virtutum. Unde Judæi, tempore Christi, Lazaro fratri Marthæ suscitato non C crediderunt, sed mortem inferre decre- (Joann. xii, 10.) verunt. Mortuis quoque, qui cum Christo resurrexerunt, et multis in sancta civitate apparuerunt, Christumque resurrexisse (Matth. xxvii, 52, 53.) testati sunt, non crediderunt Judæi, sicut nec Christo.

Ex hac evangelica lectione multa possunt saluberrima considerari, videlicet rigor atque subtilitas divini judicii : quo agente sic accidit, ut dives, qui nec minima Lazaro tribuit in hac vita, in nullo etiam minimo exauditus est post hanc vitam, juxta illud Proverbiorum : Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, (Prov. xxi, 13.) ipse clamabit, et non exaudietur. Item, quod sicut electis omnia cooperantur in bonum, sic perversis et reprobis omnia (Rom. viii, 28.) cooperantur in malum. Itaque nullus in vestibus stulte lætetur, nemo in epulis se dissolvat, nec tempore mensæ loquacitatem admittat, sed cum cordis custodia timoreque Dei alimenta suscipiat ad necessitatem, non ad voluptatem. Unde ait Basilius : Quantum possumus, delicias mundi et ciborum opulentiam fugiamus, ne quando cruciati in flammis inferni, guttam aquæ quæramus, et nullum refrigerium consequamur.

ARTICULUS XL

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : ET AIT AD DISCIPULOS SUOS : IMPOSSIBILE EST UT NON VENIANT SCANDALA.

1 E*T ait ad discipulos suos : Impossibile* D *est ut non veniant scandala.* Non absolute atque in particulari necesse est scandala evenire ; sed eo modo quo impossibile est homines non peccare, impossibile est scandala non oriri. Scandalum namque est dictum aut factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ culpabilis seu peccati. Et ista descriptio datur de scandalo activo. Scandalum vero passivum est hujusmodi ruina peccati, quo quis incidit ex inordinato verbo aut facto alterius. Hoc tamen intelligendum est de scandalo passivo, quod directe et per se quis incurrit ex verbo aut facto alterius.

Quocirca pensandum, quia ut scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione 43, secundum Hieronymum, σκάνδαλον Græce, Latine offensio, ruina vel impingentia dicitur. Quemadmodum enim in via corporali aliquando obex aliquis ponitur, in

Digitized by Google

quem si transiens impingit, collabitur : sic in via spirituali, seu vitæ operumve processu, contingit hominem ex dicto aut facto alterius ad peccati ruinam induci; talisque obex scandalum nuncupatur. Nil autem ex sua natura disponit ad spiritualem ruinam, nisi aliquem rectitudinis debitæ patiatur defectum. Nam et id quod speciem mali habet, defectuosum est at-
1 *Thess.* v, 23. que vitandum, dicente Apostolo : Ab omni specie mala abstinete vos. — Præterea advertendum, quod dictum vel factum hominis potest dupliciter esse alteri peccandi occasio. Uno modo per se, quando videlicet quis exemplo aut admonitione intendit alium ad peccatum inducere; vel etiam quamvis ipse non intendat, hoc tamen opus suum tale est quod ex sua natura alium ad peccatum inducere potest, vel quoniam malum est, vel quoniam speciem mali habet : taleque dictum seu factum dicitur scandalum activum. Secundo per accidens, quando ex dicto aut facto alicujus aliquis scandalizatur, præter intentionem agentis, et præter conditionem operis, ut quum opus in se bonum est, sed alter ex sua malitia inde ad peccandum inducitur : et hoc est scandalum passivum sine activo, nam agens non peccat, nec, quantum in se est, alteri occasionem ruinæ ministrat. Patet itaque, quod interdum sunt simul, scandalum activum in uno, et scandalum passivum in altero; quandoque vero est scandalum activum in uno, non autem passivum in altero, dum alius non consentit nec læditur. Sæpenumero quoque est scandalum passivum sine activo, sicut nunc patuit.

Itaque, Impossibile est ut non veniant
1 *Cor.* xi, 19. scandala, eo modo quo ait Apostolus, Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant : quæ est necessitas finis, quia ad aliorum probationem scandala hæresesque proficiunt. Rursus necesse est talia esse, necessitate conditionata, sicut prævisa a Deo necesse est evenire.

Væ autem illi per quem veniunt, id est, æterna damnatio imminet et debetur ei A qui scandalizat seu scandala parit : et hoc verum est de scandalo illo activo quod est mortale peccatum. Scandalum quippe activum, est veniale peccatum quando quis actum venialis peccati, vel qui solum habet speciem mali, committit; quandoque vero est mortale peccatum, vel quia homo mortale peccatum committit, vel quia proximi salutem contemnit, non curat seu parvi pendit, nolens propter eam omittere quod sibi est placitum. Porro scandalum activum per se, ex intentio- B ne agentis, tunc est mortale peccatum, dum quis alium ad peccandum mortaliter conatur inducere. Quod si ad veniale peccatum inducere velit, erit veniale peccatum.
Utilius est illi, si lapis molaris im- 2
ponatur in collo ejus, et projiciatur in* *circa collum
mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. Ad litteram dicit hoc Christus de saxo molari, loquens secundum consuetudinem provinciæ Palæstinæ, ubi mos fuit ut majora crimina punirentur grandi lapide ad collum rei ligato, ipsum reum C in aquam jactando ac submergendo : per quod Christus insinuat enormitatem hujus peccati. Melius autem est corporaliter mori atque necari, quam impie vivere, et alium spiritualiter occidere.

Insuper, duplex est scandalum [mere passivum], scilicet : aliud Pharisæorum, id est eorum qui ex sua malitia, ex verbo aut facto alterius quamvis bono, scandalizantur, quemadmodum Pharisæi ex verbis atque operibus Christi ; aliud pusillorum seu infirmorum aut imperfectorum, quod D ex eorum infirmitate aut ignorantia nascitur, de verbo aut facto alterius. — Circa hæc quæritur, an propter scandalum vitandum sint bona spiritualia omittenda. Ad quod Thomas respondet, quod quædam bona sunt de necessitate salutis, ad quæ homo tenetur : et hæc propter vitandum alterius scandalum non sunt deserenda. Alia sunt spiritualia bona, non necessaria ad salutem : et circa illa est distinguendum. Nam scandalum quod ex talibus bonis causatur, quandoque est ex

Digitized by Google

malitia scandalizati, ut de Pharisæis jam dictum est. Unde quum aliqui spiritualia bona impedire conantur, scandala concitando, non sunt propter hoc bona hujusmodi omittenda. Interdum vero oritur scandalum de spiritualibus bonis ex infirmitate aliquorum, quod est pusillorum: et tunc propter caritatem sunt spiritualia bona occultanda vel differenda, donec ratione reddita cesset scandalum tale. Quod si post rationem redditam non cessaret, tunc pertineret ad malitiam, essetque scandalum Pharisæorum, et non essent bona omittenda. Porro, quod ait Hieronymus, Dimittendum est propter scandalum, omne quod potest prætermitti, salva triplici veritate, scilicet vitæ, justitiæ et doctrinæ; de scandalo pusillorum accipitur.

Itaque, quamvis per viros virtuosos sæpe scandala veniunt, sicut per Christum venerunt, non tamen væ eis debetur, quia non accidit hoc ex culpa eorum, nec veniunt per eos causaliter, sed occasionaliter et indirecte, utpote occasione assumpta, non data. Dicit quoque Hieronymus : Qui scandalizatur, parvulus est : majores enim scandala non recipiunt. Perfecti namque Deo firmiter cohærent, et in bonis sunt stabiles, omnia ordinate agentes : idcirco ex inordinatis aliorum verbis aut factis non concutiuntur, aut moventur ad culpam, sed potius ad caritativam et piam compassionem, orationem et subventionem, ad pleniorem quoque proprii cordis custodiam et cautelam. De hac materia loquitur Christus diffusius in Matthæo, ubi et multa de ea re sunt dicta. *Matth. xviii, 6-10.*

Præterea, si tam grave est crimen, unum scandalizare pusillum, quid fiet de his qui totam scandalizant communitatem, congregationem, sive Ecclesiam? Quod etiam in prælatis, doctoribus et religiosis gra-
3 vius est peccatum. Ideo subditur : *Attendite vobis,* id est, diligenter cavete, ne quempiam scandalizetis. Proximo enim debemus famam bonam seu ædificationem, Deo honorem et gloriam, nobis ipsis debiti adimpletionem. Specialiter vero monet di-
A scipulos de non scandalizando, quoniam figuram gerebant tam prælatorum, quam religiosorum ac prædicatorum sive doctorum, quorum scandalum activum periculosius graviusque consistit, quia eorum verba et facta magis trahuntur in exempla.

Et quoniam aliorum scandalo læsi, sunt pie recuperandi, subdit Salvator : *Si peccaverit in te,* id est te sciente, secundum Augustinum ; vel, In te, id est contra te, tibi forefaciendo, *frater,* id est proximus, *tuus* quicumque, sive vir sive femina;
B *increpa illum,* id est, caritative redargue, primo in secreto, apto loco et tempore, et si sit spes probabilis de emendatione ipsius. Primo itaque secrete est increpandus, ne increpator non sit pius correptor, sed fraterni criminis proditor, et ille pudore amisso in vitiis perseveret. Conservanda est equidem proximi fama. *Et si pœnitentiam egerit,* id est, dolere et emendare velle se dicat seu facto demonstret, *dimitte illi,* offensam in te commissam. Semper enim dimittenda est injuria quantum
C ad culpam, ut scilicet qui offendat non odiatur, sed diligatur ; et quanto majorem pœnitentiam monstrat, veniamque humilius petit, tanto plus ignoscendum est ei, non solum culpam non imputando, sed etiam pœnam seu satisfactionem relaxando, in parte vel toto, nisi relaxatio pœnæ vergeret in detrimentum rei publicæ seu boni et pacis communis, aut in derogationem observationis justitiæ, aut in nocumentum offensoris, ut si ex tali ignoscentia, pronior et impudentior redderetur
D ad perpetrandum iniqua. *Et si septies in* 4
die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi. Septenario numero universitas multoties designatur, quoniam septem diebus omne tempus hoc volvitur. Et Tobiæ Raphael angelus ait : Ego sum unus de septem qui adstamus ante Deum. *Tob. xii, 15.* Itaque sensus est : Quotiescumque aliquis peccet in te, dimitte illi quotiescumque hoc ipsum petierit. Tamen, ut tactum est, etiam non pœnitenti et non roganti igno-

Digitized by Google

scendum est quantum ad culpæ et odii A remissionem, quamvis major sit ratio dimittendi petenti quam non petenti.

Possent hoc loco plurima dici de correptione fraterna et modo ac ordine ejus, qualiter sit agenda, quomodo quoque ad omnes pertineat, in quantum est actus caritatis, specialiter autem ad præsidentes, secundum quod est actus justitiæ. Quæ
Matth. xviii, 15-17. quia super Matthæum prolixe sunt habita, jam omittuntur.

Itaque, non simus difficiles ad parcendum, nec tardi ad ignoscendum, nec pro- B ni ad ultionem, neque immoderanter memores illatæ nobis injuriæ, pensantes quod in Genesi patriarcha sanctissimus Jacob
Gen. xlix, 7. affirmat : Maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio, quia dura. In Le-
Lev. xix, 18, 17. vitico quoque Dominus ait : Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo; sed publice, id est evidenter, (primo secrete) argue eum, ne habeas super illo
Coloss. iii, 8, 13. peccatum. Hinc jubet Apostolus : Deponite iram et indignationem, supportantes C invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. Insu-
Marc. xi, 25, 26. per in Marco Christus hortatur : Quum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem. Quod si non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra. Hinc in
Eccli. xxviii, 1, 2. Ecclesiastico habetur : Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Quum autem tanto gravior D sit offensa, quanto major est honorabilitas et excellentia ejus qui offenditur : nonne gravissima et irrationabilissima atque immensa stultitia est, ut homo vas putridum petat sibi a Deo ignosci, quum ipse proximo suo non velit ignoscere? Et rursus, nonne infinita est pietas Dei hanc no-
Matth. vii, 12. bis legem ponentis, ut quomodo volumus nobis ab ipso fieri et ignosci, sic faciamus ignoscamusque proximis? Ideo in
Eccli. xxviii, 3-5. Ecclesiastico scribitur : Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam? In hominem sibi similem non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur Altissimum? Quis exorabit pro peccatis illius? Itemque : Memento novissimorum *Eccli.* tuorum, et desine inimicari, et non ira- xxviii, 6, 8, 10. scaris proximo tuo, et abstine te a lite.

Et dixerunt Apostoli Domino : Adauge 5
nobis fidem, hoc est, perfice et conforta fidem nostram, ut possimus hæc ardua tua præcepta et documenta supernaturalia adimplere. Hoc petierunt Apostoli, quoniam tam incessanter injurianti ignoscere, et scandala devitare, delinquentemque corripere, procedunt ex magna fide, qua quis firmiter ac lucide credit providentiam ac judicium Dei, præmiumque beatum pro actibus bonis.

Specialiter vero fidei petierunt augmentum : Primo, quoniam ipsa est fundamentum virtutum. Secundo, propter actuum ejus difficultatem, quia difficile est rationem in omnibus fidei subjugare, sicque intellectum in captivitatem redigere. Pro- II *Cor.* x, 5.
pter quod dixit Salvator : Si potes cre- *Marc.* ix, 22.
dere, omnia possibilia sunt credenti. Et Paulus testatur : Non omnium est fides. II *Thess.* iii, 2.
Tertio, quoniam audierunt Christum frequenter fidem præcipue commendare, dicendo : Fides tua te salvum fecit. Quar- *Matth.* ix, 22; *Marc.* x, 52; etc.
to, quia præcipua est virtuositas fidei ad faciendum miracula, quæ Apostolis ad confirmationem prædicationum suarum necessaria erant. — Præterea fides augetur dupliciter : Primo, extensive et quantum ad ejus objectum, dum plura credibilia creduntur explicite : sicut litterati multa credunt explicite, quæ simplices credunt implicite, credendo sicut credit Ecclesia. Secundo, intensive et quoad ejus subjectum, dum credibilia lucidius cognoscuntur, et firmius ferventiusque tenentur. Quod augmentum datur potissimum per donum intellectus, quo homo rationes credendorum agnoscit; atque per sapientiæ donum, quo veritatem divinorum quam credit, dulci prælibatione degustat, experimentaliterque sapit quod credit, et quam

Digitized by Google

vere per fidem catholicam Deo complaceatur et uniatur : et ita futuræ beatitudinis saporem quemdam et pignus nunc accipit, ita quod nihil est sibi certius, nilque rationabilius ei apparet, quam ea quæ fides christiana proponit. — Utrumque autem fidei hoc augmentum, præsertim necessarium est prælatis atque doctoribus, qui et ceteros erudire habent in fide. Ideo Apostoli tanquam primi et summi post Christum in Ecclesia ejus prælati et magistri, rationabiliter petierunt sibi fidem augeri : quam Christus post suam resurrectionem in eis paulatim perfecit, quousque in die Pentecostes eam in eis plenissime consummavit. Unde et consequenter fidei virtuositatem eis demonstrat.

6 *Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem sicut granum sinapis,* id est fortem valde et vigorosam, intensam atque invictam. Quemadmodum granum sinapis, quamvis sit modicum quantitate, est tamen magnum virtute, fervidum et amarum, venenique expulsivum ; sic Christianorum fides debet esse fervida per caritatem, amara per promptitudinem sustinendi adversa, ne tempore tentationis deficiat, omnis quoque veneni errorum atque perfidiæ expulsiva. *Dicetis huic arbori moro, Eradicare et transplantare in mare, et obediet vobis,* hoc est, ad orationem seu jussionem vestram arbor hujusmodi subito de terra evelletur, et in mari plantabitur : quum talis eradicatio subitanea sit miraculosa, et miraculosior plantatio arboris in fluido maris loco. Sed omnia possibilia sunt credenti, (*Marc.* IX, 22.) quia divina virtute fiunt hujusmodi, et frequenter angelico ministerio. Porro in Matthæo et Marco Christus exemplificat de monte : Dicetis (inquiens) huic monti, (*Matth.* XXI, 21 ; *Marc.* XI, 23.) Tollere, et mitte te in mare. Certumque est beatissimos Apostolos et alios multos Sanctos valde mirabiliora et præclariora fecisse miracula, quam sint ista. Et quoniam Christus ait, Dicetis huic arbori, quidam putant quod quando hæc dixit, prope se hujusmodi arborem vidit.

A Præterea, quia Salvator suis electis excellentissima gratiarum charismata promisit et contulit, præstaturusque fuit, tam in donis gratiæ gratum facientis quam gratiæ gratis datæ ; ideo post prædicta, saluberrime instruit eos de profunda et inconcussa humilitate semper in omnibus conservanda, ut omne bonum omnipotenti Creatori jugiter adscribatur, et tanto plus ei regratiemur, quanto copiosiora gratiæ dona ab ipso sortiti fuerimus. Ad hoc igitur persuadendum, aptissimam atque planissimam introducit parabolam.
B

Quis autem vestrum habens servum 7
arantem, aut boves pascentem, qui regresso servo *de agro dicat illi : Statim transi* ad mensam, *recumbe,* id est, quiesce, seu
comede ; *et non dicat ei : Para quod cœ-* 8
nem, hoc est, ad cœnandum præpara mihi cibum et mensam, *et præcinge te, et ministra mihi donec manducem et bibam,* cibaria apponendo et deponendo, *et*
post hæc tu manducabis et bibes ? Num- 9
quid gratiam habet servo illi, id est, numquid dominus habet grates agere illi suo ministro, *quia fecit quæ ei imperaverat ?*
Non puto. Servus enim tenetur ad hoc, 10
et post laborem in agro habet laborare in domo, ut sit assidue in labore, nec insolescat, juxta id Ecclesiastici : Cibaria et virga et onus asino, panis et disciplina et opus servo ; (*Eccli.* XXXIII, 25.) itemque, Servum inclinant operationes assiduæ. (*Ibid.* 27.) *Sic et vos quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis* a Deo, ab Ecclesia, a recta ratione, *dicite* ex toto corde cum plena humilitate : *Ser-*
D *vi inutiles sumus,* id est, nostra servitute nihil utilitatis aut perfectionis Deo attulimus, qui bonorum nostrorum non eget. (*Ps.* XV, 2.) Unde et in Job habetur : Si peccaveris, quid ei nocebis ? et si juste egeris, quid ei donabis ? (*Job* XXXV, 6, 7.) *Quod debuimus facere, fecimus,* implendo præcepta.

Hoc beatissimo documento, aufert a nobis increata Sapientia Dei omnem vanæ gloriationis, præsumptionis ac pompæ occasionem, causam, materiam. Si enim hi se servos inutiles reputare debent, qui

Digitized by Google

omnia impleverunt præcepta : quid nobis A
Jacob. III, 2. incumbit, qui in tam multis offendimus,
et ea ipsa quæ forsan implemus præce-
pta, tam imperfecte implemus, ita ut (jux-
Is. LXIV, 6. ta Isaiam) universæ justitiæ nostræ sint
quasi pannus menstruatæ? Denique etiam
secundum Philosophum, diis, parentibus,
et magistris rependi non potest æquiva-
lens : quomodo igitur vero omnipotenti-
que Deo aliquid poterimus condignum re-
pendere? Sed et quidquid sumus, habemus
ac agimus boni, ab ipso est, et ipsius est,
ipsique adscribendum tanquam datori et B
I Cor. IV, 7. conservatori, dicente Apostolo : Quid ha-
bes quod non accepisti? Itaque eo ipso
quo totum quod habemus et sumus, a Deo
suscepimus, obligamur totum hoc ejus ob-
sequio mancipare, ad ejus honorem et
gloriam ordinare atque convertere, totum-
que ei pro posse subjicere; et quo plura
nobis dona contulerit, eo ad regratiandum,
obediendum et obsequendum obligatiores
consistimus. Hinc viri sancti, quo perfe-
ctiores et gratiosiores, eo et humiliores
fuerunt, suumque imperfectum semper C
pensabant, et quidquid boni in eis fuit,
Deo humillime adscripserunt, seque a se
ipsis nihil nisi deficere et peccare habere
profitebantur. Hos ergo, nos imperfecti-
onibus pleni, sequi conemur, istud Chri-
sti sapientissimum documentum jugi me-
moria revolventes. — Sed quum alibi dicat
Matth. XXV, 30. Christus, Servum inutilem projicite in te-
nebras exteriores, quomodo justi vere se
dicunt servos inutiles? Et respondendum,
quod hic dicuntur inutiles servi respectu
Dei, secundum sensum præhabitum, alibi D
vero respectu sui vel proximi, qui nec
propriam salutem sunt operati, nec aliis
exemplares fuerunt.

Deinde describitur gloriosum a Christo
peractum miraculum, vel potius plura mi-
racula, quibus ipsius confirmabatur super-
naturalis doctrina. Quemadmodum enim
naturalis scientia probatur per argumen-
ta atque principia naturali ratione paten-
tia; sic supernaturalis sapientia Christi in
Evangelio tradita, per supernaturalia so-
lique Deo possibilia roborata est opera,
per quæ Deus testimonium perhibuit evan-
gelicæ veritati.

Et factum est dum iret in Jerusalem, 11
id est versus civitatem illam, in qua paulo
post fuit passurus. Istud enim parum ante
festum Palmarum certum est contigisse.
*Transibat per mediam Samariam et Ga-
lilæam,* id est, per medium provinciarum
istarum, in quibus plurima prædicavit et
multa egit miracula. Per Jerusalem, quæ
pacis visio interpretatur, superna Bea-
torum patria designatur; per Samariam
autem, quæ interpretatur custodia, in-
telligitur vita activa, quæ in observantia
præceptorum consistit; per Galilæam ve-
ro, quæ transmigratio interpretata est, con-
templativa exprimitur vita, quæ in spi-
rituali transitu a visibilibus ad invisibilia
sita est. Qui ergo ad supernam cupit per-
tingere patriam, primo in actibus se exer-
ceat vitæ activæ, deinde in actibus contem-
plativæ, ad quam ducit vita activa, sicut
ad habitaculum janua. Porro, ut quidam
hic scribunt, Samaria fuit terra gentili-
um; Galilæa, Judæorum. Sed advertendum,
quod Samaria multo tempore ad filios Is-
rael pertinebat : quibus propter idololatri-
am a regibus Assyriorum vastatis, victis, IV Reg. XVII,
translatis, provincia illa gentilibus data 6, 24.
est, quos rex Assyriorum ibi constituit,
prout in libris Regum clare describitur.

Et quum ingrederetur quoddam castel- 12
lum, occurrerunt ei decem viri leprosi :
non casualiter; sed viri illi cognita ex
multorum relatu Christi potentia ad cu-
randum, observabant ejus adventum. *Qui
steterunt a longe :* quia secundum legem
Moysis, non debebant inter alios commo- Lev. XIII, 46.
rari aut conversari. Et propter reverenti-
am Christi non accesserunt ad eum, de sua
immunditia, secundum Theophilum, vere-
cundantes, et suspicantes quod Christus
sicut et alii eos forsitan fastidiret. *Et leva-* 13
verunt vocem suam, dicentes, ex vehemen-
ti corporalis sanationis affectu. Quos nos
spirituali lepra infecti, id est vitiorum va-
rietate contaminati, sectari debemus, di-

Digitized by Google

cendo ex ardentissimo cordis optatu quod A
illi dixerunt. *Jesu præceptor*. Præcipere
præsertim ac propriissime competit Chri-
sto, secundum quod Deus est; sed secun-
dum naturam assumptam, competit ei par-
ticipative et ministerialiter quantum ad
Deum, excellenter tamen respectu aliorum
Hebr. II, 8. Dei servorum. Omnis namque creatura,
etiam Christi humanitati creditur esse sub-
jecta. *Miserere nostri*, id est, compatere,
et compatiendo succurre nobis infirmis,
liberando nos ab hac pœnali miseria quæ
est lepra. Præterea, quanto ratio mali am- B
plius competit malo culpæ, quam malo
pœnæ, tanto plus exoremus tolli a nobis
peccata, quam corporalia incommoda, mor-
bos sive adversa. Sed, heu! multi plus
dolent ac deflent mala exteriora, corpora-
lia et caduca, quam interiora, spiritualia
et æterna : quorum valde obturatus est
interior oculus.

14 *Quos ut vidit*, non solum exteriori ad-
spectu, sed interno compassionis affectu
mox in effectum misericordiæ extenden-
do, *dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus*. C
Non dixit, Jubeo vos sanari, aut, Curo
vos; sed, Ostendite vos sacerdotibus : ut
doceat nos omnem ostentationem super-
biamque vitare, ne magna agamus aut age-
re cupiamus propter hominum admiratio-
nem, applausum seu laudem. Misit quoque
eos ad sacerdotes : Primo, ut tunc futu-
rorum destrueret insaniam hæreticorum,
dicentium legem Mosaicam non esse a Deo,
sed a sævissimo quodam diabolo : quorum
præcipuus exstitit immundissimus Mani-
chæus. Secundo, ut legem sponte servan- D
do, humilitatis et obedientiæ nobis præ-
beret exempla. Præceptum enim fuit in
Lev. XIV, 2. Levitico, ut emundati a lepra sacerdotibus
se præsentarent : primo, quatenus sacer-
dotes judicarent an vere mundati essent,
an non; secundo, ut pro sua curatione of-
ferrent sacrificium in lege determinatum.
Legalia autem usque ad Christi passionem
ac evangelicæ legis divulgationem cur-
sum habebant. Tertio, propter mysticam
rationem, videlicet ob potestatis clavium
commendationem. Sacerdotum etenim no-
væ legis est mundos seu pœnitentes ad-
mittere, immundos et impœnitentes ex-
cludere.

Et factum est dum irent, mundati sunt :
ad ostendendum Christi pietatem atque
potentiam, et propter fidei et obedientiæ
meritum commendandum. Melior etenim I Reg. XV, 22.
est obedientia quam victima. Item, ne vir-
tute legis, sacrificiive legalis, aut sacerdo-
tum, putarentur mundati, sed sola potestate
divina.

Unus autem ex illis, ut vidit per expe- 15
rientiam ac corporalem intuitum, carne
sua in colore ac dispositione tam eviden-
ter ac mirabiliter subito immutata, *quia*,
id est quod, *mundatus est* a lepra corpo-
rali, imo et spirituali : quia ut creditur,
Christus mente curavit quos corporaliter
sanavit; *regressus est* ad Jesum *cum ma-
gna*, id est amorosa, devota, grata, jucun-
da, sensibiliterque sonora, seu alta, *voce*
gratiarum actionis et laudis, *magnificans*,
id est, spiritualiter magnum, utpote om-
nipotentem et pium, esse protestans, et
facto demonstrans, *Deum*, cujus virtute
tam mirabiliter se sensit esse curatum. Et
quamvis iste nondum fortasse explicite
credidit Jesum esse verum Deum, credidit
tamen sanctum hominem ac prophetam,
qui divina potestate ista egisset. *Et cecidit* 16
in faciem suam ante pedes ejus, scilicet
Christi, illi *gratias agens*, seque illi totis
viribus humiliando, cujus beneficio gra-
tioso tam clementer ac mirabiliter fuit
curatus. *Et hic erat Samaritanus*, id est
natione gentilis, utpote de illorum proge-
nie natus quos Salmanasar, translatis de- IV Reg. XVII, 24.
cem tribubus, constituit pro illis in terra
Samariæ. Et forsan iste fuit proselytus, id
est ad Judaismum jam ante conversus. Per
hoc autem quod dicitur Samaritanus fu-
isse, docetur quod alii novem erant Ju-
dæi. Rursus, per hoc quod ipse solus ad
Christum reversus est gratias agens, præ-
figurata est mystice gentilium ad Chri-
stum conversio, remanentibus in perfidia
sua Judæis. Porro alii novem reversi non

Digitized by Google

sunt, quia suam curationem adscripserunt A observantiæ legis : vel ideo, quoniam dixit ad eos, Ostendite vos sacerdotibus ; vel, quia a sacerdotibus Christo invidentibus ad hoc inducti sunt, ut non virtuti et efficaciæ Christi, sed legis, suam adscriberent sanitatem.

17 *Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem* leprosi *mundati sunt? et novem ubi sunt?* quasi dicat : Patet ad oculum magna ingratitudo eorum, seu impietas sacerdotum qui eos taliter subverterunt.

18 *Non est inventus* de istis decem, *qui rediret* B ad me, *et daret gloriam Deo,* id est, de sua miraculosa curatione gratias ageret Deo, ejusque potentiam glorificaret, seu me Dei Filium verumque Deum pro tanto beneficio honoraret, *nisi hic alienigena,* id est natione gentilis et alienus a Deo ac lege. Sic et Naaman Syrus curatus a lepra
IV *Reg.* v, 15. per Eliseum, rediit ad eum, gratias devotissime agens. Præterea quæritur, quomodo isti novem reversi non sunt, si a Christo non solum corporaliter, sed et spiritualiter curati fuerunt? Ad quod respon- C dere quis potest, quod simul corporaliter spiritualiterque in via ad sacerdotes mundati sint, sed postquam sacerdotibus sunt locuti, ab eisdem seducti fuerunt, sicque ingrati effecti sunt, et recidivaverunt.

19 *Et ait illi* Jesus : *Surge* a terra in qua jaces prostratus, atque a pristina in qua aliquando jacuisti consuetudine inclinatione que mala, *vade* ad loca tibi accommoda, et de bono in melius, ac de via ad patriam salutis æternæ, *quia fides tua te salvum fecit,* id est, actu fidei tuæ meru- D isti a me ita curari, etsi non de condigno, saltem de congruo.

20 *Interrogatus autem a Pharisæis,* vel ex curiositate, vel ex derisione : *Quando venit regnum Dei?* id est, quando cœlestis beatitudo quam promittis et prædicas, conferetur aut manifestabitur ? *Respondens eis, dixit : Non venit regnum Dei cum observatione,* hoc est cum certa temporis prætaxatione seu præcognitione, ita quod observari non valet, neque præsciri quando venturum sit regnum istud. Tunc etenim veniet, quum hominibus conferetur : quod erit in hora judicii particularis, quantum ad singulos, solamque animam ; in hora vero judicii universalis, quantum ad omnes electos, tunc corpore etiam glorificandos. Quum ergo utriusque judicii dies seu hora exstet incognita, nec sine revelatione queat præsciri, certum est quod regnum præfatum non veniat cum observatione. De quo regno oramus quotidie,
Adveniat regnum tuum : ideo quilibet dies *Matth.* vi, 10.
vitæ hujus ordinandus et expendendus est tanquam sit ultimus, ut semper simus parati ad mortem. Unde et Apostolis de hac
re quærentibus Christus respondit : Non *Act.* i, 7.
est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Per quæ verba Christus repressit digitos omnium de hac re prænosticare et calculare præsumentium. Hi quoque qui tempus adventus Christi ad judicium determinate prædicere attentarunt, ut abbas Joachim et alii quidam, errasse inventi sunt, quoniam tempora ab eis determinata jam transie-
runt. *Neque dicent,* hoc est, certitudinaliter 21
prædicere non valebunt, quicumque sint illi, *Ecce hic, aut ecce illic,* id est, in quo loco appareat Christus ad judicandum ; sed tunc primo id innotescet, quum ipse se ipsum ad judicandum præsentem ostenderit. Istud quidam exponunt de prænescientia temporis, secundum quod dictum est ; alii de prænescientia loci, quia licet in valle Josaphat dicatur futurum judicium, tamen determinatus locus in quo Christus sedebit, fertur ignotus. Alii qui quoque per vallem Josaphat intelligunt vallem judicii, non locum illum ad litteram, quia Josaphat interpretatur judicium.

Consequenter Salvator tangit causam cur quæstio ista facienda non sit, vel cur sibi credendum exstiterit. *Ecce enim regnum Dei intra vos est,* hoc est, in vestra potestate est constitutum, ut illud promereri possitis : quia si feceritis quod in vobis est, Deus gratiam tribuet promerendi.

Digitized by Google

Vel, Regnum Dei intra vos est, hoc est, ego Christus Rex cœlorum, per quem venitur ad regnum illud, qui regno in mentibus electorum, inter vos sum, vobisque loquor, qui mentiri non valeo. De quo apud
Joann. I, 26. Joannem ait Baptista : Medius autem vestrum stat, quem vos nescitis.

22 *Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis,* hoc est, in quibus optabitis, *videre unum diem Filii hominis,* id est famosum et præcipuum illum Christi diem, quo ipse in cœlo est regnaturus : qui est dies æternitatis et gloriæ, de quo B
Ps. LXXXIII, 11. prædixit Psalmista : Melior est dies una in atriis tuis super millia. Alii exponunt de die generalis judicii, qui erit unus, et desiderabilis est electis, in quantum plenam beatitudinem consequentur in eo. Quidam vero ita exponunt : Desideretis videre unum diem Filii hominis, hoc est Christum, quem nunc quotidie cernitis, saltem uno die habere corporaliter pro vestra consolatione præsentem. Per hæc verba Salvator insinuavit discipulos multa passuros, et in persecutionibus positos, op- C tare debere diem prædictum : quia et Pau-
II *Cor.* I, 8. lus testatur, Supra modum gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere ; itemque,
Philipp. I, 23. Cupio dissolvi et esse cum Christo. Tale quoque desiderium sæpe oritur ex ferven-
Ps. CXIX, 5. ti amore, sicut ait Psalmista : Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est, etc. ;
Ps. XLI, 2. et, Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. *Et non videbitis* diem præfatum, statim ad libitum vestrum, sed tempore divinitus præstituto. Per visionem D autem diei, intelligitur res optata in ipso videnda.

23 *Et dicent vobis* pseudoprophetæ, qui ante secundum Christi adventum multos decipient : *Ecce hic, et ecce illic :* hoc est, unus dicet Christum hic esse, seu de proximo apparere ; alius dicet, quod alibi sit, et adhuc longe distet ejus adventus. Ista dixit Christus discipulis suis in persona fidelium qui postmodum erant futuri. Constat enim quod discipuli Christi quibus A hæc dixit, ante horum impletionem translati fuerunt ad patriam. *Nolite credere* talium erroribus, *neque sectemini* eos per
vitæ conformitatem. *Nam sicut fulgur co-* 24
ruscans de sub cœlo, id est a nubibus in quibus generatur, quæ sunt sub cœlo stellato, et sub qualibet sphæra cœlesti, *in ea quæ sub cœlo sunt,* id est super terram atque in aere, *fulget* clare ac sensibiliter ; *ita erit Filius hominis in die sua,* id est, tam manifestus erit ejus adventus ad judicium, die ad hoc divinitus præordinata, ita quod nulli de hoc dubium relinquetur. Quidam sæpe auctoritatem istam allegant ad probandum, quod judicium illud finale celerrime fiet ac finietur, quemadmodum quasi momentanea est emicatio fulguris : per hoc reprobantes errorem Lactantii, asserentis quod generale judicium per tempora longa durabit. Sicque Thomas istud interdum allegat.

Primum autem, hoc est, priusquam se- 25
cundus ejus compleatur adventus, *oportet* necessitate conditionata, et utile est pro generis salute humani, *illum multa pati,* videlicet diversa genera tormentorum, et plurimos acerbissimosque dolores in corpore et in anima, in omnibus viribus atque membris, *et reprobari,* id est, morti adjudicari, contemni, opprobriis affici, *a generatione hac,* hoc est a Pharisæis me nunc deridentibus, ceterisque Judæis.

Consequenter Christus per duo exempla ostendit, qualis erit secundus ejus adventus ad judicandum, utpote celerrimus et incertus, quantum ad præscientiam temporis : propter quod intimorati vana securitate fallentur, et qui se modo non præparant, etiam tunc imparati erunt et
disperibunt. *Et sicut factum est in diebus* 26
Noe, hoc est tempore quo vixit, et Deo *Gen.* VI.
jubente arcam construxit, diluviumque futurum prædixit ; *ita erit et in diebus Filii hominis,* id est circa secundum Christi adventum, in quo suam potentiam mirabiliter declarabit : propter quod illud tempus dicitur specialiter esse ipsius, quum tamen ipse sit Dominus temporis univer-

Digitized by Google

27 si. *Edebant et bibebant,* scilicet crapulose, A
uxores ducebant, et dabantur ad nuptias,
propter voluptatem magis quam propter
prolis procreationem, *usque in diem in*
quo intravit Noe in arcam. Non enim cre-
diderunt prædicationibus et comminatio-
nibus ejus; sed ludis, vanitatibus, et carna-
litatibus intendebant. *Et venit diluvium,*
Gen. vii, 11, 12. sicut in Genesi legitur: Anno sexcentesimo
vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo
die mensis, venit diluvium, rupti sunt
omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ
cœli apertæ sunt; et facta est pluvia super B
terram quadraginta diebus et quadraginta
Ibid. 17. noctibus. Et multiplicatæ sunt aquæ, et
Ibid. 20, 24. elevaverunt arcam in sublime. Quindecim
cubitis altior fuit aqua montibus excelsis.
Obtinueruntque aquæ diluvii terram cen-
Ibid. viii, 4. tum quinquaginta diebus. Et requievit ar-
* perdidit ca super montes Armeniæ. *Et tulit* * *om-*
nes, id est, universos qui extra arcam erant,
submersit. Octo quippe homines fuerunt
in arca, videlicet Noe cum conjuge sua, et
tres filii sui cum eorum uxoribus. Pro-
I Petr. iii, 20. pter quod Petrus ait : In arca pauci, id C
est octo animæ, salvæ factæ sunt per
aquam. Illud enim fuit universale diluvi-
um. Conformiter inundatio vitiorum, et
hæresum ac schismatum, eos qui in eccle-
siastica non permanent unitate et caritate,
operit, perdit, condemnat.

28 *Similiter, sicut factum est in diebus*
Lot, fiet circa secundum adventum Filii
hominis. *Edebant et bibebant, emebant et*
vendebant, plantabant et ædificabant, id
est, terrenis et carnalibus rebus immo-
deranter cum falsa securitate vacabant, D
absque ullo timore peccantes, et quasi diu
29 victuri conjugia ædificiaque agentes. *Qua*
die autem exiit Lot a Sodomis, id est a
civitate Sodomorum, *pluit* Deus *ignem et*
sulfur de cœlo aerio (unde et aves cœli
dicuntur), *et omnes perdidit :* id est, ha-
Gen. xix, 24, 25; Deut. xxix, 23. bitatores Sodomæ et Gomorrhæ et Adamæ
et Seboim ignis et sulfur peremit, prout
30 in Genesi legitur. *Secundum hoc erit,* id
est, simili modo fiet, *qua die Filius ho-*
minis revelabitur, id est, in judicio om-
nibus visibiliter ostendetur : quia usque
ad diem illum aut circiter, aliqui vitiis
indurati in secura stultitia erunt, utpote
Antichristo occiso. — Sed his obviare vi-
detur commune dictum catholicorum do-
ctorum, dicentium quod Antichristo occi-
so, ejusque fraudibus patefactis, omnes
convertentur ad Christum, et ei devotis-
sime obsequentur. Et respondendum, quod
non simpliciter omnes sic convertentur;
imo quidam durissimi in suis impietati-
bus impœnitentes manebunt, dicentes :
Quamvis princeps noster, scilicet Antichri-
stus, occisus sit, nos tamen pacem habe-
mus. De quibus scribit Apostolus : Quum I Thess. v, 3.
dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus
eis superveniet interitus.

In illa hora, scilicet tempore illo, pa- 31
rum ante judicium, non in ipsa judicii
hora, in qua omnes domus erunt destru-
ctæ, *qui fuerit in tecto, et vasa ejus* fu-
erint *in domo, ne descendat tollere illa :*
hoc est, tantum erit periculum, horror, et
acceleratio illius judicii, quod tunc non
vacabit neque expediet alicui circa tem-
poralia occupari, quæ tunc penitus aufe-
rentur ab eo, et ipsum protinus oportebit
ad tribunal Christi deduci. Unde tunc cu-
randum non erit de minimis, quum insta-
bit maxima et incomparabilis illa causa
discriminis infiniti. *Et qui in agro* fuerit,
similiter non redeat retro, hoc est, ad sua
terrena per amorem seu corporalem mo-
tum reverti non curet, quum tunc omnia
relinqui oporteat ; sed solum provideat
sibi quomodo Judici metuendo præsente-
tur salvandus. *Memores estote uxoris Lot,* 32
id est, pensando quid feminæ illi accide-
rit, præcavete inordinatam ad temporalia
affectionem, ne simul cum illa tangat vos
plaga Dei. Nam, sicut illa contra præce-
ptum Dei retrospiciendo, conversa est su- Gen. xix, 26.
bito in statuam salis ; sic qui immode-
ranter ad carnalia et terrena se vertunt,
peribunt. Unde alibi asserit Christus :
Nemo mittens manum suam ad aratrum, et Luc. ix, 62.
respiciens retro, aptus est regno Dei.

Quicumque quæsierit animam suam 33

Digitized by Google

salvam facere, hoc est, in præsenti vita volverit eam a persecutionibus et adversis corporalive nece eripere, malens Christum negare, seu æquitatem relinquere, quam se ipsum morti persecutionibusque exponere, *perdet illam,* hoc est, suo demerito et carnali timore ad æternam damnationem perducet. Potest et ita exponi : Quicumque quæsierit animam suam salvam facere æternaliter in futuro, perdet eam, hoc est, libenter sustinebit adversa, et si opus fuerit, etiam mortem pro Christo. *Et quicumque perdiderit illam,* hoc est, vitam suam morti et tribulationibus exposuerit propter Deum atque justitiam, *vivificabit eam,* hoc est, vitam gloriæ sibi acquiret merito fortitudinis et constantiæ suæ. Unde in Matthæo ait Christus : Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. (*Matth.* x, 39.) His consonat quod in Joanne Dominus loquitur : Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. (*Joann.* xii, 25.)

34 *Dico vobis : In illa nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur :* hoc est, hora judicii, etiam qui nunc proxime sibi invicem copulantur, ab invicem dividentur : ita quod unus erit electus, et propter suas virtutes assumetur ad numerum electorum, occurretque Christo in aera (sicut ait in talium persona Apostolus : Nos qui vivimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera) (I *Thess.* iv, 16.); alius reprobus erit, et ob sua demerita relinquetur inter damnandos in terra cum corpore gravi. Spiritualius autem loquendo, per lectum, quies seu status contemplationis accipitur. Sicque per duos istos designati sunt, qui in statu contemplativorum sunt positi. Quorum multi tunc frigidi erunt, sicut et nunc sunt : quia in omni statu sunt boni et mali, atque in omni conditione et gradu optimis admixti sunt pessimi, ut asserit Augustinus ; et Gregorio asserente, ubique Cain adjungitur Abel ad exercitationem. Tales ergo iniqui tunc relinquentur. Nullus ergo præsumat aut stultam sibi securitatem promittat : imo, beatus homo qui semper est pavidus (*Prov.* xxviii, 14.); et secundum Augustinum, tunc erunt securi, qui modo non sunt securi.

Duæ erunt molentes in unum, hoc est 35
pariter, seu una in mola ; *una assumetur, et altera relinquetur.* Potest hoc litteraliter accipi de mulieribus tunc circa temporalia occupandis : quarum una tanquam bona, erit salvanda ; altera tanquam iniqua, damnanda. Spiritualius vero, per mulieres molentes signantur personæ in vita activa consistentes, quæ temporalis sollicitudinis pondere velut quadam mola gravantur : quarum quædam tunc salvabuntur, aliæ damnabuntur.

Duo erunt *in agro : unus assumetur, et alter relinquetur.* Per agrum designatur Ecclesia, in qua crescunt lilia et violæ virginum, rosæ martyrum, lilia confessorum, et universarum fructus virtutum. Itaque per duos exsistentes in agro, exprimuntur prælati et prædicatores, qui præsunt ecclesiasticis gregibus Christi : quorum quidam pastorale officium debite implent, et quæ docent operibus exsequuntur, ideo ad beatitudinem assumentur. De quibus ad Timotheum scribit Apostolus : Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina. (I *Tim.* v, 17.) Alii negligenter et scandalose se habent, et quod verbis docent opere destruunt, ideo relinquentur. De quibus in libro Sapientiæ habetur : Judicium durissimum in his qui præsunt, fiet. (*Sap.* vi, 6.) Tales quippe agrum eis commissum, hoc est corda subditorum suorum, a spinis et tribulis, id est passionibus et peccatis, non purgant, virtutum seminibus non fecundant ; sed incultum relinquunt, indecorum et aridum, juxta illud Proverbiorum : Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti ; et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ. (*Prov.* xxiv, 30, 31.)

Respondentes discipuli, *dicunt illi.* Quo- 36
modo dicuntur discipuli respondisse, quum interrogati non fuerint, et verba eorum

Digitized by Google

sequentia non ad quæstionem aliquam re-
sponsiva, sed interrogatoria sunt? Ad quod
dicendum, quod multoties in Scripturis
Respondere sumitur pro correspondenter
seu apte proportionateque loqui ad verba
seu facta alterius : sicque nunc sumitur.
Ubi, Domine? id est, quo unus assume-
37 tur, et alius relinquetur? *Qui dixit illis,*
ad unum istorum dando responsum, ex
quo patet alterius quoque solutio : *Ubi-
cumque fuerit corpus,* hoc est Christus
homo vere corporeus, qui in forma huma-
nitatis glorificata judicabit, *illuc congre-
gabuntur et aquilæ,* hoc est Sancti, qui
superna sunt contemplati, et per deside-
ria sancta ad cœlestia in terris positi vo-
laverunt. Membra namque et servi, suo
capiti ac Domino conjungentur. Hinc in
Joann. xvii, 24. Joanne ait : Pater, quos dedisti mihi, volo
ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut
videant claritatem meam. Et iterum ait
Ibid. xiv, 2, 3. Apostolis omnibusque electis : Vado pa-
rare vobis locum ; et iterum veniam, et
assumam vos ad me ipsum, ut ubi sum
ego, et vos sitis.

Denique de præfatis aquilis, qui Soli
justitiæ Solique sapientiæ visum mentis
suæ per contemplationem infigunt, in
Is. xl, 31. Isaia legitur : Qui sperant in Domino mu-
tabunt fortitudinem, assument pennas ut
A aquilæ, volabunt, et non deficient. Tales
quoque instar aquilarum spiritualiter re-
novantur, proficiendo in esse gratiæ ac
virtutum, per quod vitiorum abjiciunt ve-
tustatem, prout ad Ephesios monet Apo-
stolus : Renovamini spiritu mentis vestræ, Ephes. iv, 23, 24.
et induite novum hominem. Sic renova-
tur, qui pro spiritualibus bonis orans,
divinitus exauditur. Propter quod dixit
Psalmista, de Deo loquens animæ : Qui Ps. cii, 5.
replet in bonis desiderium tuum ; reno-
vabitur ut aquilæ juventus tua. Iterum,
B sicut volatus aquilæ in cœlo incertus celer-
rimusque consistit, sic interna Sanctorum
vita carnalibus est ignota, vehementerque
properat ad superna. Carnalis enim ho- I Cor. ii, 14.
mo, non percipit ea quæ sunt Spiritus
Dei, secundum Apostolum ; et tanto plus
ad patriam festinamus, quanto ardentius
Deum diligimus. In Proverbiis quoque Sa-
lomon loquitur : Tria sunt difficilia mihi, Prov. xxx, 18, 19.
et quartum penitus ignoro : Viam aquilæ
in cœlo, viam colubri super petram, viam
navis in medio maris, et viam viri in ado-
C lescentia sua. Insuper, sicut aquila in ar-
duis sibi nidificat, pullosque suos provo- Deut. xxxii, 11.
cat ad volandum ; sic contemplativi in
altissimis sibi locum et quietem præeli-
gunt, utpote in supernis, et ad actus con-
templativos provocant alios.

ARTICULUS XLI

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : DICEBAT AUTEM ET PARABOLAM AD ILLOS, QUONIAM OPORTET SEMPER ORARE.

QUIA oratio est efficacissimum medi-
um evadendi omne periculum et im-
petrandi omne bonum, ideo Christus in
isto capitulo de ea pertractat, et qualis
esse debeat, pandit, videlicet continua, seu
instans, et frequens, ac humilis. Ad quod
apertissime declarandum, inducit quas-
dam, ut patebit, parabolas.

D *Dicebat autem et parabolam ad illos,* 1
scilicet discipulos suos, et in eorum per-
sona ad universos fideles, *quoniam oportet
semper orare, et non deficere* ab oratione.
Quod ait, Semper, non denotat omnimo-
dam temporis continuationem, sed omnem
horam opportunam et debitam, seu con-
gruam ad orandum. Sic et Apostolus ait :

Digitized by Google

I Thess. v, 17. Sine intermissione orate. Et in Actibus
Act. x, 1, 2. legitur : Cornelius centurio, vir religiosus et deprecans Deum semper. Denique
æquivalenter semper orat, qui semper ali-
I Cor. x, 31. quid boni agit, seu quidquid facit, in Dei
gloriam propriamque refert salutem : imo
hoc modo non solum religiosa vigilia et
abstinentia, imo somnus atque refectio
meritoria esse possunt. Oratio namque,
secundum Damascenum, est petitio decentium a Deo. Petitur autem aliquid non
verbis dumtaxat, sed et signis ac gestis.

Deinceps Christus inducit parabolam de
vidua, quæ sua importunitate impetravit
a judice crudeli quod petiit. Per locum a
fortiori, acquiremus a Christo judice clementissimo quæ instanter precamur, si
Eccli. xviii, 22. implemus illud Ecclesiastici : Non impe-
Ibid. 23. diaris semper orare ; et : Ante orationem
præpara animam tuam ; et noli esse sicut
2 homo qui tentat Deum. *Judex quidam
erat in quadam civitate, qui Deum non
timebat, et hominem non reverebatur.* Ideo indignus fuit auctoritate, officio, et nomine judicis. Judex enim dicitur quasi
jus dicens : qui ex omni parte debet esse
justitia decoratus et timoratus, ne Deum
cujus ipse minister est, in quocumque
offendat. Hinc juxta Philosophum, judex
debet esse quasi viva lex, et animata justitia. Sed, heu ! multi modo sunt judices
huic consimiles, qui cupiditate cæcantur,
et munera diligunt, affectionem quoque
magis quam rationem sequuntur, divinum
non formidantes judicium. Quibus dicit
Sap. vi, 2, 4-6. Sapiens : Audite et discite, judices terræ,
quoniam data est vobis a Domino potestas, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur : quoniam
quum essetis ministri illius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ.
Cito et horrende apparebit vobis.

3 *Vidua autem quædam erat in civitate
illa.* Ideo exemplum ponit de vidua, quia
est persona magis miserabilis, quum destituta sit viri solatio : propter quod crudelius est ei non subvenire. Unde per Isa-
Is. i, 17. iam Dominus loquitur : Defendite viduam.

A Itemque de iniquis principibus protestatur
ibidem : Causa viduæ non ingreditur ad Is. i, 23.
eos. *Et veniebat ad eum, dicens* suppliciter : *Vindica me,* secundum processum
juris, *de adversario meo* mihi injuriante.
Hoc ex zelo justitiæ licitum est postulare,
idque peragere ad judicem spectat, secun-
dum illud ad Romanos : Minister Dei est, Rom. xiii, 4.
vindex in iram ei qui malum agit. Potissimum vero ad judicem spectat personis
miserabilibus recto subvenire judicio, utpote oppressis, viduis, pupillis, orphanis,
B desolatis, egenis, infirmis et peregrinis.
Talibus quippe Deus præcipue miseretur,
secundum quod in Deuteronomio scribi-
tur : Deus magnus atque terribilis, facit Deut. x, 17, 18.
judicium pupillo et viduæ, amatque peregrinum.

Et nolebat per multum tempus : in 4
quo ejus duritia et injustitia patent. Cui
conformes sunt, qui causas prolongant di-
lationibus frustratoriis, trahentes iniqui- Is. v, 18.
tatem in funiculis vanitatis. Quo contra
sanctus Job de se ipso fatetur : Oculos vi- Job xxxi, 16.
C duæ exspectare non feci. *Post hæc autem
dixit intra se,* non extra, ne sua iniquitas
innotesceret aliis, et ut ex justitia agere crederetur quæ acturus fuit ex tædio
sustinendi molestiam deprecantis : *Etsi
Deum non timeo, nec hominem revereor,*
ita quod nec propter Deum, nec propter
homines justitiam servo, *tamen quia mo-* 5
lesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam.
Victus enim fuit non pietate, sed precum
viduæ importunitate. Improbus etenim labor omnia vincit. *Ne in novissimo,* hoc
D est ad ultimum, ad me *veniens, suggillet
me,* hoc est, importunis suis clamoribus
strangulet aut suffocet. — Denique similitudo secundum se, est causa amoris : ideo simile suo simili se conjungit atque
applaudit, interiores quoque habitus animæ eam ad actus suos inclinant. Hinc impii judices, quia impietatem non odiunt,
eam sincera intentione non ulciscuntur :
et si ulciscuntur, hoc ex crudelitate aut
cupiditate, seu simili inordinato affectu,
potius quam ex æquitatis zelo efficiunt.

Digitized by Google

Justi vero judices quo fuerint justiores, A
eo plus injustitias detestantur et perse-
quuntur.
6 *Ait autem Dominus* Jesus Christus, ex-
hortando, ut subditur : *Audite,* id est,
sapienter attendite, *quid judex iniquitatis
dicit,* id est præfata jam verba judicis hu-
jus injusti dicentis, Quia molesta est mi-
hi, etc. Et ex hoc Christus concludit in-
tentum, videlicet, quod multo magis Deus
7 justissimus suos exaudiet. *Deus autem non
faciet,* id est, imo utique faciet, *vindictam
electorum suorum clamantium ad se die* B
ac nocte pro justa ultione. Deus enim per
Deut. XXXII, 35; Rom. XII, 19; Hebr. X, 30. Job XXIV, 12. Moysen et Paulum hortatur : Mihi vindi-
ctam, et ego retribuam. Nullum etenim
malum impunitum relinquit. *Et patienti-
am habebit in illis?* id est, non sustinebit
electorum suorum injuriam.

Circa hæc occurrunt dubia tria : pri-
mum, quomodo per judicem istum ini-
quum Deus justus valeat designari ; se-
cundum, quomodo electis Dei liceat pro
vindicta clamare ad Deum, quum alibi ju-
Matth. V, 44. beat Christus, Orate pro persequentibus C
et calumniantibus vos ; tertium, quomodo
Deus non differat neque sustineat inju-
riam electorum, quum frequenter cerna-
mus persecutores justorum usque ad ul-
timam vivere ætatem sane ac prospere. Ad
primum dicendum, quod in ista parabola
non fit comparatio personæ ad personam,
sed negotii ad negotium, non tam se-
cundum similitudinem, quam secundum
excessum, ut præinducta declarant. Ad se-
cundum dicendum, quod justi semper spi-
ritualiter diligunt adversarios suos in vita D
præsenti, nec ex odio orant pro punitione
illorum, sed potius ex spirituali amore,
in quantum expedit pro salute illorum, ut
in vita hac corrigantur, ne gravius aut diu-
tius peccent, nec communi noceant bo-
no, vel ut per hoc misericordiam conse-
quantur, aut in futuro mitius torqueantur.
Hinc pœnæ vitæ præsentis medicinales
dicuntur. Rursus, justi sic orant sæpe ze-
lo justitiæ, et conformando se divinæ ju-
stitiæ. Ad tertium respondetur, quod Deus
dicitur statim ulcisci : vel, quia interiori
vindicta mox vindicat, gratiam subtrahen-
do, aut peccantem durius relinquendo ac
indurando (quemadmodum ait in Psalmo,
Dimisi eos secundum desideria cordis eo- Ps. LXXX, 13.
rum, ibunt in adinventionibus suis), quæ
est utique metuendissima atque gravissi-
ma Dei vindicta ; aut quoniam tempore
præordinato, mox vindicat, juxta quod in
Deuteronomio testatur, Mea est ultio, et Deut. XXXII, 35.
ego retribuam eis in tempore. Hinc rur-
sus dicitur : Dominus Deus tuus, ipse est Ibid. VII, 9, 10.
Deus fortis, reddens odientibus se statim,
ita ut disperdat eos, et ultra non differat,
protinus eis restituens quod merentur.
Ideo Christus ait :

Dico vobis, quia cito faciet vindictam 8
illorum : quia et vita hæc brevis est, et
post eam gravissima est ultio Dei, juxta
illud Ecclesiastici : Vindicta impii, ignis Eccli. VII, 19.
et vermis. *Verumtamen Filius hominis
veniens, putas, inveniet fidem in terra?*
tanquam dicat : Quamvis Deus sic zeletur
pro suis electis, attamen Christus veniens
ad judicium seu ad faciendam electorum
vindictam, paucos, comparative loquen-
do, inveniet vere fideles in terra, qui fide
formata et fidelitate justitiæ sint fideles.
Multi enim vocati, pauci vero electi. Ideo Matth. XX, 16; XXII, 14.
per Michæam scribitur : Periit sanctus de Mich. VII, 2.
terra, et rectus in hominibus non est. Et
Paulus fatetur : Omnes quæ sua sunt quæ- Philipp. II, 21.
runt, non quæ Jesu Christi.

Insuper, quum humilitas sit securissi-
mum fundamentum virtutum, reddens ora-
tionem Deo valde acceptam, juxta illud
Ecclesiastici, Oratio humiliantis se nubes Eccli. XXXV, 21.
penetrabit ; idcirco Christus consequenter
ad humilitatem suos informat exemplo.
Dixit autem ad quosdam qui in se, id est 9
propriis meritis potius quam in pietate
et gratia Dei, *confidebant tanquam justi,*
id est, quasi vere essent justi et virtuosi,
quum fuerint vani spiritualiterque super-
bi. Et illi fuerunt Pharisæi. Quos modo
sequuntur qui in se ipsis inaniter glori-
antur, et de meritis suis præsumunt, seu
bona quæ agunt propriis viribus ac labo-

Digitized by Google

ribus magis quam gratiæ Dei adscribunt. A
Rom. x, 3. De quibus ait Apostolus : Ignorantes Dei
justitiam, et suam quærentes statuere, ju-
stitiæ Dei non sunt subjecti. Contra quos
I Cor. iv, 7. iterum vociferatur : Quid habes quod non
accepisti? Si autem accepisti, quid glo-
riaris quasi non acceperis? *Et asperna-
bantur ceteros* tanquam injustos et viles,
quum tamen ipsi sola sua superbia aliis
essent viliores : quoniam sola superbia
destruit omnia, si comitetur. Denique ip-
sa eorum aspernatio ostendit quod vere
justi non erant, dicente Gregorio : Vera ju- B
stitia habet compassionem, falsa dedigna-
tionem. Non etiam attendebant illud Isaiæ:
Is. xxxiii, 1. Væ qui spernis : nonne et ipse sperneris?
Quum fatigatus desieris contemnere, con-
temneris. Hujusmodi modo sunt qui stulta
singularitate lætantur, nec in vero spi-
ritualis vitæ fundamento se figunt, sed
religiosiores cupiunt apparere, et quum
prorsus carnales sint, spirituales se arbi-
trantur. De quibus Judas apostolus in sua
Judæ 19. fatur Canonica : Hi sunt qui segregant
semetipsos, animales, spiritum non ha- C
bentes.

10 *Duo homines ascendebant in templum
ut orarent.* Ideo enim ecclesiam intrare
debemus, ut oremus, et cetera quæ ibi
agenda sunt divina, agamus. Idcirco, væ
illis qui templum ingrediuntur ad fabu-
landum, ad inspiciendum mulieres, ad
videndum, et complacendum hominibus.
Unus Pharisæus. Pharisæi erant religiosi
Judæorum, sicut nunc monachi Christia-
norum; erantque Pharisæi ab aliis in ha-
bitu, in observantiis multis cultuque reli- D
gionis distincti : propter quod dicebantur
Pharisæi, id est divisi. Eratque secta eo-
rum inter Judæos celebris et famosa. Un-
Act. xxvi, 5. de in Actibus Paulus fatetur : Secundum
certissimam sectam nostræ religionis vixi
Pharisæus. *Et alter publicanus.* Publicani
nominabantur qui publicis occupabantur
negotiis, vectigalia exigendo, seu condu-
cendo, aut sæculi hujus lucra sectando.
Et quia talia raro fiunt absque peccato,
publicani reputabantur publici peccatores.

Pharisæus stans : quum tamen magis 11
debuisset se in terram prosternere seu ge-
nua flectere, ad reverentiam majestatis di-
vinæ; sed stetit ut ab aliis videretur, sicut
et alibi ait de talibus Christus : Amant Matth. vi, 5.
in synagogis et angulis platearum stantes
orare. *Hæc apud se orabat,* simulatorie
magis quam vere. Oratio enim est devota
elevatio mentis ad Deum cum impetrandi
affectu; atque ut ait Gregorius, Orare est
in compunctione amaros* gemitus ex cor- * amoris
de, non composita verba sonare. *Deus, gra-
tias ago tibi, quia non sum sicut ceteri ho-
minum,* utpote *raptores, injusti, adulteri.*

Mirum alicui potest videri, cur, unde
et quomodo iste Pharisæus fuit superbus,
qui bona sua Deo adscripsit tanquam da-
tori, et ei gratias egit. Sed multiplici la-
boravit superbia : primo, quia etsi omne
bonum cognovit esse a Deo, bona tamen
sua sibi a Deo præstita æstimavit, non so-
lum ex divina clementia, sed etiam pro
sua industria sive justitia; secundo, quia
etsi verbis gratias egit, tamen mente ad
se ipsum reflectebatur, videri cupiens et
laudari, imo et de sua gratiarum actione
vanitatem concepit; tertio, quia de bonis
suis super alios insipienter se extulit ;
quarto, quoniam alios temere judicavit et
sprevit, specialiter publicanum, cujus in-
teriora non vidit. Porro, ut ait Gregorius,
quatuor sunt species superbiæ : prima,
dum bonum quod quis habet, a se ipso
habere se putat; secunda, quando etsi si-
bi desuper datum credit, tamen pro suis
meritis sibi datum existimat; tertia, quan-
do quod non habet, habere se jactat; quar-
ta, dum despectis ceteris, singulariter cu-
pit videri habere quod habet. Præterea,
quum in Proverbiis Salomon dicat, Justus Prov. xviii,
in principio accusator est sui, Pharisæus 17.
iste inordinate exorsus est a propria lau-
de. Rectus ergo ordo orandi est, primo se
ipsum humiliter accusare, deinde Deum
suppliciter exorare, atque in fine gratias
agere : sicut sacerdos in Missa præmittit
Confiteor, postea orat, et postremo in gra-
tiarum actione consummat officium.

Digitized by Google

Velut etiam hic publicanus. Despective A
I Cor. II, 11. hoc ait et temerarie judicat. Quis enim
scit quid agatur in homine, nisi spiritus
Rom. XIV, 4. hominis? Ideo dicit Apostolus : Tu quis
es, qui judicas alienum servum? Domino
suo stat aut cadit. Unde absolute et cer-
titudinaliter judicare aliquem esse in pec-
cato mortali non possumus, nisi videamus
aut certe noscamus eum esse in actu pec-
cati mortalis, seu debiti actus omissione.
Non igitur faciliter judicemus, nec alios
contemnamus, præsertim quia etsi agno-
sceremus quales jam sint, ignoramus ta- B
men quales futuri sint aut in præscientia
Dei exsistant. Ideo formidolose putare ha-
bemus, quod forte nos simus præsciti, et
ipsi prædestinati. Hinc in Malachia habe-
Malach. II, 10. tur : Numquid non pater unus omnium
nostrum? Numquid non Deus unus crea-
vit nos? Quare ergo despicit unusquisque
nostrum fratrem suum, violans pactum
patrum nostrorum? Propterea sapientissi-
Galat. VI, 1. me monet Apostolus : Fratres, et si præ-
occupatus fuerit homo in aliquo delicto,
vos qui spirituales estis, hujusmodi in- C
struite in spiritu lenitatis, considerans te
ipsum, ne et tu tenteris.

12 *Jejuno bis in sabbato,* id est in hebdo-
mada, quæ apud Judæos sic vocabatur a
sabbato tanquam a die celebriori. Tale est
jejunium jejunantium ventre a cibis, non
mente a vitiis. Contra quos Dominus per
Is. LVIII, 5. Isaiam affirmat : Numquid tale est jejuni-
um quod elegi? *Decimas do omnium quæ
possideo.* Quod magnum non est, quum
omnia quæ habemus, a Deo sumpserimus.
Propter quod David rex devotissime con- D
I Par. XXIX, 14. fitetur : Quis ego, et quis populus tuus,
Domine Deus, ut possimus tibi ista pro-
mittere? Tua enim sunt omnia, et quæ
de manu tua accepimus, dedimus tibi.

13 *Et publicanus a longe stans,* scilicet in
posteriori parte templi, reputans se indi-
gnum appropinquare sacratioribus locis,
ut choro atque altari. Per quod multorum
etiam nunc clericorum ac sacerdotum im-
pudentissima reprobatur præsumptio, qui
quum vitiis animæ et corporis pleni sint,
sacra loca ingredi non verentur, pollutis-
que labiis psallere Deo, aut etiam cele-
brare. *Nolebat nec oculos* corporales *ad
cœlum levare,* præ vitiorum et pristinæ
turpitudinis suæ pudore erubescens co-
ram divinæ sanctitatis præsentia appare-
re, et quasi Deum non audens adspicere
habitantem in cœlis. Interiores tamen ocu-
los raptim erexit ad Deum cœli. Sic et
Esdras populi sui peccata detestans, ait :
Deus meus, confundor et erubesco levare I Esdr. IX, 6.
faciem meam ad te, quoniam iniquitates
nostræ multiplicatæ sunt super caput no-
strum, et delicta nostra creverunt usque
ad cœlum. *Sed percutiebat pectus suum,*
præ contritionis dolore, et reprehendens
cor suum, quod tantorum flagitiorum ori-
go causaque fuit. Pectoris enim percus-
sio, est interioris pravitatis redargutio do-
lorosa. *Dicens : Deus, propitius esto mihi
peccatori.* Oratio brevis verbo, sed magna
virtute, modica quantitate, sed plena sen-
tentia, quæ de fonte pectoris Christi pro-
cessit. Hæc namque est parabola, non res
gesta, quamvis frequenter tale quid ac-
cidere quiverit. Unde Christus asserit sic
publicanum orasse, ut doceat nos ita orare.
Frequenter ergo hæc verba corde humil-
limo ac ferventi dicamus.

Deinde ad nostram informationem po-
nitur Judicis superni, videlicet Christi, sen-
tentia. *Amen,* id est vere, *dico vobis :* 14
Descendit hic publicanus *justificatus,* id
est de injusto justus effectus a Deo per
suam veram ac humilem pœnitentiam :
juxta illud Ezechielis, Si impius egerit Ezech.
pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus XVIII, 21, 22.
non recordabor amplius; *in domum suam
ab illo,* id est præ Pharisæo, qui sicut
peccator advenit, sic peccator reversus est,
imo major peccator quam ante, quia in
templo multa incidit peccata, ut patuit.

Quia omnis qui se exaltat per super-
biam, id est, magnum et præclarum vane
se reputat, laudem cupit humanam, ad
prælationem, honores, excellentiam sui ip-
sius adspirat, *humiliabitur,* id est, a Deo
judice deprimetur, reprobabitur, atque in

Digitized by Google

tartarum dejicietur post vitam præsentem, nisi se interim per pœnitentiam veram sponte humiliet. *Et qui se humiliat* modo per peccatorum suorum confessionem, propriæ imperfectionis, defectuositatis et fragilitatis recognitionem, per sui ipsius sub divinæ majestatis altitudine cordialem ac intimam inclinationem, depressionem, obedientialemque subjectionem, *exaltabitur,* in præsenti per gratiæ sublimia incrementa, et in futuro per dona gloriæ
Job xxii, 29. altiora, juxta illud Job : Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Hinc in Proverbiis
Prov. xxix, 23. habetur : Humilem spiritu suscipiet gloria ; itemque, Superbum sequetur humilitas. Quod consonat Christo dicenti : Qui se exaltat, humiliabitur. Quemadmodum enim in materiali statera, una parte depressa, altera elevatur, et econverso ; sic in divinæ statera justitiæ est decretum, ut qui in vita hac per superbiam elevantur, in futura per pœnam confusibilem deprimantur, et vice versa. Hinc Petrus aposto-
I Petr. v, 6. lus hortatur : Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Et in Ecclesiastico edocetur :
Eccli. iii, 20, 21. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam ab humilibus honoratur. Quemadmodum enim aquarum fluenta ad vallium decurrunt profunda, et quo vallis est declivior, eo plus aquæ congregantur in ea ; sic divinarum charismata gratiarum ad corda descendunt humilium, qui quanto humiliores exstiterint, eo copiosioris sunt gratiæ susceptivi. Propter quod ait Scriptura :
I Petr. v, 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sic et philosophi morales testati sunt, quod honor sequitur fugientem. Væ igitur ambitiosis et vanis hominibus, quia illius sunt servi de quo in Job
Job xli, 25. conscriptum est : Ipse est rex super universos filios superbiæ. Hinc Leo papa testatur : Tota christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus ab utero matris usque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine, et elegit et docuit.

15 *Afferebant autem ad illum et infantes,* hoc est, parentes seu alii infantulos adduxerunt ad Jesum, *ut eos tangeret.* Ex miraculis enim Christi, et ex eminentia sapientiæ, eloquentiæ, conversationisque suæ, crediderunt eum esse eximiæ sanctitatis, sicque ex ejus contactu infantulos posse benedici seu gratiam consequi, sive pro tunc, sive in posterum : quoniam virtus Christi per corpus ipsius redundavit Luc. vi, 19. ac diffundebatur in alios. *Quod quum viderent discipuli, increpabant illos* qui infantulos adducebant : non quod nollent infantes a Christo tangi et benedici, sed quia putabant eum ex tali adductione infantium gravari, et offerentium importunitate lassari.

16 *Jesus autem convocans illos,* puta discipulos suos, *dixit : Sinite pueros venire ad me,* quia propter eorum innocentiam, et naturæ in eis puritatem, Deique in eis expressam similitudinem, diligo eos, præsertim qui ab originali peccato mundati sunt, et gratiam caritatemque habitualem habent in anima : quales et isti infantes fuisse creduntur, utpote circumcisi ; *et nolite vetare,* id est prohibere, *eos* ab accessu ad me. *Talium est enim regnum cœlorum,* id est innocentium, piorum, simplicium et mundorum, qui per pueros figurantur, et pueris quantum ad bonas puerorum proprietates assimilantur. Sed et puerorum ab originali purgatorum est regnum cœlorum, si ante usum rationis decedant, aut postea susceptam gratiam non
17 amittant. *Amen dico vobis : Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer,* hoc est, qui per imitationem bonarum proprietatum pueri non tendit ad regnum cœleste, *non intrabit in illud.* Quemadmodum enim puer non perseverat in ira, sed cito placatur ; non adspirat ad alta, sed modicis contentatur ; læsus non meminit, nec alteri insidiatur aut detrahit ; videns feminam, non inordinate afficitur : ita nisi

Digitized by Google

quis istas proprietates per gratiam exercitiumque sequatur, damnabitur. Ideo monet Apostolus : Malitia parvuli estote ; et Petrus : Deponentes omnem malitiam et omnem dolum et simulationes et invidias et detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. In Proverbiis quoque æterna Sapientia ait : Si quis est parvulus, veniat ad me ; et Psalmista, Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.

I Cor. xiv, 20. I Petr. ii, 1, 2. Prov. ix, 4. Ps. cxviii, 130.

18 *Et interrogavit eum quidam princeps, dicens.* Quidam dicunt quod princeps iste fuerit legisperitus, et princeps vocetur quoniam dives fuit. Verumtamen Matthæus evangelista vocat eum adolescentem. *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo,* hoc est, vitæ beatitudinem in æternum habebo ? Bonus magister fuit Christus, ob vitæ sanctitatem doctrinæque veritatem, et item, quia in prædicando disertissimus fuit, et supernaturalia sua documenta supernaturalibus probationibus, puta miraculis soli Deo possibilibus, roboravit. Recte etiam interrogavit, Quid faciendo, non, Quid loquendo, vitam æternam possidebo ? quia non nudis verbis, sed virtuosis operibus vitam meremur æternam, dicente Apostolo : Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Verba quippe comparantur foliis, opera fructibus. Quemadmodum ergo infructuosa ignique apta est arbor folia producens, non fructus ; sic homo qui verba absque operibus habet, vanus et vacuus, æternoque igne dignus censetur.

Matth. xix, 20, 22. I Cor. iv, 20.

19 *Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum ? Nemo bonus, nisi solus Deus.* Quum ergo Jesus fuerit bonus optimusque magister, imo essentialiter bonus secundum quod Deus, cur redarguit principem istum, qui vere locutus est ? Et respondendum, quod ideo eum redarguit, quia non omnifarie bene sensit de Christi bonitate, æstimans eum hominem purum, et non nisi participative bonum ; item, ad innuendum quod soli Deo competit bonitas, secundum perfectam et plenam bonitatis rationem, quoniam Deus est ipsa bonitatis essentia, et bonitas omniformiter pura, quomodolibetque perfecta et infinita, in quo nihil est non boni, nec privative, nec contrarie, nec contradictorie ; præterea, ad innuendum quod non sine grandi et rationabili causa admittenda est laus propria, præsertim coram frequentia plebis. Nam, teste Chrysostomo, vir justus et sapiens quasi in faciem cæditur, dum manifeste laudatur : scit enim gloriam et honorem Deo deberi, seque a se ipso nil nisi defectuositatem et culpam habere.

Mandata nosti, id est mandata legis : 20
quæ erant triplicia, scilicet moralia, cærimonialia, judicialia. Christus vero de moralibus solum prosequitur, quoniam principalia erant, et de naturalis dictamine rationis, atque in evangelica lege servanda. Hinc subditur : *Non occides,* affectu aut opere, jussu, consilio, aut non impediendo quum possis. Occidere autem hominem nemo debet propria et privata auctoritate ; sed publica auctoritate fieri potest, et loquendo de homine ut est reus, quum in Exodo scriptum sit : Maleficos non patieris vivere. *Non mœchaberis,* corde aut facto. *Non furtum facies. Non falsum testimonium dices :* quia testis iniquus non erit impunitus. Talis enim peccat in Deum, mentiendo seu perjurando ; atque in proximum, ei nocumentum inferendo, seu causam ipsius impediendo. *Honora patrem tuum et matrem,* hoc est tam carnales quam spirituales parentes, eis reverentiam exhibendo, obediendo, et in quibus indiguerint, pro viribus succurrendo.

Exod. xxii, 18. Prov. xix, 9.

Qui ait : Hæc omnia custodivi a juventute mea. Quod valde perutile est, quum in Threnis Jeremias testetur : Bonum est viro, quum portaverit jugum ab adolescentia sua. Acceptissimum etenim Deo est, quod homo florem adolescentiæ suæ in divino expendit obsequio, quia passiones tunc fortius vigent, et homo huic mundo tunc aptior est. Denique adole- 21

Thren. iii, 27.

Digitized by Google

scens iste verbum hoc vere protulit, non A jactanter. Fuit equidem virtuosus. Unde, Marc. x, 17. secundum Marcum, præcucurrit ante turbam, et genu flexo interrogavit, dicendo : Ibid. 21. Magister bone. Additque Marcus : Intuitus eum Jesus, scilicet post responsionem jam positam, dilexit eum. Unde non ficte interrogavit, ut aliqui putaverunt, sed intentione sincera.

22 *Quo audito, Jesus ait ei : Adhuc unum tibi deest.* Quo verbo ostenditur, quod princeps ille vere locutus sit. Itaque unum ei defuit, scilicet adimpletio consiliorum : B quod est opus supererogationis, nec necessarium est ad salutem, nisi ei qui se sponte obligavit ad hoc. Verumtamen S. Hieronymus dicit eum esse mentitum, quum paulo post legatur contristatus, audito quod omnia sua dare deberet pauperibus : ex quo concludit Hieronymus, quod non dilexit proximum sicut se ipsum. Sed hoc faciliter solveretur, dicendo quod dilexit proximum sicut se ipsum, et eleemosynas tribuere consuevit, quantum divina requirunt præcepta, non ut exigit C consiliorum perfectio. Unde et nunc sunt aliqui boni Christiani sua pauperibus communicantes, qui tamen parati non sunt omnia sua propter Christum vendere atque pauperibus dare. Aliqui quoque affirmant, quod princeps iste omnia præcepta custodivit quantum ad opus exterius, non quoad opus interius. Quod si verum esset, Christus, qui cordis ejus fuit inspector, ipsum tanquam bonum et justum non dilexisset.

Omnia quæcumque habes, vende, scili- D cet immobilia bona præsertim : nam pecunias quas habebat, et alia quædam similia, poterat non vendita æque apte dare pauperibus ; *et da pauperibus* pure propter Deum, non divitibus, nec propter favorem, laudem vel obsequium hominum. Craton philosophus, de quo legitur in Vita beatissimi Joannis apostoli, docuit discipulos suos temporalia vendere atque contemnere ; sed non docuit ea pauperibus elargiri, sed potius ad captandam hominum laudem inutiliter dispergere. Apostolus tamen convertit eumdem cum suis discipulis. *Et habebis thesaurum,* hoc est præmium copiosum, divitiasque æternas, *in cœlo :* quæ est felix mercatio, sapiens commutatio, abundantissima remuneratio. Quod enim pauperibus propter Christum donatur, ipsi Christo confertur : ideo Christus bona sua cœlestia danti rependit. Et qui Dei amore terrena relinquit, merito cœlestia recipit. Itaque, sicut lex promittebat temporalium abundantiam, sic Evangelium consulit illorum abjectionem, ut terrenorum amore, sollicitudine, occupatione quoque multiplici derelictis, aptior sit ad divinorum homo amorem, et expedita, simplici ac libera mente tendat quotidie ad æterna. Hinc ait Hieronymus : Si habes in potestate rem tuam, vende ; si non habes, projice. Et Bernardus : Gloria et divitiæ in domo Christi superna, sed paupertas non inveniebatur in ea ; sed in terra abundavit : ideo Christus eam elegit, ut ipsam sua æstimatione nobis faceret pretiosam. *Et veni,* per mentis spontaneam promptitudinem, *sequere me,* per vitæ imitationem. Christus enim ductor infallibilis, ipse via et ostium, perfectio Joann. xiv, 6 ; x, 9. et exemplar, judex et præmium.

His ille auditis, contristatus est : quia 23 ex una parte, grave sibi fuit cuncta sua relinquere, atque ex alia parte, erubuit graveque sibi fuit Christi consilio (quod tam reverenter genibus flexis petiit) non parere. In quo patet bonitas ejus, et imperfectio bonitatis ipsius. Habuit quippe affectionem aliqualiter immoderatam ad opes suas : nam subditur, *quia dives erat valde.* Judæi quoque paupertatem non mediocriter abhorrebant, quum in Deuteronomio Moyses dicat : Omnino indigens et Deut. xv, 4. mendicus non erit inter vos.

Videns autem Jesus illum tristem fa- 24 *ctum* inordinata et excessiva tristitia, quæ ex anima ejus redundavit in corpus ipsius (de qua in Ecclesiastico habetur : Tri- Eccli. xxx, 22. stitiam non des animæ tuæ), apparuitque in vultu illius (secundum illud Ecclesia-

Digitized by Google

Eccli. xiii, 31. stici : Cor hominis immutat faciem illius, sive in bono sive in malo), *dixit : Quam difficile qui pecunias habent,* id est divitias : quæ per pecunias hic signantur, quia numismate omnia comparantur ; *in regnum Dei intrabunt!* hoc est, valde difficile est hoc et rarum, quamvis non sit impossibile : quia difficile est temporalibus abundare, et ad ea inordinate non affici, nec eis superflue uti, potissimum his qui non sunt in caritate perfecti. Objecta enim hujusmodi fortia movent vires intense, et difficile est rationi affectiones et operationes earum in omnibus moderari.

25 *Facilius est* [*enim*] *camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei*. Hoc loco, per divitem communiter intelligunt expositores immoderatum divitiarum amatorem, ita quod eas plus amat quam Deum. Talis enim est in mortali peccato, et rite avarus censetur ; nec potest salvari, si manet hujusmodi, secundum ordinatam Dei potentiam : quum tamen Deus posset camelum per foramen acus transducere, transsubstantiando quid modicum in camelum, quod ire posset per acus foramen. Si vero per divitem intelligatur, qui temporalibus rebus abundat, et ad eas aliqualiter inordinate afficitur, tamen citra Deum, tunc utrumque istorum est Deo possibile. Sed quodammodo mirabilius agit Deus talem divitem a peccatis mortalibus præservando, æternaliterque salvando, quam si camelum prætacto modo per foramen acus transduceret. Secundum quem modum, Augustino testante, mirabilior est justificatio impii, quam creatio mundi, quæ non est minus incomprehensibilis et miranda, quam esset præfata cameli per acum transitio.

Metuenda sunt ista divitibus, maxime his qui de patrimonio Christi divites sunt, aut fieri quærunt, in beneficiis ecclesiasticis plus quærentes proprium commodum quam divinum obsequium. Quibus omnibus pensandum est illud S. Hieronymi : Difficile, imo impossibile est, ut præ-

A sentibus et futuris fruatur quis bonis : ut hic impleat ventrem, et ibi mentem, ut de deliciis ad delicias transeat, ut in terra et in cœlo appareat gloriosus. Hinc sacratissimus Jacobus apostolus in sua clamat Canonica : Agite nunc, divites, plorate, Jacob. v, 1.
ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Sed, ut ait Bernardus, excusant se quidam, dicentes : Abraham et Isaac et Jacob terrenas divitias habuerunt. Sufficit nobis esse tales ut illi fuerunt. Quid respondebimus, inquit, imitatoribus antiquorum
B Sanctorum ? Imponant super altare vitu- Ps. l, 21.
los et immolent hircos. Hoc enim fecit Abraham et patres, quibus meliores non sumus. Sed dicunt : Ubi revelata est veritas, ista transierunt. Quid ergo si temporales divitias umbram fuisse dixerimus futurorum ? et quid mirum, si terrena possident, quibus sola terrena promissa sunt ?

Et dixerunt discipuli Christi ad eum, 26
qui hæc *audierunt : Et quis potest salvus fieri ?* hoc est, si tam arcta est via Matth. vii, 14.
C salutis, quis poterit beatitudinem adipisci, præsertim si solus divitiarum affectus facit esse damnabilem ? Et Jeremias testatur : A minore usque ad majorem omnes Jer. vi, 13.
avaritiæ student. Porro difficultatem consequendi salutem faciunt quinque. Primum est corruptio naturæ seu vulneratio virium ejus, quæ difficulter curatur. Unde in Sapientiæ libro asseritur : Corpus quod Sap. ix, 15.
corrumpitur, aggravat animam ; et in Genesi, Sensus et cogitatio cordis humani Gen. viii, 21.
proni sunt in malum ab adolescentia sua.
D Secundum est arctitudo viæ, juxta illud Matthæi : Arcta est via quæ ducit ad vi- Matth. vii, 14.
tam. Difficile enim est in omnibus medium observare, et neque ad dexteram neque ad sinistram declinare. Tertium est repugnantia invisibilium hostium callidissimorum, fortium et infatigabilium : quibus resistere tam difficilius est, quam propriæ carni et mundo, ut ad Ephesios dicat Apostolus : Non est nobis colluctatio ad- Ephes. vi, 12.
versus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia

nequitiæ in cœlestibus. Quartum est prava societas, quemadmodum scriptum est : Cum perverso perverteris. (Ps. xvii, 27.) Quintum est desiderabilitas, apparensque bonitas, et deliciositas in rebus creatis exsistens, quæ fortiter allicit, movet, accendit, ita ut difficile exstet resistere. Sed hanc difficultatem recte vivendi serviendique Deo mitigare et tollere, atque in facilitatem et delectationem convertere debent, amor Dei fervidus et sincerus, cui cuncta quæ Dei sunt, facilia et jucunda videntur, exemplum Christi omniumque Sanctorum, magnitudo præmii æternalis, pavor incendii infernalis, formido divini judicii, odium diaboli et omnis peccati.

27 *Et ait illis : Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum :* id est, quamvis homines propriis viribus nequeant terrena ita despicere, vitia superare, et vitam mereri æternam, adjutorio tamen omnipotentis Dei hæc possunt, sicut ait Apostolus : Omnia possum in eo qui me confortat (Philipp. iv, 13.); rursusque, Spiritus adjuvat infirmitatem nostram (Rom. viii, 26.). Deo quippe proprium est in ipsam rationalis creaturæ voluntatem immediate agere, et eam pro suo libito immutare, convertere, inflammare. Propter quod Salomon loquitur : Cor regis in manu Dei est; quocumque voluerit, inclinabit illud. (Prov. xxi, 1.)

28 *Ait autem Petrus,* qui tanquam os Apostolorum, vertex collegii, futurusque princeps, non solum apostolici chori, sed et totius universalis Ecclesiæ, primus fuit in quærendo, primus in respondendo, primus in admissione cœlestium secretorum, primus in excellentia miraculorum, magnitudine beneficiorum, prælatione omnium Christianorum. Talem namque primatum decuit plenum Christi vicarium super universam Ecclesiam. *Ecce nos* Apostoli *dimisimus omnia* temporalia propter te, quantum ad dominium, etsi non quantum ad usum, *et secuti sumus te,* non corporaliter solum, sed spiritualiter quoque, credendo, obediendo, amando. Non enim sufficit exterior exteriorum relictio, nisi adsit interior interiorum imitatio, ut discamus a Christo humilitatem, patientiam, mansuetudinem, caritatem. Hæc dixit Petrus, cupiens de præmio informari a Christo. Unde secundum Matthæum adjecit : Quid ergo erit nobis? (Matth. xix, 27.)

29 *Qui dixit eis,* scilicet cunctis illis in quorum persona et pro quibus Petrus fuerat sciscitatus : *Amen dico vobis : Nemo est qui relinquit domum,* hoc est locum natalem seu habitaculum, aut familiam sive cognatos, *aut parentes, aut fratres :* per quos intelliguntur et sorores; *aut uxorem :* quæ post matrimonium consummatum non est relinquenda, nisi de communi amborum consensu, et ob religionis ingressum seu aliam idoneam causam : quæ tunc relinquitur quantum ad torum et domum, non quantum ad vinculum conjugale, quum sit ante mortem insolubile. Potest quoque exponi de muliere nondum habita, vel de habita ante matrimonii con-
summationem. *Aut filios... Et non recipiat* 30
multo plura in hoc tempore, hoc est præstantiora abundantioraque bona in vita præsenti, utpote præcipua munera gratiarum, consolationes internas, contemplationes sinceras, quotidianum in spiritualibus rebus profectum, pacem internam, interiores divitias. Fit quoque de numero amicorum filiorumque Dei; et omnes angeli ac Beati atque devoti, ut amicum et fratrem familiariter diligunt eum. Quod tamen intelligendum est, si præfata relinquendo, simul abjiciat omnes eorum carnales affectus vitiososque motus, nec corde redeat in Ægyptum, priorem relinquendo fervorem, et quum spiritu cœperit, consummando in carne. (Galat. iii, 3.) Alias, externa illa relictio quid prodesset? Pavendumque ei esset quod in Apocalypsi Dominus comminatur : Habeo adversus te pauca, quia caritatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, alioqui venio tibi cito. (Apoc. ii, 4, 5.) *Et in sæculo futuro vitam æternam,* hoc est beatificam Dei visionem, gloriosam superbeatissimæ Trinitatis fruitionem, facialem

Divinitatis intuitum. Hoc est plenum, et A
perfecte quietativum contentativumque
præmium electorum, quo omnis potentia-
litas eorum reducitur prorsus ad actum,
increatæ et infinitæ beatitudinis partici-
patio præoptanda, deliciosa, dignissima :
de qua in Joanne loquitur Christus ad
Joann. xvii, 3. Patrem, Hæc est vita æterna, ut cogno-
scant te solum verum Deum, et quem
misisti Jesum Christum; itemque Joan-
I Joann. iii, 2. nes, Quum apparuerit, similes ei erimus,
quia videbimus eum sicuti est.

Præterea, verbis his datur consolatio et B
fiducia maxima his qui evangelica sectari
consilia elegerunt, et in claustris claustra-
liter conversantur. Quod si tanta promit-
titur merces his qui reliquerunt domum
aut parentes aut fratres, etc., quanta erit
merces eorum qui hæc omnia etiam in
flore juventutis deseruerunt, si tamen in
Philipp. iii, 13. Dei itinere non tepescant, sed in anteriora
jugiter extendant se ipsos? — Postremo,
ad voluntariam paupertatem multa indu-
Job i, 21. cunt. Primum, quia nudi nascimur in
I Tim. vi, 7. hunc mundum. Ideo dicit Apostolus : Ni- C
hil intulimus in hunc mundum, haud du-
bium quia nec auferre quid possumus. Se-
cundum, quoniam sensitiva et vegetativa
nil possidendo, sufficientiam sortiuntur.
Matth. vi, 26. Propter quod ait Salvator : Respicite vo-
latilia cœli, quoniam non serunt neque
metunt, et Pater vester cœlestis pascit
Ibid. 28. ea; et alibi, Considerate lilia agri, quomo-
do crescunt. Tertium est, sacra Scriptura
ad hoc hortans. Quartum, quoniam Chri-
stus et electissimi ejus vitam pauperem
elegerunt. D

31 *Assumpsit autem Jesus duodecim di-
scipulos suos, id est Apostolos, inter quos
Job i, 6. tunc proditor unus fuit, qui tanquam Sa-
Matth. xx, 17. tan adfuit inter filios Dei; *et ait illis* se-
crete, ut in Matthæo legitur, ad vitandum
inquietudinem, turbationem et scandalum
plurimorum, et quorumdam aliorum di-
scipulorum suorum qui Apostolis infir-
miores fuerunt : *Ecce :* quod valde nota-
bile est et mirum, quod scilicet unigenitus
Filius Dei sponte locum suæ passionis ac-
cessit præcognoscens; *ascendimus Jeroso-
lymam :* quæ in montanis sita fuit, et id-
eo de Galilæa venientes ad eam localiter
ascendebant; de qua Christus prædixit,
Non capit Prophetam perire extra Jerusa- Luc. xiii, 33.
lem; *et consummabuntur,* id est, opere
implebuntur, *omnia quæ scripta sunt per
Prophetas de Filio hominis,* hoc est, quæ
ad suam pertinent passionem et resurre-
ctionem. De cujus passione tam clarissime
prophetatum legitur in Isaia et Daniele, Is. liii;
ac psalmo qui incipit, Deus, Deus meus, Dan. ix, 26. Ps. xxi.
respice in me, ut potius videatur historia
quam prophetia. Denique, quoniam Chri-
stus tantæ fuit dignitatis, ejusque passio
tantæ fructuositatis, ac cetera ejus myste-
ria tam miranda, imo omnia illa quasi in-
credibilia; decentissimum et utilissimum
fuit ea diu et per multos ante denuntiari,
ut suo tempore facta et fieri crederentur.
Ideo omnium Prophetarum opus est Chri-
stus, et universi Prophetæ non sunt locuti
nisi super dies Messiæ, ut etiam Judæo-
rum testantur magistri.

Tradetur enim gentibus. Primo enim 32
ad capiendum eum venerunt cohors et tri- Joann. xviii, 12.
bunus, qui erant gentiles, et ministri Ju-
dæorum, ut in Joanne habetur; deinde
pontifices et eorum ministri tradiderunt Marc. xv, 1.
eum Pilato, qui a suis militibus fecit eum Joann. xix, 1-3.
flagellari atque illudi, sicut subjungitur;
et illudetur, dicentibus illis : Ave, rex
Judæorum; *et flagellabitur,* usque ad co-
starum patefactionem : quod fuit nobilissi-
mo atque tenerrimo corpori Christi pœna
ineffabiliter magna; *et conspuetur* im-
mundissimis canum illorum sputis, quem-
admodum per Isaiam ait : Corpus meum Is. l, 6.
dedi percutientibus, et genas meas vel-
lentibus; faciem meam non averti ab in-
crepantibus et conspuentibus in me. Quod
totum Sibylla apertissime prænuntiavit,
sicut in libro de Civitate Dei commemorat
Augustinus. *Et postquam flagellaverint,* 33
occident eum, Judæi procurando, gentiles
exsequendo, Pilatus sententiam dando; *et
die tertia resurget.* Hinc per Danielem præ-
dictum fuit : Post hebdomadas sexaginta Dan. ix, 26.

Digitized by Google

duas occidetur Christus; et per Sophoni- A
Soph. III, 8. am, Exspecta me, dicit Dominus, in die
resurrectionis meæ in futurum.

Itaque Christus passionem suam præ-
dixit, ut ea impleta, ex tali prænuntiati-
one roboraremur in fide, scientes quod
sciens et spontaneus venit ad passionem;
item, ut discipuli sui tempore suæ pas-
sionis minus turbarentur et scandaliza-
rentur, resurrecturum quoque confiderent.
Jacula enim prævisa minus lædunt.

34 *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et
erat verbum istud absconditum ab eis*, id B
est incognitum, *et non intelligebant quæ
dicebantur* a Christo de sua hac passione
et resurrectione. In quo patet magna et
mira eorum simplicitas, quum Christus
tam evidentissime loqueretur. Sed ejus
præsentiam tantum amabant, quod verba
de sua ablatione et morte corda eorum
non intraverunt; et denuo, quoniam Chri-
stus eis sæpissime in parabolis loqueba-
tur, etiam eum nunc aliquid parabolice
loqui forte putabant.

35 *Factum est autem, quum appropinqua-* C
ret Jesus *Jericho* civitati, *cæcus quidam*,
Marc. X, 46. qui a Marco Bartimæus, id est filius Ti-
mæi vocatur, *sedebat secus viam, mendi-*
Matth. XX, 29-34. *cans*. In Matthæo legitur Christus duos
cæcos illuminasse, quum abiret a Jericho;
Marc. X, 46-52. et Marcus scribit unum cæcum illuminas-
se, quum a præfata urbe discederet : ideo
quidam dicunt quod iste cæcus sit alius
ab illis; alii dicunt quod sit unus illo-
rum, et quod dicitur, Quum appropinqua-
ret, exponunt, Adhuc non longe esset, seu
36 prope exsisteret. *Et quum audiret tur-* D
bam prætereuntem. Multi namque ibant
cum Jesu, diversi diversas ob causas, vi-
delicet aviditate videndi miracula, audi-
endi eloquentissima et sapientissima ejus
verba, suscipiendi corporalia alimenta, re-
cipiendi consolationem ex ejus intuitu,
et ædificationem ex ejus vita et mori-
bus; quidam vero, ut observarent eum
et accusarent. *Interrogabat quid hoc es-
set*, id est, cur tantus ibi populus iret, et
37 qui essent. *Dixerunt autem ei, quod Je-
sus Nazarenus transiret*, ideo alii secum
transirent.

Et clamavit, dicens : Jesu fili David, 38
miserere mei. Quamvis enim Jesum corpo-
raliter nunquam vidisset, tamen ex aliorum
relatu et fama eum cognovit, Christumque
credidit. Et quoniam tanta eum audivit
perpetrasse miracula, cum grandi clamo-
re, ex ardenti sanitatis affectu, clamavit
ut sibi succurreret. Filium quoque David
vocavit, quoniam apud Judæos vulgatum
fuit, et pene omnibus cognitum, quod rex
Messias ex David semine nasceretur. *Et* 39
qui præibant Jesum, sicut regem quidam
præcedere solent, *increpabant eum ut ta-
ceret*, vel attædiati clamoribus ejus, vel
metuentes ne Christus ejus clamoribus of-
fenderetur, vel quia nolebant iter suum
cum Christo retardari. *Ipse vero multo
magis clamabat : Fili David, miserere
mei*. Tanto equidem ejus affectio in se ip-
sa incendebatur, et fortior calidiorque fi-
ebat, atque in valentiorem vociferationem
erupit, quanto majorem contrarietatem
ac resistentiam sentiebat : quemadmodum
quædam qualitates, ut frigus et calor, per
antiperistasim, hoc est sui appositionem
contrarii, intenduntur. Propterea ait Chry-
sostomus : Talis est natura fidei, ut quan-
to magis vetatur, eo magis accenditur :
propter quod servi Dei in persecutionibus
non vincuntur; virtusque fidei in pericu-
lis est secura, in securitate vero pericli-
tatur. Itaque dicendo, Fili David, comme-
morat generis dignitatem, ut captet ipsius
benevolentiam, et pii ac liberalis patris,
scilicet sancti David, exemplo provocet
eum ad clementiam.

Stans autem Jesus, jussit illum adduci 40
ad se. Poterat utique non adductum et re-
mote sedentem illuminare, sed ad glori-
am Dei ædificationemque populi, ad suæ
etiam confirmationem doctrinæ, et corro-
borationem fidei nostræ, voluit istud mi-
raculum manifeste atque solenniter exhi-
bere. — Denique hoc opus Christi sectari
deberent prælati, principes et judices no-
stri, utpote stare, quum audirent aut cer-

Digitized by Google

nerent pauperes conquerentes, et vocare A
illos ad se, ad audiendum eorum querelas
ac postulationes, ut facerent eis subven-
tionem atque justitiam expedite. Sed, heu!
Is. I, 23. jam dici potest de illis illud Isaiæ, Pupil-
lo non judicant, et causa viduæ non in-
greditur ad eos : imo, si sæpenumero
ingreditur, plus expendunt pauperes for-
te quam tota eorum valeat causa, ante-
quam terminetur.

Et quum appropinquasset cæcus iste
Christo corporaliter : cui et spiritualiter
propinquavit per fidei ac devotionis et bo- B
næ affectionis augmentum ; *interrogavit*
41 *illum* Jesus omnia sciens, *dicens : Quid ti-*
bi vis faciam? Propter varias causas unus
interrogat alium. Primo, ut aliquid discat
aut sciat. Sic discipulus magistrum inter-
rogat; magister quoque discipulum, quia
etsi sciat quod quærit, forsitan tamen igno-
rat an discipulus illud sciat. Secundo, ut
instruat. Tertio, ut alterius ignorantiam
demonstret. Quarto, ut culpam ejus tan-
Gen. III, 9. gat et increpet, sicut Deus dixit : Adam,
ubi es? Quinto, ut interrogati scientiam C
ad aliorum utilitatem demonstret. Sexto,
propter mysticam rationem : et hoc modo
Jesus interrogavit hunc cæcum, quod non
solum ipse Christus et cæcus, sed et om-
nes qui aderant, cognoverunt. Itaque inter-
rogavit ut ex cæci responsione gloriosior
appareret sua curatio, ut verba pandunt
sequentia; atque ad ostendendum quanta
sit vis piæ orationis ac bonæ affectionis
multoties repetitæ; rursus, ad instruen-
dum quod ad salutem necessaria sit, non
solum cordis creditio, sed etiam interdum D
oris confessio.

At ille dixit : Domine, ut videam corpo-
raliter, imo et spiritualiter. Sensus etenim
visus præ ceteris exterioribus sensibus
utilior, appetitior jucundiorque consistit,
quia in pluribus deservit ac necessarius
est hominibus, et plurium rerum diffe-
rentias nobis ostendit. Unde Tobias dixit :
Tob. V, 12. Quale mihi gaudium est, qui hic in tene-
bris sedeo, et lumen cœli non video? Et
Eccle. XI, 7. in Ecclesiaste scriptum est : Dulce lumen,
et delectabile oculis videre solem. *Et Je-* 42
sus dixit illi : Respice visu exteriori et
interiori. Quem enim corporaliter, etiam
spiritualiter illustravit. *Fides tua te sal-*
vum fecit, per modum causæ meritoriæ
et dispositivæ, non principaliter effectivæ:
hoc est, merito fidei tuæ illuminationem
hanc procurasti. Tanta ergo est fidei vir-
tus, ut per eam obtineatur salus corpo-
ralis, ut hic; salus spiritualis, ut in Maria
Magdalena, cui et hæc verba dicta sunt; et *Luc.* VII, 50.
salus æternalis, secundum illud Marci, Qui *Marc.* XVI, 16.
crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.

Et confestim vidit. In quo patet po- 43
testas et magnificentia Salvatoris, cujus
jussionem mox sequebatur supernaturalis
effectus, tanquam potestative miracula fa-
cientis : cui secundum quod Deus est et
infinitæ potentiæ, competit agere in in-
stanti quando voluerit; sicque inter ipsius
dictum et factum non exstitit medium,
secundum Hilarium. *Et sequebatur illum,*
scilicet Jesum suum illuminatorem, cor-
pore sano et corde devoto atque gratissi-
mo, *magnificans Deum,* id est, omnipo-
tentiam atque clementiam Dei in se ipso
materialiter repræsentans in sua curatio-
ne, et corde ac ore magnitudinem Dei in
omni perfectione et gloria hilariter pro-
fitens, alios quoque ad idem inflammans,
secundum quod subditur.

Et omnis plebs quæ aderat, *ut vidit*
miraculum istud : in quo modus agendi
mirabilior fuit quam opus, quia tam impe-
rialiter fecit hoc Christus; *dedit laudem*
Deo : ad quod tenebatur. Hoc enim Deus
a nobis requirit, et justum est, ut ei in
omnibus offeramus gloriam et honorem,
tanquam omnium principalissimæ causæ
independenti et nullo egenti. Propter quod
per Isaiam testatur : Ego Dominus, hoc *Is.* XLII, 8.
est nomen meum ; gloriam meam alteri
non dabo, et laudem meam sculptilibus.
Psalmista quoque zelo divini honoris suc-
census precatur : Non nobis, Domine, non *Ps.* CXIII, 1,
nobis, sed nomini tuo da gloriam. Non *sec. Hebr.*
igitur nobis injuste aut vanissime horum
aliquid usurpemus quæ soli Deo deben-

Digitized by Google

tur, ne divini fures honoris, tanquam sacrilegi reprobemur. Si autem hic cæcus et plebs hæc crediderunt explicite Jesum esse verum Deum, tunc nomine Dei, ipsum Dominum Jesum intelligebant; si vero hoc non credebant explicite, intendebant quod Jesus divina utique hæc egisset virtute.

Præterea, intelligentiam spiritualem tangendo, per Jericho, quæ interpretatur luna, quæ in mutatione exstat continua, humanæ mortalitatis significatur defectus. Cui quum Filius Dei per incarnationis mysterium propinquasset, assumendo nostras pœnalitates absque peccato, cæcus quidam, hoc est genus humanum vitiis obtenebratum, secus viam sedebat, quia pro majori sui parte extra iter fuit salutis : cui tamen, pro aliqua sui parte per Prophetarum vaticinia aliisque modis instructum, appropinquavit exspectando Salvatoris adventum. Quem quum in terris videri et inter homines conversari audisset, pro gratia illuminationis internæ cœpit suppliciter exclamare : sicut in evangelicæ historiæ constat decursu, quemadmodum a principio nativitatis Christi ex Virgine, quidam cognoverunt ejus adventum, et tam pro se quam pro totius humani generis deprecabantur salute, ut Zacharias, qui dixit : Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Hoc conspicientes spiritus maligni, qui Christi in corda nostra adventum per anticipationem impedire nituntur, immittendo cogitatus affectusque vitiosos, increpabant taliter exorantes, ad oppositum instigando. Similiter Judæi increduli, cernentes

Baruch III, 38.

Luc. I, 79.

A gentilium conversionem ad Christum, increpabant eos, ne nomen ipsius invocarent aut honorarent, sicut in Actibus Apostolorum docetur : quibus consimiles sunt omnes qui alios a bono conantur retrahere. Sed electi tanto fortius clamaverunt ad Dominum, quanto illi impudentius restiterunt. Nos quoque quanto gravius experimur nos impugnari, tanto ferventius atque constantius enitamur, et exclamemus ad Deum, quousque cum Psalmista dicere valeamus : Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.

Act. XIII, 45-50; IV, 18; V, 40.

Ps. LXVIII, 4.

B

Stans autem Jesus, jussit illum adduci ad se : quia per Apostolos eorumque coadjutores, jussit prædicari ubique, et genus humanum sibi per fidem adduci et incorporari. Sed et nunc quoque quotidie spiritualiter cæci, per prælatos atque doctores Ecclesiæ ad Christum sunt reducendi. Adducti vero ad Christum per fidem, quum peterent illuminationem internam pleniorem, illustrati sunt eminenter donis Spiritus Sancti, ita ut revelata facie gloriam Domini cum Apostolo specularentur. Quo facto, totis præcordiis Deo gratias obtulerunt : quod potissimum in primitiva fiebat Ecclesia. Quod ut omnis plebs per quatuor terræ plagas dispersa cognovit, illorum amplexata est fidem, deditque Deo laudem. Unde et nos incessanter Deum pro illuminatione sua copiosa, continua ac superpiissima deprecemur, ne unquam obdormiamus in morte peccati, sed Deo superexcelso quotidie alacrius obsequamur. Sic enim ad Ephesios ait et orat Apostolus : Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus.

C

II Cor. III, 18.

Ps. XII, 4.

D

Ephes. I, 17.

Digitized by Google

ARTICULUS XLII

ELUCIDATIO CAPITULI NONIDECIMI : ET INGRESSUS PERAMBULABAT JERICHO ; ET ECCE VIR NOMINE ZACHÆUS, ETC.

IN præcedentis capituli fine descriptum A
Luc. xviii, 35. est, quod Jesus appropinquans civitati nomine Jericho, cæco præstitit visum.
Nunc autem historiam prosequens, Evan-
1 gelista testatur : *Et ingressus* (urbem hanc
Jericho) *perambulabat Jericho,* transeundo per eam, docens terrena esse pertranseunda, hoc est, non immorandum eisdem per immoderatum affectum, sed summo et incommutabili bono jugiter debere nos adhærere. Per Jericho enim præsens sæculum variationibus plenum signatur, quoniam Jericho luna interpretatur, quæ quo- B
tidie variatur.

2 *Et ecce vir nomine Zachæus.* Zachæus inter alios aderat ibi : qui nominatim exprimitur, quoniam exemplare et virtuosum est quod de ipso hic recitatur, fuitque de numero electorum. *Et hic erat princeps publicanorum,* hoc est eorum qui publicis negotiis intendebant, videlicet exactionibus tributorum, et teloniis, vectigalibusque levandis : quæ negotia implicare solent peccatis, et tales homines erant communiter peccatores ; *et ipse di-* C
ves in temporalibus. Ista de ipso narrantur, ut ejus conversio gratiosior mirabiliorque appareat, et ne magni peccatores desperent, nec divites contemnantur, sed hujus Zachæi imitentur exemplum.

3 *Et quærebat videre Jesum quis esset,* hoc est, Jesum corporaliter intueri optavit, quia de ejus sapientia, eloquentia, sanctitate atque miraculis multa audivit : estque naturale hominibus tales homines libenter adspicere, sicut et cetera magna, et rara, ac nova. Unde et infra ha- D
Ibid. xxiii, 8. betur, quod Herodes multo tempore fuit cupiens videre Jesum, et viso eo gavisus est valde. *Et non poterat præ turba.* Ex omni enim parte fuit Jesus grandi turba stipatus, multis millibus secum pergentibus. Denique a spirituali intuitu Christi multos quotidie impedit turba hominum incompositorum, sæculariumque curarum, carnalium quoque phantasmatum, ac carnalium propinquorum : ideo ad vacandum Deo aptissimus est locus secretus. Propter quod ait Psalmista : Ecce elongavi Ps. liv, 8.
fugiens, et mansi in solitudine. Et de electa anima Dominus ait per Osee : Ducam Osee ii, 14.
eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Abbati quoque Arsenio desuper dictum est : Fuge, tace, quiesce. *Quia statura pusillus erat,* hoc est corpore parvus : sicut econtrario Saul et alii quidam, ma- I Reg. ix, 2.
gni statura fuisse scribuntur.

Et præcurrens ascendit in arborem sy- 4
comorum. Sycomorus est arbor in foliis moro consimilis, et in aliis ficui, sed stipite distans, et altitudine major : per quam significatur crux Christi, propter mori rubiginem et ficus dulcedinem. Si ergo Christum mente adspicere volumus, ad crucem ipsius confugiamus, eamque per dilectionem, meditationem et imitationem ascendamus, considerando quid pro nobis passus sit Christus, et ejus sectando vestigia : sicque illuminabimur gratiose a Deo, et Christum contemplabimur radiose. Talis fuit Paulus qui ait : Christo confixus sum Galat. ii, 19.
cruci ; itemque, Ego stigmata Domini Jesu Ibid. vi, 17.
in corpore meo porto. *Ut videret illum.* Beati etenim oculi, qui Christum fideliter Luc. x, 23.
adspexerunt. *Quia inde,* hoc est per viam illam, *erat transiturus.* In hoc patet vehemens fervor Zachæi ad Christi adspectum, et quod non erubuit in arborem

scandere, quum esset princeps tam opulentus. A

5 *Et quum venisset ad locum* illum, *suspiciens,* hoc est, sursum ad arborem illam adspiciens, *Jesus vidit illum,* corporali intuitu, magis tamen interno pietatis adspectu, quo et mentem Zachæi misericorditer prævenit, tetigit, emollivit, illuminavit, accendit; et quidquid Zachæus foras fecit, Christus intra se vidit. *Et dixit ad illum : Zachæe.* Proprio nomine eum appellat, quem forte corporaliter ante non vidit, nec nominari audivit; sed ipse omnia in luce sapientiæ suæ cognovit. B *Festinans descende :* quia opera bona cum fervore et animo prompto sunt peragenda; *quia hodie in domo tua oportet me manere,* hoc est, tua devotione hoc meruisti, ut in materiali domo tua tecum sim hodie per corporalem præsentiam, atque in spirituali domo tua, hoc est in mente tua, permaneam per gratiæ inhabitationem : *Ephes.* III, 17. sicut dicit Apostolus, Christum per fidem habitare in cordibus nostris.

Si ergo et nos gratiosam Christi quæ- C rimus inhabitationem, ipsum cum fervore quæramus, hominumque relinquentes tumultum, in altum ascendamus virtutum, carnalia desideria aspernantes. Unde de *I Cor.* I, 24. increata Sapientia, quæ Christus est, scri- *Sap.* VI, 13, 14. ptum est in libro Sapientiæ : Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt illam, et invenitur ab his qui quærunt illam; præoccupat eos qui se concupiscunt. Porro, quam verum sit hoc, innotescit in hoc opere Christi : qui nondum invitatus a D Zachæo, invitavit se apud eum; qui affectum ipsius cognovit, et plus illi exhibuit quam ille ausus fuit rogare, quia se ipsum præbuit illi ad commanendum et convescendum. Christus quippe pietatis suæ abundantia, et merita supplicum excedit et vota; et quanto ardentius petitur, tanto se ipsum suaque dona copiosius impartitur, quoniam fervor amoris quasi hiantem, apertam et patulam facit mentem amantis ad susceptionem amati.

6 *Et ille festinans descendit,* tanquam perfecte obediens, et pristini tumoris altitudinem derelinquens. Nemo enim, ut ait Ambrosius, cum desidia Jesum quærit. Et, ut ait Bernardus : Verus obediens moras nescit, nec mandatum procrastinat, oculos parat visui, cor jussioni, aures auditui, manus operi, pedes itineri, et sese totum recolligit intus, ut imperantis jussionem impleat foris. Et istud Deo gratissimum est, quia nil acceptabilius ei offerre valemus, quam propriam voluntatem plenarie. *Et excepit illum* in domum suam *gaudens,* hoc est, gratias maximas agens quod talis ac tantus ad ipsum divertere dignabatur. In interiori quoque domo sua suscepit eum lætissime, per hoc quod Christus mentem illius tam benignissime illustravit, ad considerandum ea quæ Dei sunt et ad veram spectant salutem, atque divino inflammavit amore. Ita et nos Christum intus hilariter suscipiemus, consolationes experiemur cœlestes, si exhortationibus ac jussionibus ejus ac vicariorum ipsius obedientes prompte fuerimus, ab altitudine propriæ reputationis totaliter descendentes.

7 *Et quum viderent omnes,* quod Jesus ad Zachæum cum suis iret discipulis, *murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset :* quasi dicant, Hoc indecens fuit. Isti fuerunt Pharisæi, et alii quidam in propriis oculis justi, multipliciterque indiscreti : Primo, temerarie judicando, tam de Zachæo qui jam per veram contritionem fuit conversus et justificatus, et de Christo qui quum animarum medicus esset, peccatores vitare non debuit, sed accedere, ut eos converteret; nec tali causa cum peccatoribus se miscere, fuit prohibitum in veteri lege. Zachæus quoque per suam pœnitentiam jam a Christo meruit visitari. Potissimum autem præsumptuosum periculosumque est, superiorum, et meliorum, ac sapientiorum facta faciliter dijudicare.

8 *Stans autem Zachæus,* ut cum debita reverentia loqueretur ad Christum, et

Digitized by Google

bonum suum propositum publice pro- A testando, ostenderet quod Salvator non indecenter ad ipsum divertisset, sicque malignorum reprimeret verba, *dixit ad Dominum* Jesum : *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus,* pure propter Deum, et ut mihi mea dimittantur peccata, etiam quantum ad pœnam, atque gratiam consequar ampliorem : quoniam teste Scriptura, Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. (*Eccli.* III, 33.) In his verbis patet magna et mira Zachæi conversio, ita quod de ea potuit B dici : Hæc mutatio dexteræ Excelsi. (*Ps.* LXXVI, 11.) Nam ille qui paulo ante tam avarus fuit in acquirendo et retinendo terrena, subito factus est tam promptus et liberalis in dando. Non enim dixit, Dabo, sed, Do, tanquam nunc paratus ad hoc.

Et si quid aliquem defraudavi, hoc est, per fraudem seu alio modo contra justitiam alicui quid subtraxi. Et per hoc quod ait, Si quid aliquem, etc., innuit quod sibi conscius non fuit se multos aut plurimos defraudasse. *Reddo quadruplum,* C paratus plus reddere, si tu jubes. Non dixit, Reddam, aut, Restitui faciam : quia, secundum Augustinum, tenetur homo statim restituere bona injusta, si potest; et semper judicandus est in mora, quousque restituatur res quæ reddi debet et potest, nec redditur; neque ante hoc agitur pœnitentia, sed simulatur; nec dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Sed sunt quidam, qui quamdiu vivunt, aut quamdiu vivere posse confidunt, restituere differunt; sed letaliter infirmantes, aut sene- D ctute confecti, disponunt de restitutione : quorum vita et mors periculosissima exstat. Denique lex Moysis in aliquibus jussit reddi duplum, in aliquibus quadruplum, in quibusdam vero quintuplum, ut in Exodo habetur. (*Exod.* XXII, 1, 4, 7, 9.) Salomon quoque in Proverbiis ait de fure : Deprehensus reddet septuplum. (*Prov.* VI, 31.) Unde Zachæus videtur loqui de restitutione per erogationem, ita quod scivit se talem defraudationem non commisisse in qua plus quam duplum reddi jubetur; vel per unam hanc mediam quam expressit, aliæ intelliguntur extremæ. Sed et pœna furti, secundum temporum varietatem et causæ exigentiam potuit apud Judæos esse diversa.

Ait autem Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est : hoc est, in 9
hoc die gratia conversionis et meritum veræ salutis, concessa sunt desuper patrifamilias hujus domus, et ejus domesticis, qui illius exemplo pœnituerunt; fuitque in cordibus illorum factus dies spiritualis, lucente in eorum mente Sole justitiæ, qui tenebras vitiorum et noctem peccati inde fugavit; *eo quod et ipse* Zachæus *filius sit Abrahæ.* Circa hoc dicunt Beda, Glossa et Gorra, quod Zachæus dicitur filius Abrahæ, non carnis propagatione, sed virtutum imitatione, ita quod natione fuit gentilis. Quod et Ambrosius sentire videtur, dicendo : Zachæus nulla ingenitæ dignitatis nobilitate sublimis, exiguus meritis, sicut populus nationum. Sed quibusdam magis apparet, quod fuerit natione Hebræus : alias Judæi murmurando potius dixissent contra Christum, quod ad hominem gentilem divertisset, quam quod ad hominem peccatorem. Detestabilius enim reputabant accedere gentiles, quam peccatores Judæos. Propter quod in Actibus loquitur Petrus : Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam. (*Act.* X, 28.) Deinde, quia gentiles non tenebantur nisi ad restitutionem simpli, nisi forte in aliquo casu : et sic, si Zachæus fuisset gentilis, non dixisset de redditione in quadruplum. Quid horum sit verius, certum non reor, quanquam hoc certum sit, quod ista argumenta nihil concludant : quia et Judæi vocabant gentiles communiter peccatores. Nam et Paulus, Nos, inquit, natura Judæi, et non ex gentibus peccatores. (*Galat.* II, 15.) Zachæus quoque, ut dictum est, ex devotionis fervore, per modum supererogationis mentionem fecit de restitutione in quadruplum.

Venit enim in hunc mundum, per in- 10
carnationis mysterium, *Filius hominis,* hoc

est Christus Filius Virginis, *quærere,* do-
cendo, et per diversa loca eundo ad ho-
mines, *et salvum facere,* hoc est a pec-
catis et pœnis æternis eripere, atque ad
felicitatem cœlestem reducere, *quod per-
ierat,* hoc est genus humanum in primo
parente originaliter vitiatum, et ob origi-
nale peccatum gratia et gloria privatum,
multis quoque actualibus et personalibus
posterorum peccatis infectum ac perdi-
I Tim. I, 15. tum. Idcirco dicit Apostolus : Fidelis ser-
mo, et omni acceptione dignus, quia Jesus
Christus venit in hunc mundum peccato-
res salvos facere. Et per Isaiam de Christo
Is. LIII, 4. prædictum est : Vere languores nostros
ipse tulit, et dolores nostros ipse porta-
Matth. I, 21. vit. Angelus quoque dixit ad Joseph : Ipse
salvum faciet populum suum a peccatis
eorum.

Ecce iste Zachæus omnibus nobis in
exemplum est positus, ut ejus pœniten-
tiam, fervorem, liberalitatem et pietatem
sectemur. Quod si quis paratus non est
injuste habita in quadruplum reddere, sal-
tem in simplum restituat; et si alter ex
sua defraudatione damnum perpessus est,
non in ablato dumtaxat, sed etiam in aliis
quæ per licitum usum ablati quivit lu-
crari, studeat pro posse satisfacere atque
refundere. Unde et mora in restituendo
est periculosa ac vitiosa, quum alter dam-
num patiatur ex ea.

11 *Hæc illis audientibus,* hoc est, discipu-
lis Christi, ceteris quoque qui aderant, au-
dientibus quod Christus dixit se venisse
ad quærendum atque salvandum quod per-
iit, *adjiciens* quæ sequuntur, *dixit para-
bolam* quæ statim subjungitur; *eo quod
esset prope Jerusalem,* hoc est, civitati illi
propinquaret ; *et quia æstimarent* disci-
puli ejus ac alii, *quod confestim,* hoc est,
mox quum Jesus in Jerusalem advenisset,
regnum Dei manifestaretur, hoc est, re-
gnum quod Deus per Prophetas Christum
habiturum prædixit, evidenter possidere-
tur et haberetur a Christo : juxta illud
Is. IX, 7. Isaiæ, Super solium David et super re-
gnum ejus sedebit. De quo et angelus di-
xit ad Virginem : Dabit illi Dominus Deus Luc. I, 32.
sedem David patris ejus, et regnabit in
domo Jacob in æternum. Judæi quippe,
imo et discipuli Christi ante ipsius ascen-
sionem, credebant Christum in primo suo
adventu temporaliter in hoc sæculo, cum
maxima opulentia et magnificentia regna-
turum, promissa Prophetarum de Christi
regno loquentium ad litteram carnaliter
intelligentes. Propter quod Apostoli in die
ascensionis locuti sunt Christo : Domine, Act. I, 6.
si in tempore hoc restitues regnum Is-
rael? Et quia Jerusalem fuit Judææ urbs
metropolitana ac regia, putabant Christum
in ea suum solium positurum, statim
quum hac vice eam fuisset ingressus :
præsertim quia jam tot ac tanta fecit mi-
racula, ita quod a plurimis credebatur es-
se Messias rex Israel, multaque millia se-
quebantur eum, tanquam parata ipsum
acceptare in regem. Unde et paulo post,
scilicet in die Palmarum, occurrerunt ei Joann. XII, 12, 13.
cum mirabili reverentia quasi regi Mes-
siæ. — *Dixit ergo* sequentem parabolam, 12
ad excludendum ab eis istum errorem.

Homo quidam nobilis, hoc est Christus
secundum utramque suam naturam præ-
nobilis, quia secundum divinitatem ex Pa-
tre æterno æternaliter natus, et secundum
humanitatem ex Virgine regiæ ac Davidi-
cæ stirpis ortus, *abiit in regionem longin-
quam,* hoc est de hoc mundo in cœlum
empyreum, de quo fertur in Psalmo : Pla- Ps. CXIV, 9.
cebo Domino in regione vivorum ; *accipe-
re sibi regnum* super universos ordines
angelorum : qui licet ab exordio mundi
fuerint Christo subjecti secundum quod
Deus est, tamen in sua ascensione cœpit
speciali modo super eos regnare etiam
secundum suam humanitatem ut Verbo
unitam. Omnes enim angelici spiritus sub-
duntur ac serviunt homini Christo, et pur-
gantur, illuminantur ac perficiuntur ab
eo, imo et ab ejus humanitate, seu anima,
secundum divini Dionysii documenta. *Et
reverti* in die judicii, ad dandum singulis
quod merentur, quemadmodum in Apo- Apoc. XXII, 12.
calypsi fatetur : Ecce venio cito, et merces

mea mecum est, dare unicuique secundum opera sua.

Potest autem et ita exponi : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam,* hoc est, de summo cœlo venit in hunc mundum inferiorem, quemadmodum Ps. xviii, 7. scriptum est : A summo cœlo egressio ejus. Propter quod Christus apud Joannem Joann. iii, 13. loquitur de se ipso : Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. *Accipere sibi regnum,* hoc est, ex electis Judæis et gentilibus colligere sibi populum, in B quo regnaret per gratiam. Unde in Psalmo Ps. ii, 8. Pater loquitur Filio : Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, etc. Per Zachariam quoque de Christo prædictum Zach. ix, 10. est : Potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad terminos terræ. *Et reverti* in fine mundi, vel paulo ante, quando per ejus virtutem et gratiam Judæi generaliter convertentur ad fidem per prædicationem Eliæ, Malach. iv, 5, 6. ut in Malachia legitur. De quo et Paulus ad Romanos Rom. xi, 25, 26. testatur : Cæcitas ex parte C contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.

13 *Vocatis autem decem servis suis,* hoc est cunctis credentibus : qui per decem signantur, propter Decalogi adimpletionem, per quam digni sunt servi Dei vocari ; vel, quia denarius est primus limes numerorum, sequentesque numeri sunt replicationes ipsius, ac partium ejus. Potest quoque per servos istos specialiter accipi ordo prælatorum, prædicatorum, si- D ve doctorum. *Dedit illis decem mnas,* hoc est varia dona tam gratiæ gratum facientis, quam gratiæ gratis datæ; nec omnibus æque multum, sed unicuique secundum ipsius virtutem, seu capacitatem. Hinc ait I Cor. xii, 8-10. Apostolus : Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii genera linguarum, alii discretio spirituum, alii Ibid. vii, 7. interpretatio sermonum ; itemque, Unusquisque proprium donum habet a Deo.

A Porro, secundum Glossam, mna decem drachmas appendit seu valet.

Et ait ad illos : Negotiamini dum venio, hoc est, beneficiis donisque Dei vobis concessis fructuose utamini, crescendo in eis, et multiplicando ea per opera bona seu merita, sicque per bona vitæ præsentis mercando bona gloriæ vitæ futuræ : et hoc, per totum tempus vitæ istius, usque ad finem sæculi, in quo ad judicandum redibo. Interim namque est status merendi ac demerendi. Hæc est negotiatio spiritualis ac bona, qua regnum cœlorum emitur paupertate, quies æterna temporali labore, honor et gaudium regni cœlestis, confusione et dolore incolatus terrestris. Hinc apud Matthæum ait Salvator : Simile Matth. xiii, 45. est regnum cœlorum homini negotiatori. Est autem et negotiatio sæcularis, quæ in loco sacro prohibetur, de qua dicit Christus : Nolite domum Patris mei facere domum Joann. ii, 16. negotiationis.

14 *Cives autem ejus,* puta Judæi, de quorum terra et populo secundum carnem natus est Christus, *oderant eum.* Nam et Pilatus scivit quod per invidiam tradidissent Matth. xxvii, 18. eum. Et apud Joannem asserit Christus : Odio habuerunt me gratis. Imo, in Joann. xv, 25. tantum oderant eum, quod gravis fuit eis Sap. ii, 15. ad videndum. Cujus causa in libro Sapientiæ clarissime aperitur, ubi in eorum persona asseritur : Tanquam nugaces æstimati Ibid. 16, 12, 16, 15. sumus ab illo, et improperat in nos peccata legis ; et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et dissimilis est aliis vita illius. Impletumque fuit in eis, quod in Proverbiis Salomonis legitur : Non Prov. xv, 12. amat pestilens eum qui se corripit. Quorum perversitatem nunc multi sequuntur, qui ab animarum suarum respuunt curari vulneribus, et indesinenter vulnerant semetipsos. *Et miserunt legationem post illum :* hoc est, post Christi ascensionem conati sunt evangelicam fidem ac legem, regnumque Christi in terra destruere. Ad quod faciendum quosdam hinc inde miserunt : quorum ad tempus unus exstitit Paulus, transiens ad Damascum ad perse- Act. ix, 1, 2.

duas occidetur Christus; et per Sophoni-
Soph. III, 8. am, Exspecta me, dicit Dominus, in die
resurrectionis meæ in futurum.

Itaque Christus passionem suam prædixit, ut ea impleta, ex tali prænuntiatione roboraremur in fide, scientes quod sciens et spontaneus venit ad passionem; item, ut discipuli sui tempore suæ passionis minus turbarentur et scandalizarentur, resurrecturum quoque confiderent. Jacula enim prævisa minus lædunt.

34 *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et
erat verbum istud absconditum ab eis, id
est incognitum, *et non intelligebant quæ dicebantur* a Christo de sua hac passione et resurrectione. In quo patet magna et mira eorum simplicitas, quum Christus tam evidentissime loqueretur. Sed ejus præsentiam tantum amabant, quod verba de sua ablatione et morte corda eorum non intraverunt; et denuo, quoniam Christus eis sæpissime in parabolis loquebatur, etiam eum nunc aliquid parabolice loqui forte putabant.

35 *Factum est autem, quum appropinqua-
ret Jesus *Jericho* civitati, *cæcus quidam,*
Marc. x, 46. qui a Marco Bartimæus, id est filius Ti-
mæi vocatur, *sedebat secus viam, mendi-
Matth. xx, 29-34. *cans.* In Matthæo legitur Christus duos
cæcos illuminasse, quum abiret a Jericho;
Marc. x, 46-52. et Marcus scribit unum cæcum illuminas-
se, quum a præfata urbe discederet: ideo quidam dicunt quod iste cæcus sit alius ab illis; alii dicunt quod sit unus illorum, et quod dicitur, Quum appropinquaret, exponunt, Adhuc non longe esset, seu
36 prope exsisteret. *Et quum audiret tur-
bam prætereuntem. Multi namque ibant cum Jesu, diversi diversas ob causas, videlicet aviditate videndi miracula, audiendi eloquentissima et sapientissima ejus verba, suscipiendi corporalia alimenta, recipiendi consolationem ex ejus intuitu, et ædificationem ex ejus vita et moribus; quidam vero, ut observarent eum et accusarent. *Interrogabat quid hoc esset,* id est, cur tantus ibi populus iret, et
37 qui essent. *Dixerunt autem ei, quod Je-*

A *sus Nazarenus transiret,* ideo alii secum transirent.

Et clamavit, dicens : Jesu fili David, 38
miserere mei. Quamvis enim Jesum corporaliter nunquam vidisset, tamen ex aliorum relatu et fama eum cognovit, Christumque credidit. Et quoniam tanta eum audivit perpetrasse miracula, cum grandi clamore, ex ardenti sanitatis affectu, clamavit ut sibi succurreret. Filium quoque David vocavit, quoniam apud Judæos vulgatum fuit, et pene omnibus cognitum, quod rex
B Messias ex David semine nasceretur. *Et* 39
qui præibant Jesum, sicut regem quidam præcedere solent, *increpabant eum ut taceret,* vel attædiati clamoribus ejus, vel metuentes ne Christus ejus clamoribus offenderetur, vel quia nolebant iter suum cum Christo retardari. *Ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei.* Tanto equidem ejus affectio in se ipsa incendebatur, et fortior calidiorque fiebat, atque in valentiorem vociferationem erupit, quanto majorem contrarietatem
C ac resistentiam sentiebat : quemadmodum quædam qualitates, ut frigus et calor, per antiperistasim, hoc est sui appositionem contrarii, intenduntur. Propterea ait Chrysostomus : Talis est natura fidei, ut quanto magis vetatur, eo magis accenditur : propter quod servi Dei in persecutionibus non vincuntur; virtusque fidei in periculis est secura, in securitate vero periclitatur. Itaque dicendo, Fili David, commemorat generis dignitatem, ut captet ipsius benevolentiam, et pii ac liberalis patris,
D scilicet sancti David, exemplo provocet eum ad clementiam.

Stans autem Jesus, jussit illum adduci 40
ad se. Poterat utique non adductum et remote sedentem illuminare, sed ad gloriam Dei ædificationemque populi, ad suæ etiam confirmationem doctrinæ, et corroborationem fidei nostræ, voluit istud miraculum manifeste atque solenniter exhibere. — Denique hoc opus Christi sectari deberent prælati, principes et judices nostri, utpote stare, quum audirent aut cer-

Digitized by Google

nerent pauperes conquerentes, et vocare
A illos ad se, ad audiendum eorum querelas ac postulationes, ut facerent eis subventionem atque justitiam expedite. Sed, heu!
Is. I, 23. jam dici potest de illis illud Isaiæ, Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos : imo, si sæpenumero ingreditur, plus expendunt pauperes forte quam tota eorum valeat causa, antequam terminetur.

Et quum appropinquasset cæcus iste Christo corporaliter : cui et spiritualiter propinquavit per fidei ac devotionis et bo-
B næ affectionis augmentum ; *interrogavit*
41 *illum* Jesus omnia sciens, *dicens : Quid tibi vis faciam?* Propter varias causas unus interrogat alium. Primo, ut aliquid discat aut sciat. Sic discipulus magistrum interrogat; magister quoque discipulum, quia etsi sciat quod quærit, forsitan tamen ignorat an discipulus illud sciat. Secundo, ut instruat. Tertio, ut alterius ignorantiam demonstret. Quarto, ut culpam ejus tan-
Gen. III, 9. gat et increpet, sicut Deus dixit : Adam, ubi es? Quinto, ut interrogati scientiam
C ad aliorum utilitatem demonstret. Sexto, propter mysticam rationem : et hoc modo Jesus interrogavit hunc cæcum, quod non solum ipse Christus et cæcus, sed et omnes qui aderant, cognoverunt. Itaque interrogavit ut ex cæci responsione gloriosior appareret sua curatio, ut verba pandunt sequentia; atque ad ostendendum quanta sit vis piæ orationis ac bonæ affectionis multoties repetitæ; rursus, ad instruendum quod ad salutem necessaria sit, non solum cordis creditio, sed etiam interdum
D oris confessio.

At ille dixit : Domine, ut videam corporaliter, imo et spiritualiter. Sensus etenim visus præ ceteris exterioribus sensibus utilior, appetitior jucundiorque consistit, quia in pluribus deservit ac necessarius est hominibus, et plurium rerum differentias nobis ostendit. Unde Tobias dixit :
Tob. V, 12. Quale mihi gaudium est, qui hic in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? Et
Eccle. XI, 7. in Ecclesiaste scriptum est : Dulce lumen,
et delectabile oculis videre solem. *Et Jesus dixit illi : Respice* visu exteriori et 42
interiori. Quem enim corporaliter, etiam spiritualiter illustravit. *Fides tua te salvum fecit,* per modum causæ meritoriæ et dispositivæ, non principaliter effectivæ: hoc est, merito fidei tuæ illuminationem hanc procurasti. Tanta ergo est fidei virtus, ut per eam obtineatur salus corporalis, ut hic; salus spiritualis, ut in Maria Magdalena, cui et hæc verba dicta sunt; et Luc. VII, 50.
salus æternalis, secundum illud Marci, Qui Marc. XVI, 16.
crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.

Et confestim vidit. In quo patet po- 43
testas et magnificentia Salvatoris, cujus jussionem mox sequebatur supernaturalis effectus, tanquam potestative miracula facientis : cui secundum quod Deus est et infinitæ potentiæ, competit agere in instanti quando voluerit; sicque inter ipsius dictum et factum non exstitit medium, secundum Hilarium. *Et sequebatur illum,* scilicet Jesum suum illuminatorem, corpore sano et corde devoto atque gratissimo, *magnificans Deum,* id est, omnipotentiam atque clementiam Dei in se ipso materialiter repræsentans in sua curatione, et corde ac ore magnitudinem Dei in omni perfectione et gloria hilariter profitens, alios quoque ad idem inflammans, secundum quod subditur.

Et omnis plebs quæ aderat, *ut vidit* miraculum istud : in quo modus agendi mirabilior fuit quam opus, quia tam imperialiter fecit hoc Christus; *dedit laudem Deo :* ad quod tenebatur. Hoc enim Deus a nobis requirit, et justum est, ut ei in omnibus offeramus gloriam et honorem, tanquam omnium principalissimæ causæ independenti et nullo egenti. Propter quod
per Isaiam testatur : Ego Dominus, hoc Is. XLII, 8.
est nomen meum ; gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. Psalmista quoque zelo divini honoris suc-
census precatur : Non nobis, Domine, non Ps. CXIII, 1,
nobis, sed nomini tuo da gloriam. Non sec. Hebr.
igitur nobis injuste aut vanissime horum aliquid usurpemus quæ soli Deo deben-

Digitized by Google

tur, ne divini fures honoris, tanquam sacrilegi reprobemur. A Si autem hic cæcus et plebs hæc crediderunt explicite Jesum esse verum Deum, tunc nomine Dei, ipsum Dominum Jesum intelligebant; si vero hoc non credebant explicite, intendebant quod Jesus divina utique hæc egisset virtute.

Præterea, intelligentiam spiritualem tangendo, per Jericho, quæ interpretatur luna, quæ in mutatione exstat continua, humanæ mortalitatis significatur defectus. Cui quum Filius Dei per incarnationis B mysterium propinquasset, assumendo nostras pœnalitates absque peccato, cæcus quidam, hoc est genus humanum vitiis obtenebratum, secus viam sedebat, quia pro majori sui parte extra iter fuit salutis : cui tamen, pro aliqua sui parte per Prophetarum vaticinia aliisque modis instructum, appropinquavit exspectando Sal-
Baruch III, 38. vatoris adventum. Quem quum in terris videri et inter homines conversari audisset, pro gratia illuminationis internæ cœpit suppliciter exclamare : C sicut in evangelicæ historiæ constat decursu, quemadmodum a principio nativitatis Christi ex Virgine, quidam cognoverunt ejus adventum, et tam pro se quam pro totius humani generis deprecabantur salute, ut Zacha-
Luc. I, 79. rias, qui dixit : Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Hoc conspicientes spiritus maligni, qui Christi in corda nostra adventum per anticipationem impedire nituntur, immittendo cogitatus affectusque vitiosos, increpabant taliter exorantes, ad oppositum instigan- D do. Similiter Judæi increduli, cernentes gentilium conversionem ad Christum, increpabant eos, ne nomen ipsius invocarent aut honorarent, sicut in Actibus Apo- *Act.* XIII, 45-50; IV, 18; V, 40.
stolorum docetur : quibus consimiles sunt omnes qui alios a bono conantur retrahere. Sed electi tanto fortius clamaverunt ad Dominum, quanto illi impudentius restiterunt. Nos quoque quanto gravius experimur nos impugnari, tanto ferventius atque constantius enitamur, et exclamemus ad Deum, quousque cum Psalmista dicere valeamus : Laboravi clamans, rau- *Ps.* LXVIII, 4.
cæ factæ sunt fauces meæ.

Stans autem Jesus, jussit illum adduci ad se : quia per Apostolos eorumque coadjutores, jussit prædicari ubique, et genus humanum sibi per fidem adduci et incorporari. Sed et nunc quoque quotidie spiritualiter cæci, per prælatos atque doctores Ecclesiæ ad Christum sunt reducendi. Adducti vero ad Christum per fidem, quum peterent illuminationem internam pleniorem, illustrati sunt eminenter donis Spiritus Sancti, ita ut revelata facie glo- II *Cor.* III, 18.
riam Domini cum Apostolo specularentur. Quo facto, totis præcordiis Deo gratias obtulerunt : quod potissimum in primitiva fiebat Ecclesia. Quod ut omnis plebs per quatuor terræ plagas dispersa cognovit, illorum amplexata est fidem, deditque Deo laudem. Unde et nos incessanter Deum pro illuminatione sua copiosa, continua ac superpiissima deprecemur, ne unquam *Ps.* XII, 4.
obdormiamus in morte peccati, sed Deo superexcelso quotidie alacrius obsequamur. Sic enim ad Ephesios ait et orat Apostolus : Pater gloriæ det vobis spiri- *Ephes.* I, 17.
tum sapientiæ in agnitione ejus.

Digitized by Google

ARTICULUS XLII

ELUCIDATIO CAPITULI NONIDECIMI : ET INGRESSUS PERAMBULABAT JERICHO ; ET ECCE VIR NOMINE ZACHÆUS, ETC.

In præcedentis capituli fine descriptum A
Luc. xviii, 35. est, quod Jesus appropinquans civitati nomine Jericho, cæco præstitit visum. Nunc autem historiam prosequens, Evan-
1 gelista testatur : *Et ingressus* (urbem hanc Jericho) *perambulabat Jericho,* transeundo per eam, docens terrena esse pertranseunda, hoc est, non immorandum eisdem per immoderatum affectum, sed summo et incommutabili bono jugiter debere nos adhærere. Per Jericho enim præsens sæculum variationibus plenum signatur, quoniam Jericho luna interpretatur, quæ quo- B tidie variatur.

2 *Et ecce vir nomine Zachæus.* Zachæus inter alios aderat ibi : qui nominatim exprimitur, quoniam exemplare et virtuosum est quod de ipso hic recitatur, fuitque de numero electorum. *Et hic erat princeps publicanorum,* hoc est eorum qui publicis negotiis intendebant, videlicet exactionibus tributorum, et teloniis, vectigalibusque levandis : quæ negotia implicare solent peccatis, et tales homines erant communiter peccatores ; *et ipse di-* C *ves* in temporalibus. Ista de ipso narrantur, ut ejus conversio gratiosior mirabiliorque appareat, et ne magni peccatores desperent, nec divites contemnantur, sed hujus Zachæi imitentur exemplum.

3 *Et quærebat videre Jesum quis esset,* hoc est, Jesum corporaliter intueri optavit, quia de ejus sapientia, eloquentia, sanctitate atque miraculis multa audivit : estque naturale hominibus tales homines libenter adspicere, sicut et cetera magna, et rara, ac nova. Unde et infra ha- D
Ibid. xxiii, 8. betur, quod Herodes multo tempore fuit cupiens videre Jesum, et viso eo gavisus est valde. *Et non poterat præ turba.* Ex omni enim parte fuit Jesus grandi turba stipatus, multis millibus secum pergentibus. Denique a spirituali intuitu Christi multos quotidie impedit turba hominum incompositorum, sæculariumque curarum, carnalium quoque phantasmatum, ac carnalium propinquorum : ideo ad vacandum Deo aptissimus est locus secretus. Propter quod ait Psalmista : Ecce elongavi Ps. liv, 8.
fugiens, et mansi in solitudine. Et de electa anima Dominus ait per Osee : Ducam Osee ii, 14.
eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Abbati quoque Arsenio desuper dictum est : Fuge, tace, quiesce. *Quia statura pusillus erat,* hoc est corpore parvus : sicut econtrario Saul et alii quidam, ma- I Reg. ix, 2.
gni statura fuisse scribuntur.

Et præcurrens ascendit in arborem sy- 4
comorum. Sycomorus est arbor in foliis moro consimilis, et in aliis ficui, sed stipite distans, et altitudine major : per quam significatur crux Christi, propter mori rubiginem et ficus dulcedinem. Si ergo Christum mente adspicere volumus, ad crucem ipsius confugiamus, eamque per dilectionem, meditationem et imitationem ascendamus, considerando quid pro nobis passus sit Christus, et ejus sectando vestigia : sicque illuminabimur gratiose a Deo, et Christum contemplabimur radiose. Talis fuit Paulus qui ait : Christo confixus sum Galat. ii, 19.
cruci ; itemque, Ego stigmata Domini Jesu Ibid. vi, 17.
in corpore meo porto. *Ut videret illum.* Beati etenim oculi, qui Christum fideliter Luc. x, 23.
adspexerunt. *Quia inde,* hoc est per viam illam, *erat transiturus.* In hoc patet vehemens fervor Zachæi ad Christi adspectum, et quod non erubuit in arborem

Digitized by Google

scandere, quum esset princeps tam opulentus.

5 *Et quum venisset ad locum* illum, *suspiciens,* hoc est, sursum ad arborem illam adspiciens, *Jesus vidit illum,* corporali intuitu, magis tamen interno pietatis adspectu, quo et mentem Zachæi misericorditer prævenit, tetigit, emollivit, illuminavit, accendit; et quidquid Zachæus foras fecit, Christus intra se vidit. *Et dixit ad illum : Zachæe.* Proprio nomine eum appellat, quem forte corporaliter ante non vidit, nec nominari audivit; sed ipse omnia in luce sapientiæ suæ cognovit. *Festinans descende :* quia opera bona cum fervore et animo prompto sunt peragenda; *quia hodie in domo tua oportet me manere,* hoc est, tua devotione hoc meruisti, ut in materiali domo tua tecum sim hodie per corporalem præsentiam, atque in spirituali domo tua, hoc est in mente tua, permaneam per gratiæ inhabitationem : (Ephes. III, 17.) sicut dicit Apostolus, Christum per fidem habitare in cordibus nostris.

Si ergo et nos gratiosam Christi quærimus inhabitationem, ipsum cum fervore quæramus, hominumque relinquentes tumultum, in altum ascendamus virtutum, carnalia desideria aspernantes. Unde de (I Cor. I, 24.) increata Sapientia, quæ Christus est, scriptum est in libro Sapientiæ : (Sap. VI, 13, 14.) Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt illam, et invenitur ab his qui quærunt illam; præoccupat eos qui se concupiscunt. Porro, quam verum sit hoc, innotescit in hoc opere Christi : qui nondum invitatus a Zachæo, invitavit se apud eum; qui affectum ipsius cognovit, et plus illi exhibuit quam ille ausus fuit rogare, quia se ipsum præbuit illi ad commanendum et convescendum. Christus quippe pietatis suæ abundantia, et merita supplicum excedit et vota; et quanto ardentius petitur, tanto se ipsum suaque dona copiosius impartitur, quoniam fervor amoris quasi hiantem, apertam et patulam facit mentem amantis ad susceptionem amati.

6 *Et ille festinans descendit,* tanquam perfecte obediens, et pristini tumoris altitudinem derelinquens. Nemo enim, ut ait Ambrosius, cum desidia Jesum quærit. Et, ut ait Bernardus : Verus obediens moras nescit, nec mandatum procrastinat, oculos parat visui, cor jussioni, aures auditui, manus operi, pedes itineri, et sese totum recolligit intus, ut imperantis jussionem impleat foris. Et istud Deo gratissimum est, quia nil acceptabilius ei offerre valemus, quam propriam voluntatem plenarie. *Et excepit illum* in domum suam *gaudens,* hoc est, gratias maximas agens quod talis ac tantus ad ipsum divertere dignabatur. In interiori quoque domo sua suscepit eum lætissime, per hoc quod Christus mentem illius tam benignissime illustravit, ad considerandum ea quæ Dei sunt et ad veram spectant salutem, atque divino inflammavit amore. Ita et nos Christum intus hilariter suscipiemus, consolationes experiemur cœlestes, si exhortationibus ac jussionibus ejus ac vicariorum ipsius obedientes prompte fuerimus, ab altitudine propriæ reputationis totaliter descendentes.

7 *Et quum viderent omnes,* quod Jesus ad Zachæum cum suis iret discipulis, *murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset :* quasi dicant, Hoc indecens fuit. Isti fuerunt Pharisæi, et alii quidam in propriis oculis justi, multipliciterque indiscreti : Primo, temerarie judicando, tam de Zachæo qui jam per veram contritionem fuit conversus et justificatus, et de Christo qui quum animarum medicus esset, peccatores vitare non debuit, sed accedere, ut eos converteret; nec tali causa cum peccatoribus se miscere, fuit prohibitum in veteri lege. Zachæus quoque per suam pœnitentiam jam a Christo meruit visitari. Potissimum autem præsumptuosum periculosumque est, superiorum, et meliorum, ac sapientiorum facta faciliter dijudicare.

8 *Stans autem Zachæus,* ut cum debita reverentia loqueretur ad Christum, et

Digitized by Google

bonum suum propositum publice protestando, ostenderet quod Salvator non indecenter ad ipsum divertisset, sicque malignorum reprimeret verba, *dixit ad Dominum* Jesum : *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus,* pure propter Deum, et ut mihi mea dimittantur peccata, etiam quantum ad pœnam, atque gratiam consequar ampliorem : quoniam teste Scriptura, Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. (*Eccli.* III, 33.) In his verbis patet magna et mira Zachæi conversio, ita quod de ea potuit dici : Hæc mutatio dexteræ Excelsi. (*Ps.* LXXVI, 11.) Nam ille qui paulo ante tam avarus fuit in acquirendo et retinendo terrena, subito factus est tam promptus et liberalis in dando. Non enim dixit, Dabo, sed, Do, tanquam nunc paratus ad hoc.

Et si quid aliquem defraudavi, hoc est, per fraudem seu alio modo contra justitiam alicui quid subtraxi. Et per hoc quod ait, Si quid aliquem, etc., innuit quod sibi conscius non fuit se multos aut plurimos defraudasse. *Reddo quadruplum,* paratus plus reddere, si tu jubes. Non dixit, Reddam, aut, Restitui faciam : quia, secundum Augustinum, tenetur homo statim restituere bona injusta, si potest ; et semper judicandus est in mora, quousque restituatur res quæ reddi debet et potest, nec redditur ; neque ante hoc agitur pœnitentia, sed simulatur ; nec dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Sed sunt quidam, qui quamdiu vivunt, aut quamdiu vivere posse confidunt, restituere differunt ; sed letaliter infirmantes, aut senectute confecti, disponunt de restitutione : quorum vita et mors periculosissima exstat. Denique lex Moysis in aliquibus jussit reddi duplum, in aliquibus quadruplum, in quibusdam vero quintuplum, ut in Exodo habetur. (*Exod.* XXII, 1, 4, 7, 9.) Salomon quoque in Proverbiis ait de fure : Deprehensus reddet septuplum. (*Prov.* VI, 31.) Unde Zachæus videtur loqui de restitutione per erogationem, ita quod scivit se talem defraudationem non commisisse in qua plus quam duplum reddi jubetur ; vel per unam hanc mediam quam expressit, aliæ intelliguntur extremæ. Sed et pœna furti, secundum temporum varietatem et causæ exigentiam potuit apud Judæos esse diversa.

Ait autem Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est : hoc est, in 9
hoc die gratia conversionis et meritum veræ salutis, concessa sunt desuper patrifamilias hujus domus, et ejus domesticis, qui illius exemplo pœnituerunt ; fuitque in cordibus illorum factus dies spiritualis, lucente in eorum mente Sole justitiæ, qui tenebras vitiorum et noctem peccati inde fugavit ; *eo quod et ipse* Zachæus *filius sit Abrahæ.* Circa hoc dicunt Beda, Glossa et Gorra, quod Zachæus dicitur filius Abrahæ, non carnis propagatione, sed virtutum imitatione, ita quod natione fuit gentilis. Quod et Ambrosius sentire videtur, dicendo : Zachæus nulla ingenitæ dignitatis nobilitate sublimis, exiguus meritis, sicut populus nationum. Sed quibusdam magis apparet, quod fuerit natione Hebræus : alias Judæi murmurando potius dixissent contra Christum, quod ad hominem gentilem divertisset, quam quod ad hominem peccatorem. Detestabilius enim reputabant accedere gentiles, quam peccatores Judæos. Propter quod in Actibus loquitur Petrus : Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam. (*Act.* X, 28.) Deinde, quia gentiles non tenebantur nisi ad restitutionem simpli, nisi forte in aliquo casu : et sic, si Zachæus fuisset gentilis, non dixisset de redditione in quadruplum. Quid horum sit verius, certum non reor, quanquam hoc certum sit, quod ista argumenta nihil concludant : quia et Judæi vocabant gentiles communiter peccatores. Nam et Paulus, Nos, inquit, natura Judæi, et non ex gentibus peccatores. (*Galat.* II, 15.) Zachæus quoque, ut dictum est, ex devotionis fervore, per modum supererogationis mentionem fecit de restitutione in quadruplum.

Venit enim in hunc mundum, per in- 10
carnationis mysterium, *Filius hominis,* hoc

est Christus Filius Virginis, *quærere*, do- A
cendo, et per diversa loca eundo ad ho-
mines, *et salvum facere*, hoc est a pec-
catis et pœnis æternis eripere, atque ad
felicitatem cœlestem reducere, *quod per-
ierat*, hoc est genus humanum in primo
parente originaliter vitiatum, et ob origi-
nale peccatum gratia et gloria privatum,
multis quoque actualibus et personalibus
posterorum peccatis infectum ac perdi-
I Tim. I, 15. tum. Idcirco dicit Apostolus : Fidelis ser-
mo, et omni acceptione dignus, quia Jesus
Christus venit in hunc mundum peccato- B
res salvos facere. Et per Isaiam de Christo
Is. LIII, 4. prædictum est : Vere languores nostros
ipse tulit, et dolores nostros ipse porta-
Matth. I, 21. vit. Angelus quoque dixit ad Joseph : Ipse
salvum faciet populum suum a peccatis
eorum.

Ecce iste Zachæus omnibus nobis in
exemplum est positus, ut ejus pœniten-
tiam, fervorem, liberalitatem et pietatem
sectemur. Quod si quis paratus non est
injuste habita in quadruplum reddere, sal-
tem in simplum restituat ; et si alter ex C
sua defraudatione damnum perpessus est,
non in ablato dumtaxat, sed etiam in aliis
quæ per licitum usum ablati quivit lu-
crari, studeat pro posse satisfacere atque
refundere. Unde et mora in restituendo
est periculosa ac vitiosa, quum alter dam-
num patiatur ex ea.

11 *Hæc illis audientibus*, hoc est, discipu-
lis Christi, ceteris quoque qui aderant, au-
dientibus quod Christus dixit se venisse
ad quærendum atque salvandum quod per-
iit, *adjiciens* quæ sequuntur, *dixit para-* D
bolam quæ statim subjungitur ; *eo quod
esset prope Jerusalem*, hoc est, civitati illi
propinquaret ; *et quia æstimarent* disci-
puli ejus ac alii, *quod confestim*, hoc est,
mox quum Jesus in Jerusalem advenisset,
regnum Dei manifestaretur, hoc est, re-
gnum quod Deus per Prophetas Christum
habiturum prædixit, evidenter possidere-
tur et haberetur a Christo : juxta illud
Is. IX, 7. Isaiæ, Super solium David et super re-
gnum ejus sedebit. De quo et angelus di-
xit ad Virginem : Dabit illi Dominus Deus Luc. I, 32.
sedem David patris ejus, et regnabit in
domo Jacob in æternum. Judæi quippe,
imo et discipuli Christi ante ipsius ascen-
sionem, credebant Christum in primo suo
adventu temporaliter in hoc sæculo, cum
maxima opulentia et magnificentia regna-
turum, promissa Prophetarum de Christi
regno loquentium ad litteram carnaliter
intelligentes. Propter quod Apostoli in die
ascensionis locuti sunt Christo : Domine, Act. I, 6.
si in tempore hoc restitues regnum Is-
rael ? Et quia Jerusalem fuit Judææ urbs
metropolitana ac regia, putabant Christum
in ea suum solium positurum, statim
quum hac vice eam fuisset ingressus :
præsertim quia jam tot ac tanta fecit mi-
racula, ita quod a plurimis credebatur es-
se Messias rex Israel, multaque millia se-
quebantur eum, tanquam parata ipsum
acceptare in regem. Unde et paulo post,
scilicet in die Palmarum, occurrerunt ei Joann. XII, 12, 13.
cum mirabili reverentia quasi regi Mes-
siæ. — *Dixit ergo* sequentem parabolam, 12
ad excludendum ab eis istum errorem.

Homo quidam nobilis, hoc est Christus
secundum utramque suam naturam præ-
nobilis, quia secundum divinitatem ex Pa-
tre æterno æternaliter natus, et secundum
humanitatem ex Virgine regiæ ac Davidi-
cæ stirpis ortus, *abiit in regionem longin-
quam*, hoc est de hoc mundo in cœlum
empyreum, de quo fertur in Psalmo : Pla- Ps. CXIV, 9.
cebo Domino in regione vivorum ; *accipe-
re sibi regnum* super universos ordines
angelorum : qui licet ab exordio mundi
fuerint Christo subjecti secundum quod
Deus est, tamen in sua ascensione cœpit
speciali modo super eos regnare etiam
secundum suam humanitatem ut Verbo
unitam. Omnes enim angelici spiritus sub-
duntur ac serviunt homini Christo, et pur-
gantur, illuminantur ac perficiuntur ab
eo, imo et ab ejus humanitate, seu anima,
secundum divini Dionysii documenta. *Et
reverti* in die judicii, ad dandum singulis
quod merentur, quemadmodum in Apo- Apoc. XXII, 12.
calypsi fatetur : Ecce venio cito, et merces

Digitized by Google

mea mecum est, dare unicuique secundum A opera sua.

Potest autem et ita exponi : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam,* hoc est, de summo cœlo venit in hunc mundum inferiorem, quemadmodum
Ps. xviii, 7. scriptum est : A summo cœlo egressio ejus. Propter quod Christus apud Joan-
Joann. iii, 13. nem loquitur de se ipso : Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. *Accipere sibi regnum,* hoc est, ex electis Judæis et gentilibus colligere sibi populum, in B quo regnaret per gratiam. Unde in Psal-
Ps. ii, 8. mo Pater loquitur Filio : Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, etc. Per Zachariam quoque de Christo præ-
Zach. ix, 10. dictum est : Potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad terminos terræ. *Et reverti* in fine mundi, vel paulo ante, quando per ejus virtutem et gratiam Judæi generaliter convertentur ad fidem per prædicationem Eliæ,
Malach. iv, 5, 6. ut in Malachia legitur. De quo et Paulus
Rom. xi, 25, 26. ad Romanos testatur : Cæcitas ex parte C contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.

13 *Vocatis autem decem servis suis,* hoc est cunctis credentibus : qui per decem signantur, propter Decalogi adimpletionem, per quam digni sunt servi Dei vocari ; vel, quia denarius est primus limes numerorum, sequentesque numeri sunt replicationes ipsius, ac partium ejus. Potest quoque per servos istos specialiter accipi ordo prælatorum, prædicatorum, si- D ve doctorum. *Dedit illis decem mnas,* hoc est varia dona tam gratiæ gratum facientis, quam gratiæ gratis datæ; nec omnibus æque multum, sed unicuique secundum ipsius virtutem, seu capacitatem. Hinc ait
I Cor. xii, 8-10. Apostolus : Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii genera linguarum, alii discretio spirituum, alii
Ibid. vii, 7. interpretatio sermonum ; itemque, Unusquisque proprium donum habet a Deo.

Porro, secundum Glossam, mna decem drachmas appendit seu valet.

Et ait ad illos : Negotiamini dum venio, hoc est, beneficiis donisque Dei vobis concessis fructuose utamini, crescendo in eis, et multiplicando ea per opera bona seu merita, sicque per bona vitæ præsentis mercando bona gloriæ vitæ futuræ : et hoc, per totum tempus vitæ istius, usque ad finem sæculi, in quo ad judicandum redibo. Interim namque est status merendi ac demerendi. Hæc est negotiatio spiritualis ac bona, qua regnum cœlorum emitur paupertate, quies æterna temporali labore, honor et gaudium regni cœlestis, confusione et dolore incolatus terrestris. Hinc apud Matthæum ait Salvator : Simile Matth. xiii, 45.
est regnum cœlorum homini negotiatori. Est autem et negotiatio sæcularis, quæ in loco sacro prohibetur, de qua dicit Christus : Nolite domum Patris mei facere do- Joann. ii, 16.
mum negotiationis.

Cives autem ejus, puta Judæi, de quo- 14
rum terra et populo secundum carnem natus est Christus, *oderant eum.* Nam et Pilatus scivit quod per invidiam tradidis- Matth. xxvii, 18.
sent eum. Et apud Joannem asserit Christus : Odio habuerunt me gratis. Imo, in Joann. xv, 25.
tantum oderant eum, quod gravis fuit eis Sap. ii, 15.
ad videndum. Cujus causa in libro Sapientiæ clarissime aperitur, ubi in eorum persona asseritur : Tanquam nugaces æs- Ibid. 16, 12, 16, 15.
timati sumus ab illo, et improperat in nos peccata legis ; et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et dissimilis est aliis vita illius. Impletumque fuit in eis, quod in Proverbiis Salomonis legitur : Non Prov. xv, 12.
amat pestilens eum qui se corripit. Quorum perversitatem nunc multi sequuntur, qui ab animarum suarum respuunt curari vulneribus, et indesinenter vulnerant semetipsos. *Et miserunt legationem post illum :* hoc est, post Christi ascensionem conati sunt evangelicam fidem ac legem, regnumque Christi in terra destruere. Ad quod faciendum quosdam hinc inde miserunt : quorum ad tempus unus exstitit Paulus, transiens ad Damascum ad perse- Act. ix, 1, 2.

quendum ibidem Christianos. Hinc in Je- A
Jer. XI, 19. remia dicitur : Eradamus eum de terra
viventium, et nomen ejus non memoretur
ultra. *Dicentes : Nolumus hunc regnare*
super nos, hoc est, Jesus iste non est Mes-
sias in lege et Prophetis promissus. Unde
Joann. XIX, 15. apud Joannem dicitur : Non habemus re-
gem nisi Cæsarem. De quibus a Daniele
Dan. IX, 26. legitur prophetatum : Non erit ejus popu-
lus qui eum negaturus est.

15 *Et factum est ut rediret* ad generale
judicium, ad quod in fine sæculi veniet
Christus, *accepto regno :* quia ante finem B
sæculi pene totus mundus convertetur ad
Malach. IV, 5, 6. Christum, præcipue Judæi per Eliam, et
ceteri, potissimum Antichristo occiso. Pro-
Dan. VII, 14. pter quod per Danielem scribitur : Dedit
ei, scilicet Pater Christo, potestatem, et
regnum, et honorem ; et omnes populi, tri-
bus et linguæ servient ei. *Et jussit vocari*
servos quibus dedit pecuniam, id est, cre-
dentes jubebit ad judicium suum adduci
Rom. XIV, 10; II *Cor.* V, 10. per angelos, dicente Apostolo : Omnes nos
stare oportet ante tribunal Christi ; *ut sci-*
ret, id est, per retributionis effectum, et C
judicialem suam sententiam, eos scire at-
que aliis sciri faceret (juxta quem modum
scriptum est in Exodo : Dixit Dominus
Exod. XXXIII, 5. ad filios Israel : Jam nunc depone ornatum
tuum, ut sciam quid faciam tibi), *quantum*
quisque negotiatus esset, id est, quantum
in bonis operibus fructificasset, spiritua-
leque lucrum de donis Dei sibi concessis
Luc. XII, 48. fecisset. Cui enim plus datum est, plus
requiretur ab eo ; et qui ad altiora se
obligavit, ad perfectiora tenetur. Unde de
prælatis et prædicatoribus hæc spirituali- D
Sap. VI, 6. ter possunt exponi : de quibus tunc du-
rissimum fiet judicium, quia commissæ
sunt eis animæ, pro quarum salute Chri-
Ibid. 7, 9. stus dignatus est crucifigi ; tuncque poten-
tes potenter patientur tormenta, et forti-
oribus fortior cruciatus instabit, ut dicitur
in libro Sapientiæ.

16 *Venit autem primus, dicens : Domine,*
mna tua decem mnas acquisivit. Per hunc
primum servum divino tribunali in die
judicii præsentandum, intelliguntur qui
majora gratiæ dona sortiti sunt, atque eis-
dem fructuose sunt usi, sicut qui ultra
præcepta servant consilia, vel pastorale
officium digne adimplent. Itaque primus
dixit : Domine, mna tua, id est gratia mi-
hi a te præstita, decem mnas acquisivit,
hoc est, copiosum fructum te cooperante
produxit : sicut Apostolus protestatur, Gra- I *Cor.* XV, 10.
tia Dei in me vacua non fuit. *Et ait illi* 17
Christus infallibilis judex : *Euge, serve*
bone, id est, virtuose, qui bonitatem tibi
concessam diffudisti, communicasti, au-
xisti. Bonum enim est sui diffusivum, ut
S. Dionysius effatur. Euge, hoc loco, est
interjectio designans affectum commen-
dantis ; non insultantis, sicut in Psalmo
quo fertur, Ferant confestim confusionem *Ps.* XXXIX, 16.
suam qui dicunt mihi, Euge, euge. *Quia*
in modico fuisti fidelis, id est, bonis vitæ
præsentis, quæ comparatione futurorum
bonorum, parva et pauca sunt, laudabi-
liter usus es ad gloriam Dei, ædificatio-
nemque proximi, et tui ipsius salutem,
eris potestatem habens super decem civi-
tates, hoc est, abundantiorem felicitatem
atque honorem sortieris in cœlis, et pro
omnibus, ac ab omnibus, quibus fuisti
cooperator salvationis, glorificaberis in su-
pernis. Nam et post judicium manebit in
Beatis ordo dignitatis, ac congruæ ad in-
vicem honorationis. Unde dicit Apostolus :
Quæ est spes nostra, aut gaudium, aut I *Thess.* II, 19.
corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum ?

Et alter venit, dicens : Domine, mna 18
tua, hoc est gratia tua mihi collata, *fecit*
quinque mnas, hoc est, competentem et
mediocrem fructum produxit. Per hunc
intelliguntur, qui divina præcepta serva-
re contenti sunt. *Et huic ait : Et tu esto* 19
super quinque civitates, hoc est, propor-
tionatum tibique debitum suscipe præmi-
um et honorem in cœlo, ubi omnes sunt
reges, utpote gloria et honore coronati.

Et alter venit, dicens : Domine, ecce 20
mna tua, quam habui repositam in su-
dario, hoc est, donum quod a te suscepi,
et quo fructuose usus non sum, illud
multiplicando, tibi reporto. Porro sudari-

Digitized by Google

um dicitur vestis qua facies a sudore detergitur, vel mortuorum corpora involvuntur. Per hoc ergo quod dicit se mnam in sudario posuisse, signatur quod a bonis operibus mortua fuit, vel propter vitam carnalem nec sibi nec aliis profuit. Quo
II Cor. vi, 1. contra dicit Apostolus : Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; itemque,
I Tim. iv, 14. Noli negligere gratiam Dei quæ in te est.
21 *Timui enim te.* Si vere timuisset timore filiali, vitasset peccata amore justitiæ, et ne Dei offensam incurreret; si vero timuisset Deum timore servili, vitasset saltem quodammodo quædam peccata timore pœnarum. Potest tamen hic timor intelligi pusillanimitas bene agendi, qua quidam retrahuntur a bonis operibus. *Quia homo austerus es.* Christus namque in judicio terribilis erit et rigorosus. Nunc quoque ipse, qui in se ipso pius et dulcis est, quibusdam perversis videtur austerus, in quantum præcipit quæ eis dura seu difficilia apparent ac displicent, eaque prohibet quæ eis delectabilia exstant et complacent. *Tollis quod non posuisti,* hoc est, plus requiris quam contulisti; *et metis quod non seminasti,* hoc est, tibi adscribis et adscribi requiris quod personaliter non effecisti. Hoc servus iniquus ideo dicit, quoniam Christus de donis gratiæ quæ donavit, spirituale lucrum, ut dictum est, exigit, totumque bonum quod operatur homo per gratiam ejus, sibi prin-
Joann. xv, 5. cipaliter jubet adscribi, dicens : Sine me
Osee xiii, 9. nihil potestis facere. Et per Osee : Perditio tua ex te; in me tantummodo auxilium tuum. Hæc autem Christus justissime facit, quia ad hoc nobis habitus donorum atque virtutum largitur, ut per eos procedamus in actum; nec sic totum sibi attribuit, quin opera bona imputet nobis ad meritum, et pro eis copiosissimum conferat præmium, remunerans ultra condignum.

22 *Dicit ei* Judex : *De ore* (vel secundum quosdam, *Ex ore*) *tuo te judico,* hoc est, ex propriis verbis tuis jam contra me dictis te reprobo, reumque comprobo : sicut

A ait Scriptura, Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. Unde Matth. xii, 37.
in Job legitur : Os tuum condemnabit te, Job xv, 6.
et non ego; et labia tua respondebunt tibi. *Serve nequam,* quia fraudulentus in Dominum tuum, et ei calumniam irrogans, piger ad bene agendum, pronus ad impie accusandum, protervus ad emendandum. Itaque quod pro sui excusatione se apte dixisse putavit, vertitur ei ad culpæ augmentum. Ideo grandis fatuitas est propria excusare peccata, quia ut ait
B Bernardus, in animam suam peccat, qui se ipsum excusat, tanquam a se indulgentiæ medicinam repellens, et vitam gratiæ sibi ore proprio intercludens. Quæ enim major nequitia, imo et major stultitia, quam contra propriam armari salutem, et linguæ mucrone semetipsum confodere? Ideo orat Psalmista : Non declines cor Ps. cxl, 4.
meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Agamus ergo quod sanctus Job ait : Vias meas in conspectu Job xiii, 15, 16.
Dei arguam, et ipse erit salvator meus.

C *Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi :* hoc est, si durum et rigorosum me noveras, quare cognitio ista non induxit te ad timoratius fructuosiusque vivendum, attendendo quod mea diligentius essem exacturus? *et quare non de-* 23
disti pecuniam meam ad mensam? id est, cur donum gratiæ tibi concessum non expendisti ad aliorum spiritualem refectionem, instructionem, seu ædificationem? *et ego veniens* ad judicium universale vel
D particulare, id est, per actum judicialem te visitans, *cum usuris utique,* hoc est spiritualibus lucris, profectibus, seu meritis tui ipsius vel alterius qui ex te ædificatus est seu profecit, *exegissem eam,* id est, rationem de ea quæsissem, et præmium contulissem. Hoc enim exigit Christus, ut de bonis quæ præstitit, proficiamus nobis ipsis ac aliis. Per hunc servum intelliguntur negligentes rectores et infructuosi doctores, inutilesque fideles, qui nec sibi nec aliis sunt fideles ac utiles,

imo magis nocivi : de quibus ait Apostolus, (II *Tim.* III, 13.) Mali homines proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes.

24 *Et adstantibus,* scilicet angelis, qui Deo ad obediendum, ministrandum, laudandum, contemplandum, atque fruendum indesinenter adsistunt seu adstant, juxta illud Danielis (*Dan.* VII, 10.) : Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei; *dixit : Auferte ab illo* nequam servo *mnam,* hoc est donum gratiæ sibi collatum : quod dicitur auferri, quantum ad habitum, vel quantum ad usum seu fructum. Angeli vero hoc auferunt, suam administrationem non amplius impendendo hominibus post hanc vitam, vel ostendendo quod homo juste privetur gratia sibi data, vel exsecutioni divini judicii cooperando, secundum illud Matthæi (*Matth.* XIII, 41, 42.) : Mittet Filius hominis angelos suos; et eos qui faciunt iniquitatem mittent in caminum ignis. *Et date illi qui decem mnas habet,* hoc est, qui abundanti gratia sibi donata, cum abundanti fructu optime usus est. Quanto enim quis in spiritualibus bonis plus quotidie proficit, tanto amplius gratia ejus augetur, et cunctæ ejus virtutes perficiuntur. Nam gratia bono ipsius usu meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici. Tullius quoque ait : Scientia est nobilis animæ thesaurus, quæ distributa recipit incrementum, et avarum dedignatur possessorem, et nisi publicetur, elabitur. Cui concordat illud Ecclesiastici (*Eccli.* XLI, 17.) : Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Porro gratia ab uno auferri et alteri dari asseritur, non quod eadem numero sic tollatur et detur, quum accidens non migret de uno subjecto in aliud; sed quia in specie similis sic confertur, et fructum gratiæ, quem unus, si bene vixisset, consecutus fuisset, consequitur alter. Angeli vero dant gratiam talem alicui, disponendo et cooperando seu illuminando, vel impetrando.

25 *Et dixerunt* angeli *ei : Domine, habet*
decem mnas, hoc est gratiarum charismata
26 copiosa. *Dico autem vobis* ego Christus omnium judex, *quia omni habenti dabitur,* id est, habenti gratiam cum usu fructuoso ipsius, major gratia adjicietur, *et abundabit* in spiritualibus bonis; *ab eo autem qui non habet* usum seu actum gratiæ, ad quem gratia ordinatur, utpote a servo acedioso; vel, Qui non habet, hoc est, in comparatione quorumdam electorum, parum aut quasi nihil gratiæ habet, quia quod modicum est pro nihilo, secundum Philosophum, reputatur; *etiam quod habet,* id est ipsum habituale seu modicum gratiæ donum, *auferetur ab eo.* Ipse enim peccando illud amittit, se ipsumque illo privat, et sibi id aufert quodammodo effective, Deus vero seu angeli permissive.

Verumtamen inimicos meos, hoc est infideles, præcipue Judæos incredulos, *qui noluerunt me regnare super se.* 27 Pilato quippe dicente, Regem vestrum crucifigam? responderunt indurati Judæi (*Joann.* XIX, 15.), Non habemus regem nisi Cæsarem. De quibus apud Jeremiam habetur (*Jer.* V, 11, 12.) : Prævaricatione prævaricata est in me domus Israel, et domus Juda, ait Dominus; negaverunt Dominum et dixerunt, Non est ipse. De quibus verificatur quod per Osee Dominus loquitur (*Osee* VII, 13, 15.) : Recesserunt a me; et ego erudivi eos, et roboravi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam. *Adducite huc,* hoc est ad meum tribunal. In die namque judicii, angeli sancti deferent reprobos resuscitatos ad judicii locum, prout in Matthæo asserit Christus (*Matth.* XIII, 49.) : In consummatione sæculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum. *Et interficite ante me,* hoc est, in conspectu meo in ignem æternum projicite, æternaque morte per approbationem dignos judicate. Hæc est mors æternæ pœnæ atque miseriæ, de qua in Apocalypsi inducitur (*Apoc.* XXI, 8.) : Timidis autem, et incredulis, et exsecratis, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure : quod est mors secunda. In quam infelicissimam, acerbissimam et indeficientissimam mortem angeli sancti pariter trudent atque projicient

Digitized by Google

universum illum reproborum tristissimum cumulum, scilicet in infernum, ut dictum est.

Quidam exponunt hæc de interfectione Judæorum per Titum et exercitum Romanorum, quæ in ultionem sanguinis Christi facta est quadragesimo secundo anno post passionem ipsius : ad quam impiorum occisionem Deus instigavit Romanos, in quantum fiebat in sanguinis Christi vindictam, quamvis Romani hoc ignorarent, atque ob aliam causam id perpetrarent : quemadmodum per Jeremiam et Ezechielem asseruit se adducere Chaldæos contra Judæos pravissimos, prædictorum temporibus Prophetarum, ut patet in libris eorum.

28 *Et his* parabolice *dictis, præcedebat* discipulos, verbis et factis instruens eos ad animi fortitudinem atque constantiam, ut essent parati ad mortem pro fide seu justitia sustinendam, *ascendens Jerosolymam,* in qua se statim passurum præscivit et prænarravit : sicque facto monstravit quod verbis prædixit. In quo exemplum dedit prælatis voluntarie præeundi ad pœnam et mortem pro salute gregis eis commissi, aut etiam aliorum, quum fuerit opportunum, prout in libris Machabæorum de quodam sic scribitur : Eleazarus ætate provectus, gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. Hinc in epistola Joannis scriptum est : In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit ; et nos debemus pro fratribus animas ponere.

II *Mach.* vi, 18, 19.

I *Joann.* iii, 16.

29 *Et factum est, quum appropinquasset* Jesus *ad Bethphage et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti.* Secundum Glossam, Bethphage fuit villa seu viculus sacerdotum prope montem Oliveti. Habebant enim sacerdotes veteris Testamenti vicos extra civitatem ad alendum pecora sua. Bethania quoque villa fuit non longe a latere montis præfati. Sciendum vero quod Lucas non observat hic stricte ordinem rei gestæ. Primo etenim venit Christus in

A Bethaniam, scilicet sabbato ante Ramos palmarum ; et ibi tunc factum est convivium, de quo in Joanne legitur, in quo Lazarus unus fuit discumbentium, et Martha ministrabat. Die autem sequenti, veniens Jesus a Bethania ad Jerusalem transivit per Bethphage, quæ erat in medio, et sic venit ad montem Oliveti, qui ideo sic vocatur, quoniam multæ olivæ crescebant in eo.

Joann. xii, 2, 12.

Misit duos discipulos suos. Eisdem rationibus misit duos, quibus, ut in expo-
B sitione decimi capituli dictum est, misit discipulos suos binos ad prædicandum. Dicuntque aliqui, quod secundum Chrysostomum, duo isti fuerunt Petrus et Philippus : quorum alter, scilicet Petrus, Cornelium quasi asinum, Philippus Samariam quasi asinam, per fidem adduxit ad Jesum, sive convertit. Sed juxta hoc, istud de Philippo apostolo non posset intelligi, quoniam ipse Samariam non convertit ; sed de Philippo, uno de septem primis diaconibus, qui convertit Samariam, ut in
C Actibus describitur, prout ibidem expositores testantur. Verumtamen Chrysostomus illud non asserit, sed in expositione cujusdam perhibet se legisse. Et si rite recordor, legi quod Origenes hoc dixerit. Qui vero hi duo discipuli fuerint, Scriptura non exprimit, nec certum est.

Luc. x, 1.

Act. vi, 5; viii, 5 *et seq.*

Dicens : Ite in castellum, hoc est in 30
civitatem Jerusalem : quæ vel despective vocatur castellum, quia non fuit in ea vera unio civium, sed magna dissensio atque invidia ; vel propter situm loci, quia in
D montibus posita erat, et ob fortitudinem murorum munitionumque ejus. Potest quoque, ut aliqui putant, per castellum intelligi aliqua domus lapidea seu fortalitium juxta murum, in qua, vel prope quam asina fuit. *Quod contra vos est,* id est ex opposito vestri, secundum localem distantiam ; vel, Contra vos, quia me vestrum Dominum ac magistrum habitatores ejus nituntur occidere, vosque dispergere. *In quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum* præsepi aut alteri rei, ne va-

Digitized by Google

gando discurrat, *cui nemo unquam homi-
num sedit,* hoc est, super quem nullus
hucusque sedit ad viam agendam, ob pulli
juventutem et teneritudinem. *Solvite il-
lum et adducite mihi.* In Matthæo habe-
Matth. xxi, 2. tur, quod Jesus dixit : Invenietis asinam
alligatam et pullum cum ea, solvite et
adducite mihi. Unde elicitur, quod utrum-
que animal fuit ligatum et a Christo jus-
31 sum adduci. *Et si quis vos interrogaverit,
Quare solvitis* pullum? *sic dicetis ei, Quia
Dominus operam ejus,* id est ministratio-
nem, *desiderat :* non ob suam necessi-
tatem absolutam, sed propter Scripturæ
verificationem, et ad nostram informatio-
nem, ac mysticam rationem, quia per pul-
li sessionem figurabatur quod Christi im-
perio gentilitas esset subdenda, ita quod
I Cor. vi, 20. illud Apostoli adimpleret : Glorificate et
32 portate Deum in corpore vestro. [*Abierunt
autem qui missi erant, et invenerunt sic-
ut dixit illis, stantem pullum.*]
33 *Solventibus autem illis* duobus Christi
discipulis *pullum, dixerunt domini ejus,*
scilicet pulli, id est custodes, vel eo fre-
quenter utentes, si non ad sedendum, ta-
men ad aliqua alia. Ut enim communiter
fertur, pullus et asina communibus ho-
minum usibus deputabantur. *Quid solvitis
pullum,* super quem nullus usque nunc
34 sedit? *At illi dixerunt : Quia Dominus
eum necessarium habet :* secundum mo-
dum prædictum, et propter causas jam
tactas. Sed quid sciverunt illi quem di-
scipuli Christi designarent nomine Domi-
ni? Ad quod respondetur, quod forte jam
audierunt Jesum Nazarenum illuc veni-
re, et ex habitu seu aliis signis notabant
quod illi duo essent discipuli ejus, fuitque
tunc rumor communis, quod Jesus esset
rex Messias : unde per Dominum intelli-
35 gebant Jesum. *Et duxerunt illum,* scili-
cet pullum simul cum asina, *ad Jesum.
Et jactantes vestimenta sua super pul-
Matth. xxi, 7. lum,* imo et super asinam, secundum
Matthæum, ut Jesus mollius decentiusque
sederet, *imposuerunt Jesum* super pul-
36 lum, reverentialiter ministrando. [*Eunte
autem illo, substernebant vestimenta sua
in via.*]

Circa hæc multa quæri possent ac dici,
utpote de mystica significatione castelli
et pulli ac asinæ, et an Christus succes-
sive super utrumque animal sedit. De qui-
bus, quia super Matthæum hæc scripsi,
nunc nihil dicam.

Et quum appropinquaret jam ad de- 37
*scensum montis Oliveti, cæperunt omnes
turbæ descendentium* cum Jesu de altio-
ribus locis circa montem hunc. Vel, De-
scendentium, id est, de Jerusalem, quæ
altius sita fuit, ei obviantium : quia sicut
in Joanne legitur, turba multa quæ ve- Joann. xii, 12, 13.
nerat ad diem festum, quum audisset quia
venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ra-
mos palmarum et processerunt obviam ei.
Gaudentes spirituali jucunditate de omni-
potentia Dei et mirabilibus ejus factis per
Christum, *laudare Deum voce magna,* id
est devota ac sonora, *super omnibus quas
viderant virtutibus,* hoc est universis Chri-
sti miraculis divina virtute peractis, quæ
corporalibus oculis fieri conspexerunt, *di-* 38
centes : Benedictus, id est, omni bona di-
ctione seu appellatione dignus, et sanctus,
sive laudatus est et sit, *qui venit rex in
nomine Domini,* id est in Deo, videlicet in
virtute et secundum voluntatem ipsius at-
que ad gloriam ejus. *Pax in cœlo,* hoc est,
in cœlesti regno est pax æternitatis, pax
imperturbabilis et completa, hoc est sem-
piterna tranquillitas, deliciosissima, incon-
cussibilis et consummata quietatio mentis
omnium Beatorum in Deo. Porro, per hoc
quod dicunt, Pax in cœlo, designatur re-
conciliatio generis humani cum Deo et
angelis sanctis facta per Christum, quem-
admodum de Christo ait Apostolus : Pa- Coloss. i, 20.
cificans per sanguinem crucis ejus, sive
quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis. Sic-
que exponi potest : Pax, id est pacificatio,
est in cœlo Dei et angelorum ad homi-
nes. Præterea quæri potest, cur Christo
nascente angeli cecinerunt, Pax in terra Luc. ii, 14.
hominibus, nunc vero ipso ad passionem
tendente, clamitant turbæ, Pax in cœlo.

Digitized by Google

Ad quod dicitur, quia in Christi incarnatione et nativitate pax vera, scilicet Christus, de cœlo in terram descendit, sed per passionem ipsius, ascendit pax ista in cœlum. *Et gloria in excelsis,* id est, honor, glorificatio, beatitudo, lætitia sit Deo in cœlestibus habitanti, cui debetur omnis honor et gloria. Unde et supra angeli cantasse leguntur, Gloria in altissimis Deo : ubi hæc plenius exponuntur. (Luc. II, 14.)

39 *Et quidam Pharisæorum de turbis,* id est, inter populos istos tunc exsistentes, *dixerunt ad illum,* scilicet Christum : *Magister.* Non audebant ei irreverenter loqui, timore plebis. *Increpa discipulos tuos,* id est istos qui te tam excellenter collaudant; vel, Discipulos tuos, qui istud præ ceteris faciunt, seu alios ad hæc inducunt. Hoc ex invidia protulerunt, quoniam Christum spernebant, nec regem Israel esse credebant, nec a Deo venisse.

40 *Quibus ipse ait : Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Tanquam dicat : Hanc diem præordinavi, ut in ea debitus mihi honor exhibeatur, et quis ac qualis sim ostendatur, ne per ignorantiam vos excusare possitis quod mihi non creditis. Idcirco si homines mea non loquerentur præconia, saxa aliquibus signis, scissuris, aut motionibus, majestatem meam mirabiliter declararent. Quod etiam in Christi constat passione completum, secundum Glossam. Nam ipso in cruce pendente petræ scissæ sunt, suisque scissionibus Creatori suo quasi compatiebantur, ejusque eminentiam ipso facto sunt protestatæ. (Matth. XXVII, 51.) Possunt quoque per lapides, dura gentilium corda intelligi, quorum quidam, puta centurio et ei consimiles, videntes mirabilia quæ in Christi passione fiebant, glorificaverunt Deum dicentes : Vere hic homo Filius Dei erat. (Ibid. 54; Marc. XV, 39.)

41 *Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam.* Corporaliter urbi Jerusalem appropinquavit, a qua et corporis circumscriptione distabat, qui secundum suam divinitatem, universum incessabiliter mundum implet. Denique, quum

A eam corporalibus oculis adspexisset, signum præcipuæ compassionis monstravit, præsentem civitatis iniquitatem atque futuram ipsius calamitatem ac pœnam deflendo : qui non solum secundum quod Deus, sed etiam secundum scientiam suam creatam ac inditam, civitatem illam omnemque ejus proprietatem et qualitatem, ab incarnationis exordio infallibiliter vidit intellectuali intuitu; sed hac vice sensibiliter ea visa, præcipuæ compassionis motum sponte assumpsit, quam et materialibus (B) lacrimis tanquam signo certo ostendit. — Præterea, lacrimatus est Jesus : primo, in sua nativitate, secundum sanctos doctores; secundo, in sua circumcisione, secundum Bernardum et alios ; tertio, in Lazari suscitatione, ut fertur apud Joannem; quarto, in hac processione; quinto, instante sua passione, quando et sudor ejus factus est sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (unde ad Hebræos dicitur : Cum clamore valido et lacrimis preces offerens) ; sexto, in sua (C) passione, in qua et sæpius præ acerbitate dolorum sponte ploravit. (Joann. XI, 35. Luc. XXII, 44. Hebr. V, 7.)

Itaque, videns urbem præfatam, ejusque pulchritudinem exteriorem, deflevit ipsius culpam, et pœnam tam temporalem quam æternam. Nomine autem civitatis habitatores ejus intelliguntur. *Dicens : Quia* 42
si cognovisses, id est, si miseriam et eversionem tibi imminentem cognosceres, *et tu* utique fleres, quæ modo infeliciter excæcata lætaris quum malefeceris, et exsultas in rebus pessimis, quia propriam (D) perversitatem non pensas, et pœnas tibi debitas ac instantes non prævides. (Prov. II, 14.) Hoc modo quotidie homines virtuosi, pravorum excæcatorumque hominum obtenebrationem internam ac damnationem æternam deplorant, qui nesciunt cur deflentur: de quibus Salomon protestatur, Relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas. (Ibid. 13.) Hanc Christi pietatem sectari debemus, quia et ipse tanquam piissimus, etiam inimicæ civitatis calamitatem deflevit. Unde et nos, non solum amicorum,

sed etiam inimicorum mala deflere et pro A ipsis orare debemus, dicente Apostolo :
II Cor. XI, 29. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non scandalizor? Sic
Job XXX, 25. et sanctus Job ait : Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. Induratis vero in vitiis et cunctis iniquis condolendum est jugiter. Propter quod in Ecclesiastico as-
Eccli. XXII, 13. seritur : Luctus mortui septem dies; fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum. — Refert Augustinus in libro de Civitate Dei, quemadmodum quidam princeps mi- B litiæ Romanorum, civitatem Syracusanam opulentissimam atque pulcherrimam mox capturus et oppressurus, primo in eminenti stans loco, ruinam illius deplanxit.

Et quidem in hac die tua, hoc est in tempore parvo et labili quo tuis vanitatibus, non Creatoris tui vivis honori et cultui, *quæ ad pacem tibi,* id est, ea habes quæ ad tuam carnalem fallacemque pertinent pacem. Hoc modo filii sæculi hujus, qui in concupiscentiis suis ac propriis voluntatibus ambulant, qui temporaliter C prosperantur, hac carnali et deceptoria pace fruuntur : qui in transitoriis ac sensibilibus rebus sibi finem constituunt, atque in talibus mente utcumque quiescunt.
Ps. LXXII, 3. De quibus ait Psalmista : Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. De
Job XXI, 9, 13. quibus in Job habetur : Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super illos; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt. Est autem et alia pax vera, spiritualis, interna, quæ est tranquillitas mentis in Deo : qua D
Is. LVII, 21. carent iniqui, juxta illud Isaiæ, Non est pax impiis, dicit Dominus. De qua in Jo-
Joann. XIV, 27. anne ait Salvator : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Quam inter fructus Spiritus ponit Apostolus ad Galatas, di-
Galat. V, 22. cens : Fructus autem Spiritus est : caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas.

Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, hoc est, adversa tibi imminentia nunc te latent, quia et mihi ea tibi prænuntianti credere aspernaris. Horum periculosissimam securitatem multi sectantur, qui ex longanimitate et patientia Dei audentius peccant et deteriores redduntur, in consuetudinem peccati ruentes. Propter quod in Ecclesiaste dicitur : Quia non ci- Eccle. VIII, 11.
to profertur contra malos judicium, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala; itemque, Sunt impii, qui ita securi Ibid. 14.
sunt, quasi justorum facta habeant. Istis competit illud Sapientiæ : Dixerunt im- Sap. II, 1, 6.
pii, apud se cogitantes non recte : Venite, fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter.

Quia venient dies in te, id est contra 43
te; *et circumdabunt te inimici tui,* puta Romani, videlicet Titus et Vespasianus cum exercitu Romanorum, *vallo,* id est aggere : quia (ut legitur) tres aggeres circa Jerusalem ad eam capiendam fecerunt. Vel, Vallo, id est exercitu suo, instar valli per gyrum urbis disposito, secundum illud Isaiæ : Circumdabo quasi sphæram in Is. XXIX, 3.
circuitu tuo, et jaciam contra te aggerem. *Et coangustabunt te undique,* hoc est, sic obsidebunt, ut egredi nec possis nec audeas, sed fame et siti ac aliis modis gravissime affligaris. Ad tantam enim angustiam habitatores Jerusalem devenerunt, ut mulieres proprios pueros comederent, ut in libro de Bello Judaico Josephus refert.

Et ad terram prosternent te : quia tam 44
homines quam ædificia Jerusalem prostraverunt Romani. Ideo subditur : *Et filios tuos,* id est cives, *qui in te sunt.* Civitas namque seu communitas, per modum matris se habet respectu particularium personarum contentarum in ea, quas fovet et protegit. *Et non relinquent in te lapidem super lapidem,* hoc est, funditus te subvertent. Hoc tamen per modum hyperbolicæ locutionis intelligi potest, quemadmodum in Judicum libro leguntur filii Judic. XX, 16.
Benjamin ita ad certum fundis jecisse lapides, ut capillum tangere potuerint. Legitur quoque, quod Tito ac Vespasiano destructa Jerusalem, ad sua reversis, Judæi, qui timore Romanorum in speluncis et silvis se absconderunt, redeuntes, cœ-

Digitized by Google

perunt civitatem Jerusalem reparare, et A sacra loca venerari. Quo cognito, miserunt Romani Ælium Adrianum, qui postea fuit imperator : a quo civitas Jerusalem fuit tunc omnino subversa, ita quod lapis super lapidem non remansit.

Denique, quoniam pœnam Deus infligit propter culpam, et pœnam graviorem propter culpam majorem, consequenter Christus subjungit causam et culpam propter quam tot mala pœnalia fuerant infligenda. *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ,* hoc est, non advertisti neque B incognoscere voluisti istis diebus me regem Messiam esse missum ad te, nec credis me esse Christum, nec meum agnoscis adventum. Nam etsi ad tempus aliqualiter ista noverunt, tamen tempore procedente, et Christo eos acriter increpante, propria sunt invidia excæcati. Itaque visitatio Christi sumitur hic in bono, et fuit ejus in mundum hunc missio, incarnatio, et inter homines conversatio, prædicatio. De qua
Luc. I, 68. supra locutus est Zacharias : Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fe- C cit redemptionem plebis suæ; itemque,
Ibid. 78. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Ad hanc Judæorum excæcationem applicatur
Is. I, 3. illud Isaiæ prophetæ : Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Et illud Jere-
Jer. VIII, 7. miæ prophetæ : Milvus in cœlo cognovit tempus suum; populus autem meus non intellexit judicium Domini.

Præterea, Christus Filius Dei, Deus et D homo, visitavit genus humanum, sicut creator creaturam, sicut dominus servum, sicut medicus ægrum, sicut redemptor captivum, sicut salvator damnatum, sicut vita mortuum, sicut magister ignarum. Unde per Zachariam prophetam hortatur :
Zach. II, 10. Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui. Sed, heu! reprobi et ingrati filii hominum non cognoverunt creatorem, salvatorem, doctorem, et medicum suum : imo, instar phreneticorum, et tanquam furiosi infirmi, insilierunt in eum, et manus sacrilegas injecerunt in ipsum, juxta illud Joannis :
Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non *Joann.* I, 5, 11.
cognoverunt; in propria venit, et sui eum non receperunt. In quibus impletum est
quod per Osee Dominus protestatur : Ego *Osee* VII, 13, 15.
redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia; et ego erudivi eos, ipsi autem recesserunt a me, et in me cogitaverunt malitiam.

Et ingressus in templum. Quum enim 45
intrasset civitatem Jerusalem, primo ingressus est templum : Primo, quia ut ipsemet dixit, in his quæ Patris sui erant, *Luc.* II, 49.
oportuit eum esse, hoc est in templo et actibus sacris quos in templo exercuit. Itaque primo hoc fecit propter Patris sui honorem, quemadmodum ait apud Joannem : Ego honorifico Patrem meum. Se- *Joann.* VIII, 49.
cundo, propter nostram ædificationem, ut scilicet civitatem quamcumque ingrediendo, primo intremus ecclesiam, adoremusque Dominum. Hinc ait Chrysostomus : Tu Christi imitator, quum ingressus fueris aliquam civitatem, ante omnem actum ad ecclesiam curras. Tertio, ut abusiones quæ erant in templo, corrigeret, et zelum Dei atque justitiæ nos habere doceret contra peccata. Nam subditur, *cœpit ejicere vendentes in eo et ementes.* Apud Joannem legitur, quod flagello de funiculis facto illos *Ibid.* II, 15.
ejecit. Verumtamen Joannes loquitur ibi de alia ejectione, illa videlicet quæ contigit paschali solennitate primo sequenti post mutationem aquæ in vinum : ideo non videtur tam certum, an ista quoque ejectio per flagellum tale sit facta. Utraque tamen valde mirabilis fuit, atque (ut asserit Origenes) mirabilior mutatione aquæ in vinum, suscitationeque Lazari : quia tot hominum mentes compescere, vires ligare, ingenia immutare, mirabilissimum fuit. Egrediebatur quippe quidam divinus splendor ex vultu et oculis Unigeniti Dei, quo territi, non audebant neque valebant reniti. Ex quibus probatur, quod sæculares actus non debent in ecclesia exerceri.

Digitized by Google

Fecerunt autem principes Judæorum in A primo atrio templi ex avaritia tria loca venalibus : in quorum uno sedebant vendentes, in alio nummularii, in tertio alii : et hoc ideo, ut nullus se posset excusare ab oblatione. Si enim non detulerunt secum offerenda, invenerunt ea ibi venalia ; et si pecuniam non habebant, invenerunt ibi nummularios ad mutuandum paratos : qui tamen in hoc commoda et emolumenta propria quæsierunt. Nam, quia
Deut. XXIII, 19. sub manifesta usura concedere prohibiti
erant fratribus suis Judæis, mutuabant eis B
propter quædam munuscula fructuum.

Dicit hoc loco Gorra : Per istos vendentes et ementes, designantur septem genera hominum ab ecclesia expellenda. Primi sunt sæcularibus actibus dediti. Hinc placita non debent in ecclesia fieri. Secundi sunt tumultuosi, ne devotionem impediant divini Officii. Tertii sunt clerici negotiatores, quia non licet eis negotiari,
II *Tim.* II, 4. dicente Apostolo : Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Quarti sunt
simoniaci ; quinti, excommunicati ; sexti, C
interdicti ; septimi, contentiosi. Ad quorum omnium ejectionem, jam vix sufficerent funes magni, quum multi sint vitiis his infecti. Dicit quoque Chrysostomus : Qui voluerit esse mercator, projiciatur de
Ps. LXX, 15, 16. ecclesia, dicente Psalmista : Quoniam non
cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini. Et simile huic Cassiodorus ait. Ex quibus videtur negotiationis officium esse omnino illicitum : quod secundum Thomam in secunda secundæ, verum est de negotiatione quæ solum atque fi- D naliter fit intuitu lucri, non propter finem licitum et honestum.

Itaque Christus ejecit de templo vendentes et ementes ; et ne videretur hoc irrationabiliter agere, allegavit Scripturam,
46 *dicens : Scriptum est* in Isaia, in persona
Is. LVI, 7. Dei dicentis : *Domus mea,* hoc est templum, seu materialis ecclesia divino cultui consecrata, *domus orationis vocabitur,* id est locus divini Officii, non sæcularium illicitorumque actuum aut confabulationum. Enormiter igitur peccant, qui sacris locis abutuntur, et eis irreverentiam irrogant : ut qui intrant ecclesiam ut inspiciant feminas, et feminæ intrantes ut videant viros ; et qui ibi lascive hinc inde adspiciunt, aut libidinose ac sceleratissime concupiscunt, aut aliis se ostentant ; et qui ibi fabulationibus, scurrilitatibus, jocis risibusque intenti sunt. Nec in cœmeteriis debent ludis aut aliis actibus vanis, sed Dei laudibus, orationibus, contemplationibus, prædicationibus et sacris oblationibus ibidem cum omni reverentia et devotione vacare, ne alia ibi fiant, nisi propter quæ constructus ac Deo dedicatus est locus, cui et propter dignitatem Sacramenti honor debetur præcipuus. *Vos autem fecistis eam speluncam latronum,* id est similem tali speluncæ, tot scelera exercendo in Dei domo, in qua et animas spiritualiter occidistis, aliquos forsitan corporaliter trucidastis, sicut in primo templo lapidatus fuit Zacharias filius Joiadæ. Unde per II *Par.* XXIV, 21.
Jeremiam loquitur Dominus : Numquid *Jer.* VII, 11.
spelunca latronum facta est domus ista?

Et erat quotidie docens in templo. Hoc 47
verum est quantum ad certum tempus, quia in die Palmarum et duobus diebus sequentibus ; non autem feria quarta, quia tunc mansit in Bethania, et proditor vendidit eum. Itaque Christus passione sua instante, a prædicationibus et sanctis increpationibus non cessavit : quo docemur, ne timore mortis aut cujuscumque incommodi cessemus a spiritualibus actibus debitis. Per quod etiam quorumdam increpatur pigritia, qui dum senescunt, exponunt se otio et corporali quieti, quum adhuc gregi sibi commisso, ac aliis multis possint prodesse, imo tunc cum majori reverentia audirentur. Advertant hi quod
ait Salvator : Qui perseveraverit usque in *Matth.* XXIV, 13.
finem, hic salvus erit.

Principes autem sacerdotum, puta pontifices, *et Scribæ,* id est legis doctores, *et principes plebis,* videlicet inferiores rectores et seniores populi, *quærebant illum*
perdere, id est Christum occidere ; *et non* 48

inveniebant quid facerent illi, hoc est, modum exsequendi suam malitiam non invenerunt, quoniam ex timore communitatis non audebant in Jesum mittere manum. Ideo subditur : *Omnis enim populus suspensus erat,* id est mente valde attentus ad doctrinam atque miracula Christi, *audiens illum* prædicantem, auribus mentis et corporis. Nempe, ut evangelista
Matth. xxi, 14. Matthæus testatur, Christus eadem hora multos cæcos aliosque curavit infirmos.

Ecce qualiter invidia mentem excæcat, quomodo ambitio parit invidiam, qualiter passiones rationem subvertunt, et quanta est cordis humani malitia. Nam quanto Salvator præclariora egit miracula, quo gloriosius prædicavit, quo plures habuit audientes, quo magis honorabatur a populo; tanto infelicissimi principes, Scribæ, Pharisæi senioresque Judæorum vehementius torquebantur invidia, et accendebantur, non aliud cogitantes, nisi qualiter eum possent opprimere qui eos sapientia, eloquentia, fama, sanctitate, miraculis superavit. Erant namque valde ambitiosi, avari et vani : idcirco suum magisterium parvi pendi cernentes, et Christum magnificari ab omnibus, graviter affligebantur. Unde
Joan. xii, 19. dixerunt : Videtis quia nihil proficimus? ecce totus mundus abiit post eum. Et, proh dolor ! horum perversitatem multi sequuntur, inter quos sunt zelus et contentio, detractio et infelicium suspicionum tumultus, dum unus veretur ne alius eum in honore præcedat : qui utinam mutuo in veris virtutibus superare studerent.
Ps. iv, 3. Quibus recte clamat Propheta : Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendaci-
Ps. xxxix, 5. um? Verum, ut idem fatetur : Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Postremo, juxta tropologicum intellectum, quemadmodum Dominus Jesus videns civitatem Jerusalem, eam deflevit : sic unusquisque veraciter christifidelis considerans deformitatem ac ruinam militantis Ecclesiæ, seu cujuscumque eccle-
A siasticæ personæ aut animæ, ex caritatis fraternæ compassione eam deplorat, pro ipsa precatur, ei subvenire conatur; eique loquitur : Quia si cognovisses, id est, rite attenderes, quæ et quanta tibi instent pericula, quanta sustinebis (nisi pœniteas) supplicia; et tu fleres, te ipsum ac vitam tuam corrigeres, quæ modo non pensas, quoniam sæculari prosperitate et pace carnali perfrueris, et per eas ac ceteras tuas iniquitates sic obtenebraris ac falleris, quod ad salutem tuam spectantia non per-
B pendis. Sed venient dies, in quibus hi ab invisibilibus hostibus suis circumdabuntur, impugnabuntur, angustiabuntur, vincentur, id est, ad æternalia pertrahentur tormenta. Quod totum in hora mortis præcipue agitur. Circumdant namque dæmones peccatorem, ad ejus dejectionem concorditer propinquando; vallumque ei parant, varias decipiendi calliditates ei ponendo; impugnant eum, vitia suggerendo; angustant eum, dire alliciendo, aut per adversa terrendo ; vincunt et ad terram prosterC
C nunt, ad consensum ac prava opera perducendo. Et non relinquunt in eo lapidem super lapidem, id est virtutem unam alteri innitentem : quia dum homo ad mortale ruit peccatum, mox gratiam et virtutes infusas amittit, quarum una corroborat aliam, et una innititur alteri, quemadmodum in exercitu bene disposito unus alteri præbet subsidium. Unde, secundum unam considerationem, fides dicitur fundamentum virtutum; secundum aliam, humilitas; secundum aliam, caritas, sine qua
D nullius virtutis actio exstat meritoria. — At vero, quoniam domus Dei est anima vere devota, quæ est sedes et thronus Sa- Sap. vii, 27.
pientiæ increatæ, videamus ne anima nostra fiat spelunca latronum, id est habitatio dæmonum, vitiis inhærendo, aut alicui detrahendo seu invidendo; ne etiam fiat domus negotiationum, ita ut pro bonis quæ agimus, laudes requiramus humanas aut commoditates carnales, sed soli Deo placere et semper adhærere, æternaliterque uniri quæramus.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIII

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI : ET FACTUM EST IN UNA DIERUM, DOCENTE ILLO POPULUM IN TEMPLO ET EVANGELIZANTE.

QUUM in sacratissimo die Palmarum audissent principes, Scribæ, Pharisæi et seniores Judæorum Jesum a populo regem Israel, id est Messiam, vocari, et maximis commendari præconiis, vidissentque eum cum ingenti honore pene ab omnibus suscipi, et in civitatem Jerusalem introduci, quem statim post resuscitationem
Joann. xi, 47-53. Lazari concorditer definierunt occidere ; vehementissime sunt turbati, pluresque modos excogitaverunt quibus eum possent circumvenire et capere, prout partim in præsenti tangit capitulo Evangelista.

1 *Et factum est in una dierum,* videlicet feria secunda post Palmas, ut patet ex his
Matth. xxi, 18, 23 et seq. quæ a Matthæo scripta sunt, *docente illo,* scilicet Christo, *populum* communem, qui eum reverenter audivit, *in templo, et evangelizante,* id est, bona æternæ beatitudinis nuntiante. Docuit enim eos moralia, utpote vitia fugere, virtutum exercitiis inhærere ; et evangelizavit eis æternam salutem esse eis præstandam, si suis obedirent doctrinis. *Convenerunt principes sacerdotum,* id est pontifices, in quibus fuit major auctoritas, *et Scribæ,* hoc est doctores, in quibus fuit major scientia legis, secundum aliquem modum, *cum senioribus,* in quibus fuit maturior ætas, et successerunt
Num. xi, 16, 24. septuaginta senioribus, quos Deo jubente instituit Moyses, ut secum onus populi ferrent. Isti omnes videntes tantam esse Christi sapientiam, facundiam, efficaciam atque constantiam, quod facile superari non poterat, simul venerunt, ut sua eum multitudine, auctoritate, excellentia, peritia, obruerent, terrerent ac vincerent.

2 *Et aiunt, dicentes ad illum : Dic nobis, in qua potestate hæc facis?* id est, qua
A auctoritate assumis tibi istud prædicandi officium, et attrahis tibi populum, et increpas eos quos vis, quæ omnia spectant ad nostram auctoritatem nobis legitime datam ? *Aut quis dedit tibi hanc potestatem?* quasi dicant : Quum tu non sis Deus, propter quod a te ipso potestatem istam non habes, volumus a te audire, a quo habeas eam. Non enim habes eam a nobis, nec ab imperatore, neque a senatu, nec de sacerdotali es tribu, nec credimus quod a Deo habeas eam. Videtur ergo,
B quod usurpatorie facias ista, et præsumptuose ad ea te ingeras dæmone instigante. Isti potissimum Christo fuerant invidentes. Nam sacerdotes apud se cogitaverunt : Nos eramus quasi columna populi nostri, et nunc populus innititur huic tanquam columnæ. Scribæ quoque dixerunt : Nos eramus quasi viva et sonans lingua Scripturæ, et jam iste facundissime sonat, nec amplius resonat musa nostra.

Respondens autem Jesus, dixit ad illos: 3
Interrogabo vos et ego unum verbum com-
C plexum, videlicet unam quæstionem ; seu, Unum verbum, id est unam rem verborum complexu significatam. Sæpe enim verbum pro sermone aut re ipsa per verbum significata accipitur. Unde in libris Regum loquitur Ezechias : Non fuit ver- IV Reg. xx, 15; Isa. xxxix, 2, 4.
bum in domo mea, quod non ostenderim eis. *Respondete mihi* ad unum verbum seu unam interrogationem, vos qui duas mihi quæstiones proposuistis. Christus sa- I Cor. i, 24.
pientia Patris, omnium cordium arcana conspiciens, sciens illos non desiderio in-
D structionis, sed malitiose interrogare, non respondit eis evidenter ad interrogata, sed quasi clavo clavum retundens, sic eis re-

Digitized by Google

spondit sicut promeruerunt; et talem eis A
proposuit quæstionem, ex cujus solutione
fuissent confusi et victi, et ex cujus so-
lutione omissa, nihilo minus confunde-
bantur.
4 Itaque interrogavit : *Baptismus Joannis
de cœlo erat, an ex hominibus? hoc est,
an ex divina auctoritate et commissione
cœlesti Joannes Baptista populum bapti-
zavit, an ex humana tantummodo insti-
tutione, commissione aut præsumptione?
Vocatur autem baptismus Joannis quasi
ministri : et quia in illo baptismo gratia B
non dabatur, sed totum quod fiebat in eo
fecit Joannes, quoniam tantum erat ibi
exterior lotio ex parte baptismi; ideo a
Joanne denominatur. Porro in Christi Ba-
ptismate datur gratia ex vi sacramenti,
idcirco denominatur a Christo seu Deo,
non ab Apostolis ceterisve ministris.
5 *At illi cogitabant intra se, dicentes,*
verbo mentali, non vocali : *Si dixerimus*
baptismum Joannis esse *de cœlo,* id est
divino cœlestique instituto, *dicet nobis :*
Quare ergo non credidistis ei, mihi testi- C
monium perhibenti atque dicenti de me,
Joann. III, 31. Qui de cœlo venit super omnes est; et,
Ibid. I, 29. Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi?
Imo tandem negaverunt et ipsum Joannem
esse prophetam, asserentes quod esset se-
Matth. XI, 18. ductor, juxta illud Matthæi : Venit Joannes
non manducans neque bibens, et dicunt,
6 Dæmonium habet. *Si autem dixerimus,*
Ex hominibus, hoc est, institutione seu
adinventione humana esse Joannis bapti-
smum; *plebs universa* a Joanne baptiza-
ta, *lapidabit nos.* Communis enim populus D
fuit pro maxima parte a Joanne beatissi-
Marc. I, 5. mo baptizatus, juxta illud Marci : Egre-
diebatur ad eum omnis Judææ regio, et
Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab
illo in Jordane. Unde et supra dictum est :
Luc. III, 21. Factum est, ut baptizaretur omnis popu-
lus. *Certi sunt enim,* id est, pro certo te-
nent, *Joannem esse prophetam.* Ad hoc
quippe firmiter sentiendum inducebantur,
Ibid. I, 5-23, 57 et seq. ex recordatione miraculosæ conceptionis
S. Joannis, et mirabilium quæ fiebant cir-

ca patrem Joannis, qui angelo sibi appa-
rente factus est mutus, et nato Joanne re-
cepit loquelam ; ex sanctissima quoque
conversatione Joannis, qui a puerilibus
annis eremiticam duxit vitam, et constan-
tissimus fuit zelator justitiæ : unde et tan-
tæ reputationis exstitit apud eos, quod
crediderunt eum esse Christum. Itaque
duæ causæ incitassent plebem ad lapida-
tionem istorum, si dixissent baptismum
Joannis ex institutione venisse humana.
Prima est, quia hoc reputassent fuisse in
derogationem Joannis, imo et Dei, quia si
ex hominibus fuisset ejus baptismus, tunc
Joannes fuisset pseudopropheta et præ-
sumptuosus. Secunda est, quia hoc repu-
tassent esse in derogationem sui, quia ex
hoc sequeretur quod fuissent decepti, ac-
cipiendo Joannis baptisma.
Et responderunt se nescire unde esset 7
Joannis baptismus. Hoc dixerunt ex timo-
re lapidationis suæ a populo, aut confu-
sionis seu devictionis a Christo, ut constat
ex dictis ; et tamen propria malignitate
obtenebrati, putabant jam baptismum Jo-
annis esse ex hominibus, non ex Deo, et
prædicationem ejus qua testimonium per-
hibuit Salvatori esse mendosam. Verum-
tamen in exordio baptizationis ac prædi-
cationis S. Joannis, potius putaverunt eum
esse verum prophetam, et ejus baptismum
esse de cœlo ; sed tempore procedente,
Joanne Christo testimonium dante, ab eo
aversi sunt, aliterque senserunt. *Et Jesus* 8
ait illis : Nec ego dico vobis in qua pote-
state hæc facio, quia malitiose interroga-
stis, et plana responsione estis indigni,
nec crederetis mihi, si veritatem quæsiti
vobis proferrem. Aliunde quoque hoc ad-
vertere debuerunt. Nam ante hanc inter-
rogationem Christus tam præclara, solique
Deo possibilia fecit miracula publice, quod
ex illis evidenter agnoscere debuerunt
eum desuper esse missum, atque divina
docere ac operari virtute. Itaque, non ex
impatientiæ motu, sed zelo justitiæ Chri-
stus sic perversis illis respondit.
Subinde Dominus Jesus per introductio-

Digitized by Google

nem parabolæ, ostendit beneficia Dei Pa- A
tris circa Judæos, et ingratitudinem ac
malevolentiam Judæorum, præsertim pon-
9 tificum et Scribarum. *Cœpit autem dicere*
ad plebem parabolam hanc. Plebs namque
eum gratanter audivit, et majores jam
confutavit. *Homo quidam plantavit vineam.* Quamvis per vineam possit Ecclesia
universalis militans designari, tamen hoc
loco, ad litteram per vineam intelligitur
Synagoga, videlicet populus veteris Testamenti, quæ in Scriptura veteris Testamenti multoties vinea appellatur : sicut in B
Ps. LXXIX, 9. Psalmo, Vineam de Ægypto transtulisti ; et
Osee x, 1. in Osee, Vitis frondosa Israel ; atque in
Is. v, 7. Isaia, Vinea Domini Sabaoth domus Israel
est, et vir Juda germen delectabile ejus.
Dicitur autem Synagoga et item Ecclesia vinea per similitudinem, quoniam instar vineæ, profert dulcem pretiosumque fructum, utpote filios spirituales, et actus virtutum.

Hanc vineam quidam homo, hoc est Deus Pater : qui dicitur homo, non quod corporalia habeat lineamenta aut huma- C
na, sed quia humanus, hoc est pius ac mitis, et intellectualis naturæ, ac ratio summa ; *plantavit* spiritualiter et corporaliter : quoniam corda eorum fundavit in lege et gratia sua, potissimum quantum ad electos ; atque in terra promissionis eos constituit, ac variis beneficiis radicavit eos ibidem ; *et locavit,* hoc est, sub promissione et spe beatificæ remunerationis regendam et excolendam commisit, *eam*
*alias colonis *agricolis**, hoc est prælatis atque rectoribus Synagogæ, videlicet Moysi, Aaron, ce- D
terisque Prophetis, regibus, judicibus, ac doctoribus Judaicæ plebis. Unde ait ad Je-
Jer. I, 10. remiam : Constitui te super gentes et regna, ut evellas et dissipes, et ædifices et plantes. Isaias quoque Synagogæ se esse
Is. XXI, 10. agricolam pandens, ait ad eam : Tritura mea et filia areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum revelavi tibi.

Præterea quæri potest, quomodo Ecclesia aut Synagoga dicta sit vinea, quum
Joann. XV, 1. apud Joannem dicat Salvator de se, Ego sum vitis vera ; quomodo rursus prælati et doctores vocentur agricolæ, quum ibidem asserat Christus, Pater meus agricola est. Joann. XV, 1. Et respondendum, quod per eamdem rem, secundum diversas ipsius proprietates significari possunt diversa : sicut per leonem, ratione fortitudinis exprimitur Christus, ratione crudelitatis, diabolus. Christus itaque vitis seu vinea appellatur secundum naturam suam humanam, quam Deus Pater, totaque Trinitas superbenedicta per dona gratiæ rexit, floridam fecit ac fecundavit. Synagoga vero propter causam prætactam dicitur vinea ; similiter Ecclesia. Porro, Deus Pater seu Trinitas summa appellatur agricola principalis, quia interius operatur, vitia exstirpando, gratiam et virtutes infundendo. Prælati vero et vicarii Dei exstant agricolæ instrumentales, extrinsecus operando, atque ad gratiam disponendo.

*Et ipse peregre fuit multis diebus** : *temporibus
hoc est, Deus Pater diu quasi absentem Synagogæ se exhibuit, plebem Judaicam libertati propriæ relinquendo (juxta illud Ecclesiastici : Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui, Eccli. XV, 14. hoc est in potestate proprii liberique arbitrii) ; ejus quoque pœnitentiam exspectando, atque judicium differendo, secundum illud Isaiæ : Propterea exspectat Is. XXX, 18.
Dominus ut misereatur vestri. Vel dicitur diu peregre defuisse, quantum ad negligentes, quia ut Salomon contestatur, Longe est Prov. XV, 29.
Dominus ab impiis. Hinc ait Ambrosius : Qui ubique præsens est diligentibus, abest negligentibus.

Et in tempore vindemiæ misit ad cultores servum suum. 10
Quidam per tempus vindemiæ intelligunt tempus judicii universalis aut particularis, quia tunc est tempus colligendi fructum operum virtuosorum. Cui expositioni non videntur consonare sequentia, in quibus describitur Deus misisse ad vineam istam tempore vindemiæ servos diversos per temporum intervalla, per quos intelliguntur Moyses et Aaron et posteriores rectores atque do-

Digitized by Google

ctores Synagogæ, et tandem Filium suum, A regem Messiam. Aptius ergo per tempus vindemiæ videtur intelligi tempus vitæ præsentis, in quo certis horis tenentur fideles insistere bonis operibus, et fructum proferre virtutum. Itaque, *in tempore vindemiæ,* hoc est tempore colligendi fructum : unde apud Matthæum habetur, Matth. xxi, 34. Quum autem tempus fructuum appropinquasset; *misit ad cultores,* hoc est præfatos agricolas vineæ, *servum suum,* videlicet Moysen, Judæorum legislatorem, et primum eorum in deserto prælatum, *ut de* B *fructu vineæ darent illi,* hoc est, opera virtuosa, ad quæ tenebatur Synagoga, Moysi assignarent, ostendendo eidem se observare legem eis desuper datam. Prælati namque opera bona a suis exigunt subditis. *Qui cæsum dimiserunt eum inanem,* hoc est, Moysen multipliciter afflixerunt, nec obtemperaverunt, sed rebelles ei fuerunt, Ps. cv, 32, 33. juxta illud Psalmi : Vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus. Propter quod dixit ad Dominum : Exod. xvii, 4. Quid faciam populo huic ? Adhuc C pauxillum et lapidabit me.

11 *Et addidit alterum servum mittere,* hoc est, post Moysen misit ad Synagogam alium servum, per quem quidam intelligunt David regem; et potest etiam per eum Samuel propheta intelligi : quorum uterque multum diligens fuit pro directione et salute Israeliticæ plebis. *Illi autem hunc quoque cædentes, et afficientes contumelia, dimiserunt inanem.* Nam Samuelem I Reg. viii, 5. ejecerunt ex principatu, dicentes : Constitue nobis regem. Similiter persecuti sunt D II Reg. xv-xviii. David, adhærentes ejus filio Absaloni, volueruntque sanctum David privare vita et regno, ut in libris Regum habetur. Nihilo minus per hunc servum secundum, potest intelligi chorus seu universitas judicum, qui præfuerunt plebi post Moysen : quorum quosdam injustissime Judic. viii, 1; xii, 1. afflixerunt, quemadmodum Ephratæi insurrexerunt contra Gedeonem et Jephthe, Ibid. ix, 3. et viri Sichimorum ingratissimi exstiterunt beneficiis Gedeonis. Similiter tribus Juda vinxit Samsonem, ut traderet eum Judic. xv, 13. in manus Philistinorum. Porro Samuel ultimus judicum fuit. Et omnia jam prætacta in libro Judicum sunt conscripta.

Et addidit tertium mittere. Post illos, 12 misit ad Synagogam chorum seu multitudinem Prophetarum, qui sub Samuele et David ac aliis regibus, primo ad unicum totum regnum, deinde ad utriusque regni populos missi, puta ad regnum Juda ac decem tribuum, populum erudierunt, et regum ac subditorum vitia acriter increpaverunt. *Qui et illum vulnerantes, ejecerunt :* hoc est, non solum verbis, sed et verberibus restiterunt Prophetis; et quosdam interfecerunt, videlicet Isaiam, Jeremiam, Amos, Uriam, et eos a suo ejecerunt consortio. Unde B. Stephanus dixit : Quem Act. vii, 52. Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ?

Dixit autem dominus vineæ, hoc est 13 Deus Pater omnipotens, legislator ac Dominus Synagogæ : *Quid faciam ?* Quod ait, Quid faciam ? non loquitur dubitando, sed maximam populi perversitatem insinuando, et quasi eis compatiendo, et de eorum ingratitudine quasi admirando. Tanquam dicat : Tam inique se habent, ut mirum sit; et quid restet agendum, quasi per modum deliberantis inquiram. Juxta quem modum ait in Genesi de Sodomitis : Descendam, Gen. xviii, 21. et videbo an juxta clamorem qui venit ad me, perficiant, an non, ut sciam. In Exodo quoque dixit ad filios Israel idololatrantes : Jam nunc depone ornatum tuum, Exod. xxxiii, 5. ut sciam quid faciam tibi. Denique Deus dicendo, Quid faciam ? docet nos ut suo exemplo in arduis deliberemus et consulamus quid agere debeamus. Unde Tobias monet : Consilium semper a sapiente perquire. Tob. iv, 19. In Ecclesiastico quoque : Sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. Eccli. xxxii, 24.

Mittam filium meum dilectum, hoc est, Unigenitum meum per incarnationis mysterium mittam ad Synagogam. Unde et Filius in Evangelio protestatur : Non sum Matth. xv, 24. missus nisi ad oves quæ perierunt domus

Digitized by Google

Israel. Porro Christum secundum deitatem diligit Pater amore prorsus immenso, non utique minus quam se ipsum; secundum naturam quoque assumptam, plus diligit eum quam totum residuæ creaturæ, quia hypostatico esse Verbi æterni conjunxit immediate Christi humanitatem. *Forsitan quum hunc viderint, verebuntur,* hoc est, dum Unigenitum meum incarnatum inter eos corporaliter conversari, miraculis, sapientia, eloquentia, sanctitate, præ omnibus radiare conspexerint, timebunt eumdem, nec persequi eum audebunt. — Quæri potest, cur Pater omnia certissime sciens ait, Forsitan, quod dubitationis est signum; cur etiam dixit, Verebuntur Filium meum, quum aliter fuerit atque evenerit, ut protinus subditur. Respondetur, quod ait, Forsitan, non ambigendo, sed libertatem humani arbitrii designando; et quod ait, Verebuntur Filium meum, non dicit quia sic erat futurum, sed quia merito sic fuisset. Ex hoc loco sancti doctores Hieronymus et Augustinus, sumpserunt contra impiissimos hæresiarchas Arium atque Eunomium argumentum, quia dixerunt Filium non esse Deum verum, eo quod dicat se diem ignorare judicii. Nam et Deus Pater ait hoc loco, Forsitan verebuntur Filium meum, quum tamen quod ait, Forsitan, exponi non possit tanquam dubitative prolatum, neque quod ait, Verebuntur Filium meum, tanquam assertorie aut ignorative expressum. Conformiter, quod Filius loquitur se diem judicii ignorare, non dixit, ignorantiam aliquam in se insinuando, sed quasi per modum ignorantis se habendo, quoniam inter suos conversans, de illa hora eos non informavit sicut de aliis quæ quærebant.

14 *Quem quum vidissent coloni,* hoc est præfati agricolæ et cultores, videlicet pontifices, Scribæ et seniores, *cogitaverunt intra se, dicentes,* verbo mentali, quoniam non audebant plebi manifestare machinationes suas adversus Christum : tamen sibi invicem indicaverunt suos conceptus, ut subditur. *Hic est heres,* hoc est verus rex Israel et Messias in lege promissus, Dominus Synagogæ. Ex quo videtur, quod cognoverunt Jesum esse Christum ac Filium Dei : quum tamen princeps Apostolorum testetur, Fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri; et Paulus, Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ad quod supra plene responsum est. Et super Matthæum circa hunc locum inde diffusius scripsi. Unde nunc in tantum tangi sufficiat, quod ad tempus aliqualiter cognoverunt Jesum esse Messiam, scientia conjecturali probabili; sed tempore procedente, Christo eos publice et acerrime reprehendente, intolerabilem contra eum invidiam ac displicentiam conceperunt, ex quibus excæcati sunt corde, et omnia facta ejus interpretabantur in pejus, ac priorem de Christo notitiam perdiderunt.

Act. III, 17. I Cor. II, 8. In Matth. XXI, 46.

Occidamus eum, ut nostra fiat hereditas, id est, principes et rectores Synagogæ manebimus, nec terram ac plebem perdemus. Hinc in Joanne legitur : Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in illum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. Tuncque audito consilio Caiphæ, ex illo die cogitaverunt interficere eum. Unde in Psalmo ait Salvator : Adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi. Propterea quippe Christum occiderunt, ne perderent hereditatem, hoc est templum, terram, et subditos : et tamen, quia Christum interfecerunt, perdiderunt omnia illa, et pervenit in eos ira Dei usque in finem, secundum Apostolum. Propter quod Christus ait in Psalmo : Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos; fiat habitatio eorum deserta : quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Joann. XI, 47-53. Ps. XL, 8. I Thess. II, 16. Ps. LXVIII, 25-27.

Et ejectum illum extra vineam, occiderunt, hoc est, Christum extra civitatem 15

Jerusalem, quæ fuit metropolis Synagogæ A seu plebis Judaicæ, crucifixerunt, juxta
Hebr. xiii, 12. illud ad Hebræos : Jesus, ut sanctificaret populum, extra portam passus est. Vel, Ejectum extra vineam, hoc est, de cordibus Judæorum exclusum, quia averterunt populum quasi totum a Christo, præsertim in die Parasceves, quando universus
Matth. xxvii, 25. populus exclamavit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros. Credentes quoque in Christum excommunicaverunt, se-
Joann. ix, 22. cundum illud Joannis : Jam conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse B Christum, extra synagogam fieret.

Quid ergo faciet illis dominus vineæ? hoc est, quam pœnam pro tanto facinore infliget illis Deus Dominus Synagogæ? Hoc Christus interrogavit, ut illos faceret magis attentos, atque ut enormitatem excessus illorum ostenderet : quia occisio Filii Dei fuit singulare, summum et incomparabile scelus, propter quod meruerunt usque in finem relinqui, et corporaliter spiritualiterque vastari ac trucidari. Hinc Christus personaliter ad interrogationem C
16 suam respondet : *Veniet,* non locum mutando, sed ultionem debitam exercendo, *et perdet colonos istos,* hoc est, tradet in manus Romanorum, et ab invisibilibus hostibus permittet eos penitus excæcari, atque ad sempiterna supplicia pertrahi. Sicque
Jer. xvii, 18. in eis impletum est illud Jeremiæ : Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine. Hoc et a Daniele apertissime est prædictum : ubi
Dan. ix, 26. postquam dictum est, Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non D erit ejus populus, qui eum negaturus est;
Ibidem. protinus subditur, Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. Unde præcedenti capitulo dixit Salva-
Luc. xix, 44. tor : Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. *Et dabit vineam aliis,* hoc est, Synagogam, quantum ad electos ex ea, committet regendam Apostolis, qui
Act. ii, 41; iv, 4. post Christi passionem et missionem Spiritus Sancti multa millia Judæorum converterunt, ex eis primitivam Ecclesiam construentes, sicut in Actibus Apostolorum describitur. *Quo audito dixerunt illi,* puta præfati coloni : *Absit.*

Circa hæc duplex oritur quæstio : Prima, quomodo Lucas affirmet ipsummet Christum respondisse hæc verba, Perdet colonos illos; quum in Matthæo scribantur coloni sic respondisse, Malos male per- Matth. xxi, 41.
det, etc. Secunda, quomodo Lucas scribat illos dixisse, Absit; quum Matthæus referat eos dixisse verba prætacta affirmative, Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis. — Ad hoc respondetur, secundum Augustinum libro de Concordantia Evangelistarum, quod Christus dixit parabolam istam in præsentia sacerdotum et Scribarum, ac plebis, in qua multi erant Christo faventes; qui etiam parabolam istam plenarie non intelligentes, primo responderunt, Malos male perdet : quorum responsionem Christus approbando, repetiit eam; et tunc sacerdotes et Scribæ intelligentes ad se pertinere parabolam, conscientia remordente dixerunt, Absit. Si autem objiciatur, quia secundum Matthæum, sacerdotes et Scribæ responderunt, Malos male perdet : dicendum, quod verba evangelistæ Matthæi determinate non exprimunt hoc, quia dicitur in Matthæo, Aiunt illi. Tamen ex ordine et contextu verborum satis apparet, quod ipsi coloni, scilicet sacerdotes et Scribæ, hoc responderunt. Quo concesso, dici potest quod quidam eorum simul cum plebe sic responderunt, et paulo post quidam acutius considerantes sensum parabolæ, dixerunt, Absit.

Porro Chrysostomus aliam præstat responsionem, dicendo quod Judæi sive coloni, corde responderunt quod scribit Matthæus, videlicet, Malos male perdet; ore autem dixerunt oppositum, prout recitat Lucas. Scriptura autem frequenter cogitationes cordis refert quasi dicta sermonis. Dicit quippe Chrysostomus quoddam notabile : Posuit, inquiens, quemdam spiritum scientiæ boni et mali Deus in hominibus,

ut quotiescumque peccemus, spiritus ille A in silentio factum nostrum accuset, et tacite loquatur ad animam, Hoc est malum ; et tunc homo, conscientia sua discussa, corde se peccasse fatetur, quamvis ore neget : quemadmodum servus in furto deprehensus, quamvis interrogatus an dignus sit cædi, respondeat ore, Non ; conscientia tamen dicit oppositum. At vero per spiritum scientiæ boni et mali, Chrysostomus, ut reor, intelligit synderesim, malo semper remurmurantem. Sic et isti Judæi aliter locuti sunt corde, et aliter ore. B

17 *Jesus autem adspiciens eos, ait.* Ad sacerdotes et Scribas corporalem visum suum specialiter dirigebat : Primo, ad innuendum quod eos notavit. Secundo, ad increpandum eos per talem adspectum, quod tam perverse et contra conscientiam responderunt : et sic zelo justitiæ fuit eis iratus, quemadmodum fertur et apud Marcum pro alia vice (Marc. III, 5.) : Contristatus super cæcitate cordis eorum, circumspiciens eos cum ira. Tertio, quia eorum errori ac calamitati futuræ condoluit : sicut et videns (Luc. XIX, 41.) C civitatem, flevit super eam. *Quid est ergo hoc quod scriptum est?* hoc est, si ut vos dicitis, vinea non est aliis danda, eo quod coloni ejus occiderunt heredem seu Christum, quem significat, aut qualiter verum est quod Propheta ait in Psalmo? (Ps. CXVII, 22.) *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes,* hoc est Christus lapis vocatus, quem præfati coloni ædificantes, hoc est populum instruentes et ad virtutum opera exhortantes, reprobaverunt, eum vituperando, et non Christum, sed seductorem esse asserendo (Matth. XXVII, 63.), D *hic factus est in caput anguli,* hoc est, constitutus est principium (Joann. VIII, 25.), in quo duo populi, utpote Judæi et gentiles, per fidem conjuncti sunt ad constituendam unam Ecclesiam (Ephes. II, 11 et seq.) : et per hoc Christus similis factus est lapidi angulari, in quo duo connectuntur parietes. Unde fidelibus scribit Apostolus (Ibid. 20.) : Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. De quo princeps Apostolorum ait (I Petr. II, 4.) : Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum. De hoc lapide habetur apud Danielem (Dan. II, 34, 35.) : Lapis qui abscissus est de monte sine manibus, factus est mons magnus, et implevit universam superficiem terræ. De quo et per Isaiam loquitur Deus Pater (Is. XXVIII, 16.) : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem angularem, probatum, pretiosum.

Denique Christus lapis vocatur, dicente Apostolo (I Cor. X, 4.), Petra erat Christus : Primo, propter suam immobilem fortitudinem, atque in omni adversitate patientiam firmam et inconcussam. Propter quod per Isaiam contestatur (Is. L, 7.) : Posui faciem meam ut petram durissimam. Unde Ezechieli prophetæ loquitur Deus (Ezech. III, 9.) : Ut adamantem et silicem dedi faciem tuam. Secundo, propter operationis suæ insuperabilem potestatem : idcirco de lapide isto in Daniele asseritur, quod comminuit statuam (Dan. II, 45.). Tertio, propter ædificationis super ipsum aptitudinem summam : de quo Paulus testatur (I Cor. III, 11.), Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.

Omnis qui ceciderit super lapidem illum, conquassabitur ; super quem autem ceciderit, conteret illum. 18 Quicumque mortaliter peccat, graviter cadit. Fideles autem dum peccant, dicuntur cadere super lapidem angularem præfatum, videlicet Christum : quia etsi caritatem ac gratiam perdant, tamen manent in fide et spe informi, et ita non penitus conteruntur, quamvis spiritualiter lædantur seu conquassentur. Sed frequenter pœnitendo resurgunt, et cautiores fortioresque fiunt, sicut ait Apostolus (Rom. V, 20.) : Ubi abundavit delictum, superabundat et gratia. Porro infideles peccando penitus conteruntur, quia nequaquam per fidem in Christo fundantur : ideo nec resurgunt. Itaque, *Omnis qui ceciderit super lapidem illum,* hoc est omnis Christianus mortaliter peccans, *conquassabitur,* quia desinit spiritualiter esse ; tamen in fide et spe persistendo, aliquid

Digitized by Google

boni habet, aptitudinemque sortitur ad pœnitendum. *Super quem autem ceciderit* lapis iste seu Christus, id est infidelis mortaliter peccans, super quem irruet Christus judex per judicii sui rigorem, *conteret illum* per finalem damnationem : quemadmodum de Judæis incredulis in Je-
Jer.xvii,18. remia legitur, Duplici contritione contere eos, Domine Deus noster.

Sed ex his sequi videtur, quod graviora sint infidelium quam impiorum Christianorum peccata atque supplicia, quoniam plus est conteri seu prorsus comminui, quam conquassari : quum tamen hujus oppositum communiter asseratur, et in multis exemplis legatur, præsertim dicente
I Tim.i,13. Apostolo : Ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Quo constat, quod ignorantia incredulitatis aliquo modo alleviet culpam. Et respondendum, quod quamvis eodem genere peccati, et ceteris paribus, malus Christianus peccando gravius peccet quam infidelis (juxta quod ait Salvator supra duodecimo
Luc.xii,47, 48. capitulo : Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, plagis vapulabit multis ; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis); nihilo minus infidelitas ipsa est culpa gravissima, et pondus offensionis peccati infidelitatis præponderat diminutioni aliorum vitiorum propter incredulitatis ignorantiam : ideo infideles peccando penitus conteruntur. Et quamvis fideles, ut dictum est, absolute loquendo, gravius peccent; tamen propter informes fidem et spem in eis manentes, aptiores et propinquiores sunt ad spiritualiter resurgendum; et etiam aliqua bona ex genere agunt secundum præcepta Dei atque Ecclesiæ, quamvis non faciunt ea meritorie : unde et per talia sæpe disponuntur ad gratiam.

19 *Et quærebant principes sacerdotum et Scribæ mittere in illum manus* violentas *illa hora, et timebant plebem* magis quam Deum. *Cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit* Christus *similitudinem istam* de vinea : et ita ipso facto desideraverunt
A verificare verba Christi, occidendo heredem, et ostendendo se esse pravissimos agricolas ac colonos, qui de caritativa instructione, pia comminatione, vera conclusione, deteriores effecti sunt. Quibus assimilantur impatientes, et omnes qui de salubri correptione et justa correctione efficiuntur pejores, se mendaciter excusando, aut indignando, obloquendo, seu qualitercumque nocendo : quibus competit illud Amos, Odio habuerunt corripientem, Amos v,10.
et loquentem perfecte abominati sunt. De
B talibus fertur in Isaia : Dicunt adspicientibus : Nolite nobis adspicere ea quæ recta Is. xxx, 10.
sunt ; loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Apostolus quoque : A veritate, inquit, auditum avertent, ad fabulas II Tim. iv, 4.
autem convertentur. In quibus impletur et illud : Quasi qui apprehenderit cum auribus canem, ita qui corripit impatientem. Prov. xxvi, 17.
— Hic quæri posset, utrum et qualiter præfati Judæi Christum noverunt. De quo quia superius, et item super Matthæum diffuse tractatum est, id ipsum prætermitto. In Matth. xxi, 46.

C Insuper, quoniam sacerdotes, Scribæ et Pharisæi non audebant violentiam Christo, timore plebis, inferre, excogitaverunt aliam viam circumveniendi eumdem, quemadmodum subditur. *Et observantes,* id est, 20
verba et facta Christi ad reprehendendum, non ad credendum et imitandum, considerantes et explorantes. Quorum sectatores sunt multi, qui proximos suos observant ad accusandum et calumniandum, et proprios defectus atque excessus pensare ac plangere negligunt. Quibus Salomon lo-
D quitur : Qui observator est malorum, opprimetur ab eis. Prov. xi, 27.
Et rursus ait Scriptura : Stultitia est homini auscultare per ostium. Eccli. xxi, 27.
Miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, id est, ex verbis et responsionibus Christi reprehendere possent eum : ut quem veritate vincere non valebant, circumvenirent et vincerent calliditate, non attendentes neque verentes illud Job, Simulatores et callidi provocant iram Dei ; Job xxxvi, 13.
nec illud Proverbiorum, Vir versutus odiosus est. Prov. xiv, 17.

Itaque non accesserunt in persona pro- A
Matth. xxii, 16. pria, sed ut in Matthæo asseritur, miserunt ad eum discipulos suos cum Herodianis, quatenus ab illis observaret se minus. *Et traderent illum principatui,* id est dominationi Herodis, *et potestati præsidis,* puta Pilati. Vel utrumque refertur ad præsidem, intelligendo per principatum, dominationem sive militiam ejus; per potestatem vero, judiciariam ejus auctoritatem. Sic et quidam versipelles ac impii proximos suos observant, et ficte ac callide sciscitantur, ut eos valeant accusare. Quibus B
Eccle. x, 8. continget : Qui fodit foveam, incidet in eam; et qui dissipat sepem, mordebit eum
Jer. ix, 8. coluber. De talibus loquitur Jeremias : Sagitta vulnerans, lingua eorum; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.

21 *Et interrogaverunt illum, dicentes : Magister, scimus quia recte,* id est vere ac juste, *dicis,* seorsum loquendo, *et doces,* publice prædicando. Porro, ut ait Anselmus, veritas est rectitudo sola mente perceptibilis. *Et non accipis personam,* C hoc est, nullius intuitu aut amore recedis a veritate et æquitate, nec contra justitiam alicui parcis. Unde in Actibus Aposto-
Act. x, 34. lorum asserit Petrus : In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus. Hujus contrarium agunt quidam prælati, principes, judicesque injusti, uni delinquentium, præsertim potentioribus, carioribus propinquioribusve parcentes, et alterum punientes. Propter quod quidam philosophus leges principum telis comparavit aranearum, quæ imbecilliores capi- D unt muscas, et fortiores evadere sinunt. Similiter peccant, qui non ex caritate et zelo justitiæ, sed ex prava radice, videlicet odio, indignatione, impatientia, ira, cupiditate, corripiunt ac puniunt reos. *Sed in veritate viam Dei doces,* id est, divina præcepta, documenta atque consilia, quibus de peregrinationis hujus exsilio ad summæ salutis pertingitur patriam, veraciter, absque falsitatis admixtione, proponis ac instruis.

Hanc adulationem præmiserunt, ut emollirent, et vane delectarent, ac sibi allicerent mentem Christi ad respondendum pro voluntate eorum. Istud quippe hypocritis et versutis est proprium, simulatorie commendare, placentia loqui, apparatu, verbo ac signis blande se applicare, sicque alterius animum enervare, abducere, et ad beneplacitum suum attrahere : quemadmodum bestiæ quæ potestate nequeunt comprehendi, blanda fricatione ac variis simulationibus capiuntur. Unde mox quæstionem proponunt.

Licet nobis tributum dare Cæsari, an 22
non? Pompeius princeps Romanus, Judæam subjugavit Romanis, et ex tunc Romani exegerunt a Judæis tributum : quod et Judæi solverunt. Postmodum Scribis et Pharisæis visum est, Judæos, utpote populum Dei peculiarem, non debere tributum dare terrenis principibus, nec legibus subjacere humanis, quia divina lege regebantur, atque in templo decimas primitiasque solvebant. Quibusdam vero Judæis videbatur oppositum, eo quod Romani pro pace militabant communi. Ideo Christo proposuerunt quæstionem istam determinandam, quatenus quidquid responderet, reprehenderetur. Si enim diceret non esse solvendum, mox eum accusarent præsidi, tanquam rebellem Romano imperio; si vero respondisset esse solvendum, judicarent eum divino derogare honori et legi. Et affectabant ut Christus diceret tributum Cæsari non esse solvendum, non ideo principaliter ut viderentur a debito solutionis illius immunes, sed ut accusare possent ac morti tradere Salvatorem.

Considerans autem dolum illorum, vide- 23
licet simulationem invidiosam. Ipse enim Joann. ii, 25.
sciebat quid esset in homine; et omnium cordium secreta, et quidquid in creaturis est, cognovit, non solum ut Deus, scientia increata, sed etiam secundum assumptam naturam in Verbo æterno, creata scientia. *Dixit ad eos : Quid me tentatis?* id est, frustra et irrationabiliter me deci-

Digitized by Google

pere conamini per ficta et adulatoria verba. — Denique adulatio est grave peccatum; et qui alium laudat incaute, aut ei ficte blanditur, grandi eum exponit periculo, utpote gloriæ vanæ, qua omnem quam habet gratiam et virtutem amittat. Hinc Augustinus : Duo, inquit, sunt persequentium genera : unum est vituperantium, aliud adulantium. Magis persequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris. Adulator equidem perimit animam, corpus occisor. Merito igitur ait Psalmista:
Ps. v, 7. Virum sanguinum et dolosum abomina-
Ps. li, 4. bitur Dominus. Et rursus : Sicut novacula acuta fecisti dolum. Quemadmodum namque acuta novacula crines abscindit, sic adulator tollit virtutem. Hinc zelo justitiæ contra adulatores et bilingues Propheta
Ps. xxvii, 3. succensus, testatur : Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordi-
Ibid. 4. bus eorum. Deinde precatur : Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum. — Propterea Dominus Christus istos adulatores ac fraudulentos dure redarguit : primo, ut adulationes et fraudes semper vitemus; secundo, ut adulatores strenue refellamus,
Ps. cxl, 5. cum Propheta psallentes : Corripiet me justus in misericordia et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

24 *Ostendite mihi denarium,* qui ad imperatoris præceptum solvitur pro tributo. Quumque ostendissent Christo denarium, interrogavit : *Cujus habet imaginem et inscriptionem,* id est superscriptionem exaratam in nummo? Non ex ignorantia hoc quæsivit, sed ut ex eorum responsione daret eis irreprehensibilem solutionem. Ideo subditur : *Respondentes dixerunt : Cæsaris,* puta Tiberii, quo imperante passus
25 est Christus. *Et ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* hoc est ea quæ ei ex rationabili institutione debetis, puta censum, tributum, obsequium. Hæc namque spirituali libertati et subjectioni sub Deo, ad quas ordinatur lex divina, non derogant, quia spiritualis libertas, est immu-

A nitas a servitute peccati ac jugo diaboli. Propter quod sacratissimi apostoli Petrus I Petr. ii,
et Paulus in suis epistolis hortantur ser- 18; Ephes. vi, 5; Coloss.
vos fideles, ut infidelibus quoque dominis iii, 22; Tit.
fideliter obsequantur. *Et quæ sunt Dei,* ii, 9.
Deo, id est, quæ Deo tenemini, scilicet observantiam præceptorum, ei jugiter exhibete, imo vos ipsos divino cultui totaliter mancipate, quoniam totum quod estis, Dei est, et ejus imagine insignitur. Quemadmodum enim denarius Cæsaris est metallum ejus imagine decoratum, ita nu-
B misma Dei est homo summæ Trinitatis expolitus imagine. Præterea non sic intelligenda sunt verba Christi prætacta, quasi aliquid sit imperatoris, quod non sit Creatoris, qui jure creationis omnium Dominus verissime perhibetur; sed idcirco sic dixit Salvator, quoniam aliqua specialiter deputantur terreno præsidi, et aliqua Creatori.

Et non potuerunt verbum ejus, hoc est 26
præscriptam Christi responsionem, *reprehendere coram plebe.* Non enim (ut Salo- Prov. xxi,
C mon ait) est sapientia, non est scientia, 30.
non est consilium contra Dominum. De quo in Job asseritur : Qui comprehendit Job v, 13.
sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat. *Et mirati in responsis,* hoc est verbis responsalibus *ejus, tacuerunt,* videntes se non posse ei concludere: imo quo amplius eum interrogaverunt, eo plus glorificabant eum, et confundebant se ipsos. Itaque mirabantur quod tam irreprehensibiliter mox respondit, et quod insidiandi calumniandique locum non re-
D pererunt.

Consequenter describitur quæstio a Sadducæis Christo proposita, per quam voluerunt Sadducæi Pharisæos confundere, et Christi sapientiam explorare. *Accesserunt* 27
autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem. De triplici secta inter Judæos exsistente, videlicet Essæorum, Pharisæorum, ac Sadducæorum, et distinctione eorum ab invicem, dictum est su- In Matth.
pra. Porro Sadducæi inter illos gravissime iii, 7.
erraverunt, quia nec angelum, nec spiri- Act. xxiii, 8.

Digitized by Google

tum, nec futuram generalem resurrectio-
nem esse credebant, imo animas hominum
instar brutorum dixerunt esse mortales;
receperuntque libros Moysis, non Prophe-
tarum, quum tamen ex Moysis libris luce
clarius constet angelos esse. *Et interro-
gaverunt eum,* videlicet Sadducæi Chri-
28 stum, *dicentes : Magister, Moyses scripsit*
Deut. xxv, 5, 6. *nobis,* id est, in Deuteronomio nobis Deo
jubente præcepit : *Si frater alicujus* viri
mortuus fuerit habens uxorem usque ad
mortem, *et hic sine filiis fuerit,* id est,
absque legitima prole obierit : ut nomine
filiorum intelligantur et filiæ, sicut dum
pater et filius correlative dicuntur, quum
pater quis vere ac relative dicatur, etiam
filio carens, non filia, si filius denotat se-
xum; *ut accipiat eam frater ejus uxorem,
et suscitet semen fratri suo,* hoc est, de
femina illa procreet prolem, quæ adscri-
batur marito defuncto, voceturque filius
ejus legalis, quamvis sit filius carnalis
mariti sequentis. Prima et litteralis causa
hujus præcepti fuit, ne nomen atque me-
moria viri prioris de sua tribu remove-
retur; secunda, ut familiarum ac tribuum
maneret distinctio. — Mystice vero per
istud præceptum significabatur, quod fra-
tre mortuo, id est, Christo propter nos
crucifixo, frater ipsius, videlicet ecclesia-
sticus prælatus, debet ei suscitare semen
spirituale, aliquos convertendo ad ipsum,
et bonos ad spiritualem inducendo pro-
fectum.

29 *Septem ergo fratres erant* Israeliticæ
stirpis. *Et primus accepit uxorem, et mor-*
30 *tuus est sine filiis. Et sequens,* id est se-
cundus frater, *accepit eam* post mortem
31 prioris, *et ipse mortuus est sine filio. Et
tertius accepit illam. Similiter et omnes
septem,* id est reliqui omnes, *et non reli-*
32 *querunt semen, et mortui sunt. Novissima
omnium mortua est et mulier.* Istam quæ-
stionem proposuerunt Sadducæi, ad de-
monstrandum quod resurrectio mortuorum
non esset possibilis, quia rationabiliter di-
ci non posset ad quem prædictorum fra-
trum spectaret uxor in resurrectione fu-
A tura. Ideo subditur : *In resurrectione ergo,* 33
cujus eorum erit uxor? Siquidem septem
fratres *habuerunt eam* successive *uxorem:*
ideo qua ratione pertineret in futura re-
surrectione ad unum, pertineret quoque
ad alium. Quo dato, fratres simul et se-
mel haberent eamdem uxorem : quod est
legi contrarium. Unde beatissimus Joan-
nes Baptista dixit miserrimo impiissimo-
que Herodi : Non licet tibi habere uxorem Marc. vi, 18.
fratris tui. Porro Sadducæi in quæstione
hac præsupponebant unum mendacium,
B quod tamen a Pharisæis reputabatur ve-
rum, utpote quod post resurrectionem erit
usus ciborum ac venereorum. Unde et Ni-
colaus de Gorra testatur, quod Pharisæi
post resurrectionem credebant se habitu-
ros uxorem ac sobolem, opulentiamque
terrenam; et auream ac gemmatam Jeru-
salem desuper concedendam per mille an-
nos; atque post mille annos se esse in
cœlum feliciter transferendos. Quorum er-
rorem Dominus pandit sicut subjungitur.

Et ait illis Jesus : Filii hujus sæculi, 34
C id est, qui generantur in mundo isto, et
filii sunt generis humani, *nubunt,* hoc est,
uxores accipiunt, *et traduntur ad nuptias,*
etiam antequam sint provectæ ætatis ac
sui juris : quod necesse est ut species per-
severet, quoniam vita ista mortalis est.
Propter quod dixit Philosophus : Ad hoc
generatio animalibus data est, quatenus
esse, quod perpetuari non potest in in-
dividuo, conservetur in specie, per ge-
nerationum videlicet successionem.

Illi vero, qui digni habebuntur sæculo 35
D *illo,* id est electi et justi, quos Deus di-
gnos misericorditer reputabit duratione ac
habitatione futuræ felicitatis, *et resurre-
ctione ex mortuis,* id est felici immutati-
one ac resurrectione de morte naturæ ad
vitam gloriæ, *neque nubent,* id est, femi-
næ non maritabuntur, *neque ducent uxo-
res* viri. Cujus ratio verissima subditur :
Neque enim ultra mori poterunt, quia 36
nec mors naturæ, neque mors culpæ, nec
mors miseriæ, locum habere potest in eis.
Æquales enim angelis sunt, id est, ange-

lis erunt æquales, quia ad diversos angelorum ordines assumentur, juxta exigentiam diversitatis meritorum suorum; *et filii sunt Dei,* filiatione perfectæ adoptionis per similitudinem gloriæ, et perceptione hereditatis æternæ, dicente Apostolo : (*Rom.* VIII, 17.) Si filii, et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; et Psalmista, (*Ps.* XV, 5.) Tu es qui restitues hereditatem meam mihi. Hæc autem hereditas est essentiale præmium Beatorum, deinde est et præmium accidentale. Unde ait Apostolus : (*I Cor.* II, 9.) Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. *Quum sint filii resurrectionis* beatificæ, id est beatæ immutationis : quæ proprie resurrectio appellatur, nam impii ad majorem calamitatem resurgent.

Denique ex his æternæ, increatæ et infinitæ Sapientiæ verbis, patet perfidia sceleratissimi Mahometi, falsitas Alcorani, error Sarracenorum et Judæorum ac Tartarorum. Totius etenim signifer falsitatis, perfidissimus Mahometus, in suo Alcorano sæpissime protestatur, quod post resurrectionem generalem justi erunt in paradiso terrestri, et cibis, potibus atque venereis abundantissime in perpetuum perfruentur. Et mira est cæcitas illius perditissimi Mahometi, quia frequenter fatetur, quod Deus misit Moysi testamentum, Davidi Psalterium, Christo Evangelium, et sibi Alcoranum : quum tamen in Alcorano quasi innumerabilibus vicibus contradicat Scripturis veteris Testamenti et Psalterii ac Evangelii : quemadmodum in tractatu quem contra perfidias Alcorani et contra singulos singulorum capitulorum ejus errores compegi, luce clarius demonstravi. Nec dubium quin etiam sit contra omnem naturalem philosophiam, beatitudinem hominis in voluptatibus constituere gustus et tactus.

Deinceps Veritas specialiter reprobat Sadducæorum errorem, negantium resur-
37 rectionem. *Quia vero resurgunt mortui,*
id est mortuos esse resurrecturos, *et Moy-*

A *ses ostendit secus rubum,* id est, docet ac innuit, describendo verba quæ Deus per angelum loquebatur ad se circa rubum, de (*Exod.* III, 2 *et seq.*) cujus medio angelus loquebatur ad eum, ut patet in Exodo; *sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob :* secundum quod ibi Moyses recitat, quod ipse omnium Dominus et Creator vocavit se Deum horum trium Patriarcharum. Ex quo probatur, quod aliquo modo vivant, puta in anima, quum eorum corrupta sint corpora. Quum etenim Moyses B interrogasset nomen Dei, et Deus dixisset, (*Ibid.* 13-15.) Ego sum qui sum, Hæc dices filiis Israel; protinus addidit : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos. Hoc nomen est mihi in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem.

Præterea, ut S. Sylvester Papa disseruit, Deus voluit se horum trium Patriarcharum Deum vocari, et sub commemoratione nominum eorum exorari, ad insinuandum suC perbeatissimæ Trinitatis mysterium. Sunt et aliæ causæ : prima, quia hi Patriarchæ fuerunt primi et generales progenitores Israeliticæ plebis; secunda, quia eximiæ sanctitatis fuerunt, et in multis excellentiam aliquam sortiuntur; tertia, quia ad eos de Christi adventu facta est repromissio manifesta, ut patet in Genesi; quarta, ut filii Israel generis sui dignitatem adverterent, sicque idololatriam evitando, verum colerent Deum, et Deo grati consisterent; quinta, ut horum Patriarcharum D virtutes cunctis eorum posteris in exempla proponerentur.

Insuper, quod ex præallegatis Moysis verbis sequitur hos vivere Patriarchas,
probat Salvator. *Deus autem non est mor-* 38
tuorum, sed vivorum : omnes enim vivunt ei. Sed contra hæc verba potest fieri triplex objectio : Prima, quia Deus dicitur judex vivorum et mortuorum : (*Act.* X, 42.) ergo similiter dici potest Deus eorum. Secunda, quia præfati Patriarchæ vere sunt mortui, (*Gen.* XXV, 8; XXXV, 29; XLIX, 32.) quemadmodum Scriptura describit. Tertia,

Digitized by Google

quoniam impii non vivunt Deo, sed propriæ potius voluntati; coram Deo mortui perhibentur. — Et respondendum ad primum, quod aliquid dicitur dupliciter mortuum : primo, omnino, secundum corpus et animam, et ita non est Deus mortuorum Deus aut judex; secundo, quantum ad corpus tantum, sicque mortuorum Deus et judex est Dominus. Ad secundum ex eodem patet responsio, quia præfati sunt vere mortui, quantum ad corpus. Ad tertium est dicendum, quod impii ac damnati non vivunt Deo, id est secundum legem divinam : nihilo minus vivunt Deo, id est ad suæ justitiæ declarationem, sive ad suæ majestatis honorem : quia in eis ostenditur omnipotentia Creatoris et æquitas ejus ; imo pietas ejus aliquo modo, quoniam citra condignum puniuntur damnati, et impii in sæculo isto interdum misericorditer convertuntur, et pie a Deo tolerantur, ac varia ejus beneficia sortiuntur.

Sed posset quis dicere : Qualiter ex his verbis probatur resurrectio mortuorum, quum non aliud ex eis consequi videatur, nisi quod immortalis sit anima rationalis? Respondetur, quod Christus loquebatur Sadducæis, qui ideo resurrectionem negabant, quoniam animas dixerunt esse mortales : ideo immortalitate animæ demonstrata, probata eis fuit resurrectio corporum. Et etiam idem ex aliis potest inferri : Primo, quum anima sit naturaliter corporis forma, naturalem habet inclinationem ad reunionem cum ipso. Secundo, quoniam sicut anima meruit atque demeruit, ita et finaliter remuneranda. Quemadmodum ergo in corpore meruit ac demeruit, ita in ipso ultimate est præmianda. Tertio, quoniam anima, quum sit naturaliter pars alicujus totius, non potest in se ipsa subsistentiam habere perfectam : ergo nec plenam felicitatem. Quarto, quoniam sensitivæ vires radicaliter manent in anima : idcirco ad corpus naturalem habet affectum, nec absque illo plene quiescit aut contentatur. Unde et Platonici dixerunt animas corporibus reuniendas; sed errabant in hoc, quod eas dixerunt corporibus denuo morituris uniri.

Postremo, ex modo loquendi ipsius Moysis in quinque libris suis, clarissime innotescit animas hominum esse perpetuas. Frequenter etenim ait, eos qui obierunt esse collectos ad patres suos. Et Jacob patriarcha : Descendam, inquit, ad filium meum lugens in infernum. Abrahæ quoque perhibuit Deus : Merces tua magna est nimis. Temporalia autem non possunt esse sufficiens retributio operum caritatis et gratiæ, quæ sunt opera supernaturalis ac præstantissimæ dignitatis, temporalium rerum valorem ac dignitatem incomparabiliter excedentia. Denique multi justi et sancti veteris Testamenti in vita præsenti adversitatibus maximis et diversis usque ad finem vitæ affecti sunt, et tandem pro justitia interfecti, ut de se ipso recitat Jeremias, et de multis constat Prophetis : de quibus certum est, quod in vita præsenti non sunt pro suis meritis remunerati : ergo post vitam hanc.

Gen. xxv, 8, 17; xxxv, 29; xlix, 32. *Ibid.* xxxvii, 35. *Ibid.* xv, 1.

Jer. xi, 7 et seq. xxvi, etc.

39 *Respondentes autem quidam Scribarum,* qui erant legis doctores, *dixerunt.* Sed quomodo respondisse dicuntur, qui interrogati non erant? Dicendum, quod responderunt, id est, ad præinducta verba Christi apte et correspondenter locuti sunt. *Magister, bene dixisti,* id est, veraciter respondisti. *Et amplius non au- 40
debant eum quidquam interrogare* Pharisæi et Sadducæi, quia quo plus Christum interrogaverunt, eo sapientia ejus clarior apparebat et major, et ipsi plus confutabantur. Si autem pia intentione, desiderio proficiendi, interrogassent Dominum Jesum, quo ipse celerius ac sapientialius respondisset, eo ipsi avidius atque indesinentius sciscitati fuissent. Itaque non audebant magistrum veritatis amplius interrogare ad tempus, scilicet die isto : tamen paulo post, tempore passionis, sæpe interrogaverunt eumdem. Ex quibus elicitur, invidiam rationabiliter convictam acrius malignari.

Digitized by Google

Et quoniam non audebant Christum ma- A
gis interrogare, ipse eos caritative inter-
rogavit, ut eorum errorem excluderet, quia
sciebat eos male sentire de rege Messia,
41 utpote quod purus exsisteret homo. *Dixit
autem ad illos,* videlicet Scribas et Pha-
risæos : *Quomodo dicunt Christum filium
David esse?* id est, qualiter Scribæ et
Pharisæi ceterique communiter affirmant
Christum de David regis semine nascitu-
rum, et ejus filium appellandum, ita quod,
secundum eos, erit dumtaxat filius David,
42 et non Dominus ejus? *Et ipse David dicit* B
Ps. cix, 1. *in libro Psalmorum : Dixit Dominus,* sci-
licet Deus Pater, *Domino meo,* utpote Chri-
sto : *Sede a dextris meis,* id est, mihi
æqualis esto ac reside, secundum quod
Deus es; atque secundum naturam tuam
humanam, in potioribus bonis et beati-
tudine ampliori in cunctis Beatis consiste,
utpote præ omni pura creatura mihi valde
propinquior, quia in donis gratiæ et glo-
riæ omnibus illis inæstimabiliter es præ-
fulgens. Itaque Christo, secundum utram-
que suam naturam, competit ad Dei Patris C
dexteram residere, sed diversimode, ut est
43 tactum. *Donec ponam inimicos tuos,* om-
nes videlicet incredulos, impios et repro-
bos, *scabellum pedum tuorum,* id est, eos
tibi perfecte subjiciam subjectione coacta,
per dijudicationem et condemnationem :
quod erit in finali judicio et inferno.

Porro Domino Salvatori, quantum ad
suam humanitatem, data est omnis pote-
stas et omnium creaturarum dominium
ab incarnationis suæ exordio, quantum ad
auctoritatem et potestatis hujus possessio- D
nem. Nam eo ipso quo Christi humanitas
unita est Verbo æterno hypostatica unio-
ne, prælata est omni creaturæ. Unde et
Joann. iii, 35. ante passionem dixit : Pater diligit Fili-
um, et omnia dedit in manu ejus; et rur-
Ibid. v, 27. sus, Dedit ei potestatem judicium facere,
quia Filius hominis est. In resurrectione
Matth. xxviii, 18. autem data est Christo homini ista pote-
stas, quantum ad ejus manifestationem,
quia ex tunc cœpit Christi majestas pu-
blice prædicari, et omnibus notificari. In
ultimo vero judicio dabitur ei potestas
hæc, quantum ad plenam ipsius exsecu-
tionem, quando, juxta Isaiæ oraculum, ad Is. xlv, 25.
eum venient et confundentur omnes qui
repugnant ei.

David ergo Dominum eum vocat : et 44
quomodo filius ejus est? Tanquam dicat :
Ex quo David, qui fuit præpotens rex,
eximiusque propheta, atque præcipuæ san-
ctitatis, Christum nominat Dominum su-
um, innuit Christum esse plus quam pro-
phetam ac regem. Quomodo ergo filius
ejus est? Ad hoc nullus istorum Christo Matth. xxii, 46.
poterat respondere, ut in Matthæo habe-
tur. Si autem cognovissent duplicem esse
in Christo naturam ac generationem, fa-
cile respondissent quod secundum natu-
ram divinam et generationem æternam es-
set Dominus David, et filius ejusdem David
secundum naturam humanam et genera-
tionem temporalem.

Audiente autem omni populo, qui præ- 45
dicationi interfuit, *dixit discipulis suis :*
Attendite, id est, vos præservate et cu- 46
stodite, *a Scribis, qui volunt ambulare in
stolis,* id est albis ac candidis vestibus, ut
videantur ceteris sanctiores : quo constat,
quod amabant vanam ostentationem ; *et
amant salutationes in foro,* id est saluta-
tiones publicas, et cum reverentia ac ca-
pitis inclinatione exhibitas, præsertim a
magnis personis : sicque humanum re-
quirebant favorem; *et primas cathedras,*
id est honorabiliores sedes, *in synagogis :*
quo innotescit eorum ambitio; *et primos
discubitus,* id est superiora loca, *in convi-
viis :* per quod eorum gulositas atque su-
perbia designatur. *Qui devorant domos vi-* 47
duarum, hoc est, facultates earum gulose
consumunt, *simulantes longam orationem,*
id est prolixe orantes, quum tamen ore,
non corde orarent : nec ex vera virtute,
sed cupiditate et vanitate orabant, ut ab
hominibus, præsertim a viduis aliquid ha-
bentibus, reputarentur sancti; sicque co-
piosa a viduis acquirerent munera, quia
ad dandum devotis sunt viduæ magis pro-
næ ac liberæ, quam feminæ maritatæ. *Hi*

Digitized by Google

Scribæ, in quibus fuit scientia informis et inflans, *accipient damnationem majorem,* id est, gravius punientur in sempiternum, secundum quod aliis enormius peccaverunt.

O quam multi, etiam modo in Ecclesia, horum Scribarum et Pharisæorum vitia imitantur, non Dei honorem et gloriam, sed propriam commoditatem et venerationem, laudem et famam quærentes, carnalitati deservientes, ambitiosi et simulatores, ac spiritualia propter temporalia exhibentes, quemadmodum quidam presbyteri propter oblationes multiplicant Missas ! Væ ambitiosis prælatis, carnalibus cupidisque doctoribus, et universis superbiæ filiis. — Denique circa præhabita dicit Chrysostomus : Dum Judaicos sacerdotes Christus confundit, etiam christianos presbyteros monet, ne cum viduis commorentur magis quam cum ceteris feminis, quia etsi voluntas mala non est, tamen suspicio mala est. Et iterum ait : Non solum corpore in novissimo loco simus, sed et animo novissimos omnium nos reputemus.

Eccli. i, 5. Postremo posset hic quæri, cur fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, cujus omnis actio est nostra instructio, clerum Judæorum, videlicet sacerdotes, Scribas et A Pharisæos coram vulgo publice increpabat. Et respondendum, quod certum est eum hoc divino fecisse instinctu, propter diversas causas : primo, quia illorum vitia publica erant ; secundo, quoniam scandalizativa fuerant plebis ; tertio, pro informatione discipulorum, quatenus et majores auderent corripere. Quamvis autem omnis Christi actio sit Christianorum instructio, non tamen illa instructio est semper ad imitandum, sed interdum ad fidei firmitatem aut morum reformationem, seu B alia quædam. — Hæc autem increpatio Scribarum et Pharisæorum a Christo, multo diffusius describitur a Matthæo, in quo et Christi justitia declaratur : quia dum ejus responsionem commendassent Scribæ, non est reprehensibiliter emollitus, ita ut contra justitiam ab eorum correptione taceret, sed protinus eos dure corripuit. A cujus imitatione labuntur, qui humano favore, adulatione, laude, aut munere, mente sic enervantur, ut a fraterna correptione, aut paterna correctione delinquenti- C um retrahantur. Alii vero econtra, non ex caritate ac zelo justitiæ, sed ex ira, impatientia, aversione, aut alia passione, ad correptionem seu correctionem proximorum moventur ; et dum alios videntur velle curare, gravius lædunt se ipsos. Matth. xxiii, 1 et seq.

ARTICULUS XLIV

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : RESPICIENS AUTEM JESUS, VIDEBAT EOS QUI MITTEBANT MUNERA SUA IN GAZOPHYLACIUM.

1 *RESPICIENS autem Jesus,* id est, populum suas oblationes in templo facientem considerans, ut aliquod spirituale proponeret documentum : et per exteriorem illum adspectum insinuavit, quod eos qui bonis operibus sunt intenti, libenter attendit, atque eorum devotioni congratulatur ; *videbat eos qui mittebant munera* D *sua,* id est, oblationes suas ponebant seu projiciebant, *in gazophylacium,* id est in repositorium talium oblationum, *divites.* Et dicitur gazophylacium, a γάζα, quod est divitiæ, et φύλαξαι, quod est servare, quasi reservatorium divitiarum. Eratque gazophylacium triplex : unum, in quo ponebantur oblationes ac donaria regum, quod

Digitized by Google

IV *Reg.* XVI, 18. in libris Regum musach sabbati appellatur; secundum, in quo ponebantur oblationes sacerdotum, vocabaturque corbona (*Matth.* XXVII, 6); tertium, in quo vulgi oblationes reponebantur, quod communi nomine gazophylacium nominabatur: quod secundum Augustinum, fuit arca in qua ponebantur oblationes ad sustentationem ministrorum templi, vel etiam ad reparationem ædificiorum ipsius. Interdum quoque gazophylacium dicitur locus in quo erat hujusmodi arca, juxta illud Joannis (*Joann.* VIII, 20), Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo; interdum, domus sacerdotum ac Levitarum prope templum; nonnunquam, horreum collocationis primitiarum ac decimarum. Spiritualiter vero, arca Dei sit anima nostra, in qua Deo quotidie offeramus sacrificium laudis, thymiama devotæ orationis, ignem fervidorum affectuum caritatis, et contemplationum excessus.

2 *Vidit autem et quamdam viduam pau-*
perculam mittentem in gazophylacium *æra*
minuta duo, id est duos exiguos obolos
factos de ære, non de argento aut auro:
qui secundum Chrysostomum, valebant
3 quartam partem denarii usualis. *Et dixit:*
Vere dico vobis discipulis meis, *quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit,* id est, ceteris omnibus hic modo offerentibus plus obtulit: plus, inquam, non per respectum ad magnitudinem rei oblatæ in se, sed per respectum ad interiorem devotionem, et animi promptitudinem, atque divinam acceptationem, et muneris qualitatem, quia de necessariis sibi. Hinc subditur:

4 *Nam omnes hi,* scilicet divites, *ex abundanti sibi miserunt in munera Dei,* id est, ex copiosa sua substantia posuerunt aliquid in gazophylacium inter oblata: quæ dicuntur munera Dei: primo, quia a Deo hominibus sunt collata, quemadmodum David loquitur Domino (I *Par.* XXIX, 14), Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi; secundo, quia Deo ab hominibus offeruntur. Ideo viliora non sunt Domino offerenda, sed meliora, quemadmodum in Genesi legitur (*Gen.* IV, 3, 4), quod Abel obtulit Deo de primogenitis gregis sui, adipibusque eorum, Cain vero de fructibus terræ. In Malachia quoque habetur (*Malach.* I, 8): Si offeratis claudum aut languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei. Quasi dicat: Terrenus princeps tuus tibi indignaretur, si ei offerres quod vilius est. Et iterum dicitur ibi (*Ibid.* 14): Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino. *Hæc autem ex eo quod deest illi,* id est, vidua ista paupercula ex terrena substantia quam non habet, *omnem victum suum quem habuit, misit,* id est, id ipsum modicum quod habuit, ex quo se aliquantulum sustentare potuit, obtulit. Sicque modicum istud, fuit pars terrenæ substantiæ communiter sumptæ, de qua ipsa parum quid habuit. Et quod ait, Omnem victum suum, etc., intelligi potest sive simpliciter, ita quod de numismate nihil retinuit sibi, aut per modum hyperbolicæ locutionis, quo aliquid dicitur per excessum.

Si autem objiciatur, quomodo Christus laudet viduam istam de hujusmodi oblatione, quum virtus circa medium dicatur consistere: respondetur, quod virtus consistit circa medium in his quæ sunt necessitatis, non semper in his quæ sunt supererogationis, in quibus sæpe omnimoda temporalium derelictio commendatur, ut patet in paupertate et castitate religiosorum. Præterea advertendum, quod quum sit duplex proportio, utpote geometrica et arithmetica, secundum alteram harum proportionum dicitur vidua ista plus aliis obtulisse, quia per respectum ad substantiolam suam, plus obtulit quam divites, per comparationem ad suas possessiones. — Denique et nos cum vidua ista offeramus Deo duo minuta, videlicet corpus et animam, et quidquid possumus ac habemus.

Et quibusdam dicentibus de templo, id 5
est, aliquibus discipulis Christi dicentibus
ei de templo Jerusalem, *quod bonis lapi-*

dibus et donis ornatum esset, id est, quod A ex aptis lapidibus esset constructum, et pretiosis utensilibus seu donariis decoratum, et pulchre formatum, *dixit* Salvator discipulis istis adhuc rudibus. Quibus nunc multi assimilantur, qui magis respiciunt ad ornatum Ecclesiæ corporalem quam spiritualem, ad pulchritudinem ædificiorum quam sanctimoniam ministrorum, ad redditus quam virtutes : unde et magis eligunt in prælatos eos qui corporalia illa, quam qui spiritualia ista possunt procurare, augere, defendere : idcir- B co Ecclesia ad deflendam devenit ruinam.

6 Hinc Christus respondit discipulis : *Hæc* templi ædificia *quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Hoc quadragesimo secundo post Christi passionem anno per Titum pro magna parte est factum, deinde per Adrianum completum, ut supra plenius dictum fuit. Luc. xix, 44.

7 *Interrogaverunt autem illum, dicentes : Præceptor, quando hæc erunt ?* id est, quando tam funditus destruetur Jerusa- C lem? *et quod signum* apparebit, *quum fieri incipient?* Isti discipuli, ut dicitur in Marco, fuerunt Petrus, Jacobus, Joannes et Andreas, qui secreto sciscitati sunt Christum, non solum de istis, sed et de finali judicio consummationeque mundi, juxta illud Matthæi : Accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes : Dic nobis, Quando hæc erunt, et quod signum adventus tui et consummationis sæculi ? Marc. xiii, 3. Matth. xxiv, 3.

8 *Qui dixit : Videte ne seducamini* a pseudo ac impiis. *Multi enim venient in no-* D *mine meo, dicentes quia ego sum,* id est, in nomine meo venire se dicent, et nomen meum mendaciter sibi adscribent : ita quod unusquisque eorum dicet se esse Christum vel aliquem magnum, ut fuerunt hæresiarchæ. Porro Simon magus dixit se Christum et Dei virtutem ac verbum ; similiter Simon Essæus dixit se esse Messiam ac liberaturum Judæos a tributo atque dominio Romanorum, ut Josephus refert : et isti destructionem Jerusalem præcesserunt. Similiter secundum Christi adventum præcedent tales iniqui. Præterea Christus determinate non exprimit tempus præfatæ destructionis Jerusalem, aut secundi sui adventus consummationisque mundi, sed signa quædam, quatenus temporis incertitudo reddat nos cautos ac timoratos, et signorum eventus sollicitos ac paratos. Unde alibi ait Salvator : Vigilate, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet. Act. viii, 9, 10. Luc. xii, 40.

Et tempus appropinquabit. Hoc dupliciter potest exponi : Primo, quod pseudo illi dicent, Tempus appropinquabit, videlicet tempus salvationis fiendæ per eos seu finalis judicii; secundo, ut sit verbum Christi, ita quod post illorum falsariorum adventum appropinquabit ruina Jerusalem aut consummatio sæculi. *Nolite ergo ire post illos,* id est, nec corporaliter eos sequamini, nec eis credatis aut consentiatis. Circa hæc scribit doctissimus Nicolaus de Gorra : Multi hodie sequuntur Simonem magum. Pauci namque sunt beneficiati, nisi aut prece, aut pretio, aut temporali servitio, vel intuitu sanguinis, aut amore timoreve principis. Multi quoque sequuntur Antichristum, qui propter avaritiam deserunt Christum. Christus quippe in una persona habuit tres naturas, videlicet corpus, animam, deitatem; ambitiosi vero in uno subsistente, plures congregant personatus sive præbendas.

9 *Quum autem audieritis prælia,* quæ inferentur ab extraneis, *et seditiones,* quæ concitabuntur a concivibus, *nolite terreri* inordinato et mundano timore rationem turbante. Justus namque quasi leo confidens, absque terrore erit ; nec contristabit justum quidquid ei acciderit, ut Salomon contestatur. *Oportet primum hæc fieri,* id est, ante destructionem Jerusalem, seu sæculi finem, hæc necesse est evenire, non absoluta et fatali necessitate, sed necessitate conditionata et consequentiæ, in quantum a Deo prævisa sunt, quamvis in se ipsis sint contingentia. Rursus, oportet ea accidere, non Deo cogente, sed hominum Prov. xxviii, 1. Ibid. xii, 21.

Digitized by Google

malitia exigente. Vel, Oportet, quia op-
portunum, et aliquo modo expediens est
ea contingere : juxta quem modum ait
I Cor. xi, 19. Apostolus, Oportet hæreses esse, ut qui
probati sunt, manifesti fiant. *Sed nondum
statim finis :* id est, eis evenientibus non
determinate cognosci valebit tempus et
hora vastitatis Jerusalem, nec protinus fi-
nis mundi instabit.

10 *Tunc dicebat illis,* signa prætacta magis
in speciali exprimendo : *Surget gens con-
tra gentem,* id est, populi minorum pro-
vinciarum contra se invicem præliabun-
tur, *et regnum adversus regnum,* id est,
majores provinciæ seu regiones et reges
11 earum adversus se compugnabunt. *Et ter-
ræ motus magni erunt per loca, et pesti-
lentiæ, et fames, terroresque de cœlo :* id
est, grandis terror incutietur hominibus
ex his quæ apparebunt in cœlo aerio,
et cœlesti atque angelica fient virtute.
Nempe, ut recitat Josephus, imminente
dejectione Jerusalem, igneæ acies, currus,
equitesque armati in aere discurrentes ap-
paruerunt ac præliantes ; stella quoque
formam gladii habens, per annum pepen-
dit super Jerusalem. *Et signa magna erunt,*
id est supernaturales immutationes, inso-
litique eventus. Unde et tunc vitula inter
immolantium manus peperit agnam.

Præterea quæritur, quum prælia, sedi-
tiones, terræ motus, pestilentiæ, fames,
atque terribiles ac diversæ exhalationes,
impressiones, figuræ, et alterationes, ut
sunt cometæ, dracones volantes, capræ sal-
tantes, castra, ac consimilia (de quibus in
libro Metereorum agitur), naturaliter fi-
ant : quomodo possunt esse signa futu-
rorum, præsertim naturaliter non præ-
scibilium? Imo, qualiter signa consistere
queunt, quum (teste Gregorio) signa non
sint, quæ naturaliter accidunt? Respondet
S. Gregorius, quod Christus loquitur de
præinductis, secundum quod supernatu-
raliter venient, et ordinem temporum non
observant. Unde et alii asserunt, quod
prædicta abundantius evenerunt instante
destructione Jerusalem, et adhuc multo
A abundantius evenient mundi fine instante,
quam naturaliter soleant, et ita sunt si-
gna. Denique, quia hæc signa, tam ad de-
structionem Jerusalem quam ad secundum
Christi adventum valent referri, nec cer-
tum est in quanta abundantiæ majoritate
seu mensura contingent mundi termino
imminente ; ideo ex eorum eventu præ-
nosci non potest determinatum tempus
adventus Antichristi, consummationisque
sæculi, prout Augustinus probat diffusius.

Sed ante hæc omnia, id est, priusquam 12
B memorata eveniant signa, *injicient vobis
manus suas,* id est, violentiam inferent,
et persequentur, de loco ad locum fugan-
do, verbera et convitia inferendo, seu ali-
ter molestando; *tradentes in synagogas,* id
est, in publica sua conventicula vos ad-
ducentes, *et custodias,* id est in carceres;
trahentes vos violenter et irreverenter,
tanquam sacrilegos, *ad reges et præsides
propter nomen meum,* id est ob hoc quod
Christiani estis, et meam fidem ac legem
evangelicam prædicatis. Quod autem hæc
C omnia in Christi Apostolis ac discipulis
realiter sint impleta post Christi resurre-
ctionem, ante destructionem Jerusalem, ex
libro Actuum Apostolorum clarissime de-
monstratur. Ibi namque leguntur Apostoli *Act.* v, 18,
a Judæis capti, in concilium eorum ad- 27, 40, 41.
ducti, incarcerati, flagellis cæsi, multipli-
citerque afflicti : quod tamen cum gaudio
pertulerunt. Petrus quoque Apostolorum
prælatus et vertex, et Jacobus Major, co- *Ibid.* xii, 1-
ram Herode rege fuerunt adducti; et Pau- 4.
lus ante diversos præsides exstitit præsen- *Ibid.* xxiii, 33; xxiv-
D tatus, videlicet coram Felice et Festo, ac xxvi.
aliis. Nihilo minus possunt hæc sub per-
sona et nomine Apostolorum exponi de
fidelibus circa finem mundi futuris, imo
de aliis, præsertim de sanctis martyribus.

Continget autem vobis in testimonium, 13
id est, universa persecutio præinducta eve-
niet vobis in signum et attestationem
quod vere discipuli mei fidelissimi estis,
et quod illi impie contra vos egerunt, ac
juste damnentur, quia spreverunt et af-
flixerunt vos, nec credere voluerunt præ-

Digitized by Google

dicationibus vestris, per divina miracula confirmatis.

14 *Ponite ergo in cordibus vestris,* id est, firmiter proponite, *non præmeditari quemadmodum respondeatis* adversariis legis
15 et fidei quam tradidi vobis. *Ego enim,* qui sum æternus et omnipotens Deus, Ver-
Eccli. I, 5. bum Dei Patris, fons sapientiæ, et sapientia increata ac genita, *dabo vobis os,* id est efficaciam constantiamque loquendi, *et sapientiam,* ad intelligendum quæ Dei sunt et fidei christianæ, atque ad reprobandam idololatriam et omnem hæreticam pravitatem, *cui* sapientiæ *non poterunt resistere,* rationabiliter respondendo, *et contradicere,* veraciter objiciendo, ac replicando, *omnes adversarii vestri,* videlicet Judæi et hæretici ac pagani, qui in Apo-
Apoc. XVI, 13. calypsi designantur per tres spiritus immundos, qui in modum ranarum de ore bestiæ exierunt. Hinc quoque in Actibus
Act. VI, 10. legitur, quod Judæi non potuerunt resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur per Stephanum.

Et in beatissimis utriusque sexus innumerabilibus martyribus istud copiosissime ac mirabilissime est impletum, qui inter immanissima ac multiplicia suppliciorum genera, tam promptissime, sapientissime, constantissime, tranquillissime, insuperabiliter responderunt : quasi non ipsi, sed in eorum persona alii sustinuissent tormenta; vel quasi non ipsi, sed alius formasset verba per eos : quod et utique ita fuit, secundum quod Christus alio loco
Matth. X, 20. dixit : Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Et erat supermirabile in multis illustrissimis tenerrimisque puellis valde juvenculis, quæ sua facundia, sapientia, constantia, tyrannos et mundi sapientes penitus confuderunt ac devicerunt : quod sine supernaturali Dei auxilio fieri nullatenus potuisse, luce clarius constat. Estque hoc ipsum veritatis christianæ fidei indubitabile argumentum, potissimum quia et martyres gloriosi in suis passionibus ac postea, tot et tantis coruscabant mira-

A culis. Itaque, quoniam fidem catholicam defensare et contra ejus adversarios præliari, ac pro ea pati et mori, est pugna Dei; ideo Christus suis dixit martyribus, ne anxia aut sollicita præmeditatione se arment, sed Deo suam committant causam, et ejus invocent opem, quatenus eos in omni adversitate confortare et conservare dignetur, et totam spem suam figant in eo, de suis viribus nil præsumentes. Postremo, si quis beatissimorum martyrum Dionysii, Ignatii, Laurentii, Vincentii, B Catharinæ, Agathæ, Agnetis, Eulaliæ, Christinæ, et aliorum prorsus innumerabilium gesta et passiones perspicaciter legat, sciet quam vera sint ista.

Trademini autem a parentibus, et fra- 16
tribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis, id est, multos vestrum occident : et hoc auxit supplicium, quod a tam propinquis et ante tam amicabilibus tradebantur et occidebantur. Molestius quippe feruntur adversa quæ a propinquis et familiaribus, de quorum præsu- C mebatur amicitia, infliguntur : quia ultra corporalem tribulationem inflictam, mens de amissa caritate, et propinquorum ac amicorum infidelitate affligitur. Propter quod Christus de suo loquitur traditore : Si inimicus meus maledixisset mihi, sus- Ps. LIV, 13, 14.
tinuissem utique; tu vero homo unanimis, etc. Porro in exordio primitivæ Ecclesiæ, Judæi et gentiles passim convertebantur ad Christum, parentibus ceterisque cognatis invitis, et ita tradebantur ab eis, et sæpe occidebantur, quemadmodum sacra- D tissimam virginem Barbaram pater ipsius manu propria decollavit : prout Christus in Matthæo prænuntiavit : Tradet frater Matth. X, 21.
fratrem in mortem, et pater filium ; et surgent filii in parentes, et morte afficient eos. Et rursus : Nolite, inquit, arbi- Ibid. 34-36.
trari quod venerim mittere pacem in terra; non veni mittere pacem, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam; et inimici hominis, domestici ejus.

Digitized by Google

17 *Et eritis odio omnibus hominibus,* id est quibusdam de omni genere hominum, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Vel dicit, Omnibus hominibus, propter multitudinem odientium eos : juxta quem modum Philipp. II, 21. ait Apostolus, Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. *Propter nomen meum,* id est propter prædicationem, confessionem et cultum nominis mei et legis ac fidei christianæ. Nempe, ut Terentius protestatur, Sicut obsequium parit amicos, sic veritas odium.

I Cor. X, 33. Sed objici potest illud Apostoli : Ego per omnia omnibus placeo. Respondetur, Galat. I, 10. quod idem Apostolus loquitur : Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Itaque advertendum, quod Scriptura loquitur de homine dupliciter : Primo, secundum id quod supremum et melius est in homine, utpote secundum rationem, gratiam et virtutem : et ita vocatur humanum, quod rationabile est et pium. Sic I Cor. XV, 32. Apostolus dicit : Si secundum hominem, id est rationabiliter, ad bestias, id est contra bestiales homines, pugnavi Ephesi, id est, disputavi in Epheso. Et hoc modo ait Ibid. X, 33. Apostolus : Ego per omnia omnibus placeo. Secundo loquitur Scriptura de homine secundum id quod carnale et pravum exstat in eo : quod et in majori hominum parte prædominatur, quoniam major pars hominum sensualitatem, errores et vitia sequitur. Et ita nunc loquitur Christus ; Galat. I, 10. et item Apostolus ubi ait : Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Porro causa odii hujus, est dissimilitudo quæ est inter servos Christi et sæculi, inter cives Jerusalem et Babylonis. Propter quod Joann. XV, 19. in Joanne asserit Christus Apostolis : Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret ; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

18 *Et capillus de capite vestro non peribit.* Non est hoc ita accipiendum, quod in resurgentibus erunt omnes capilli qui fuerunt in eorum capitibus, sed tot, quot A ad capitis perfectionem et ornatum spectabunt. Potest et ita intelligi : Nihil ad corporis veritatem, integritatem, decorem pertinens, deerit in resurrectione electis. Si enim non peribunt capilli, multo minus membra, carnes et ossa. Spiritualiter vero, capilli sunt cogitationes affectionesque animæ : quæ si bonæ et caritativæ fuerint, non carebunt beatitudinis præmio.

In patientia vestra, id est virtute et merito patientiæ vestræ, *possidebitis animas vestras,* id est, eas salubriter custodietis, et a variis præservabitis vitiis quæ per impatientiam incidit homo, easque rationi et Deo subjectas habebitis. Per impatientiam vero perdit homo animam suam, quum Salomon dicat : Qui impatiens est, operatur stultitiam ; Job quoque : Quid perdis animam tuam in furore tuo ? Tanta autem est patientiæ virtus, ut Jacobus dicat : Patientia opus perfectum habet ; et Salomon : Melior est patiens viro forti ; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. 19 B Prov. XIV, 29. Job XVIII, 4. Jacob. I, 4. Prov. XVI, 32. C

Est autem patientia virtus moralis per quam homo moderatur ac frenat passionem tristitiæ, ne scilicet in adversis immoderate tristetur, imo potius gaudeat in eisdem propter multiplicem fructum inde provenientem. Propter quod in exordio suæ Canonicæ Jacobus monet : Omne Jacob. I, 2. gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. Denique omnium virtutum spiritualiumque profectuum patientia est probatrix ; nec melius D experiri potest an homo sit vere humilis, caritativus, mansuetus, patiens, quam per patientiam in adversis, in quibus si impatiens fuerit, patet imperfectio ejus. Idcirco in Ecclesiastico legitur : Vasa figuli Eccli. XXVII, 6. probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Patientia namque in adversis, est signum exstirpationis privati amoris, qui omnium est vitiorum origo ; est quoque humilitatis indicium. Impatientia vero est signum privati amoris et elationis. Recte ergo disseruit Salomon : Qui Prov. XIV, 29.

patiens est, multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. Insuper, teste Gregorio, patientia vera, est adversa æquanimiter perpeti, et contra eum qui injurias irrogat, nullo dolore morderi.

ARTICULUS XLV

DECLARATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI VICESIMI PRIMI : QUUM AUTEM VIDERITIS CIRCUMDARI AB EXERCITU JERUSALEM.

DEINCEPS Salvator ponit propinquum
20 destructionis Jerusalem signum. *Quum
autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem,* id est civitatem Jerusalem ab
exercitu Romanorum sub Vespasiano et
Tito undique obsideri : prout quadragesimo secundo post Christi passionem factum est anno; *tunc scitote quia appropinquabit desolatio ejus,* id est ruina et
pressura gravissima : quia tunc protinus
21 capta est. *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes,* id est ad occulta et remota latibula montium; *et qui in medio
ejus,* id est in Jerusalem habitantes, *discedant* ex ea antequam obsideantur tam graviter; *et qui in regionibus,* id est habitantes in Judæa, Galilæa, Samaria, *non
intrent in eam,* id est in Jerusalem, ut in
ea ab hostibus defendantur. Cujus tamen
oppositum peregerunt quamplurimi, et in
22 ipsa Jerusalem perierunt. *Quia dies ultionis hi sunt,* id est, dies obsidionis et
captionis ac destructionis Jerusalem, sunt
dies in quibus Deus ex sua justitia decrevit punire Jerusalem propter sua peccata,
et vindicare sanguinem Christi ac discipulorum suorum, in Jerusalem et in Judæa
Luc. xix, 43, 44. injuste effusum, ut supra plenius dictum
est; *ut impleantur omnia quæ scripta sunt,*
id est, de vastatione Jerusalem et punitione Judæorum per Prophetas sunt prænuntiata : quia de hac ultima ac finali maxima
Judæorum dejectione, desolatione ac derelictione, in Isaia, et in libro Psalmorum,
et in Osee, ac Jeremia, aliisque Prophetis,
præsertim in Daniele, multa sunt prophetata : sicut est illud, Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce Dan. ix, 27.
venturo, et finis ejus vastitas, et usque
ad finem perseverabit desolatio; atque in
Psalmo, Fiat habitatio eorum deserta, et Ps. lxviii, 26.
in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet; in Jeremia quoque, Reliqui domum Jer. xii, 7.
meam, dimisi hereditatem meam.
Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus : id est, mulieribus vi- 23
cinis partui, et etiam eis quæ pepererunt,
aut parvulos nutriunt, erit tunc specialis
calamitas et væ multiplicis temporalis afflictionis : quia ex vehementi mœrore atque formidine interdum patiuntur abortivum, aut suo tempore nequeunt parere,
nec fugere possunt tam expedite ut alii. Et
istud specialiter fuit in obsidione et captione Jerusalem a Romanis, quando quædam feminæ proprios ex magnitudine famis leguntur comedisse infantulos, et ipsi
infantes perimebantur. *Erit enim pressura
magna super terram,* hoc est, in regno
Judææ, et maxime in Jerusalem, erit afflictio prorsus gravissima, *et ira populo
huic,* hoc est justa castigatio populo Judæorum, propter excessus eorum.
Et cadent in ore gladii, hoc est, gladio 24
occidentur, sicut ore consumitur cibus, *et
captivi ducentur in omnes gentes.* Etenim
multa millia Judæorum fuerunt a Romanis
occisa, multaque millia fame perempta,
multa quoque millia vendita : in tantum
quod sicut pro triginta denariis venditus

Digitized by Google

fuit Christus, sic triginta Judæi pro uno denario vendebantur; et ex eis fuerunt quidam hinc inde per omnia regna seu climata mundi dispersi. Quod tamen per modum hyperbolicæ locutionis potest intelligi, ad insinuandum quod per valde multas gentes Judæi dispersi sunt. Denique dispersio hæc Judæorum Deo ordinante facta est, ad confirmationem fidei christianæ, et majorem memoriam nominis Christi : dum conversi ex gentibus, adversarios suos inter se vident morantes, ex quorum libris probant quæ credunt, et in quorum tam longa et gravi captivitate ac desolatione vident ad oculum esse impleta, quæ de eorumdem captivitate ac dispersione prædixerunt Prophetæ; atque incredulos intuendo Judæos, memores fiunt dominicæ passionis. Hinc fertur in
Ps. LVIII, 12. Psalmo : Deus ostendit mihi super inimicos meos; ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei; disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine.

Et Jerusalem calcabitur a gentibus, id est, alienigenarum potestati tradetur, vel a gentilibus ad fidem conversis inhabitabitur, *donec impleantur tempora nationum.* Verbum istud obscurum est. Quod tamen primo potest hoc modo intelligi : Tamdiu Jerusalem a gentilibus possidebitur, quousque gentes omnes ad fidem conversæ sint, aut circiter, quia ut ait
Rom. XI, 25, 26. Apostolus, Quum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet. Tunc enim et Judæi convertentur ad Christum. Secundo videtur sic posse intelligi, quod Jerusalem seu Terra sancta a gentilibus non conversis, utpote Sarracenis, inhabitabitur, quousque tempora nationum impleantur, hoc est, quousque veniat tempus debellationis seu expulsionis Sarracenorum a Terra sancta, et ipsa reddatur cultui christiano.

Deinde Salvator prænuntiat mundi excidium, et signa præcessura generale ju-
25 dicium. *Et erunt signa in sole, et luna, et stellis.* Quæ erunt hæc signa, in Matthæo

A exprimit Christus, dicendo : Statim post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo. (Matth. XXIV, 29.) Quocirca dicunt expositores, quod post terminationem persecutionis Antichristi, et eo occiso, Deus concedet deceptis ab Antichristo quadraginta quinque dies vel circiter ad pœnitendum, secundum quod hoc ex Daniele trahitur (Dan. XII, 11, 12.) : quibus expletis, erunt signa in sole et luna Christi adventum imminere testantia. Quæ signa tripliciter possunt in-
B telligi : Primo, quod sol et luna in se ipsis non obscurabuntur, sed per interpositionem corporum opacorum obscurari videbuntur, quia non lucebunt hominibus, sicut fit in eclipsi : et aliqui opinantur quod luna supponetur tunc soli; tamen ex hoc solo non sequeretur universalis eclipsis seu totius obscuratio terræ. Secundo, intelligi possunt signa illa, quod obscurabitur sol et luna, solum comparatione veræ et majoris lucis, videlicet Christi, quemadmodum stellæ obscurantur sole nascen-
C te. Nam tanta tunc erit claritas Judicis ad judicium venientis, ut ejus comparatione cetera omnia obscuranda dicantur. Et hoc dicit Hieronymus ; et potest salvari, si intelligatur pro ipso momento adventus Christi ad judicandum, ut super quartum Sententiarum Thomas fatetur. Tertio, possunt illa signa intelligi, ita quod sol, luna, et cetera luminaria cœli, seu astra, vere in se ipsis obscurabuntur ad tempus, ad incutiendum terrorem hominibus, ut Rabanus asserit. Et hoc ipsum Thomas al-
D legat ac approbat, quod nil prohibet dici solem, lunam et sidera, suo lumine tunc vere esse privanda, ita quod erunt tunc densissimæ, et quasi palpabiles tenebræ ineffabiliter horridæ. Porro stellæ dicuntur de cœlo casuræ, non vere, sed apparenter, quia tot igneæ exhalationes ac scintillationes apparebunt et descendent in aere, quod astra cadere videbuntur.

Et in terris erit realiter *pressura gentium,* hoc est angustia hominum, vel etiam compressio mutua ex superabundanti con-

cursu eorum qui a suis mansionibus fu-
gient, *præ confusione sonitus maris et*
fluctuum, id est ex pavore quem habe-
bunt propter fragores horribiles, et im-
petuosas commotiones, ac sonitus aqua-
rum maris aliorumque fluminum. Unde
inter quindecim signa quæ (ut fertur) præ-
cedent judicium, sunt et ista : quod mare
extra naturalem suum elevabitur locum
tam alte, quod quadraginta cubitis erit al-
tius montibus ; deinde tam profunde de-
primetur sub terra, ut videri vix queat.
Et si istud negetur, aut incertum dicatur,
nihilo minus certum est quod ultra om-
nem æstimationem et consuetudinem erunt
procellosissimæ inundationes, sonitus et
26 fragores in mari et aquis. *Arescentibus*
hominibus præ timore et exspectatione
afflictionum et periculorum, *quæ super-*
venient universo orbi, hoc est cunctis ho-
minibus, præsertim injustis : quia præ
magnitudine formidinis et mœroris, cor-
poralis harmonia quamdam desiccationem
et extenuationem incurret in eis, sicut
Salomon loquitur : Spiritus tristis exsiccat (Prov. xvii, 22.)
ossa.

Nam virtutes cœlorum, id est angelicæ
potestates, et angeli universi, *movebuntur*
motu reverentiæ et admirationis cujus-
dam, ex tam inconsuetis ac præhorrendis
justitiæ divinæ effectibus. Vel, Movebun-
tur, quia ad modum formidantium se ha-
bebunt, juxta illud Job : Columnæ cœli (Job xxvi, 11.)
contremiscunt et pavent ad nutum ipsius.
Insuper movebuntur in obsequium Judi-
cis, et cum eo descendent, quasi in ex-
peditionem contra hostes ipsius. Hinc ait
Chrysostomus : Si rex terrenus contra ali-
quem procedit, expeditionem mandat in
populo, dignitas omnis movetur, exerci-
tus concitatur, civitas fervet : quanto ma-
gis rege cœlesti exsurgente judicare vivos
et mortuos, virtutes moventur angelicæ ?
Quidam per virtutes cœlorum, intelligunt
angelos medii ordinis mediæ hierarchiæ
angelicæ, ad quos spectat (ut dicunt) mira-
cula facere : idcirco tunc movendi dicun-
tur, quia præ solito progredientur ad faci-
endum supernaturales transmutationes in
creaturis.

Itaque, sicut terreno principe ac pa-
trefamilias irascente, offenso, et se ad ul-
tionem disponente, conturbatur ejus fami-
lia, ac plebs subjecta, et præparatio fit
armorum ; sic Rege superno in fine sæculi
irascente, et judicare volente, fient in cre-
aturis immutationes prætactæ, et opera-
tiones miraculosæ, ac consurrectiones in
impios. Unde in Sapientiæ libro habetur :
Armabit Deus creaturam ad ultionem ini- (Sap. v, 18, 21.)
micorum ; et pugnabit pro eo orbis ter-
rarum contra insensatos.

Et tunc videbunt Filium hominis ve- 27
nientem in nube, id est, omnes, boni ac
mali, oculo corporali videbunt Christum
judicem ad judicandum venientem in nu-
bibus cœli lucifluis cum omni civium su-
pernorum exercitu : quia et angeli sancti
tunc omnes visibiliter apparebunt, secun-
dum Gregorium. Unde in Apocalypsi as-
seritur : Ecce venit cum nubibus, et vide- (Apoc. i, 7.)
bit eum omnis oculus. Sicut enim ascendit
in nube, ita in nube ad judicandum de-
scendet, juxta illud Actuum : Quemadmo- (Act. i, 11.)
dum vidistis eum ascendentem in cœlum,
ita veniet. *Cum potestate magna,* hoc est
vallatus omni Beatorum exercitu, *et ma-*
jestate, hoc est claritate, et gloria, ac omni
potentia, cui nullus valebit resistere.

Deinde ponit Salvator justorum conso-
lationem. *His autem* signis prætactis *fieri* 28
incipientibus, respicite ea, *et levate capita*
vestra, id est, corda ad Deum erigite, in
ipso confidite, atque per spem animas ve-
stras exhilarate ; *quoniam appropinquat*
redemptio vestra, id est perfecta salvatio
a præsenti exsilio ac salus æterna. Deni-
que Christus hæc dixit sub persona disci-
pulorum suorum ad electos et justos qui
erunt in fine mundi : qui tunc desuper
confortationem et consolationem accipi-
ent, quibus et propria conscientia bonum
testimonium perhibebit.

Et dixit illis similitudinem, aptam ad 29
intelligendum quod dixit de fine sæculi,
considerandam ex signis præhabitis. *Vide-*

Digitized by Google

30 *te ficulneam et omnes arbores. Quum pro-*
ducunt jam ex se fructum, puta in vere,
dum folia, flores, et alia quædam ex ar-
boribus producuntur, *scitis* ex naturali
temporum cursu, *quoniam prope est æs-*
tas. Et loquitur Christus juxta consuetu-
dinem patriæ; et nomine fructus potest
intelligi quidquid ex arbore producitur.
31 *Ita et vos quum videritis hæc* signa jam
recitata *fieri, scitote quoniam prope est*
regnum Dei, id est cœlestis patriæ con-
summatio ultimata, qua totus prædestina-
torum numerus erit completus, et homines
sancti in corpore et anima glorificabun-
tur. Vel, Prope est regnum Dei, hoc est,
de proximo instat hora qua regnum cœle-
ste communicabitur vobis, et ad cœlestem
perducemini patriam, audietisque vocem
Matth. xxv, 34. illam dulcissimam : Venite, benedicti Pa-
tris mei, possidete paratum vobis regnum
a constitutione mundi. Hinc oramus quo-
Ibid. vi, 9, 10. tidie : Pater noster, qui es in cœlis, ad-
32 veniat regnum tuum. *Amen dico vobis,*
quia non præteribit generatio hæc, hoc
est, genus humanum seu plebs Judæorum
non deficiet super terram in toto, *donec*
omnia fiant quæ ante judicium dixi fu-
33 tura. *Cœlum et terra transibunt,* id est,
esse cessabunt quantum ad modum sub-
sistendi, et ad accidentalia quædam, quia
cœlorum motus ac influentia desinent, et
orbes cœlestes ac elementa innovabuntur
Apoc. xxi, 1. (juxta illud Apocalypsis : Vidi cœlum no-
vum et terram novam; primum enim cœ-
lum et prima terra abiit); sed quantum
ad substantiale esse, incorruptibiliter per-
manebunt. *Verba autem mea non trans-*
ibunt, hoc est, veritate et adimpletione
non cassabuntur : quamvis verba vocalia
sonando transierunt, sicut et cetera suc-
cessiva, quibus est idem esse et fieri.
34 *Attendite autem vobis,* id est, custodite
vos, et considerati sitis, *ne forte graven-*
tur corda vestra in crapula et ebrietate, id
est vitiis gulæ, seu immoderantia cibi et
potus : quibus primo gravatur corpus; et
ex consequenti cor, ratio, voluntas, inte-
rioresque sensus gravantur, et a virtutum
operibus, a contemplationibus divinorum,
spiritualibusque affectibus impediuntur.
Diversa etenim vitia oriuntur ex gula, ut-
pote loquacitas, somnolentia, acedia, la-
scivia, negligentia, hebetudo. Sed et diversi
morbi ac indispositiones, ex ea nascun-
tur in corpore : propter quod plures di-
cuntur perire gula, quam gladio. Ideo ait
Apostolus : Si secundum carnem vixeritis, Rom. viii, 13.
moriemini; et rursus, Non comessationi- Ibid. xiii, 13.
bus et ebrietatibus; et Salvator, Væ vobis Luc. vi, 25.
qui saturati estis. Et iterum ait Scriptu-
ra : In multis escis erit infirmitas; pro- Eccli. xxxvii, 33, 34.
pter crapulam multi obierunt; qui abs-
tinens est, adjiciet ad vitam. Specialiter
quoque nocet superfluus potus, quemad-
modum maxime prodest potus moderatus,
juxta illud : Sanitas animæ et corporis, Ibid. xxxi, 37.
sobrius potus. — Videte quoque ne corda
vestra graventur *curis hujus vitæ,* hoc est
sollicitudinibus circa carnalia et terrena :
pro quorum adeptione et conservatione,
non est immoderata et anxia sollicitudo
habenda, quæ est diffidentiæ filia; sed
in Deo tanquam in piissimo ac providis-
simo patre sperandum est, sicut de hoc
supra plura sunt introducta. Unde in Mat- Luc. xii, 6, 7.
thæo loquitur Christus : Nolite solliciti Matth. vi, 34, 32.
esse in crastinum; scit enim Pater vester
cœlestis, quia his omnibus indigetis.

Itaque vitia ista cavete, ne *et superve-*
niat in vos repentina dies illa, hoc est, ne
in die judicii inveniamini imparati; *tan-* 35
quam laqueus enim superveniet in om-
nes qui sedent super faciem omnis ter-
ræ : hoc est, improvise ac subito dies illa
involvet, tam eos qui tunc erant in mun-
do, quam eos qui nunc sedent super su-
perficiem terræ, videlicet amatores sæcu-
li : qui in terra sedere dicuntur, quia pro
patria diligunt eam, nec ita se habent ut
peregrini et exsules, qui utuntur hoc mun-
do, non eo fruuntur, sed mente quiescunt
in Deo tanquam in ultimo fine. Unde Apo-
stolus protestatur : Quum dixerint, Pax et I Thess. v, 3.
securitas, tunc repentinus superveniet eis
interitus. Et Christus in Matthæo loqui-
tur : Sicut fuit in diebus Noe, etc. His Matth. xxiv, 37.

Eccle. IX, 12. consonat illud Ecclesiastæ : Nescit homo finem suum ; sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, quum eis extemplo supervenerit.

36 *Vigilate itaque omni tempore orantes.* Quod ait, Omni tempore, referri potest ad verbum, Vigilate, atque ad participium, Orantes. Omni ergo tempore opportuno, et quantum fragilitati humanæ exstat possibile, vigilare et orare debemus : sicut et passione instante, dixit Christus Apostolis, Vigilate et orate, ut non intretis in
Matth. XXVI, 41. tentationem. Nam et corporalis sancta et discreta vigilia valde est fructuosa, et passiones debilitat, ad orationes, meditationes contemplationesque disponit. Oratio quoque indesinens nobis necessaria perhibetur, qui tot periculis, tot invisibilibus, atrocissimis, infatigabilibus hostibus circumvallamur. Propter quod beatissimus princeps Apostolorum in sua Canonica :
I Petr. V, 8, 9. Sobrii (inquit) estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide. Et in Ecclesiastico
Eccli. XXXI, 1. habetur : Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum ;
Ibid. XXXIX, 6. et rursus, Sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. — Porro, somnus superfluus maxime indecens est Christiano, et corpori ac animæ est nocivus, gravat naturam, hebetat sensum, rationem offuscat, et vitia nutrit. Propter quod Cato bene locutus est :

Plus vigila semper, nec somno deditus esto :
Nam diuturna quies, vitiis alimenta ministrat.

Prov. VI, 9. Et Salomon dicit : Usquequo, piger, dormies? quando consurges de somno tuo?
Ibid. XXVI, 14. Et rursus : Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo. Et iterum

A monet Scriptura : Noli diligere somnum, *Prov.* XX, 13.
ne te egestas opprimat. O quam multa negligunt bona, et quam damnabiliter tempus suum expendunt somnolenti et pigri, et qui de sero in vitiis vigilias protrahunt, propter quod tarde surgunt! Non est hoc arcta via salutis, nec conversatio pœnitentialis, nec cordis custodia, nec coram Deo diligentia vera. Unde Salvator nunc subdit : *Ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt,* hoc est, divino judicio possitis evadere universa mala pœ-
B nalia reprobis in die judicii infligenda, *et stare ante Filium hominis,* hoc est, coram summi Judicis tribunali securi consistere, quemadmodum Sapiens asserit : Stabunt *Sap.* V, 1.
justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.

Erat autem Christus *diebus docens in* 37
templo : quia in die Palmarum et duobus diebus sequentibus prædicavit in templo Jerusalem ; *noctibus vero exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliveti,* hoc est, de Jerusalem ante vesperam egrediens,
C moram protraxit in monte Oliveti, ibi orationibus vacans, deinde Bethaniam pergens, atque in domo Marthæ cum discipulis suis consistens. *Et omnis populus,* vide- 38
licet plebs communis, *manicabat,* hoc est, mane et celeriter venit, *ad eum in templo,* secunda et tertia feria post Palmarum (nam quarta feria in Bethania mansit : similiter quinta feria usque post prandii horam), *audire eum :* quia revera delectabile valde erat audire Dei sapientiam, Verbum Patris æterni, Unigenitum Dei,
D Deum verum incarnatum, in persona propria prædicantem, propter suæ doctrinæ profunditatem ac saluberrimam utilitatem, et propter suæ eloquentiæ gratiosissimam venustatem, sed et propter præclara ac copiosa miracula, ejus prædicationem comprobantia.

Digitized by Google

ARTICULUS XLVI

PRÆFATIO IN EXPOSITIONEM DOMINICÆ PASSIONIS SECUNDUM LUCAM.

CHRISTUS dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis. Ephes. v, 2.

Hæc sunt verba B. Pauli apostoli : in quibus tria tanguntur. Primum est causa originalis atque motiva quæ Christum induxit, inflammavit ac movit ad sustinendum amarissimam ac saluberrimam mortem pro nobis, quum dicitur : Christus dilexit nos. Christus quippe ex summa, gratuita atque purissima dilectione sua ad nos, voluit pati pro nobis. Propter quod
Joann. xv, 13. ipsemet apud Joannem protestatur : Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.
Galat. ii, 20. Et ad Galatas ait Apostolus : Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Secundo, in themate tangitur ipsa traditio qua Christus se ipsum ad passionem spontanee obtulit, et paratissima mente
Is. liii, 12. exhibuit, sicut Isaias prædixit : Tradidit
Ibid. 7. in mortem animam suam; et denuo, Oblatus est quia ipse voluit. Hinc Christus in
Joann. x, 18. Joanne profitetur : Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam; et iterum,
Ibid. 14, 15. Ego (inquit) sum pastor bonus, et animam meam pono pro ovibus meis : in quibus verbis anima accipi potest pro vita humana, animali substantia ac corpórali, quæ per mortem crucis fuit in Christo exstincta. Tertio, in themate tangitur fructuosissimus finis, seu copiosissimus fructus dominicæ passionis, videlicet placatio Dei Patris, et reconciliatio generis humani cum Deo per mortem unigeniti Filii ejus, quum dicitur : Oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis. Christus namque fuit oblatio pacifica, hoc est, pacem faciens inter Deum et homines, Patrem æternum placando hominibus, juxta illud apostoli Pauli : Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, per crucem dissolvens inimicitias in semetipso. *Ephes.* ii, 14, 16. Christus quoque fuit hostia pro peccato, hoc est satisfactoria pro peccatis, reconciliando homines Deo, prout ad Romanos dicit Apostolus : Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; *Rom.* v, 10. et alibi : Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. *II Cor.* v, 19. De his itaque tribus in præsenti collatione, quantum Spiritus Sanctus præstiterit, loqui intendo.

Sed quia in his omnibus primo ac summe necessarium est nobis auxilium Spiritus Sancti, dicente Apostolo, Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; *Ibid.* iii, 5. et, Ipse Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : *Rom.* viii, 26. constat quod ad digne ac meritorie loquendum ac audiendum de passione Domini nostri Jesu Christi, tanto plus necessarium nobis est auxilium Spiritus Sancti, quanto hæc passio benedicta, salvifica atque sanctissima, præstantius opus Dei est, et magis salubre ac cordialius recordandum, præsertim quum dicat Apostolus : Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto, *I Cor.* xii, 3. hoc est, nemo potest attente, amorose ac meritorie nominare Dominum nostrum Jesum Christum, nisi per gratiam et inspirationem ac motionem internam Spiritus Sancti. Hinc ergo locuturi et audituri de passione et morte unigeniti Filii Dei, invocemus in primis devotissime subsidium Spiritus Sancti, ut ipse corda nostra purgare, illustrare, ac inflammare dignetur, ita ut digne, affectuose et meritorie de passione Salvatoris nostri loquamur ac audiamus. Porro, ut auxilium istud gratiæ

Spiritus Sancti citius ac plenius consequamur, Matrem pietatis et gratiæ, beatissimam atque dulcissimam virginem Mariam, advocatam et dominam nostram, cordialiter invocemus, angelica salutatione salutantes et honorantes eamdem, dicentes mente pia : Ave, Maria.

Christus dilexit nos, etc., ut supra. Antequam textum et historiam dominicæ passionis juxta ordinem rei gestæ edisseram, primo videndum est cur necessarium fuit Christum Filium Dei pati pro mundi salute; secundo, videndum est per quem modum et qua justitia genus humanum reconciliatum est Deo Patri per mortem seu passionem unici Filii ejus.

Circa primum igitur agnoscendum, quod de humano genere, tam quoad ejus primam conditionem, quam quoad ejus finem ob quem creatum est, aliter docet sacra Scriptura, quam naturalis philosophorum doctrina, seu gentilium secta. Quamvis enim meliores ac subtiliores et doctiores philosophi ac gentiles sciverunt et fassi sunt totum mundum ac genus humanum a summo Deo, quem nominaverunt primam causam, in esse processisse et dependere seu conservari, ut patet ex libris Platonis et Aristotelis, sequaciumque illorum ; nihilo minus putaverunt mundum ab æterno fuisse : sicut si sol ab æterno fuisset, radius quoque ipsius æternaliter exstitisset, et tamen fluxisset a sole. Insuper putaverunt hominem in solis naturalibus originaliter procreatum, et non nisi propter naturalem beatitudinem factum : ideo non sciverunt, quod hominibus necessarius esset salvator ac mediator, videlicet Christus, prout fides catholica tradit.

Sed sacra Scriptura divinitus inspirata, aliter docet, videlicet quod mundus ex tempore a Deo creatus est, et homo primus a Deo plasmatus est, non in naturalibus donis dumtaxat, sed etiam in supernaturalibus gratiæ donis, atque post suam plasmationem mox in paradiso est collocatus, et propter supernaturalem beatitudinem factus, videlicet ad videndum Deum in regno cœlesti per speciem, per claram, æternam fruitivamque visionem : quam visionem beneficam, facialem et jucundissimam putaverunt philosophi non solum menti humanæ, sed angelicis quoque spiritibus, quos intelligentias nominant, impossibilem esse. Est igitur fides christiana, quod Deus omnipotens et æternus hominem primum creavit in originali justitia, per quam corpus ejus subditum fuit animæ suæ, et sensualitas rationi, ac ratio Deo, ita quod corpus et sensualitas prompte et absque difficultate parebant animæ et rationi, similiter ratio et voluntas Deo.

Denique hæc originalis justitia sic fuit primo nostro parenti collata, quod si ipse in ea mansisset, eamdem in suos posteros transfudisset, et tam ipse quam posteri ejus in paradiso mansissent terrestri. Rursus, ita fuit primo concessa parenti, quod quamdiu ratio ejus maneret Deo obediens ac subjecta, tamdiu corpus sensualitasque ipsius manerent animæ ac rationi ejus obedientialiter subdita. Quoniam ergo primus homo divinum mandatum transgressus est, ita ut ratio ejus et voluntas fuerint Deo inobedientes ; ideo originalem amisit justitiam, et caro ejus ac sensualitas statim cœperunt animam aggravare, rationi reniti. Nec solum amisit originalem justitiam sibi, sed et toti suæ posteritati. Et sicut transfudisset in eam, nisi ipse peccasset, originalem justitiam ; sic quia peccavit, transfudit in posteros suos originale peccatum, quod, secundum Anselmum, est carentia originalis justitiæ debitæ in esse. Itaque, propter illud primum ac originale peccatum Adæ, tam ipse quam posteri ejus justo Dei judicio, æternali et supernaturali beatitudine privati fuerunt : ita quod ad eam redire atque perduci non valebant, nisi pro peccato illo originali satisfieret Deo.

Gen. III, 6.

Quamvis autem in voluntate et potestate posterorum non fuit originale pecca-

Digitized by Google

tum Adæ, non tamen fit eis injuria, dum propter illud ipsi privantur felicitate æterna : quia nec illa felicitas debebatur eis aliunde, seu ex aliqua dignitate, aut proprietate naturæ ; sed ex sola munificentia Creatoris creati fuerunt ad eam, secundum modum prædictum. Et hujus exemplum assignant S. Thomas et Ægidius de Roma : Si princeps terrenus conferret alicui militi bonum feudale aut castrum, ea conditione quod si miles principi suo maneret fidelis, bonum illud ac donum sibi maneret ac posteris ejus ; si vero inobediens fieret principi suo, tam ipse quam posteri ejus, privarentur bono prædicto. Si itaque miles ille fieret domino suo inobediens ac rebellis, ejusque adversario consentiret, certum est quod tam ipse quam soboles ejus, præscripto bono juste penitus privarentur.

Præterea, quum primus homo originalem amisisset justitiam, tam sibi quam suæ posteritati, non potuit eam sibi ac posteritati recuperare. Ideo necessarius fuit toti generi humano salvator ac mediator, qui genus humanum ab originali peccato redimeret, atque eidem gratiam redeundi ad originalis justitiæ conformitatem mereretur, sicque genus humanum Deo Altissimo reconciliaret, et ad beatitudinem reduceret sempiternam, deleto obstaculo perveniendi ad eam, videlicet reatu originalis peccati.

Præterea, multæ sunt causæ quare nec primus homo, nec aliquis purus homo, nec aliquis angelicus spiritus, nec aliqua pura creatura, fuit idonea totum genus humanum a peccato redimere, atque eidem gratiam ac gloriam promereri. — Prima est gravitas ipsa peccati. Tanto equidem major est enormitas culpæ, quo ille in quem committitur, amplioris est dignitatis, et quo plura beneficia est largitus, aut largiri paratus. Quum ergo Deus sublimis et benedictus infinitæ prorsus sit dignitatis ac sanctitatis, atque incomparabilis benefactor, a quo sortiti sumus quidquid boni habemus aut sumus, a quo et indesinenter in esse conservamur ac providemur ; qui et æternam nobis beatitudinem præparavit, promisit, et dare paratus est dummodo obicem non ponamus : constat quod peccatum mortale, quo ipse offenditur, sit quodammodo enormitatis immensæ. Ideo a peccato suo genus humanum liberari nequivit, nisi per redemptorem dignitatis et efficaciæ infinitæ. Pura autem creatura infinitæ dignitatis esse non valet : ideo salvatorem nostrum oportuit esse Deum et Creatorem. Hinc peccatum est infinitæ fugibilitatis, etiam veniale peccatum : ita ut pro nulla re homo deberet venialiter peccare, sed potius mortem subire, quam veniale committere, præsertim quum homo debeat Deum vivum et verum, naturaliter bonum, incomparabiliter infiniteque plus amare quam se ipsum aut totum mundum.

Secunda causa ad idem, est dignitas gratiæ gratum facientis : quæ quum sit supernaturalis quædam similitudo divinæ essentiæ, ponens animam in esse supernaturali atque idoneo ad promerendum felicitatem æternam ; non potuit toti generi humano promereri aut recuperari, nisi per mediatorem et salvatorem dignitatis immensæ, quem Deum esse necesse est. — Tertia causa ejusdem, est ineffabilis dignitas felicitatis et gloriæ sempiternæ, quam peccando perdidimus. Hæc namque beatitudo, quum sit immediata et clara visio summæ et increatæ veritatis divinæque pulchritudinis (quæ est ipsa essentia divina), et plena fruitio immensæ bonitatis atque dulcedinis Dei, est quodammodo infinitæ dignitatis, pretiositatis et excellentiæ : ideo nulla pura creatura potuit ad eam genus humanum reducere, aut eam hominibus promereri. — Quarta ejusdem causa assignatur, eo quod natura humana sit quodammodo in infinitum communicabilis : ideo totam redimere, liberatori interminatæ dignitatis competit solum.

Sic igitur patet, cur necessarium fuit Christum pati pro mundi salute.

Deinde dicendum, per quem modum aut qua æquitate genus humanum reconciliatum est Deo Patri per passionem et mortem unigeniti Filii ejus. Videtur enim, quod Filio Dei ab hominibus tam crudelissime ac impiissime interfecto, Deus Pater plus debuit hominibus irasci quam ante, præsertim quum occisio Filii Dei fuerit multo majus peccatum, quam originale peccatum hominis protoplasti, propter quod Deus toti generi humano iram suam inflixit. Præterea, sicut infra patebit, propter Christi occisionem in tantum offensus atque iratus est Deus Pater Judæis, quod ira ipsius pervenit in eos (ut ait Apostolus) usque in finem. *I Thess.* II, 16. Itaque apparet, quod genus humanum per Christi passionem non sit Deo reconciliatum, sed magis odibile factum. Potest quoque hujus exemplum induci : quia si inter principem terrenum ejusque urbem seu communitatem discordia esset, et princeps ad urbem illam unigenitum suum mitteret, ut eam ad obedientiam concordiamque principis sui reduceret : si tunc cives hujusmodi filium principis audire contemnerent, imo et trucidarent, princeps hoc facto plus provocaretur contra urbem illam, quam ante fuerat provocatus. Huic demum exemplo concordat, quod in Evangelio Christus loquitur in parabola de patrefamilias qui vineam quam plantavit, locavit agricolis : qui tandem filium patrisfamilias occiderunt, propter quod perierunt. *Matth.* XXI, 33 *et seq.*; *Luc.* XX, 9 *et seq.*

Ad ista respondendum, quia ut dicunt sancti doctores, mors, seu passio vel occisio Christi, piissima fuit et impiissima, crudelissima et misericordissima, amorosissima et invidiosissima, summe meritoria Patrisque placatissima et summe demeritoria Patrisque offensiva. Fuit etenim piissima, misericordissima, amorosissima, summe meritoria et Deum Patrem placans, ex parte patientis, videlicet Christi, in quantum passionem illam sponte sustinuit ex perfectissima caritate, clementissima compassione, atque promptissima obedientia : qua caritate Christus dilexit Deum Patrem et nos, et ex caritate et pietate sua ad nos compassus est nostræ damnationi ; qua etiam obedientia factus est obediens Deo Patri usque ad mortem, mortem autem crucis contemptibilem, amarissimam, et horrendam. *Philipp.* II, 8. Porro passio Christi, impiissima, crudelissima, invidiosissima, et maxime demeritoria, Patrisque offensiva fuit, ex parte inferentis, hoc est Judæorum et aliorum qui Christum interfecerunt, quia ex summa invidia, crudelitate, impietate fecerunt hoc.

Itaque, quoniam Christus secundum quod homo, Patri in omnibus obedivit, *Joan.* VIII, 29. docendo et increpando Judæos, prout Deus Pater sibi præcepit, et ex hoc Judæorum incurrit invidiam, qui veritatem odio habuerunt, ita ut moti et inflammati sunt occidere eum ; et Christus illam occisionem pro justitia patientissime tulit, imo et ex ardentissima caritate et obedientia acceptavit ac pertulit, ordinans eam ad Patris placationem et honorationem, hominumque reconciliationem cum Patre : idcirco passio Christi, secundum quod ex ista radice a Christo acceptata est et ad prædictum finem relata, placentissima atque gratissima seu acceptissima fuit Patri, et eum generi placavit humano : ita quod virtute et merito passionis Christi, toti generi humano dimisit originale peccatum, cetera quoque peccata, dummodo meritum dominicæ passionis eis applicetur per sacramenta Ecclesiæ, seu alio modo, puta per fidem in Christum, seu aliter, secundum quod in lege naturæ et lege scripta Mosaica homines diversimode Christo omnium electorum capiti uniebantur, ut docet Hugo in libro de Sacramentis. Quum enim Christus sit caput omnium hominum electorum, homines meriti *Ephes.* V, 23. passionis Christi participes fieri nequeunt, nisi Christo aliquo modo jam tacto uniantur. Et sic passio Christi universa delevit peccata, quia virtute ac merito ejus Deus universis ignoscit qui Christo per Baptismum seu aliter uniuntur ut ca-

piti. Unde Augustinus testatur, quod Christi sanguis sic fusus est in remissionem omnium peccatorum, ut delere posset etiam illorum peccata qui ipsum fuderunt, et ipsum peccatum quo fusus est : quia illi qui Christum occiderunt, merito passionis Christi veniam et salutem adepti sunt, dummodo in Christum credere ejusque Baptismum suscipere voluerint; imo utique multi illorum ita salvati sunt, redempti ipso sanguine quem fuderunt, ut loquitur Augustinus. Illos quippe Christus in turba conspexit, eisque dixit passione instante : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Qualiter autem hoc ipsum impletum sit, S. Lucas in Actibus Apostolorum describit, recitans qualiter ad prædicationem beatissimi Petri apostoli in die Pentecostes, primo conversa sunt tria millia Judæorum; deinde quinque millia, quum claudum natum Petrus curasset. Et præter hæc, quotidie tunc multi Judæorum convertebantur ad Christum, in tantum quod etiam multa turba sacerdotum ad fidem conversa sit, ut recitat Lucas.

Joann. VIII, 28.

Act. II, 41; IV, 4; III, 2-7.

Ibid. VI, 7.

Ex his patet, qua æquitate salvatum sit genus humanum per Christi passionem. Decuit enim bonitatem pietatemque Dei Patris, per talem ac tantam dilectionem, obedientiam, et passionem unigeniti atque carissimi Filii sui placari, ac indulgere, et gratiam impertiri. Denique decuit, ut sicut propter unius hominis inobedientiam Deus iratus fuit toti generi humano, sic propter Christi mediatoris Dei ac hominum obedientiam, Deus reconciliaretur hominibus. Præterea decuit, ut sicut humanum genus damnationem incurrit per diabolicæ invidiæ deceptionem, utpote primo homine nostro parente aliunde decepto; sic genus humanum aliunde misericorditer juvaretur, et Christi caritate ac ope redimeretur. Rursus, caritas facit omnia esse communia : ideo Christus per ardentissimam et maximam dilectionem suam ad nos, meritum suum nobis potuit communicare. Postremo, etiam in terrenis

Rom. V, 19.

I Tim. II, 5.

A principibus cernimus, quod rex seu princeps terrenus propter dilectionem, meritum, instantiamque unius ignoscit alteri : tanto utique plenius atque facilius, quo ille qui rogat pro reo, est majoris dignitatis et principi magis dilectus.

Sed tunc oritur quæstio, quomodo per mortem Christi particularem ac temporalem, liberatum sit genus humanum a morte generali ac æterna. Et respondendum, quod tanta fuit dignitas personæ Christi, et ejus obedientia ac passio tanti fuit B meriti et acceptabilitatis coram Patre æterno, ut mors Christi temporalis ac particularis fuerit vere sufficiens, ineffabiliterque supersufficiens, ad redimendum omne genus humanum ab omni malo, et non solum a morte communi ac æterna, seu damnatione infernali, sed etiam a morte temporali, omnique defectu et corruptibilitate corporali. Unde in resurrectione futura, merito passionis Christi, omnes electi corporis quoque incorruptibilitatem, impassibilitatem, et glorificationem C consequentur. Fuit quoque passio Christi summe idonea, efficax et prædigna ad promerendum generi humano dona gratiæ in præsenti, et munera gloriæ in futuro : imo non solum passio Christi, sed et tota conversatio ejus in sæculo isto, fuit ad hoc summe idonea.

Contemplandum est enim, quod Christus in unitate personæ est Deus et homo : ita quod promereri et obedire ac pati, conveniebant ei ratione suæ humanitatis; idoneitas vero ac dignitas ad promerendum D ac satisfaciendum pro hominibus, conveniebat ei ex parte suæ divinitatis. Quum ergo Christus sit verus Deus, constat quod fuit infinitæ idoneitatis ac dignitatis ad satisfaciendum ac promerendum per suam humanitatem, ratione suæ superdignissimæ deitatis : ideo dici solet, et vere sic est, quod minima gutta sanguinis Christi, seu minima passionis suæ particula, fuisset sufficiens ad totius mundi liberationem.

Præterea, quo major fuit sanctitas, digni-

Digitized by Google

tas atque perfectio humanitatis Christi, eo etiam ex parte ipsius, fuit sua obedientia ac passio meriti amplioris. Tanta autem est sanctitas, dignitas et perfectio humanitatis Christi, ut ipsa sola excedat sanctitatem, dignitatem et perfectionem omnium creaturarum, videlicet omnium Sanctorum et electorum, tam angelorum quam hominum, universique entis creati. Et hoc potissimum competit humanitati Christi ratione suæ hypostaticæ seu personalis unionis cum Verbo æterno, scilicet vero Deo; et etiam ideo, quoniam gratia humanitati Christi collata, infusa et indita, fuit et est quodammodo infinita, habuitque virtutes et dona, et ceteras gratiæ perfectiones ac munera, in maxima incomparabilique excellentia. Propter quod Joannes Baptista dixit de Christo : Non ad mensuram dat Deus Spiritum homini, id est gratiam et dona Spiritus Sancti Christo, secundum quod homo est. Itaque innotescit, quod Christus non solum ratione suæ divinitatis, sed etiam ex parte suæ humanitatis tam perfectæ ac virtuosæ, fuit ineffabilis idoneitatis ad promerendum.

Joann. III, 34.

Adhuc autem, quo Christus fuit Deo Patri magis dilectus, eo efficacior fuit ad satisfaciendum pro nostris peccatis, et eo omnis sua conversatio, oratio, obedientia, ac passio pro nobis in hoc mundo exhibita, Deo Patri amplius grata fuit ac placens, magis quoque idonea ad subveniendum hominibus, seu meriti amplioris. Sed Deus Pater diligit Christum secundum suam divinitatem, amore penitus infinito, et tantum utique sicut se ipsum : quia divinitas Christi sicut est infinitæ bonitatis, sic et infinitæ amabilitatis consistit. Diligit quoque Pater Christum secundum suam humanitatem, magis quam totum universum, omnesque simul sumptas puras creaturas. Diligere quippe, est alicui bonum velle. Unde Deus tanto plus diligit rem, quanto majus bonum ei largitur. Quum ergo, Deo Patre volente, et Verbo æterno assumente, assumpta sit Christi humanitas ad increatum et hypostaticum

Ibid. 35.

A esse Verbi æterni, ita quod in eodem esse personali subsistit Christi humanitas, in quo Verbum æternum æternaliter est subsistens : clarum est, quod majus bonum datum sit humanitati Christi, quam sit totum universum creatum : ideo magis Deo dilecta est. Itaque Christus etiam ex hac parte, fuit ineffabiliter idoneus et acceptus ad operandum et orandum ac patiendum pro nobis.

Præterea, sicut docent sancti Patres atque doctores, quamvis Deus omnipotens
B et æternus potuit per omnipotentiam suam, simpliciter loquendo, genus humanum alio modo redimere, quam per unigeniti Filii sui incarnationem ac passionem; nullus tamen exstitit alius modus ita conveniens sicut iste : ita quod decentissimum fuit, Filium Dei propter nostram salutem incarnari ac mori. Quod primo probatur Dei incarnatione : quia in incarnatione Filii Dei, Deo Patri æqualis, præcipue demonstratur atque relucet bonitas Dei, eo quod se suæ creaturæ tam copiosissime
C communicavit, et infirmitatem proprii plasmatis non contempsit, sed naturam a se creatam, puta humanitatem, ad suum hypostaticum esse assumpsit. Proprietas equidem boni, est esse communicativum diffusivumque sui. Insuper, in incarnatione Filii Dei, ineffabiliter pulchre ostenditur et patescit dilectio Dei ad nos. Amor enim est virtus unitiva : idcirco in hoc quod Deus nostram naturam sibi tam propinquissime univit ac intime, patet quod vehementissime ac specialissime nos dilexit.
D In incarnatione quoque monstratur misericordia et dignatio Dei ad nos, quod tam clementissime suam majestatem ad parvitatem vilitatemque nostram inclinavit, et tam misericordissime nobis auxiliari dignatus est, nostris ignoscens sceleribus, nec illam aspernans naturam assumere, a cujus primo individuo ceterisque suppositis tam multipliciter atque enormiter fuit offensus.

Rursus, in incarnatione Filii Dei potissimum declaratur omnipotentia Dei : quia

Digitized by Google

naturam divinam et humanam in unitate copulavit personæ, quum tamen in ordine intellectualium substantiarum anima rationalis sit ima ac infima, et præsertim corpus humanum a supersimplicissima Deitate inæstimabiliter distet : ideo harum hypostatica unio, est divinæ potentiæ quammaxime declarativa, imo magis, ut aliqui adstruunt, quam totius mundi creatio. Sed et justitia Dei in incarnatione Verbi ostenditur : quia non vi Deus eripit hominem, nec alium facit superare tyrannum quam hominem ; sed sicut homo est victus, sic homo vicit, ut asserit Damascenus tertio libro. Similiter in incarnatione Verbi ostenditur sapientia Dei, quod tam difficillimi negotii, tam decentissimam solutionem invenit. Difficillimum nempe apparuit, qualiter genus humanum, salva Dei justitia ac veritate, posset salvari ; sed sapientia Dei invenit aptissimum modum ad hoc, ita hominem salvans, ut nec divinæ veritati atque justitiæ, neque divinæ misericordiæ derogaretur.

Præterea necessarium dupliciter dicitur : Primo, sine quo aliud esse non potest, ut homo sine anima : et sic Deum incarnari ad redimendum genus humanum, non fuit necesse, quia et aliis modis potuit Deus hoc facere, cui non est impossibile, imo neque difficile omne verbum, prout Gabriel angelus et Jeremias propheta testantur. (*Luc.* I, 37; *Jer.* XXXII, 17, 27.) Secundo dicitur necessarium, sine quo res convenienter seu tam apte esse non valet : sicque ad redimendum genus humanum fuit necesse Dei Filium incarnari, quia ut tertiodecimo de Trinitate loquitur Augustinus, sanandæ nostræ miseriæ nullus fuit alius convenientior modus. Per hoc namque potissimum fides catholica roboratur, quod ipsemet Deus incarnatus nobis in Evangelio loquitur ac testatur. Per hoc quoque permaxime spes ad Deum augetur, et caritas in ipso accenditur, quod Deum propter nos ex nimia sua ad nos dilectione cognoscimus incarnatum : imo fiducialissime Deum accedimus et oramus, dum ipsum pro no- A stra salute incarnatum fatemur, et quia tanta nobis Deus per incarnationem Verbi largitus est, ut ex ipsa incarnatione accendamur Dei amore.

Insuper, sicut decentissimum fuit Filium Dei nostram redemptionem inchoare per suam incarnationem, sic decentissimum fuit, ut eamdem nostram redemptionem compleret per suam sacratissimam passionem. Ex hoc enim quod Filius Dei propter nos passus est, maxime innotescit quanta sit peccati enormitas, et quan- B tum Deus peccata abhorreat, pro quorum ablatione et satisfactione ipsemet unigenitus Filius Dei tanta perpessus est. Ex passione etiam Christi agnoscimus, quam ineffabilis sit Dei Patris justitia, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, (*Rom.* VIII, 32.) malens illum tam acerbissimam mortem pati, quam peccata hominum remanere inulta. Culpæ enim pœna debetur secundum justitiam. Et quia per nostra peccata æternas pœnas meruimus, hoc fuit infinitæ misericordiæ Dei C Patris, quod per temporalem sui Filii passionem nos ab æterna eripuit pœna : hoc vero fuit infinitæ justitiæ ejus, quod superdilectissimum Filium suum maluit pati et mori, quam peccata nostra impunita manere. Denique, ex hoc quod Deus Pater permisit unicum Filium suum innocentissimum atque sanctissimum, a sceleratissimis vilissimisque hominibus taliter capi, tractari, affligi, occidi propter nos liberandos, clarissime patet incomprehensibilis dilectio ejus ad nos. Similiter di- D lectio perfectissima Christi ad nos hinc manifestatur, quod tanta ac talia propter nos sponte ferre dignatus est. Insuper Christus per suam passionem dedit nobis perfectissimum omnium virtutum exemplar, ut prosequendo historiam passionis patebit.

Rursus, ex hoc quod Christus propter nos passus est, evidentissime elucescit quanta sit infernalium pœnarum acerbitas, et quam deliciosissima, maxima ac præstantissima sit electorum in cœlo fe-

Digitized by Google

licitas : quum ideo passus sit Filius Dei, ut nos ab illis erueret pœnis, et ad æternæ beatitudinis gaudia reportaret. Postremo, per hoc quod Christus pro nobis tam amarissimam perpessus est mortem, nostræ paupertati ac indigentiæ copiosissimam opem impendit : quia passio illa quo amarior, eo et magis meritoria fuit, totumque meritum illud Christus communicat nobis. Illudque meritum est thesaurus Ecclesiæ, ex quo indulgentiæ conceduntur, et propter quod nobis quotidie relaxantur peccata, varia quoque conferuntur gratiarum charismata : unde tempus evangelicæ legis et Christi, tempus gratiæ nuncupatur.

His igitur de Christi passione præmissis tanquam præambulis, ad declarationem fidei christianæ, cujus summa est sapientia, et ut ea quæ de Christi passione dicenda sunt clarius intelligantur, devotius quoque et amorosius, imo et cum ampliori compassione et operis imitatione audiantur, consequenter ad prædicationem et expositionem dominicæ passionis est accedendum. Intendo autem passionem secundum Lucam exponere, et ea quæ ipse omittit atque ab aliis conscripta sunt Evangelistis, inserere huic sermoni, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

ARTICULUS XLVII

EXPOSITIO PASSIONIS ET CAPITULI VICESIMI SECUNDI : APPROPINQUABAT AUTEM DIES FESTUS AZYMORUM, QUI DICITUR PASCHA.

1 APPROPINQUABAT *autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha;*
2 *et quærebant principes sacerdotum et Scribæ quomodo Jesum interficerent.* Quum Filius Dei, Dominus noster Jesus Christus, tempore a superbenedicta Trinitate æternaliter præordinato nostram assumpsisset
Baruch III, 38. naturam, modico tempore inter homines conversatus est in hoc mundo, videlicet triginta tribus circiter annis, et tribus circiter annis ultimis vitæ suæ in sæculo isto prædicavit atque miracula fecit. Quumque in prædicando ac miracula faciendo, omnes Sanctos qui ante fuerunt, gloriose excederet, a populo cum grandi aviditate audiebatur.

Sed quoniam statim post prædicationis suæ exordia, cœpit errores et vitia sacerdotum et Scribarum ac Pharisæorum juste et acriter increpare, illi statim cœperunt invidiam contra eum concipere, eique detrahere, et omnia facta ejus interpretari in pejus. Denique, quia invidia est tristitia de bono et prosperitate alterius, quanto Christus præclariora egit miracula, tanto præfati acutiori et amariori contra eum stimulabantur invidia; et cogitare cœperunt quomodo possent eum privare vita et fama, ita ut nec memoria ejus permaneret in terra, quemadmodum per Jeremiam in eorum persona fuit prædictum : Eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius. *Jer.* XI, 19.

Porro, quum Christus Lazarum suscitasset a mortuis, præfati Judæi audito tam insigni miraculo, vehementissime turbabantur, et suæ livore invidiæ torquebantur, dolentes de Christi magnificentia et honore. *Joann.* XI, 46 *et seq.* Imo, secundum Augustinum, nullum Christi miraculum fecit illos sic insanire ac fremere contra ipsum, quemadmodum suscitatio Lazari, quia miraculum illud clarissimum fuit, et nulla tergiversatione poterat offuscari, eo quod solen-

Digitized by Google

nissime factum esset coram multis Judæis, A
et quoniam Lazarus fuit vir nobilis et
Joann. xi, 39. miles, de regia stirpe exortus, quatuor
quoque diebus exstiterat mortuus. Unde,
quum miraculum illud factum audissent,
mox die sequenti convenerunt, et inter
se consuluerunt quid facerent Christo, jux-
Ibid. 46-53. ta illud in Joanne : Quidam ex ipsis, sci-
licet de numero Judæorum qui interfue-
rant suscitationi Lazari et viderant quæ
fecit Jesus, abierunt ad Pharisæos, et di-
xerunt eis quæ fecit Jesus. Collegerunt
ergo pontifices et Pharisæi concilium, et B
dicebant : Quid facimus, quia hic homo
multa signa facit? Si dimittimus eum sic,
omnes credent in eum. Ab illo igitur die
cogitaverunt interficere eum, secundum
quod Caiphas consuluit eis.

Ibid. 54. Jesus ergo, ut ait evangelista Joannes,
jam non in palam ambulabat apud Judæos,
sed abiit in regionem juxta desertum, in
civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi mo-
rabatur cum discipulis suis : et hoc, non
nisi paucis diebus, videlicet octo aut cir-
citer. Creditur enim quod Christus Laza- C
rum suscitavit sexta feria per quindenam
ante diem Parasceves in qua crucifixus
est ipse. Postea, sicut in Joanne descri-
Ibid. xii, 1. bitur, Ante sex dies Paschæ, id est sab-
bato Ramis palmarum, quod fuit sex die-
bus ante primum diem festivitatis Paschæ
Judæorum tunc imminentis (quorum pa-
schalis solennitas incepit feria quinta se-
quenti ad vesperam, et sexta feria fuit
prima integra dies solennitatis paschalis),
venit Jesus Bethaniam, etc. Præterea, sic-
ut docet evangelista Joannes, in sabbato D
illo Ramis palmarum, quum venisset Je-
Ibid. 2. sus cum Apostolis Bethaniam, fecerunt ei
cœnam ibidem, et Lazarus unus fuit ex
discumbentibus. Fuit autem cœna illa, non
in domo Marthæ et Mariæ Magdalene, ut
Matth. xxvi, 6. aliqui putaverunt, sed in domo Simonis
leprosi, quem Christus curavit a lepra;
Ibid. 7; Joann. xii, 3. et in cœna illa effudit Maria Magdalene
unguentum pretiosum super caput et pe-
des Christi, sicut ex dictis evangelistarum
Matthæi atque Joannis probatur. Sequenti
vero die, venit Jesus Jerusalem sedens su- Joann. xii, 14 et seq.
per asellum; et tunc in Jerusalem prædi-
cavit ac multa miracula fecit, prout Evan-
gelistæ describunt. Insuper, feria secunda
et tertia post Palmarum, Jesus similiter
in Jerusalem prædicavit, et sacerdotes,
Scribas ac Pharisæos durissime coram om-
nibus increpavit ac reprobavit, ita ut
maxima contra Christum accendebantur
invidia; quarta vero feria mansit in Be-
thania.

Ideo Lucas evangelista nunc ait : *Ap-* 1
propinquabat dies festus Azymorum, id
est paschalis celebritatis : quæ dicitur Azy-
morum, id est panum non fermentatorum,
quia in tota illa solennitate, quæ septem
duravit diebus, vescebantur Judæi non pa-
ne fermentato, sed azymis panibus. Quod
autem dies festus Azymorum præfato mo-
do jam accipiatur, constat ex eo quod
subditur, *qui dicitur Pascha,* id est pa-
schalis solennitas, quæ incipiebat a ve-
spera feriæ quintæ, luna quartadecima
exsistente. In qua vespera auferebant Ju-
dæi de domibus suis omnem panem fer-
mentatum, edebantque agnum paschalem
cum azymis panibus, in commemoratio-
nem quod patres eorum taliter comede-
bant agnum paschalem, quando egressuri
fuerant de Ægypto, ut legitur in Exodo. Exod. xii.
Unde et nunc dies Azymorum dicitur Pa-
scha, quia in præfata vespera, quæ fuit
solennitatis paschalis exordium, edebatur
agnus paschalis. Verumtamen quidam hoc
loco accipiunt diem Azymorum et Pascha
pro die Parasceves vesperam præfatam se-
quente. Sed prima expositio aptior est,
quia paulo post subditur, Venit autem dies vers. 7.
Azymorum, in qua necesse erat occidi pa-
scha : quod certum est de quinta feria
dici.

Præterea, *pascha* in Scripturis multifa-
riam capitur : Primo, pro tota hebdoma-
da Azymorum seu solennitatis paschalis,
quemadmodum in Actibus Apostolorum
scribitur de Herode, quod voluit post Pa- Act. xii, 4.
scha Petrum producere populo. Secundo
accipitur pro celebritate paschali exsisten-

te feria sexta prædicta. Tertio, pro hora immolationis et comestionis agni paschalis, prout in Marco scriptum est : Erat pascha et azyma post biduum. (*Marc.* xiv, 1.) Quarto, pro quocumque cibo vel pane quo vescebantur Judæi durante festivitate paschali, ut quum apud Joannem fertur : Judæi non introierunt prætorium, ut manducarent pascha, id est azymos panes. (*Joann* xviii, 28.) Quinto, pro agno paschali. Sexto, pro figurato agni illius, puta pro Christo, de quo ait Apostolus : Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. (*I Cor.* v, 7.) Septimo, pro festivitate epularum paschalium. Unde in libro Paralipomenon dicitur : Non fuit tale Phase a diebus judicum, quale fecit Josias. (*II Par.* xxxv, 18.)

2 *Et quærebant principes sacerdotum,* videlicet Annas et Caiphas, *et Scribæ,* id est periti in lege, scilicet magistri atque doctores plebis : quibus convenit illud Danielis, Egressa est iniquitas a senioribus, qui videbantur regere populum; (*Dan.* xiii, 5.) *quomodo Jesum interficerent.* Quibus ipse jam dixerat : Quare me quæritis interficere? (*Joann.* vii, 20.) Itemque : Multa opera bona ostendi vobis ex Patre meo : propter quod horum me lapidatis? (*Ibid.* x, 32.) Hoc facinus Judæorum Matthæus evangelista plenius recitat, dicens : Tunc, videlicet quarta feria ante Christi passionem, congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrio principis sacerdotum qui dicitur Caiphas, et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent. (*Matth.* xxvi, 3, 4.) Itaque, Quærebant, id est, inter se perscrutabantur, quomodo, id est per quem modum, Jesum interficerent, eum dolose capiendo atque mendaciter accusando. *Timebant vero plebem.* Non timuerunt Deum omnipotentem, virtuoso ac ordinato timore, ne eum in tanta festivitate offenderent; sed vulgus, inordinato ac vitioso timore. Noverant quippe, quod plebs Christum libenter audivit : ideo formidabant ne Christum defenderet, et quamvis comprehensum, de eorum manu eriperet. Timebant quoque ne strepitus periculosus concitaretur in populo. Propter quod proposuerunt non occidere Christum durante festo paschali, juxta illud Matthæi : Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. (*Matth.* xxvi, 5.) — Porro principes sacerdotum dicebantur et erant pontifices ; et quamvis eodem tempore unus dumtaxat princeps sacerdotum seu pontifex exsisteret, tamen pluraliter principes et pontifices nominantur, quoniam annuatim unus alteri tunc successit, et pontificium a gentilibus emebant principibus : quod contra legem Moysis fuit, secundum quam filius patri succedere in pontificatu debebat; sed tunc legitima illa defecit successio.

Præterea, narratur modus quomodo Judæorum pontifices et principales plebis illius consilium et machinationem suam perduxerunt ad effectum. *Intravit autem Satanas,* id est adversarius humanæ salutis, puta diabolus, *in Judam, qui cognominabatur Iscariotes,* quia de vico sic dicto in tribu Issachar (ut dicitur) exsistente, fuerat oriundus, *unum de duodecim* principalibus Christi discipulis, scilicet Apostolis. De quibus et de quo ait Christus : Nonne duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est? (*Joann.* vi, 71.) Intravit autem diabolus in Judam, id est in mentem seu animam ejus, non ei essentialiter illabendo, quoniam solus Deus creator incircumscriptibilis et immensus essentiis rerum illabitur, et omnia implet, penetrat, et excedit ; (*Jer.* xxiii, 24.) sed intravit per effectum, suggerendo Christi venditionem. Nec hac vice solum intravit hoc modo in eum, sed et antea sæpe, utpote quotiescumque illum ad mortale induxit peccatum. Unde apud Joannem legitur : Cœna facta, quum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas. (*Joann.* xiii, 2.) Itaque nunc intravit vas suum, illud plenius possidendo. Hoc etiam modo diabolus intrat corda eorum qui ejus tentationibus suggestionibusque consentiunt. Non enim intrat, cogendo aut necessitando ad culpam, sed suggerendo et alliciendo ad eam; nos autem ex negligentia nostra ei libere aperimus, præbendo consensum. Contra quod hortatur apostolus 3

Ephes. iv, 27. Paulus : Nolite locum dare diabolo. Jaco- A
Jacob. iv, 7. bus quoque apostolus : Resistite, inquit,
diabolo, et fugiet a vobis. Omni ergo im-
piæ cogitationi, affectioni et suggestioni
perversæ jugiter atque viriliter reluctе-
mur, Deo et ejus mandatis ac testimoniis
fortiter adhærentes, et quidquid veritati
ac æquitati contrarium est respuentes.
4 *Et abiit,* mentis aversione et corporis
gressu, a Christo ceterisque Apostolis, *et*
locutus est cum principibus sacerdotum :
I Esdr. ix, 2. quibus competit illud in Esdra, Manus
principum fuit in transgressione hac pri- B
ma ; *et magistratibus,* id est rectoribus
ac senioribus plebis. Theophilus autem
per magistratus intelligit præpositos fa-
bricæ templi, vel eos quos Romani præfe-
cerunt Judæis, ne se Romanis opponerent,
quia seditiosi fuerunt. *Quemadmodum,* id
est quomodo, *illum traderet eis.*
5 *Et gavisi sunt,* inventa tam congrua
occasione comprehendendi occidendique
Jesum. Quibus competit quod in Prover-
Prov. ii, 14. biis Salomon loquitur : Lætantur quum
malefecerint, et exsultant in rebus pessi- C
mis. *Et pacti sunt,* id est, fœdus seu pa-
ctum cum Juda inierunt, *pecuniam illi*
6 *dare,* videlicet triginta argenteos. *Et spo-*
pondit Judas, id est, promisit quod tra-
deret eis Jesum. Alii Evangelistæ factum
Matth. xxvi, 14, 15. hoc plenius describunt. Nempe, ut refert
Matthæus, Judas præfatos accedens, dice-
bat : Quid vultis mihi dare, et ego eum
vobis tradam ? Et constituerunt, id est da-
re promiserunt, ei triginta argenteos. Oc-
casio quoque qua motus est Judas ven-
dere Christum, fuit tristitia illa qua doluit D
de unguento super Christum effuso a Ma-
ria Magdalene, in cœna facta in domo Si-
monis leprosi in Bethania, sabbato Ra-
Joann. xii, 5. mis palmarum. Unde tunc dixit : Quare
unguentum istud non veniit trecentis de-
nariis et datum est egenis ? Porro quili-
bet triginta argenteorum quos promise-
runt traditori, valuit (ut fertur) decem
nummos seu denarios usuales, ita quod
triginta argentei valuerunt trecentos dena-
rios usuales : sicque in venditione Christi
recuperavit Judas valorem effusi unguen-
ti. Hinc per Zachariam Christus prædixit :
Appenderunt mercedem meam triginta ar- Zach. xi, 12, 13.
genteos, decorum pretium quo appretiatus
sum ab eis. *Et quærebat opportunitatem,*
id est aptum locum et congruum tem-
pus, *ut traderet illum sine turbis,* id est
secrete, et tempore noctis, quando turba
non adfuit Christo.
Ex his patet, quod maximam passus est
Christus vilipensionem, dum a proprio di-
scipulo pro tam vili venditus pretio, ipse
in quo est omnium bonorum atque pul-
chrorum ac desiderabilium plena, perfecta
et infinita possessio. Insuper impietatem
Judæ Christum vendentis sequuntur, qui
pro temporali laude, lucro aut commodo,
justitiam deserunt, falsum testimonium di-
cunt, aut contra veritatem scienter judi-
cium proferunt, itemque ecclesiastica be-
neficia, sacramenta vel judicia vendunt ;
assimilanturque eis de quibus in Michæa
fertur : Principes ejus in muneribus ju- Mich. iii, 11.
dicabant, et sacerdotes ejus in mercede
docebant, et prophetæ ejus in pecunia
divinabant.
Venit autem dies Azymorum. Hoc mo- 7
do expositum est. *In qua necesse erat oc-*
cidi pascha, id est agnum paschalem, ad
observandum legis præceptum in Exodo Exod. xii.
scriptum : qui agnus feria quinta occide-
batur ac edebatur, et Christum ejusque im-
molationem et occisionem evidenter præ-
figuravit. *Et misit Petrum et Joannem* 8
quinta feria a Bethania in Jerusalem, *di-*
cens : Euntes Jerusalem versus, *parate*
nobis pascha, id est agnum paschalem, *ut*
illum secundum legem pariter *manduce-*
mus. Christus enim non venit legem sol- Matth. v, 17.
vere, sed implere. Christus quoque disci-
pulos suos consuevit mittere combinatos Luc. x, 1.
propter mutuæ societatis solatium, atque
ad socialis vitæ commendationem. Nam,
ut Salomon loquitur, Frater qui adjuva- Prov. xviii, 19.
tur a fratre, quasi civitas munita. Por-
ro, per esum agni paschalis designabatur
sumptio Christi in Sacramento altaris ; per
Petrum vero, vita activa ; per Joannem,

Digitized by Google

contemplativa. Quemadmodum ergo Pe-
trus et Joannes agnum præparaverunt pa-
schalem, ita et nos per actionem virtuosam
et contemplationem mysteriorum benefi-
ciorumque Christi et divinitatis suæ, præ-
parare corda nostra debemus ad sacram
9 communionem. *At illi dixerunt : Ubi vis
paremus* pascha, id est in qua domo ?
10 *Et dixit ad eos : Ecce introeuntibus vo-
bis in civitatem* Jerusalem, *occurret vobis
homo amphoram aquæ portans :* qui ho-
mo, secundum Origenem, fuit minister
patrisfamilias ejus ad quem Christus di-
rexit discipulos istos; *sequimini eum in
domum in quam intrat.* Istud per natu-
ralem rationem præsciri non potuit, quia
futurorum pure contingentium non est
determinata præcognitio, nisi divinitus re-
veletur. Christus autem istud præscivit,
tam per increatam suam scientiam secun-
dum quod Deus, quam per creatam scien-
tiam inditam, et per gratiam prophetiæ
quam habebat plenissime secundum na-
11 turam humanam. *Et dicetis patrifamilias
domus : Dicit tibi Magister,* id est Chri-
stus, per excellentiam dictus magister,
I Cor. I, 24. tanquam sapientia Patris, secundum divi-
Coloss. II, 3. nitatem, et in quo sunt omnes thesauri
sapientiæ et scientiæ, secundum huma-
nitatem. Christus itaque se ipsum voca-
vit magistrum, non vanitatis, sed veritatis
amore. *Ubi est diversorium,* id est locus
secretus et quietus, *ubi pascha,* id est
agnum paschalem, *cum discipulis meis
12 manducem ? Et ipse ostendet vobis cœna-
culum magnum stratum,* id est disposi-
tum et paratum seu aptum ad esum agni.
Et ibi parate nobis pascha.

Communiter dicunt doctores quod do-
mus patrisfamilias hujus fuit prope mon-
tem Sion et juxta templum : in qua domo
fuit cœnaculum jam præfatum, in quo
Joann. XX, 19. Apostoli post Christi resurrectionem fori-
bus clausis latebant usque ad Penteco-
Act. II, 1-4. sten ; tuncque in eodem cœnaculo impleti
sunt Spiritu Sancto. Quamvis B. Ambro-
sius et Glossa dicant hominem istum pa-
tremfamilias pauperem ignobilemque fu-
A isse, alii tamen probabilius arbitrantur
quod fuit homo multum potens, dives
ac nobilis, in tantum quod, non obstante
prohibitione pontificum, et spreto timore
principalium Judæorum, ausus fuit Chri-
stum et ejus discipulos in domum suam
suscipere, atque post Christi passionem
tam diu ejus discipulos hospitare, quasi
Judæos non metuens. Pauperes quoque
habere non solent domum tam magnam,
in qua sit tam grande cœnaculum, quem-
admodum istud fuit, in quo centum vi- Act. I, 15.
B ginti homines pariter consedentes, Spiri-
tum Sanctum receperunt. Denique aliqui
putant quod fuit unus discipulorum Chri-
sti, ita quod nomine magistri cognovit
magistrum suum Dominum Jesum signi-
ficari. Habuit etenim Christus etiam quos-
dam discipulos divites, a quibus voluit
interdum refici se et suos discipulos pau-
peres : nam apud Joannem scriptum est,
quod multi ex principibus Judæorum cre- Joann. XII, 42.
diderunt in Jesum instante hac cœna.
Euntes autem, invenerunt hominem 13
C lagenam aquæ ferentem eisque occurren-
tem, et domum atque cœnaculum, *sicut
dixit illis* Jesus : qui secundum quod
Deus, est veritas per essentiam, et ut ho- Ibid. XIV, 6.
mo, confirmatus fuit in bono ab incar-
nationis exordio, ita quod mentiri non
potuit ; *et paraverunt pascha. Et quum* 14
facta esset hora vespertina feriæ quintæ,
in qua hora agnus paschalis secundum
legem manducabatur, *discubuit, et duode-
cim Apostoli cum eo.* Hinc Beda affirmat :
Hora manducandi pascha, designat quar-
D tamdecimam diem primi mensis perdu-
ctam ad vesperam, et quintadecima luna
terris jam apparente. Circa hæc quærit
Theophilus, qualiter Dominus discumbe-
re, id est sedendo comedere, dicitur, quum
Judæi stantes pascha comederent, sicut lex Exod. XII, 11.
jussit. Ad quod (ut refert) aliqui dicunt,
quod agnum paschalem Christus atque
Apostoli stando edebant, deinde accubu-
erunt secundum communem usum, quos-
dam cibos edentes. Aliqui etiam dicunt,
quod mensa fuit super terram posita, et

Digitized by Google

Christus cum suis Apostolis in terra consedit, juxta consuetudinem veterum. Rursus aliqui dicunt, quod etiam septuaginta duo discipuli aderant, saltem pro parte, et agnum in alia mensa edebant.

15 *Et ait illis : Desiderio desideravi,* id est, intense ac fervide concupivi, *hoc pascha,* videlicet agnum istum paschalem, *manducare vobiscum, antequam patiar,* id est, a Judæis occidar. Hoc equidem Christus ardentissime affectavit, non principaliter propter agnum illum legalem ac præfigurativum, sed propter impletionem ejus quod ille agnus præfiguravit, videlicet propter institutionem Sacramenti novæ et evangelicæ legis : cujus Sacramenti figura præcessit in agno paschali, et esu ac immolatione ipsius. Hoc enim superdignissimum Sacramentum instituere Christus summe et ineffabiliter concupivit, ad Dei Patris æternum honorem et gloriam, et ad maximam fidelium utilitatem, quemadmodum inæstimabilem dilectionem habuit ad Patrem et ad nos. Rursus, desideravit hoc pascha novissimum edere, ut legalibus observantiis finem imponeret, et veteris Testamenti completis figuris, novum inciperet Testamentum, atque ut cetera faceret ac doceret quæ post Cœnam egit ac docuit. Porro Theophilus sic exponit : Desiderio desideravi, etc. Quasi dicat : Hæc ultima mihi Cœna vobiscum est, propter quod singulariter amabilis est mihi : sicut qui peregre profecturi sunt, ultima sua facta et verba affectuosius exhibent. Porro secundum Cyrillum, Christus ideo verbum hoc protulit, quoniam Judas avarus tempus proditionis explorabat; sed ne traderet Christum ante completionem hujus Cœnæ, non explicaverat Christus domum, aut virum penes quem pascha perageret : cujus causam per hæc verba ostendit.

Quod vero præfata manducatio hujus agni paschalis esset ultima Christi cum
suis discipulis Cœna, et ideo sibi præop-
16 tata, pandit subdendo : *Dico enim vobis,*
quia ex hoc, id est post hanc horam, *non manducabo illud* pascha, seu agnum paschalem, *donec impleatur,* id est, veraciter compleatur, quod per agnum illum figuraliter significabatur, *in regno Dei,* id est in Ecclesia militanti, quæ in Evangelio frequentissime regnum Dei vocatur. Legalis etenim ille agnus præfiguravit, ut dictum est, institutionem et esum Sacramenti altaris, immolationemque Christi in ara crucis : quæ omnia post hæc verba implebantur, quia paulo post Christus Sacramentum novi Testamenti instituit, suisque dedit, et Patri obtulit semetipsum. Unde, juxta hanc expositionem, *donec,* sequens tempus excludit, quia post hanc horam Christus typicum agnum non manducavit. Unde, secundum Bedam, Christus his verbis prohibet agnum paschalem ultra carnaliter exhiberi, et asserit se ultra nequaquam pascha Mosaicum celebraturum.

Et accepto calice, id est vasculo ex quo 17
biberunt, *gratias egit* Deo Patri, secundum quod homo fuit, docens nos Deo gratias agere pro universis beneficiis ejus, pro corporalibus etiam alimentis ; vel gratias egit de consummatione ac terminatione legalium horum ciborum, quia et calix seu potus iste ad vetus pascha, cui finem imponebat, spectabat. Bis quippe in Cœna hac legitur calicem accepisse. Primus pertinebat ad vetus pascha ac Testamentum, secundus ad novum, sicut dicetur. *Et dixit : Accipite et dividite inter vos,* id est, successive et per ordinem de hoc potu seu vasculo bibite : prout moris fuit in esu agni paschalis potare. Et potus ille sumptionem sanguinis Christi sub speciebus sacramentalibus figuravit : unde in institutione sacramenti Eucharistiæ cessaverunt legalia, quantum ad obligationem, et finis impositus est typico agno ac potui ejus. Veniente enim veritate, et re figurata exhibita, cessant figuræ et typica.

Dico enim vobis, quod non bibam de 18
generatione vitis, id est de vino hujusmodi, quod generatur in vite, et fructus

est vineæ, *donec regnum Dei veniat,* id est, quousque post passionem immortalis surrexero, sicque in me adveniat et monstretur regnum militantis Ecclesiæ, ita ut ego rex Ecclesiæ gloriosus appaream, et in electis atque fidelibus per fidem et gratiam regnare incipiam, convertendo illos ad me, vel de novo, aut magis perfecte. Juxta hanc expositionem insinuavit se Christus post passionem et resurrectionem suam cum discipulis bibiturum : quod certum est contigisse. Unde in Ac-
Act. x, 41. tibus Apostolorum Petrus testatur, quod ipse, ceterique Apostoli manducaverunt atque biberunt cum Christo, postquam resurrexit a mortuis. Nec dubium quin discipuli dederint Christo tunc bibere vinum, scilicet optimum quem habuerant potum. Vel sic : Non bibam de generatione vitis, id est, typicum istum potum ultra non sumam, donec veniat regnum Dei, id est, fides Ecclesiæ prædicetur ac recipiatur. Sicque Christus insinuavit legalem illum potum debere cessare, et rem per eum figuratam esse de cetero celebrandam, videlicet sui sanguinis sumptionem. Sic quoque, *donec,* accipi potest ut ante, scilicet exclusive.

Denique peractis et terminatis quæ ad agnum pertinebant legalem, complet et inchoat quod figurabatur per illum, instituens atque conficiens Eucharistiæ sacra-
19 mentum. *Et accepto pane,* id est, panem azymum ac triticeum, quo tunc vescebantur, in manu sua benedicta accipiens, *gratias egit* ut homo Deo Patri pro universis beneficiis ejus sibi collatis, et quod per ipsum decrevit redimere genus humanum. Specialiter vero tunc gratias egit de veteribus terminatis, et novis mysteriis jam inchoandis. *Et fregit* panem jam consecratum, quoniam integrum panem in suum corpus transsubstantiavit. Fregisse autem dicitur panem, non quod tunc ibi esset substantia panis, aut quia suum corpus ibi exsistens confregerit, sed quia species sacramentalis, videlicet quantitas panis remanens, sub qua corpus Domini continebatur, veraciter frangebatur, et divisionis illius erat subjectum, sicut et modo in hostiæ fractione. *Et dedit eis dicens : Hoc* quod vobis nunc porrigo, et ex summa dilectione ac liberalissime tribuo, *est corpus meum* vere, non repræsentative dumtaxat, *quod pro vobis datur,* id est, pro vestra liberatione passioni et morti jam exponetur, proditore tradente, et me sponte ad passionem accedente. Vel, Quod pro vobis datur, id est, quod ego vobis nunc munificentissime do edendum ad vestrum profectum et robur, ut gratia augeatur in vobis. *Hoc facite,* id est, Sacramentum istud suo tempore celebrate et conficite, date ac sumite, *in meam commemorationem,* id est in memoriam summæ dilectionis meæ ad vos, et amarissimæ passionis meæ pro vobis. Itaque, sicut legale pascha fuit figurativum futuri, sic evangelicum istud pascha est rememorativum præteriti. Sed quoniam Christus Sacramentum istud confecit, dicendo, Hoc est corpus meum ; ideo dixit hoc antequam porrigeret corpus discipulis. Aliqui tamen dicunt, quod porrigendo repetivit hæc verba. Sed hujusmodi difficultates prætermitto, quia hinc inde in diversis libris copiosissime inveniuntur solutæ.

Deinde describitur institutio sacramenti Eucharistiæ sub specie vini, et specialiter
consecratio sanguinis Christi. *Similiter et* 20
calicem sumpsit in manibus, et dedit discipulis, *postquam cœnavit,* id est, agnum paschalem comedit, *dicens : Hic est calix novum Testamentum,* supple, confirmans ac signans, *in meo sanguine* dedicatum, confirmatum et consecratum. Ponitur autem continens pro contento, quum dicitur, Calix in meo sanguine : ut sit sensus, Sanguis meus exsistens in calice. Itaque novum Testamentum in Christi sanguine confirmatur, quia in consecratione sanguinis ejus instituebatur, et in effusione sanguinis ejus roborabatur. Testamentum *Hebr. ix, 17.* namque in morte confirmatur. *Qui pro vobis fundetur,* id est, pro vestra salvatione sanguinem hunc effundam et effun-

Digitized by Google

di permittam. Et per discipulos, intellexit Salvator omnes electos suo sanguine liberandos. Nempe pro universis hominibus effusus est sanguis Christi, quantum ad sufficientiam, quoniam quantum in ipso est, idoneus est omnium auferre peccata, gratiamque conferre et gloriam ; sed pro solis electis effusus est, quantum ad efficientiam, quia ipsi dumtaxat dominicæ passionis fructum salubriter consequuntur.

Dicit autem Chrysostomus : Hic sanguis operatur in nobis imaginem regiam, nobilitatem animæ non permittit marcescere, protinus rigans animam, magnamque inspirans virtutem. Hic sanguis dæmones fugat, angelos advocat ; mundum lavit, cœlum accessibile fecit; et per ipsum participes ejus fiunt supernis virtutibus amicti regio pallio, magis autem ipso rege induti. Et sicut si mundus accesseris, salubriter accessisti ; sic si indutus conscientia prava, damnose accedis in culpam atque supplicia. Nam si qui imperatoriam coinquinant purpuram, pari pœna plectuntur cum eis qui illam divellunt ; absurdum non est, si et qui obscena mente corpus Christi recipiunt, pari pœna plectantur cum his qui illud clavis confixerunt.

Præterea advertendum, quod dominici corporis ac sanguinis Sacramentum institutum est a Christo multis de causis : Primo, in recordationem suæ passionis et obedientiæ ejus usque ad mortem, ceterorumque mysteriorum et actuum ejus, ut illa ad memoriam devotissime revocemus ac imitemur, suæ passioni nos conformando per proprii corporis castigationem, et propriæ voluntatis, voluptatis ac vanitatis mortificationem. Nam, ut ait Apostolus, qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. (*Galat.* v, 24.) Princeps quoque Apostolorum effatur : Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. (I *Petr.* II, 21.) Secundo, in signum atque memoriam caritatis suæ ad nos. Hoc enim maxime caritatis exstat indicium, quod proprium

A corpus et sanguinem nobis reliquit in cibum potumque animæ salutarem : quia et illa est amorosissima munificentissimaque donatio, qua quis alteri dat se ipsum, quemadmodum Christus hoc in Sacramento fuit et est dator et donum. Tertio, in alimentum vitæ spiritualis, quia in Sacramento hoc fons gratiæ continetur, et præcipua gratiarum charismata digne sumentibus ipse largitur. Quarto, in robur mentalis confirmationis, quia hic cibus roborat animam, sicut alia esca corpus.

B Quinto, in viaticum hujus peregrinationis, ut virtute hujus dignissimi alimenti tendamus ac perveniamus usque ad patriam paradisi cœlestis, sicut Elias in fortitudine subcinericii panis ambulabat usque ad montem Horeb. (III *Reg.* XIX, 8.) Sexto, in remedium satisfactionis pro nostris peccatis, quia hoc Sacramentum multipliciter suffragatur sumentibus digne ipsum, et per ipsius oblationem ac sumptionem nostra relaxantur peccata, defunctis quoque succurritur. Septimo, in pignus et arrham futuræ here-

C ditatis æternæ. Beatificam enim fruitionem in patria præfigurat, quia quos Salvator jam sui corporis ac sanguinis Sacramento dignatur reficere, tunc suæ divinitatis specie reficiet sine fine ; et quod nunc mystice geritur, tunc in veritate complebitur.

Itaque hujus Sacramenti institutionem, institutionisque causas quotidie cum debita attentione pensemus, et Christo vicem pro viribus rependamus. Denique Chrysostomus ait : Vide, o homo, quali sis a Christo honoratus honore, quali et mensa

D potiris, quod angeli videntes horrescunt, nec sine reverentia respicere audent, propter eam quæ intus fertur coruscationem. Iterum ait, ostendens quanta sit caritas Christi ad nos : Quis pastor propriis membris nutrit oves? Sed et matres quoque filios suos tradunt aliis ad alendum. Christus vero ita non egit, sed quos genuit per se ipsum, ex se ipso nutrit. Itaque tantæ caritati liberalitatique Salvatoris et Dei nostri grati esse jugiter satagamus, et ei in omnibus ex purissima caritate fi-

Digitized by Google

deliter obediamus, nec sine debita præ-
paratione ac devotione celebremus aut
communicemus. Alioqui, quanto major est
dilectio et beneficentia Christi ad nos, tan-
to gravior erit ingratitudo, perversitas et
damnatio nostra.

Postremo, quoniam Christus in Cœna
propriis manibus suos communicavit di-
scipulos, hinc in die Cœnæ religiosi de
manu sui prælati corpus Salvatoris acci-
piunt. — Hoc quoque sciendum, quod li-
cet Christus post cœnam dedit corpus et
sanguinem suum discipulis, deinceps ta-
men ordinavit Ecclesia Sacramentum hoc
a jejunis accipi propter reverentiam ejus,
et ut devotius accipiatur.

Consequenter Christus traditionem suam
prædicit, sicut et passionem suam fre-
quenter prædixit, ne improvisus et ne-
scius æstimaretur traditus et occisus, at-
que ut se sponte manifestaret tradi, capi
21 et crucifigi. *Verumtamen ecce manus tra-
dentis me,* id est, licet ego tanta vobis bo-
na præstiterim, nihilo minus manus illius
qui cito me tradet, *mecum est in mensa,*
id est, traditor meus mecum quasi ami-
cus manducat. Quibus verbis Christus,
quantum in se fuit, admonuit Judam, qui
sibi de suo scelere conscius fuit, ut a ma-
lo desisteret; sed proditorem non nomi-
nat, ne in cœna pacis grandis turbatio
oriretur, et ne quis discipulorum in pro-
ditorem consurgeret. Istud quoque con-
queritur Christus de sacerdotibus immun-
dæ ac impiæ conversationis, et ceteris
I Cor. xi, 27, 29. indigne manducantibus, qui (ut ait Apo-
stolus) rei sunt corporis et sanguinis Chri-
sti, et judicium sibi manducant et bi-
22 bunt. *Et quidem Filius hominis,* scilicet
Christus Filius Virginis, et inter filios pri-
mi hominis summus, *secundum quod de-
finitum est,* id est a Patre æternaliter
prævisum ac præordinatum, atque per
Prophetas prædictum, *vadit* de vita ad
mortem, de exsilio isto ad patriam, et de
passione temporali ad gloriam sempiter-
nam : quia et hoc Deus per Prophetam
prædixit, quod Christus a suo discipulo

A esset tradendus, sancto David in Christi
persona dicente : Etenim homo pacis meæ, Ps. xl, 10.
etc. Hinc in Actibus Petrus ait Judæis : Je- Act. ii, 22, 23.
sum Nazarenum, definito consilio et præ-
scientia Dei traditum, interemistis. Deus
enim Pater per Christi passionem mun-
dum salvare decrevit, quemadmodum Isa-
ias dixit : Dominus posuit in eo iniquita- Is. liii, 6, 5.
tem omnium nostrum, cujus livore sanati
sumus. Et rursus ibidem loquitur Deus :
Propter scelus populi mei percussi eum. Ibid. 8.
Verumtamen væ homini illi per quem
B *tradetur,* id est, mortaliter peccabit et
æternam promerebitur sortieturque pœ-
nam. Quo verbo Christus, quantum in se
fuit, retraxit proditorem a tanto facinore
terrore et comminatione supplicii.

Circa quod sagaciter perpendamus, quan-
ta sit fragilitas atque malitia mentis hu-
manæ, eo quod Judas iste miserrimus,
auditis tantis Christi sermonibus et advisa-
tionibus istis, aliisque beneficiis a Christo
susceptis, etiam in hac Cœna, in commu-
nione, et pedum suorum a Christo lotio- Joann. xiii, 4 et seq.
C ne, tot demum visis Christi miraculis, et
in tam sancta ac electissima societate Apo-
stolorum tanto tempore conversatus, ad
tantam impietatem dilapsus est, nec a
concepto scelerato proposito exstitit re-
vocatus. Nullus ergo nostrum præsumat
de viribus suis, neque inaniter glorietur,
sed semper sit timoratus. Hinc ait S. Ber-
nardus : Si nec in regno majestatis, nec
in paradiso voluptatis, nec in collegio uni-
tatis, videlicet Christi, defuit casus, quis
poterit esse securus in hoc loco horroris Deut. xxxii, 10.
D et vastæ solitudinis ?

Præfatis quoque verbis, ut scribit evan-
gelista Matthæus, addidit Christus : Bo- Matth. xxvi, 24.
num ei esset, si natus non fuisset homo
ille.

Et ipsi innocentes Apostoli, *cœperunt* 23
*quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc
facturus esset.* Ubi apparet ac commen-
datur mirabilis sancta simplicitas Aposto-
lorum, qui licet nihil de magistri sui tra-
ditione unquam cogitassent, magis tamen
credebant Christo quam sibimetipsis : id-

Digitized by Google

eo inter se conquirebant, quisnam esset eorum tantum commissurus piaculum. Imo de hoc quærebant tripliciter : Primo, unusquisque suam discussit conscientiam, an tale quid cogitasset. Secundo, inter se interrogaverunt. Tertio, ut ait Matthæus evangelista, singulatim sciscitabantur a (Matth. xxvi, 22.) Christo : Numquid ego sum ? Etiam et Judas dicebat : Numquid ego sum, Domine? (Ibid. 25.) Cui Christus respondit : Tu dixisti. Circa quod scribit Basilius : Sicut in corporalibus passionibus multæ sunt quas non sentiunt patientes, sed magis adhibent fidem conjecturæ medicorum ; sic et in animæ passionibus, si quis in se peccatum non sentiat, credere debet his qui plus possunt cognoscere ejus peccata.

24 *Facta est autem et contentio inter eos,* puta Apostolos, *quis eorum videretur esse major,* hoc est ceteris altior. Quamvis aliqui dicant contentionem istam humilitatis fuisse, ita quod conabantur se invicem honore prævenire, verius tamen est quod dicit Chrysostomus, asserens eam fuisse aliquantulæ elationis, quia humanum aliquid passi sunt : quod patet ex increpatione et informatione eorum subjuncta. Cujus occasio fuit, secundum Gregorium, quoniam audierunt Christum suam passionem jam prædixisse, moxque futuram. Ipso autem eis ablato, debuit unus eorum ceteris loco Christi præesse : ideo cœperunt contendere, quis eorum major seu aptior esset ad hoc. Porro Theophilus ait : Quum inter se quærerent quis eorum esset Dominum traditurus, consequens erat ad invicem sibi dicere : Es tu proditurus ? Et ex hoc coacti sunt dicere : Ego potior, Ego major, atque similia. Quemadmodum vero Beda testatur : Sicut boni ex Scripturis quærunt et sumunt quibus proficiant ; sic perversi et reprobi, si quid reprehensibile in Scripturis inveniant, hoc libenter amplectuntur, ut per hoc suas excusent aut tegant nequitias. Unde quidam ardentius legunt quod facta est contentio inter discipulos Christi ; sed nos potius videamus et imitemur non quod adhuc carnales

A gesserunt discipuli, sed quod jussit spiritualis magister.

25 *Dixit autem eis,* increpando eorum errorem, et ad humilitatem eos informans : *Reges gentium,* hoc est gentilium, *dominantur eorum,* ita quod cum ambitione et vana gloriatione suæ excellentiæ atque potentiæ præsident suis. Unde gentilium meminit Christus, ut ambitionis detestabilitatem demonstret. Gentilium namque est ambire primatum. *Et qui potestatem habent super eos,* puta gentilium princi- B pes, qui in subditos suos potestatem exercent, *benefici vocantur,* id est, a subditis vane laudantur et bene agentes dicuntur, etiam dum agunt injuste. Principibus etenim plurimi blandiuntur, et laudatorios ac adulatorios offerunt sermones, ut eorum favorem aut munera sortiantur.

26 *Vos autem non sic,* id est, gentilibus illis principibus nolite assimilari adspirando ad principatum, quoniam illi, quasi carentes legibus sacris, prætactis subjacent moribus, vestrum vero culmen in vera humi- C litate fundatur et est. Ideo subditur : *Sed qui major est vestrum,* hoc est sapientior aut virtuosior inter vos, *fiat sicut minor,* id est, præ ceteris humiliorem se præbeat ; et tanto sit Deo subjectior et proximis in omni virtute exemplarior, quanto majorem a Deo adeptus est gratiam, et obligatiorem se conspicit ad reddendam Altissimo rationem. Propter quod in Ecclesiastico legitur : Quanto major es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. (Eccli. iii, 20.) Rursusque scriptum est : D Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta impii ignis et vermis. (Ibid. vii, 19.) Signum enim veri spiritualis profectus veræque sapientiæ et perfectionis, est vera, stabilis ac profunda humilitas, juxta illud Proverbiorum : Ubi fuerit humilitas, ibi et sapientia. (Prov. xi, 2.)

Circa hæc ait Chrysostomus : Principes mundi ideo fiunt, ut dominentur in minoribus suis ; principes autem Ecclesiæ, ut serviant minoribus suis, ut proprias utilitates negligant, et illorum procurent,

Digitized by Google

ut nec mori timeant pro salute illorum. A Principatum vero sæcularem appetere, etsi ratio non est, vel causa est. Principatum vero Ecclesiæ concupiscere, nec ratio est, neque causa, quia nec justum, nec utile est. Quis enim sapiens sustinet se subjici servituti, ac tanto periculo, nisi forte qui non credit Dei judicium, vel qui Deum non metuit impios punituram? — Hinc ait Basilius : Non ergo extollat præsidentem dignitas, ne ab humilitatis beatitudine corruat. Illud autem noverit, quod humilitas vera ministerium plurium est. Sicut enim B qui pluribus ministrat vulneratis, et abstergit cujuslibet vulneris saniem, non sumit ex ministerio illo causam elationis; sic et multo magis cui commissæ sunt curæ fraternorum languorum, ut omnium mini-
Hebr. XIII, 17. ster redditurus pro omnibus rationem, esse debet humilis atque sollicitus. Verumtamen contra delinquentium vitia per zelum justitiæ debet esse erectus, ut humilitas sua discretione regatur, nec ita subditis se supponat, ut in correctione errantium pusillanimis fiat sive remissus, sed auctori- C tate sua ut vicarius Christi fungatur, debitumque persolvat sui officii, quamvis in corde suo sibi præferat eos quos corrigit.

Et qui præcessor est, hoc est, qui alios dignitate aut sanctitate excedit, fiat *sicut ministrator,* id est, obsequiosum se præbeat, secundum exigentiam loci et causæ ac temporis, et humiliter sentiat de se ipso. Ut autem Chrysostomus loquitur, primatus fugientem se desiderat, desiderantem se horret. Iterum ait : Homo quod membrum habeat honorabile, et quod in- D honestum, agnoscit. Ipsum autem membrum hoc de se non cognoscit, ne sit schisma in corpore. Sic differentiam inter sanctos hujus viæ agnoscit Christus, cujus membra sumus; ipsis autem sanctis non est concessum ut cognoscant hic differentiam suam ad invicem. Verumtamen, etiam si quis sciat per revelationem esse se aliis virtuosiorem, nihilo minus aliis humiliter obsequi debet, et humiliare se ceteris, quia secundum aliquas considerationes, potest se aliis inferiorem veraciter judicare, videlicet considerando se secundum id quod est aut habet vel habuit a se ipso, aut adhuc cito haberet, si relinqueretur a gratia, alios autem secundum id quod habent, habuerunt, aut forte habebunt a Deo. Sic quippe dixit Apostolus : Venit Jesus peccatores salvos facere, I *Tim.* I, 15.
quorum ego primus sum.

Denique, sic Christus secundum formam assumptam se humiliavit ac mini- *Philipp.* II, 8.
stravit, quasi excellentiam suam ignoraret: idcirco consequenter suo exemplo hortatur ad humilitatem. *Nam quis major est, qui* 27
recumbit sedens ad mensam, *an qui ministrat* recumbenti? *Nonne qui recumbit,* major et dignior est ministrante secundum quod talis est? quamvis frequenter aliunde coram Deo sit major in donis gratiæ qui ministrat. *Ego autem,* qui contrario modo ad mundum me habeo, *in medio vestrum sum sicut qui ministrat,* id est, cunctis vobis humiliorem me præbeo, quamvis major sim vobis, et obsequiosus sum vobis. Nam et in Cœna hac, Christus lavit pedes eorum, corpus quo- *Joann.* XIII, 4 *et seq.*
que et sanguinem suum ministravit eis in Sacramento; optima etiam spiritualia fercula gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro, Christus ministrat. Itaque constat ex dictis, et Glossa hoc asserit, quia necesse est ut rectorem subditis, et disciplina patrem, et pietas matrem, et humilitas servum exhibeat, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa, sed utrobique servetur discretio.

Digitized by Google

ARTICULUS XLVIII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI VICESIMI SECUNDI, A LOCO QUO DICITUR : VOS AUTEM ESTIS QUI PERMANSISTIS MECUM IN TENTATIONIBUS MEIS.

vers. 22. PAULO ante prædixit Christus infideli
discipulo væ æternum, scilicet Judæ
proditori : qui, quum verba sequentia di-
cerentur, exivit, quia ut apud Joannem
Joann. xiii, 30. legitur, Quum accepisset buccellam, ex-
ivit continuo. Nunc ergo fidelibus suis di-
scipulis ceteris, scilicet Apostolis, bona
28 promittit. *Vos autem estis qui permansi-
stis mecum in tentationibus meis,* hoc est,
in tempore adversitatis et tribulationum
quas mihi intulerunt Judæi (qui Christum
Luc. xi, 16. tentaverunt frequenter : nunc signum de
Ibid. xx, 22, 23. cœlo petendo; nunc an liceret tributum
solvere inquirendo, propter quod dixit eis-
dem, Quid me tentatis, hypocritæ? nunc
Joann. x, 31. eum lapidare volendo), et usque in hanc
horam, in qua mihi gravissima tribulatio
instat, mecum mansistis. Unde jam ante
Thomas apostolus ad coapostolos dixit :
Ibid. xi, 16. Eamus et moriamur cum illo.
29 *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mi-
hi Pater meus, regnum,* id est, in regno
cœlesti beatificam mansionem præparo vo-
bis, et passionis meæ merito januam re-
gni æterni jam vobis reserabo. Hinc apud
Ibid. xiv, 2. Joannem ait : Vado parare vobis locum.
Hoc autem Christus peregit, sicut Pater
æternus sibi disposuit, id est, per ipsum
fieri decrevit et ordinavit, sicut in Mat-
Matth. xx, 23. thæo profitetur : Sedere ad dexteram me-
am vel sinistram, non est meum dare
vobis, sed quibus paratum est a Patre
meo : hoc est, non humana virtute, sed
paterna ac divina dispositione hoc præsto.
Vel, Sicut disposuit mihi Pater : id est,
quemadmodum Pater ex sua bonitate et
caritate, largitus est mihi secundum na-
turam meam humanam bona gloriæ, et
eadem mihi ab æterno paravit, atque ab
A incarnationis exordio quantum ad essen-
tiale præmium dedit; sic ex bonitate ca-
ritateque mea ad vos, bona gloriæ præpa-
ro, ac tribuam vobis. *Ut edatis et bibatis,* 30
id est, spiritualiter plene ac jucundissime
reficiamini : juxta id Psalmi, Inebriabun- Ps. xxxv, 9.
tur ab ubertate domus tuæ, et torrente
voluptatis tuæ potabis eos; et in Canticis :
Comedite, amici, et bibite; et inebriami- Cant. v, 1.
ni, carissimi; *super mensam meam,* id
est in Divinitatis fruitione. Sicut enim su-
per mensam fercula collocantur, sic in
B superessentiali, superbenedicta ac super-
simplicissima Deitate, est opulentia infi-
nita, omnisque beatifici alimenti (videlicet
omnis bonitatis ac pulchritudinis) posses-
sio jucundissima et immensa. Ipsa ergo
spiritualis est mensa, simul et esca ac
potus, *in regno meo* cœlesti.

Denique quidam exponunt hunc locum
de regno militantis Ecclesiæ : in quo Chri-
stus disposuit Apostolis principatum super
fideles, juxta quod scriptum est, Consti- Ps. xliv, 17.
tues eos principes super omnem terram;
C ut ederent et biberent super mensam su-
am, id est, in mensa altaris, Sacramentum
corporis et sanguinis sui acciperent. Ita-
que verba inducta non sunt carnaliter in-
telligenda, quasi in futura vita venturus
sit alimentorum corporalium usus, sed
per corporalia spiritualia designantur, ut
consuetudo est Scripturarum. Nam, quia
prærogativa magna apud reges funguntur
terrenos, qui eorum sunt commensales,
Christus sic loquitur, ut innuat quanta erit
electorum suorum felicitas. Et plane hæc
D est mutatio dexteræ Excelsi, ut qui nunc Ps. lxxvi, 11.
cum Christo humiliari, subesse, ministra-
reque eligunt, postea taliter exaltentur.

Digitized by Google

Et sedeatis super thronos duodecim. Per thronos seu solia super quæ sedebunt Apostoli, possunt intelligi multitudines ab eis conversæ, vel judiciaria potestas eis concessa, in qua feliciter conquiescunt. *Judicantes,* tanquam Judicis præcipui assessores, non quasi sententiæ prolatores, *duodecim tribus Israel,* damnando eos qui in infidelitate manserunt. Nec solum Apostolis, sed et cunctis perfectis, qui pro Christo omnia reliquerunt, et apostolicam vitam sequuntur, istud promittitur. Sed quomodo ait Salvator, Sedebitis super duodecim thronos, quum jam Judas abisset et reprobus esset ? Ad quod poterit re-
Act. I, 26. sponderi, quod ideo, quia loco ejus alter successit, puta Matthias apostolus.

31 *Ait autem Dominus* Jesus, qui secundum suam divinitatem est omnium Dominus summus, universalis et auctoritativus, *Simoni* Petro : *Simon, ecce Satanas expetivit vos,* id est, studiose quæsivit, licentiamque a Deo petivit : quia homines tentare non valet, nisi in quantum a Deo et angelis sanctis permittitur ; *ut cribraret,* id est, tentationis suæ impulsu agitaret, concuteret et turbaret, *sicut triticum* cribratur in cribro, ita quod paleæ remanent, farinaque transit. Sic Judas ut furfur remansit diabolo ad tormenta, alii autem Apostoli transierunt ad gloriam. Elucescit autem ex verbis his, quod quanto diabolus videt aliquem magis in gratia Dei proficere, seu ad meliora dispositum, tanto plus nititur eum tentamentis suis subvertere, quia plus invidet ei, quum sit omnis boni honesti perpetuus detesta-
32 tor. *Ego autem rogavi pro te.* Christo namque secundum naturam assumptam competebat orare. Unde apud Joannem multa orat pro suis, ceterisque electis, di-
Joann. XVII, 11. cendo : Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi. *Ut non deficiat fides tua,* hoc est, ne penitus exstirpetur, aut finaliter deficiat, quamvis ad tempus vacillet. Itaque Christus oravit pro Petro, non ut non tentaretur, sed ut in tentationis malo non relinqueretur. Nec dubium
A quin pro aliis quoque electis Apostolis Christus idem rogaverit ; sed idcirco hæc specialiter loquitur Petro, quia inter Apostolos principalior, ferventior atque audacior erat, et quoniam in majorem fuerat tentationem lapsurus, ac magis casurus : propter quod eum magis præadvisare et præmunire dignatus est. Item, quoniam Petro specialiter fuit Ecclesia committenda. Unde quod dicitur, Ut non deficiat fides tua, exponitur, Ut non deficiat fides Ecclesiæ tibi committendæ. Sicque ex
B verbis his sumitur argumentum, quod fides Romanæ Ecclesiæ, quam in ea Petrus plantavit, sit usque in finem sæculi duratura. — Denique Christus hæc verba pronuntiavit, ut Apostolos ad considerationem propriæ fragilitatis ac imminentis periculi provocaret, ne ex laude et promissione ingenti præhabita extollerentur.

Et tu aliquando conversus, id est perfecte conversus : quod maxime fuit, accepto in die Pentecostes Spiritu Sancto ; *confirma fratres tuos,* id est proximos ac
C fideles, et omnes quos tibi committam regendos. Quod quam fideliter egerit Petrus, partim patet in Actibus Apostolorum, et in ejus legenda, Itinerarioque Clementis. Hæc loquitur Christus Petro præcipue, quia ipsi commissurus fuit Ecclesiam, ut patet apud Joannem ubi dicitur ei : Pasce oves meas. Quasi dicat : Joann. XXI, 17.
Sicut tu a me specialem misericordiam consequeris, et post lapsum erigeris atque firmaberis ; sic tu conversus perfecte, misericordiam impende proximis tuis, et
D robora ac subleva eos. Unde hæc fuit una præcipua causa, cur Christus futurum Ecclesiæ suæ pastorem ceteris electis Apostolis gravius labi permisit, ut in propria fragilitate, culpa et reparatione piissima, disceret quomodo aliis compateretur ac subveniret. Tentatio quippe electis ad plurima prodest, videlicet, ut propriam infirmitatem agnoscant, Deum ferventius invocent, cautiores resurgant, et aliis compati discant, sicque coronam gloriæ adipiscantur. Hinc in Ecclesiastico habetur : Qui Eccli. XXXIV, 9, 10.

Digitized by Google

non est tentatus, quid scit? Vir in multis A expertus, cogitabit multa; qui non est expertus, pauca recognoscit. Et Jacobus (Jacob. I, 12.) : Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

33 *Qui dixit ei,* quasi non metuens a tentatore devinci, aut propria fragilitate succumbere : *Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.* Hoc Petrus dixit incaute, de sua constantia præsumendo, nec gratiæ debite innitendo, neque humanam defectuositatem pensando. Ve- B rumtamen præcipuus quidam fervor amoris ad Christum, fuit sibi occasio tam confidenter loquendi; sed dilectioni illi fuit admixta inconsideratio seu indiscretio quædam, et ex illa locutus est Petrus quod se ex dilectione virtuosa dicere æstimavit. Virtute equidem nullus directe male utitur, quoniam actus virtutis elicitus semper est virtuosus.

34 *Et ille dixit,* incautam Petri locutionem reprimendo : [*Dico tibi, Petre,*] *non cantabit hodie,* hoc est in hac nocte (quæ est C pars naturalis diei horas viginti quatuor continentis), *gallus, donec ter abneges nosse me,* id est, ter me abnegabis ore, non corde, antequam gallus cantet. Verumtamen in Marco (Marc. XIV, 30.) loquitur Christus Petro : In hac nocte, antequam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. Unde quod nunc ait, Non cantabit, exponitur, id est, non percantabit, seu cantum suum non consummabit. De hoc plenius scripsi super Matthæum (Matth. XXVI, 34.). — Porro, ut ait Theophilus, ex his magnam doctrinam haurimus : D quod non sufficit humanum propositum sine divino auxilio. Petrus enim, quamvis fervens exstiterit, derelictus tamen a Deo, supplantatus mox fuit ab hoste. Ait quoque Basilius* (* Beda) : Deo permittente, timorati interdum lapsum patiuntur, ad præcedentis fastus remedium. Sed quamvis idem videatur esse delictum timorati, et aliorum, refert tamen non modicum : nam timoratus ex quibusdam insidiis, et pene prout noluit, peccavit; alii vero nullam gerendo curam, nec Dei nec sui, peccant, non distinguentes inter peccare et agere virtuose.

Et dixit eis, scilicet Christus Apostolis : *Quando misi vos* prædicare Judæis per lo- 35
ca diversa, præcipiens vos ire *sine sacculo et pera,* (Luc. X, 3, 4.) id est repositoriis pecuniarum et alimentorum, ut in solo Deo esset spes vestra, nec exteriora adminicula portaretis vobiscum, *et calceamentis :* quia nudis pedibus incesserunt, sicut et Christus, in signum contemptus hujus mundi; *numquid aliquid* necessarium victui
defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil. 36
Tunc enim Christus concessit Apostolis ut alimenta susciperent ab his quibus evangelizabant, a quibus et competentiam vitæ susceperunt. Natura enim modicis est contenta; sed humanæ voluptatis abusio multa quærit superflua, et cito conqueritur, quamvis ultra naturalem habeat necessitatem ac utilitatem.

Dixit ergo eis : Sed nunc, qui habet sacculum, in quo ferat pecuniam, *tollat,* hoc est, secum portet ac teneat; *similiter et peram,* in qua alimenta deportet, secum conferat. Quasi dicat : Ad hæc nunc vobis licentiam tribuo, quæ antea prohibui, eo quod jam instet persecutio vobis magis magna : qua durante, non poteritis prædicare, neque ab aliis more solito sustentari : ideo vobis providere potestis. Leges namque mutandæ sunt, dum necessitas exigit. *Et qui non habet* gladium, *vendat tunicam suam, et emat gladium.* Si hoc de materiali gladio intelligatur, Christus propter mysticas rationes id ipsum præcepit Apostolis : primo, ut doceret quod aliquando licita sit moderata sui ipsius atque amici defensio; secundo, ut animaret Apostolos habere animum præparatum ad sui magistri defensionem ex zelo amoris atque justitiæ; tertio, ut per gladiorum præsentiam comprobaret suis discipulis, non defuisse facultatem resistendi hostibus ejus, præsertim hostibus divina (Joann. XVIII, 6.) virtute prostratis; quarto, ut per gladium materialem, doceret Ecclesiæ necessarium

Ephes. vi, 17. esse gladium spiritualem, qui est verbum
Dei lexque Ecclesiæ. Hinc ait Ambrosius,
alloquens Christum : Cur gladium emere
jubes, qui ferire prohibes? Cur habere
præcipis, quem extrahi vetas? nisi forte
ut parata sit defensio, non necessaria ul-
tio; et videaris potuisse vindicare, sed
noluisse. Ideo subdit causam hujus præ-
cepti :
37 *Dico enim vobis, quoniam adhuc,* id est
tempore jam instanti, et præter cetera jam
in me completa, *hoc quod scriptum est* ad
litteram de me per Isaiam, *oportet,* neces-
sitate conditionata, *impleri in me,* utpo-
te : *Et cum iniquis deputatus est.* Hoc
Is. LIII, 12. quippe de Christo Sancto Sanctorum Isaias
prædixit; et Christus statim post verba
hæc, eadem nocte tanquam latro est ca-
ptus, et die sequenti inter latrones sus-
pensus. *Etenim ea quæ sunt de me,* id est,
quæ Prophetæ de mea passione sunt va-
ticinati, *finem habent,* id est, jam prope
finem sunt, et protinus implebuntur, at-
que deinceps ad impassibilem vitam re-
surgam.
38 *At illi dixerunt : Domine, ecce duo
gladii hic* sunt, id est, duos gladios jam
in promptu habemus, tanquam parati ad
tuam defensionem. *At ille dixit eis : Satis
est,* duo sufficiunt ad id propter quod
jussi gladios vos habere. Unus etenim
gladius a Petro evaginatus, satis ostendit
promptitudinem Apostolorum ad defensio-
nem sui magistri, et Christi voluntariam
passionem, qui gladii usum vulnerativum
prohibuit; alius autem gladius non eva-
ginatus, satis ostendit non permissos fuisse
Apostolos facere quod volebant, quodque
interdum virtuosius sit mortem patienter
ferre pro Deo et æquitate, quam se defen-
dendo resistere. Vel ideo dixit, Satis est,
quoniam duo gladii satis præfiguraverunt
duos spirituales Ecclesiæ gladios, videlicet
jus spirituale, ac sæculare : quorum pri-
mum utitur gladio verbi Dei, aliud gladio
materiali. Porro Ambrosius tangit aliquos
modos exponendi hæc : videlicet, de gla-
Ephes. vi, 17. dio spirituali, qui est verbum Dei, seu

A sacra Scriptura, quæ duplex est, scilicet
novi ac veteris Testamenti. Est etiam gla-
dius passionis atque martyrii, qui emitur
ponendo corpus in mortem pro Salvato-
re : corpus autem est quasi tunica animæ.
Sed gladius verbi Dei emitur, patrimoni-
um vendendo, et omnia propter Christum
deserendo.
Et egressus de cœnaculo, in quo quæ 39
jam scripta sunt, fecit ac protulit, *ibat
secundum consuetudinem in montem Oli-
varum.* Nocturnis namque temporibus con-
B suevit ad locum hunc cum discipulis suis
venire causa orationis, sed et gratia ho-
spitandi ibat frequenter per montem hunc
Bethaniam versus. Matthæus quoque ait,
quod hymno dicto exierunt in montem Matth.
Oliveti. In hoc etenim monte crescebant XXVI, 30.
abundanterque stabant olivæ, per quas
pietas designatur : ideo locus ille Christo
totius pietatis ac gratiæ fonti purissimo
congruebat. Porro Joannes testatur, quod
egressus est cum discipulis trans torren- Joan. XVIII,
tem Cedron, id est cedrorum circa torren- 1.
C tem illum crescentium : qui torrens est
inter Jerusalem et montem Oliveti. Et ad
radices montis hujus fuit villa nomine Matth.
Gethsemani, in quam Christus devenit, se- XXVI, 36.
cundum Matthæum. Eratque ibi hortus, in
quem Christus introiit et ejus discipu-
li : qui hortus, ut aliqui dicunt, stetit in
campo juxta villam præfatam. *Secuti sunt
autem illum et discipuli ejus,* hoc est, un-
decim Apostoli simul cum magistro suo
egressi sunt, et ut legitur, gregatim prope
eum iverunt, sicut pulli juxta gallinam.
D Ut autem Theophilus ait : Post Cœnam
nequaquam inertia et jocus ac somnus oc-
cupant Dominum, sed oratio et doctrina.
Quod prælatis præsertim est imitandum.
Et quum pervenisset ad locum, puta in 40
hortum prædictum, *dixit illis : Orate ne
intretis in tentationem.* Non ait, Orate ne
tentemini, quia hæc vita sine tentatione
non agitur, quum scriptum sit, Militia Job VII, 1.
est vita hominis super terram; sed ait,
Orate ne intretis in tentationem, id est,
ne tentatio vos capiat, includat seu vin-

Digitized by Google

cat, ad consensum vel opus seu debiti operis omissionem vos pertrahendo. Initium quippe tentationis est suggestio culpæ, medium ejus est consensus in delectationem ad opus, consummatio est opus iniquum, aut debiti actus omissio. Denique oratio est fortissimus contra tentationem clypeus et protector, quum oratio, secundum Damascenum, sit ascensus mentis in Deum : sicque mentem elevat a terrenis, Deoque conjungit, et ejus opem meretur. Orandum est autem fiducialiter, fervide, et instanter, seu indesinenter. Quemadmodum enim fur audito clamore fugit, et amici atque vicini properant ad succursum ; sic clamor orationis ferventis fugat diabolum, angelos provocat ad juvamen, atque a Deo sortitur auxilium.

41 *Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis,* id est, tanto spatio ab Apostolis recessit, quo lapis levis projici posset, volens segregatim orare : non quod ejus mens per aliorum præsentiam a Dei contemplatione et orationis attentione impediri potuerit, quum cerneret Deitatem per speciem ; sed ut suo nos informaret exemplo, tempore orationis libere fugere publicum et omnia quæ mentis recollectionem in Deo impediunt, quoniam corde attento et mente tranquilla colloquendum est Deo sublimi et benedicto. Insuper, teste Matthæo, Christus assumpsit Petrum, et filios Zebedæi Jacobum et Joannem, cum eis ab aliis octo Apostolis parum procedens, cœpitque contristari et mœstus esse ; pavere etiam et tædere, secundum Marcum. Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem ; sustinete hic et vigilate mecum. Progressus quoque pusillum ab eis, videlicet quantum est jactus lapidis, procidit in faciem suam, orans. Sed Lucas nunc subdit : *Et positis genibus orabat.* Idcirco dicendum, quod utroque modo seu situ oravit. Et probabile est quod primo genua flexit, deinde se in terram prostravit, Deo Patri se summe humilians, ac intensissime supplicans : quod tantum sibi competebat secundum natu-

Matth. XXVI,37-39.

Marc. XIV, 33.

A ram humanam, tunc mortalem, et paulo post dire passuram.

Dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Oravit Christus ut Pater calicem istum, id est amarissimam hanc passionem, auferret a se : non autem oravit hoc oratione absoluta, et secundum rationem deliberativam, aut voluntatem simpliciter dictam ; sed conditionaliter, et secundum naturalem sensitivumque appetitum, quo mortem tam violentam ac pœnalissimam natura ejus tenerrima inferi- 42
B or sensitiva naturaliter abhorrebat. Oratio quippe, ut aiunt Augustinus ac Damascenus, est interpres ac nuntia desiderii : ideo quod licet appetere, licet orare. Unde eo modo quo Christus appetiit non occidi, oravit calicem sibi auferri. Non autem appetiit hoc secundum voluntatem suam divinam et increatam, quam habet ut Deus, quæ in ipso et in Patre ac Spiritu Sancto una est numero, sicut in tribus Personis est una essentia ; nec appetiit istud secundum voluntatem suam humanam de-
C liberativam, superiorem, et intellectivam, quæ proprie atque simpliciter nominatur voluntas, nec secundum rationem. Hæ enim voluntas et ratio animæ Christi, fuerunt divinæ et increatæ voluntati semper conformes, tam in volito, quam in modo ac causa volendi. Talis namque voluntas secundum se, est indeterminata ad unum, et libere movetur ad utrumlibet oppositorum ; sed in Christo fuit a primo incarnationis instanti confirmata in bono, et divinæ voluntati perfecte subjecta ac con-
D formata. Ideo Christus appetiit istud, solum secundum appetitum naturalem ac sensitivum : qui est determinatus ad unum oppositorum, in quantum est naturalis tantum, nec libere fertur in utrumque, idcirco non potest semper conformari voluntati divinæ in volito, quia non potest velle nisi unum aut alterum oppositorum. Non tamen in Christo aut ceteris Sanctis fuit omnino aut proprie loquendo voluntati divinæ ac superiori contrarius, quia appetiit sicut Deus voluit eum appetere.

Digitized by Google

Itaque, secundum hanc voluntatem naturalem et sensitivam, quæ tamen improprie nominatur voluntas, optavit atque oravit Christus calicem istum auferri a se; fuitque ista oratio, appetitus sensitivi ut moventis ad proponendum, et rationis ut proponentis, quemadmodum allegatio aliqua coram judice dicitur partis ut moventis, et advocati ut proponentis.

Denique omnis oratio Christi quam fudit ex ratione et voluntate intellectuali deliberativa, fuit semper exaudita : et talis oratio dicitur proprie ac absolute oratio. Oratio autem quam fudit ex appetitu naturali ac sensitivo, dicitur quodammodo non exaudita, scilicet quoad materiam ; sed illa oratio non fuit absoluta et simpliciter dicta oratio. Itaque patet quod omnis oratio Christi, proprie dicta oratio, fuit exaudita. Propter quod ipsemet ait
Joann. xi, 41, 42. in Joanne : Gratias ago tibi, Pater, quoniam audisti me ; ego autem sciebam quoniam semper me audis. Apostolus quoque ad Hebræos fatetur, quod Christus cum
Hebr. v, 7. clamore valido et lacrimis orationem offerens, exauditus est pro sua reverentia. — Sed objici potest, quod in persona Chri-
Ps. xxi, 3. sti fertur in Psalmo : Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies. Ad quod respondendum, quod hoc intelligendum sit de petitione Christi secundum quid, scilicet de oratione ejus quæ improprie appellatur oratio, et ex sensitivo appetitu originem sumpsit.

Insuper Christus ita oravit, quod tamen noverat fieri non debere : primo, ut ostenderet in se veram esse humanitatem, et naturales ejus affectiones; secundo, ut demonstraret nobis licitum esse aliquid secundum naturalem appetitum optare quod Deus non vult; tertio, ut monstraret hominem debere suam voluntatem semper divinæ voluntati subjicere ; quarto, ut doceret nos in omni necessitate ad Deum orando confugere; quinto, quia quod alios docuit, ipsemet facere voluit, puta orare. Dicit autem Chrysostomus : Considera quam magnum et mirum fuit audire, A quod ineffabilis Deus, omnem intellectum transcendens, voluit in utero Virginis concipi, lac sugere, et humana quæque pati. Quoniam ergo fere incredibile erat quod erat futurum, primo præmisit Prophetas hoc nuntiantes ; postea ipse indutus carne veniens, ut non phantasma putaretur, sic permittit carnem suam ferre naturales defectus, esurire, sitire, laborare, dormire, affici, et anxiari; ideo et mortem naturali horrore recusat, veram in se humanitatem demonstrans.

B *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat,* hoc est, non impleatur quod secundum sensitivam affectionem desidero, sed quod tu vis. Unde de voluntate inferiori et sensitiva hoc dicit, secundum quam abhorruit mortem. Istud oravit Christus voluntate deliberata : et in hoc exauditus est absolute.

Apparuit autem illi angelus de cœlo, 43
confortans eum. Probabile est, angelum istum fuisse Michaelem tunc principem Synagogæ, cujus Christus fuit persona di- C gnissima. Apparuit autem angelus iste de cœlo, hoc est, descendens de cœlo, et prope ac ante Christum stans visibiliter in corpore assumpto; confortavitque eum, hoc est, verba consolatoria et confortatoria laude plena loquebatur ad Christum, dicendo : O Domine, tu modo liberaturus es totum mundum ; hanc horam tuamque saluberrimam passionem Prophetæ prænuntiaverunt, et Sancti exspectant in limbo. Hæc sive similia dixit. Per quæ ministerialiter tanquam servitor, et occasionaliter D quasi commemorans et proponens causam confortationis contra ingentem Christi tristitiam ac pavorem, Christum confortavit quantum ad partem animæ ejus inferiorem ac sensitivam, secundum quam minor et inferior angelis fuit. Unde ex verbis istis Christus paulo post pœnales illas sensitivæ partis affectiones minoravit sive removit : non quod indiguerit confortatione aut ope angelica, vel quasi propria virtute ac potestate passiones, seu potius propassiones illas præfatas mitiga-

Digitized by Google

re et removere nequiverit; imo eas sponte A et ex prævio rationis judicio propter rationabiles causas assumpsit, ita dum voluit, propria virtute eas fecit cessare : sed voluit etiam ab angelo causam confortationis audire, et occasionaliter secundum sensitivam suam partem confortari, ad ostendendum in se veritatem per omnia naturæ humanæ; item, ad nostram instructionem, ut sciamus quod devote et affectuose orantibus angeli sancti adsistant, et opem ac consolationem impendant; itemque, ut aliqui dicunt, ad consolationem B et confortationem Apostolorum prope adstantium : ex quo sequi videtur, quod Apostoli angelum istum corporaliter conspexerunt, præsertim tres illi qui Christo vicinius aderant.

Et factus in agonia, id est in quodam interiori certamine seu reluctatione, qua naturalis et sensitivus appetitus animæ Christi mortem abhorrens, et ratio seu voluntas ejus deliberata mortem acceptans et cupiens, inter se quodammodo decertabant. Nec tamen ob hoc fuit in Christo C inordinatio aut voluntatum contrarietas, quia superior voluntas Christi, tam divina quam humana, voluit inferiorem animæ suæ appetitum taliter affici ac moveri, propter causas prætactas, ita quod affectiones partis sensitivæ rationem non prævenerunt nec impediverunt, rationeque imperante cesserunt. Sed in nobis aliter accidit, in quibus passiones præveniunt atque impediunt rationem, et eidem resistunt, etiam ea invita : unde sæpe eam ad lapsum perducunt, dum caro D
Galat.v,17. concupiscit adversus spiritum, et econtra. Præterea hæc agonia intelligi potest, vehemens illa mortis imminentis anxietas, quam Christus sibi instare clarissime intellectualiter vidit : imo et in vi imaginativa eam sibi intus determinate considerandam proposuit. Qua considerata, tenerrima ac nobilissima ejus natura inferior ultra æstimationem expavit : ideo dicitur in agonia fuisse, sicut infirmi in extremis laborantes. *Prolixius orabat* pro mundi salute. Et in hoc patet sua perfectio atque constantia, quod in tanta anxietate prolixius exoravit.

44 *Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Sicut, hoc loco dicit veritatem, non similitudinem tantum, quia veraciter sanguinem Christus sudavit : quod ex vehementissima anxietate, agonia, timoreque accidit. Atque, ut aliqui probabiliter asserunt, de corpore Christi simul erupit sudor, et sanguis tingens sudorem. Insuper, ut aliqui dicunt, hoc supernaturale fuit et miraculosum, quod de corpore Christi sanguis pro sudore effluxit, quasi contra naturam sit sanguinem sudare, ut scilicet Christus jam sanguinem suum effundere inciperet. Alii tamen dicunt, quod sanguinem sudare possit naturaliter esse, quamvis forte fuerit miraculosum quod guttæ sanguinis emanabant. — Legitur autem Christus sanguinem sexies pro nobis effudisse, videlicet : primo, in circumcisione, quum esset octo dierum; secundo, in hac sua ferventissima oratione ; tertio, in sua flagellatione; quarto, in sua spinea coronatione; quinto, in crucifixione, in qua utique ter sanguinem fudit, scilicet bis in manuum perforatione, et semel dum pedes sacratissimi pariter fodiebantur; sexto, in lateris apertione. Verumtamen, reor quod etiam in nocte potestati tenebrarum concessa, quando inquinati genas et os ejus percusserunt, sanguinem fuderit; et rursus, dum vestes ejus exuerunt, quum esset crucifigendus.

Præterea, tam vehementem tristitiam et timorem Christus assumpsit, non solum ex consideratione passionis sibi instantis, sed etiam ex consideratione ruinæ et ingratitudinis destructionisque Judæorum, propter quorum salutem specialiter fuerat missus, et quia videbat passionem Matth.xv, 24. suam tam multis non debere prodesse, imo magis obesse, propter eorum ingratitudinem et peccata; itemque, ut aliqui dicunt, quia omnium electorum suorum futuras tribulationes, quas pro ipso pas-

Digitized by Google

suri erant usque in finem mundi in sæculo isto, prævidit, et intime eis condoluit, in quantum tribulationes sunt quædam mala pœnalia.

Hæc omnia cum intima compassione et pia imitatione pensare debemus, et Christo grati exsistere, ejus quoque exemplo in omni adversitate patientiam observare; et tempore tribulationis Deum fervide invocare, tuncque prolixius exorare, quum majus instat periculum ; nostram etiam voluntatem divinæ voluntati conformare ac subdere, atque divinæ pietatis sapientissimæ ac paternæ dispositioni nos ipsos fiducialiter finaliterque committere.

45 *Et quum surrexisset ab oratione,* videlicet a loco et actu hujus orationis, *et venisset ad discipulos suos* Petrum, Jacobum et Joannem, qui sibi redeunti primo in via fuerunt, *invenit illos dormientes præ tristitia.* Erant enim vehementissime contristati, auditis verbis Christi quibus dixit, Matth. XXVI, 38. Tristis est anima mea usque ad mortem, et visa tanta afflictione in eo qui ipsos semper dulciter consolari solebat, et quia noverunt eum mox occidendum. Unde apud Joannem ait : Joann. XVI, 6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Tristitia ergo fuit una causa dormitionis eorum. Alia causa fuit torpor et negligentia ipsorum, ita quod anima eorum dormitavit præ tædio et quodam fastidio exercitii spiritualis, videlicet orationis. Ps. CXVIII, 28. Ideo dicit Hieronymus quod dormierunt non solum somno naturali, sed etiam culpæ. Tertia causa somni eorum fuit naturalis, videlicet ascensus humorum ad cerebrum, et quia profunda nox fuit, fatigatique erant audiendo prolixum illum Christi sermonem, et ex occupationibus aliis jam peractis. Unde, secundum Philosophum, somnus est impotentia sensuum. Sed miror, si angelum discipuli isti viderunt, quod eo viso tam cito obdormierunt, quum ex angelica apparitione soleat hominibus incuti stupor et admiratio magna, grandisque alteratio corporalis naturæ, quæ somnum ad tempus impediunt : nisi forte oratio Christi fuerit tam prolixa, quod admiratione ac alteratione præfatis aliqualiter mitigatis, somno oppressi sint.

Et ait illis : Quid dormitis? Per quæ verba eos a somno suscitavit; vel forte ante horum prolationem verborum, eos aliquo motu, tactu seu modo alio, suscitavit. Atque adjecit : *Surgite.* Quasi dicat : Instante vobis tanto periculo, et captione mea jam proxima, non est tempus ignaviæ et torporis vel somni, sed vigilantiæ et implorationis divini auxilii : ideo, surgatis, tam a corporis prostratione, quam mentis vestræ dispersione. *Et orate* tanto ardentius, quo major vobis incumbit orandi necessitas : nam juxta mensuram gravitatis magnitudinisque periculi debet esse orationis fervor atque instantia; *ne intretis in tentationem,* hoc est, ne ab ea vincamini. Hoc omnibus nobis dicitur, et implendum committitur, quum in medio laqueorum positi simus, et Petro apostolo protestante, adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. I Petr. V, 8. Propter quod ait Salvator : Oportet semper orare, et non deficere; Luc. XVIII, 1. et Paulus, Sine intermissione (inquit) orate. I Thess. V, 17. 46

Advertendum, quod Lucas hic aliqua prætermittit, quæ a Matthæo scripta jam noverat, scilicet, quomodo Christus tribus vicibus Patrem oravit, et ter ad discipulos rediit. Matth. XXVI, 39-46; Marc. XIV, 35-42. Atque in prima oratione locutus est : Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me; verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes; et dixit Petro : Simon, dormis? Non potuisti una hora vigilare mecum? Specialiter enim increpavit Petrum, quia ceteris audacius fuit locutus. Specialiter eum quoque admonuit, quia futurus erat summus pastor Ecclesiæ, insinuans quod quanto quis in altiori fuerit gradu prælationeque positus, tanto oportet eum diligentiorem agilioremque esse in bonis. Deinde locutus est tam Petro quam aliis duobus : Vigilate et orate, ut non intretis

in tentationem. Spiritus quidem promptus est, id est, anima vestra secundum vires suas superiores, parata est mecum vigilare, pati ac permanere; caro autem infirma, hoc est, sensualitas fragilis est et prona in malum, caroque tarda est ad spiritualia opera, nisi per gratiam Spiritus adjuvetur : ideo semper invocandum est gratiosum ac clementissimum Dei incessabile continuumque auxilium. His dictis, iterum secundo abiit, et oravit : Si non potest transire hic calix nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum ad discipulos suos, et invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati. Et secundum Marcum, ignorabant quid responderent ei : non enim se poterant rationabiliter excusare. Deinde tertio abiit, eumdemque oravit sermonem : et tunc, sicut Lucas descripsit, apparuit illi angelus, et factus in agonia, oravit prolixius, sanguineum fundens sudorem. Et reversus ad discipulos, invenit eos dormientes, et ait : Quid dormitis? Sufficit. Ecce venit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus.

Denique, per hoc quod Christus toties ad discipulos rediit, dedit prælatis exemplum paternæ sollicitudinis de frequenti visitatione et exhortatione ac jugi custodia proprii gregis, et ne tantum contemplationi ac propriis immorentur profectibus, ut opera vitæ activæ omittant, aut subditorum directionem relaxent.

47 *Adhuc eo loquente,* hoc est, Christo prædicta verba narrante. Tunc etiam Christus accessit cum prædictis tribus Apostolis alios octo, admonens omnes simul ut secum obviam irent adversariis suis. *Ecce turba,* id est multitudo turbata et vitiis inordinata. Porro in turba hac fuerunt tam gentilium quam Judæorum magnæ catervæ, juxta illud Joannis (Joann. xviii, 3.) : Judas ergo quum accepisset cohortem (hoc est multitudinem militum Romanorum sub tribuno consistentium), et a pontificibus et Pharisæis ministros. Munivit enim se utriusque curiæ familia, ne quis Christo auderet aut posset succurrere. Tribunum autem, qui erat princeps cohortis, et cohortem misit Pilatus ad instantiam Judæorum. *Et qui vocabatur Judas,* quasi indignus nomine illo, nec veraciter Judas : Judas namque interpretatur confessio, aut confitens Domino; hic autem infelicissimus mercator, Dominum suum facto negavit ac vendidit; *unus de duodecim* Apostolis, vocatione temporali, non prædestinatione æterna; et numero, non merito; *antecedebat eos,* ut signo magistrum suum illis ostenderet; *et appropinquavit Jesu* corpore, non mentis devotione, *ut oscularetur eum* fraudulenter ac proditorie. Unde Matthæus testatur : Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, (Matth. xxvi, 48.) dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Atque ut Marcus ait, adjecit : Et ducite caute. (Marc. xiv, 44.) Sciebat equidem Judas magistrum suum esse subtilem, et de manibus Judæorum frequenter elapsum : ideo hortabatur ut comprehensum ducerent caute. Deinceps, signum cognoscendi Jesum contulit turbæ, ne errarent in persona, capiendo alium loco Christi, præsertim quoniam Jacobus Minor simillimus fuit Christo in corporis dispositione; secundo, quia nox erat, et quamvis luminaria attulissent, facilius tamen decipi poterant quam in die; tertio, quoniam Judas timuit ne Christus se inter alios occultaret. Rursus, osculum dedit iniquis pro signo, quoniam Jesus discipulos a se recedentes, vel ad se redeuntes, in osculo pacis dimisit sive recepit; et item, ut minus suspectus a Christo atque Apostolis de proditione hac haberetur, quia ut ait Cyrillus, Judas immemor sapientiæ Christi, putavit forsan posse se latenter hæc agere, scilicet Christo ejus fallaciam ignorante.

48 *Jesus autem dixit ei : Juda, osculo Filium hominis tradis?* Quasi dicat : O Juda, quam impie agis, quod signo dilectionis me Filium Virginis hostibus tradis ad occidendum! Hæc protulit Christus, ut ostenderet Judæ ac ceteris se proditoris sui agnoscere dolum, atque ut Judam ad bo-

Digitized by Google

nam erubescentiam pœnitentiamque induceret : nam et ideo proprio nomine illum appellare dignatus est, ut animam induratam ad pœnitentiam emolliret.

Hoc loco quædam Lucas omisit, quæ Joannes postmodum scribens, supplevit, *Joann.* xviii, 4-8. dicendo : Jesus omnia sciens quæ ventura erant super eum, processit, et dixit ad eos : Quem quæritis? Responderunt : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem et Judas cum ipsis. Ut ergo eis dixit, Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Iterum interrogavit eos : Quem quæritis? Responderunt : Jesum Nazarenum. Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum ; si ergo me quæritis, sinite hos abire. Tanta itaque fuit omnipotentia Christi, quod uno verbo adversarios suos prostravit : quod miraculose accidit, virtute divina, mediante hoc verbo, illos terrente ac dejiciente, quæ vim tantam voluit in verbis Christi consistere, quæ auribus impiorum ipsorum terribiliter insonuerunt. Denique, sicut Christus vultum suum ostendit Judæis in terrore ac majestate, egredientibus ex oculis ejus igneis radiis, atque divino quodam fulgore in ejus vultu mirabiliter radiante, *Joann.* ii, 15; *Matth.* xxi, 12. quando omnes ementes ac vendentes ejecit e templo : ita fecit et nunc ; sicque tam verbis quam apparatu sui vultus, illos exterruit et prostravit. Quod secundum Origenem et Hieronymum, majus fuit miraculum quam Lazari suscitatio, quia tot hominum ingenia compescere ac vires elidere, mirabilissimum fuit. His peractis, dum Christo permittente, turba surrexisset, Judas tanto prodigio non correctus, accessit osculans Jesum.

49 *Videntes autem hi qui circa ipsum erant,* id est Apostoli prope Christum stantes corde et corpore, *quod futurum erat,* id est, quod Jesus capiendus esset ab impiis, *dixerunt ei,* scilicet Christo : *Domine, si percutimus in gladio?* id est, das nobis licentiam lædendi istos cum gladiis quos habemus? qui, secundum Chrysostomum, fuerunt magni cultelli quibus in

A conscissione piscium uti solent piscatores. Sed quomodo Apostoli formidolosi audebant hoc dicere, vel, unde confidebant se id facere posse, quum turba illa armata esset tam magna? Et respondendum, quod Apostoli visa turbæ dejectione, et quod quum surrexisset a terra, adhuc tremula staret ac perturbata, sumpserunt audaciam, confidentes quod turba Christi virtute frenata, eis non posset resistere.

Et percussit unus ex illis, videlicet Petrus, responsionem Christi non præsto- 50
B lans, et ardenti sui magistri amore adversariorum crimen exhorrens, ulciscique cupiens, *servum principis sacerdotum,* videlicet Malchum servum Caiphæ, qui pontifex fuit anni illius, *et amputavit auriculam ejus dexteram.* *Joann.* xviii, 10. Chrysostomus ait quod intendebat ei amputare caput. Ambrosius asserit Petrum eruditum fuisse in lege, ita quod noverat Phinees filium Eleazari sacerdotis divinitus commendatum, eo *Num.* xxv, 7-13. quod zelo Dei accensus, perfodit peccantes : propter quod simili zelo voluit Pe-
C trus Dei Filium vindicare. Porro, quod Malchum magis quam alium læsit, contigit, quia hic Malchus præ ceteris nitebatur mittere manus in Jesum, ad cujus latus stetit Petrus tanquam audacior et paratior Christum tueri, quam Apostoli alii.

Respondens autem Jesus, ait : Sinite 51
usque huc. Hoc dupliciter explanatur. Primo sic : Sinite usque huc, id est, permittite hunc Malchum percussum appropinquare ad me, ut curem eum. Sicque Christus his verbis respondit, id est, apte
D et corrective locutus est, ad factum Petri, innuens eum reprehensibiliter id egisse. Secundo sic : Sinite usque huc, id est, turbam permittite venire usque ad me, ut comprehendat me, et nolite resistere. Sicque Christus respondit quæstioni Apostolorum quærentium : Domine, si percutimus in gladio? Ut autem alii Evangelistæ conscribunt, quum Petrus servum istum læsisset, locutus est Petro Christus : Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem *Joann.* xviii, 11. dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?

Digitized by Google

id est, non vis ut sustineam mortem, quam Deus Pater me sustinere decrevit et vult? Matth. xxvi, 52. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, id est, qui propria et privata auctoritate arripit quodcumque bellicum instrumentum, ut alterum lædat, aut se vindicet, ipsa sua iniquitate quam hoc faciendo committit, spiritualiter interimit semetipsum, peccando mortaliter. Juxta quem sensum Dominus in Genesi Gen. ix, 6. ait : Quicumque effuderit sanguinem humanum, effundetur et sanguis illius. Et Prov. xxvi, 27. Salomon loquitur : Qui fodit foveam, incidet in eam; Eccle. x, 8. et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Ex his patet quod pravissima sit consuetudo multorum, qui aliquo suorum percusso, vel se ipsis quid injuriæ passis, statim propria auctoritate nituntur ulcisci, et non potius secundum ordinem juris suam causam prosequuntur. Matth. xxvi, 53, 54. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? Quasi dicat Salvator ad Petrum : Tua defensione non egeo, qui tot millium angelorum possem habere auxilium; et necesse est me pati, ut verba Prophetarum de mea passione prædicta verificentur et impleantur in me.

Et quum tetigisset auriculam ejus, scilicet Malchi, *sanavit eum,* restituendo auriculam pristino loco, et vulnus repente sanando. Propter easdem causas Christus hoc egit, propter quas turbam prostravit, videlicet : primo, ad suæ potentiæ declarationem; secundo, ut tam pio miraculo daret impiis, quantum in se fuit, occasionem pœnitendi; tertio, ut persistentes in malitia prorsus inexcusabiles fierent; quarto, propter Apostolorum in fide confirmationem; quinto, ad nostram instructionem. Consideremus in his, et imitari conemur ineffabilem pietatem, mansuetudinem ac patientiam Christi, qui crudelissimum suum hostem tam benignissime tetigit et curavit, implens implendumque docens quod jusserat : Ibid. v, 44. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Attende, o Christiane, quia a Christo Christianus vocaris. Si ergo Christi virtutes secutus non fueris, reprobabit te, et te non esse Christianum censebit.

52 *Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum, et magistratus templi,* qui fuerunt officiales in templo, seu aliorum doctores, *et seniores,* qui erant judices ordinarii plebis, succedentes septuaginta senioribus quos Moyses ordinavit. Num. xi, 24. Isti tres gradus Judæorum præcipui, procuraverunt principaliter mortem Christi : quibus ideo specialiter loquitur quæ sequuntur. Sed non videtur quod isti personaliter ibi adfuerint : imo ministros miserunt, ut alii Evangelistæ fatentur. Matth. xxvi, 47; Marc. xiv, 43. Ad quod primo respondetur, quod venerunt et adfuerunt, non corporali præsentia, sed auctoritate, et in turba ab eis directa; secundo, quod quidam eorum adfuerunt, ut res diligentius atque audacius fieret. Certum est tamen quod nec Annas nec Caiphas ibi personaliter exstiterint; sed forte quidam alii inter sacerdotes præcipui. *Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus* (imo etiam cum laternis et facibus, secundum Joannem), Joann. xviii, 3. ad comprehendendum me inermem ac innocentem.
53 *Quum quotidie vobiscum fuerim in templo,* id est frequenter et diebus multis, scilicet omnibus ad hoc desuper præordinatis, *non extendistis manus* vestras sacrilegas *in me;* sed jam tempore nocturno venitis ad me, quasi modo non queam evadere, qui uno verbo vos prostravi. Hoc loquitur Christus, probando injustitiam et dolum illorum, quia ut alibi ait : Ibid. iii, 21, 20. Omnis qui facit veritatem venit ad lucem; qui autem male agit, odit lucem. *Sed hæc est hora vestra,* id est vestro dolo peccatoque congrua, scilicet tempus nocturnum; vel, Hora vestra, id est vobis concessa seu permissa ad invadendum me; *et potestas tenebrarum,* id est tyrannica violentia principum vestrorum et dæmonum, quorum instigatione potestatem hanc exercetis in me; vel, Potestas tenebrarum, id

Digitized by Google

est vestra tenebrosa ac vitiosa potestas, A
propter ejus abusum in me.
54 *Comprehendentes autem eum, duxerunt*
ad domum principis sacerdotum. Hoc Jo-
Joann. xviii, 12, 13. annes plenius exprimit, dicens : Cohors er-
go, et tribunus, et ministri Judæorum com-
prehenderunt Jesum, et ligaverunt eum ;
et duxerunt ad Annam primum, id est
primo, antequam ducerent eum ad Cai-
pham : quia ut dicitur, primo occurrit
eis in via domus Annæ ; et etiam ad com-
placendum ei, et propter reverentiam ejus,
quia præcedenti anno exstiterat pontifex, B
et socer Caiphæ fuit. Ligaverunt autem
Christum duris funibus fortiter atque cru-
deliter, et secundum Bernardum, ferream
catenam miserunt in collo ipsius. Time-
bant enim ne manus eorum elaberetur,
sicut sæpe fuit elapsus, et quoniam inten-
debant eum præsidi præsentare ut reum
mortis. Tales autem consueverunt ligare.
Et hoc Christus pati dignatus est, ut nos
a vinculis vitiorum, atque ab æternæ dam-
nationis nexibus liberaret.
Matth. xxvi, 56. Tunc, ut ait Matthæus, discipuli omnes, C
relicto eo, fugerunt. Nec obstat quod sub-
ditur, *Petrus autem sequebatur eum a lon-
ge*. Primo enim fugit cum aliis Apostolis ;
sed quum turba cum Christo aliquantulum
processisset, Petrus sui magistri tractus
amore, rediit, et cum timore a longe est
secutus, non audens in via prope acce-
dere, ne cognitus caperetur. Marcus quo-
Marc. xiv, 51, 52. que affirmat, quod adolescens quidam se-
quebatur eum a longe, amictus sindone, id
est alba ac linea veste, super nudo, sci-
licet corpore, et tenuerunt eum. At ille D
relicta sindone, nudus, hoc est parum ve-
stitus, profugit ab eis. Et quamvis aliqui
dicant adolescentem illum fuisse Jacobum
Minorem, communius tamen et probabi-
lius fertur, quod fuit Joannes apostolus,
Joann. xviii, 15, 16. qui de se ipso testatur : Sequebatur Jesum
Simon Petrus, et alius discipulus. Disci-
pulus autem ille erat notus pontifici, et
introivit cum Jesu in atrium pontificis,
scilicet Annæ. Petrus autem stabat ad os-
tium atrii foris, non audens vel non per-
missus intrare. Exivit ergo ille alius di-
scipulus qui erat notus pontifici (vel quia
pisces ad domum ejus aliquando ferre
consuevit, vel quoniam pulcher ac nobi-
lis prosapiæ fuit, quia de tribu Juda et
semine David), et dixit ostiariæ, rogando
eam ut Petrum ingredi sineret : sicque illa
annuente, introduxit Petrum. Itaque ar-
bitror quod Joannes et Petrus simul cœ-
perunt ire post Jesum jam comprehen-
sum ; deinde Joannem tanquam minus
timentem, parum præisse Petrum, et tunc
ab impiis tentum, sed evasisse ; et veste
sua recuperata, rursus isse post Jesum :
ita ut usque ad crucem et mortem ejus
non discesserit ab eo.
Accenso autem igne in medio atrio, et 55
circumsedentibus illis, puta ministris pon-
tificis ad ignem : quia (ut ait Joannes) fri- Joann. xviii, 18.
gus erat, ut moris est in Martio post me-
diam noctem ; *erat Petrus in medio eorum,*
videlicet agnus inter lupos. Atrium autem
est spatium seu platea sub dio, inter pri-
mam portam et secundam. Optavit autem Matth. xxvi, 58.
Petrus videre rei exitum, ut ait Matthæ-
us. *Quem quum vidisset ancilla quædam* 56
*sedentem ad lumen, et eum fuisset intui-
ta,* diligenter considerans vultum ejus, et
apparatum ac habitum, ut conjiceret an
Petrus esset discipulus Jesu, *dixit* ceteris
ad ignem sedentibus : *Et hic* vir *cum illo,*
scilicet Jesu, *erat,* id est, ei ante suam
captionem adhæsit, tanquam discipulus.
At ille negavit eum dicens : Mulier, non 57
novi illum. In quo patet Petri fragilitas.
Et post pusillum, videlicet modico tem- 58
pore interjecto, *alius* de ministris *videns
eum, dixit : Et tu de illis es,* id est de
societate et numero discipulorum Galilæi
istius. *Petrus vero ait : O homo, non sum.*
Et intervallo facto quasi horæ unius, alius 59
*quidam affirmabat, dicens : Et hic cum
eo erat,* id est cum Jesu ; *nam et Galilæus
est,* sicut et Jesus. Unde Matthæus dictum
affirmat : Nam et loquela tua manifestum Ibid. 73.
te facit. Quamvis enim Galilæi essent Ju-
dæi, sicut habitatores Jerusalem, tamen in
modo loquendi idioma Hebræum aliqua-

Digitized by Google

liter discrepabat, quemadmodum videmus A homines urbium ejusdem provinciæ in
60 loquendo aliqualiter discrepare. *Et ait Petrus : O homo, nescio quid dicis.*

Matth. xxvi, 70, 72, 74. Porro, secundum Matthæum, Petrus primo negavit simpliciter. In secunda interrogatione magis perterritus, negavit cum juramento. In tertia maxime territus, cœpit detestari et jurare, quia non novisset
Marc. xiv, 71. hominem : imo, secundum Marcum, cœpit anathematizare, hoc est cum exsecratione jurare, imprecando sibi ipsi mala, si mentiretur negando. In quo patet magna ejus infirmitas. Sed Christus non sine causa permisit tam præelectum Apostolum taliter ruere et peccare ; sed ut Petrus ex propria fragilitate et culpa disceret suo tempore aliis misereri, et item, ut nec ipse, nec ceteri fidelium ista noscentes, de suis viribus unquam præsumant.

Præterea advertendum, quod circa descriptionem trinæ negationis Petri, beatissimi Evangelistæ multum diversimode loqui videntur, quamvis a veritate non discrepent. Contrariari autem videntur : C Primo, quia secundum Lucam, secunda negatio Petri facta est viro eum interro-
Matth. xxvi, 71. gante ; secundum Matthæum vero facta est muliere ei imponente quod esset discipu-
Joann. xviii, 25. lus Jesu ; sed, ut ait Joannes, facta est ad plurium interrogationem et prope ignem, quum tamen Matthæus dicat esse factam Petro januam exeunte. Sed istud satis facile concordatur. Ancilla etenim Petrum accusante, viri hoc audientes accurrebant, et verba feminæ confirmabant : ideo Joannes dicit hoc ad vocem plurium accidisse ; D Lucas, ad vocem unius, qui forte importunius institit Petro. Insuper, quod Joannes asserit istud prope ignem peractum, Matthæus prope januam, concordatur dicendo, quod Petro se vertente ab igne ad exeundum, aliqui insecuti sunt eum, imponentes ei quod esset discipulus Jesu. Sicque juxta ignem negatio quasi incepit, et modica fuit distantia inter ignem et ostium : ideo Evangelistæ non curaverunt locum tam determinate exprimere, sed principaliter intenderunt ostendere Petrum ter negasse, sicut prædixit Salvator.

Sed difficilius videtur posse concordare, quod secundum Joannem, prima negatio Joann. xviii, 17, 24.
facta est in domo Annæ, quam Matthæus Matth.
factam affirmat in atrio Caiphæ. Ad quod xxvi, 57, 69.
doctores diversimode responderunt. Augustinus enim tenet, omnes tres negationes in domo Annæ completas, et quod alii Evangelistæ dicunt, per recapitulationem debere intelligi. Chrysostomus vero sentit, B quod tres negationes factæ fuerunt in domo seu atrio Caiphæ, et quod Joannes ait de prima negatione, per anticipationem esse intelligendum. Multa enim in Scripturis per anticipationem et recapitulationem leguntur, quoniam gesta non semper recitantur eo ordine quo sunt facta. Alii dicunt primam negationem esse factam in domo Annæ, alias duas in domo Caiphæ.

Et continuo adhuc illo loquente, id est, Petro in verbis negationis Christi occu-
pato, *gallus cantavit* secunda vice, secun- Marc. xiv, 72.
dum Marcum, ut tactum est. *Et conversus* 61
Dominus Jesus Christus ab æquitate qua Petrum negare permisit, opem gratiæ non præstando, ad suæ effectum clementiæ, *respexit Petrum,* id est, mentem ejus misericorditer tetigit, illustravit, et ad sui excessus considerationem excitavit, compunctionis et pœnitentiæ gratiam dedit. Hic est respectus pietatis divinæ, quem
optat qui ait : Respice in me, et miserere Ps. lxxxv, 16.
mei. *Et recordatus est Petrus verbi Domini quod dixerat : Quia priusquam gal-*
lus cantet, ter me negabis : quod supra vers. 34.
expositum est. *Et egressus foras,* socie- 62
tatem et domum impiorum relinquens, quia ibi et inter tales non est aptus pœnitentiæ et fletuum locus, *flevit amare,* id est, cum præcordialissimo cordis dolore suum deplanxit peccatum, quod tam dulcissimum carissimumque magistrum ac Dominum toties et tam dire negasset. Refert autem S. Clemens, quod Petrus ex hac nocte traxit in consuetudinem, quod omni nocte a primo gallorum cantu usque

Digitized by Google

ad horam matutinam, stetit in oratione, A
suam uberrime negationem deplangens,
ita quod facies ejus ex lacrimis videbatur
quasi exusta.

Denique Lucas et alii Evangelistæ omit-
Joann. xviii, 19-24. tunt, quemadmodum Christus in domo An-
næ ab ipso Anna interrogatus sit de sua
doctrina et de discipulis suis. Cui Christus
nihil de discipulis suis respondit, quia
jam fugerunt ab eo, nec erant laudandi
pro tunc. De doctrina vero sua respondit :
Ego semper docui in synagoga, et palam.
Quid me interrogas? Interroga eos qui me B
audierunt. Hoc protulit Christus, quia sci-
ebat quod Annas malitiose, non animo
addiscendi, interrogavit. Tuncque unus mi-
nistrorum dedit alapam Jesu; et Annas
misit Jesum ligatum ad Caipham.

63 *Et viri qui tenebant eum,* scilicet Chri-
stum, custodientes eum ligatum, *illude-
bant ei, cædentes,* id est caput, collum et
64 genas ipsius impiissime percutientes. *Et
velaverunt eum,* id est, oculos ejus velo
Marc. xiv, 65. operuerunt. Marcus vero ait : Velaverunt
faciem ejus. Quod fecerunt, Christum ve- C
hementissime despiciendo, et quasi indi-
gnus esset eos adspicere, aut videri ab
eis. *Et percutiebant faciem ejus,* alapas ei
Matth. xxvi, 67. dando. Matthæus autem plenius ait : Tunc
exspuerunt in faciem ejus, et colaphis
eum ceciderunt, scilicet, collum ejus per-
cutiendo : quod fuit ex maxima Christi
aspernatione, quasi vilissimus sceleratissi-
musque omnium hominum exstitisset.

Et ecce hæc omnia propter nos pati
Ps. xxiii, 10. dignatus est Dominus virtutum, Rex glo-
riæ, universorum Creator, et Sanctus San- D
ctorum, ut sua despectione, vilipensione,
consputatione, percussione temporali, nos
ab æterna reprobatione, aspernatione, il-
lusione et tribulatione eriperet, Deoque
Patri honorabiles exhiberet, beatos et glo-
riosos. Itaque grati simus, et ista quotidie
cum debita pietate, compassione, gratia-
rum actione et imitatione sagaciter ac pro-
funde pensemus : horum intuitu, omnem
injuriam, vilipensionem ac vituperationem
quasi nihil cum gaudio sustinentes, et
gratias Christo agentes quod saltem in
modico ei conformari ac vicem rependere
nunc valemus, quemadmodum Apostoli
ibant gaudentes a conspectu concilii, quo- Act. v, 41.
niam digni habiti sunt pro nomine Jesu
contumeliam pati.

*Et interrogaverunt eum, dicentes : Pro-
phetiza nobis, Quis est qui te percussit?*
Hoc similiter irrisorie crudeliterque dixe-
runt, quasi oculis ejus exterioribus vela-
tis, interioribus oculis intueri non posset
a quo esset percussus; et quia se a po-
pulo prophetam dici permisit, istud in-
quirunt, volentes probare quod percus-
sorem suum ignorans, non esset propheta.
Et alia multa blasphemantes dicebant in 65
eum, id est, verbis blasphemis quamplu-
rimis non descriptis ei convitiabantur, vo-
cantes eum seductorem, sacrilegum et bla-
sphemum.

Et ut factus est dies. Multa hic omisit 66
Lucas, quæ Matthæus et Marcus descri- Matth. xxvi, 57-68; Marc. xiv, 55-65.
bunt : quemadmodum in ipsa nocte, seu
ante mane, Christo veniente ad Caipham,
ubi tunc Scribæ et Pharisæi ac seniores
convenerant, Christi præstolantes adven-
tum, Caiphas et omne concilium quære-
bant falsum testimonium contra Jesum, ut
eum morti traderent; nec invenire potu-
erunt, quamvis multi falsi testes contra
ipsum testimonia falsa dixissent. Deinde
duo falsi testes dixerunt : Hic dixit, Pos- Joann. ii, 19.
sum destruere templum Dei, et post tri-
duum reædificare illud. Quumque Christus
ad omnia hæc taceret, Caiphas ira succen-
sus, et surgens de solio, adjuravit Chri-
stum, dicendo : Adjuro te per Deum vi-
vum, ut dicas nobis, si tu es Christus
Filius Dei vivi. Ad quod quum Christus
dixisset, Tu dixisti, et amodo videbitis Fi-
lium hominis sedentem a dextris virtutis
Dei, et venientem in nubibus cœli; Cai-
phas scidit vestimenta sua, dicens : Bla-
sphemavit. Quid vobis videtur? Respon-
derunt : Reus est mortis. Et tunc, prout
Matthæus et Marcus describunt, fecerunt
Christo contumelias jam præfatas; deinde
accidisse videtur quod Lucas nunc recitat.

Digitized by Google

Et ut factus est dies, scilicet claro ma- A
ne, *convenerunt seniores plebis, et prin-*
cipes sacerdotum et Scribæ, et duxerunt
illum in concilium suum, id est, coram
se præsentari jusserunt, *dicentes : Si tu*
es Christus, dic nobis palam. Itaque jam
plures convenerunt quam in nocte, et An-
nas jam adfuit ; sicque quæstionem a Cai-
pha ante propositam, nunc coram omnibus
repetierunt, ut audita Christi responsio-
67 ne, eum unanimiter accusarent. *Et ait*
illis : Si vobis dixero veritatem, scilicet
esse me Christum, *non credetis mihi,* sic- B
ut nec ante mihi credidistis, quando per
multa miracula probavi me esse Chri-
stum : quia non ad credendum et proficien-
dum, sed ad calumniandum et accusandum
68 me interrogatis. *Si autem interrogavero*
vos, *non respondebitis mihi.* Hoc ait Sal-
vator, qui jam ante interrogavit de Joan-
Luc. xx, 4. nis baptismo, an esset de cœlo, an ex
Ibid. 44. hominibus ; item de Christo, quomodo Da-
vid vocet eum Dominum suum, si filius
ejus est : et non responderunt ad ista, vel
ex ignorantia, vel ne plebis offensam in- C
currerent, aut redarguerentur ac convin-
cerentur a Christo ; sicut et modo, si ad
Christi interrogationem respondissent. *Nec*
dimittetis abire ut innocentem, quum ta-
69 men sim innocens. *Ex hoc autem,* id est,
post tempus istud, *erit Filius hominis se-*
dens a dextris virtutis Dei, id est in po-
tioribus bonis Dei Patris. Quod impletum
est, quum in ascensione corpore glori-
ficato ascendit ad cœlum empyreum, et
perfectam beatitudinem secundum suam
humanitatem sortitus est, etiam quoad D
præmium accidentale ; in essentiali autem
præmio non profecit, sed ab incarnationis
principio fuit in illo perfectus. Itaque dex-
tera Dei spiritualiter intelligitur, fruitio
optimorum bonorum ipsius, et beatifica
unio secum præcipua. Christus quoque
secundum divinitatem, æternaliter sedet a
dextris Patris, et in vera æqualitate et ea-
dem majestate cum ipso quiescit.

Dixerunt autem omnes. Aliquibus enim 70
dicentibus, ceteri consenserunt. *Tu ergo*
es Filius Dei? Sciebant enim ex modo
loquendi Christi, quod per hominis Filium
notaret se ipsum. Et quoniam dixit Fi-
lium hominis sessurum ad dextram Pa-
tris, quod proprie convenit Christo Filio
Dei, juxta illud, Dixit Dominus Domino Ps. cix, 1;
meo, Sede a dextris meis ; concluserunt Matth. xxii,
quod Jesus se Dei Filium affirmaret. *Qui* 44.
ait : Vos dicitis quod verum est, *quia ego*
sum Filius Dei. *At illi dixerunt : Quid* 71
adhuc desideramus testimonium contra is-
tum, quo mortis reus probetur ? *Ipsi enim*
audivimus de ore ejus, quod se Christum
Dei Filium nominavit. Imo utique, ut ex
evangelio Joannis ostenditur, hoc Christus
frequenter ac evidenter ante hunc diem
protestatus est eis, verbis et testimoniis
Scripturarum atque miraculis, ita quod
credere tenebantur. Unde nunc impie con-
cluserunt, quod ideo mortem promeru-
isset quia esse se Christum Dei Filium
confessus fuit.

Porro, aliqui putant hanc Christi exa-
minationem et interrogationem esse eam-
dem de qua Matthæus et Marcus loquun- Matth.
tur, ut tactum est. Sed obviare videtur xxvi, 59 et seq.; Marc.
quod Matthæus, examinatione et interro- xiv, 55 et
gatione illa descriptis, similiter Petri ne- seq.
gatione, et Christi velatione, percussione
et consputatione, quia se Christum esse
testatus fuit, descriptis, ait : Mane autem Matth.
facto, consilium inierunt omnes principes xxvii, 1;
sacerdotum et seniores populi adversus Marc. xv, 1.
Jesum, ut eum morti traderent.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIX

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI TERTII : ET SURGENS OMNIS MULTITUDO EORUM, DUXERUNT ILLUM AD PILATUM.

SUBINDE describitur, quomodo Christus a Judæis præsentatus sit præsidi gentili, et ab ipso ac ejus ministris occisus, ac multipliciter tribulatus, secundum quod Christus prædixit : Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum et flagellandum et conspuendum ; et occident eum. (*Matth.* xx, 18, 19; *Luc.* xviii, 31-33.)

1 *Et surgens omnis multitudo eorum,* id
est, omnes principes sacerdotum et Scri-
bæ ac Pharisæi et seniores, sequente eos
populo copioso, *duxerunt illum,* videlicet
Jesum, *ad Pilatum.* Et ut ait Matthæus,
vinctum obtulerunt eum Pilato ; Marcus (*Matth.* xxvii, 2. *Marc.* xv, 1.)
vero ait, Vincientes Jesum, tradiderunt
eum Pilato : non quod tunc primo vinxe-
rint eum, sed forte ad tempus fecerunt
eum a vinculis solvi, et jam iterum vin-
xerunt ; vel vinxerunt eum jam magis
ignominiose quam ante, manibus forsitan
2 retro ligatis. *Cœperunt autem accusare il-
lum, dicentes : Hunc* (quem ex despectu
nominatim non expresserunt) *invenimus
subvertentem,* id est male instruentem ac
decipientem, *gentem nostram,* videlicet ple-
bem Judaicam, *et prohibentem tributa da-
ri Cæsari,* ut sic provocaret Romanos ad-
versus nos, *et dicentem se Christum regem
esse.* Quod aiunt, Christum regem, quasi
expositorie dicunt, ut Pilatus clarius in-
telligeret eos. Ipsi autem nomine Christi,
intelligebant regem, imo et maximum re-
gem, videlicet regem Messiam. Pilatus vero
tanquam gentilis, non ita sciebat quid no-
tarent per Christum : ideo addiderunt,
Regem, ut Pilatus intelligeret Jesum vo-
luisse usurpare regnum terrenum.
3 *Pilatus autem interrogavit eum, di-
cens : Tu es rex Judæorum?* Judæi isti

A tria objecerant Christo ; sed de primo non curavit Pilatus, scilicet, an Christus bene vel male docuisset Judæos : ipse enim fuit gentilis, et legem Judæorum velut superstitionem contempsit. Sed alia duo videbantur contrariari Romano imperio. Pilatus vero cognovit quod primum horum duorum esset falsum, quia jam ante percepit Jesum dixisse : Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo. (*Luc.* xx, 25.) Idcirco de tertio sciscitatur, quod magis videbatur derogare imperatori. Romani etB enim præceperunt, ne quis absque eorum licentia seu consensu se regem vocaret : nam monarchiam habebant. Petiit ergo Pilatus a Jesu, an esset rex Judæorum de jure, quia videbat quod de facto non esset rex mundialiter regnans.

Porro, Joannes evangelista hic aliqua addit, quæ Lucas non scribit. Ait quippe Joannes : Adducunt ergo Judæi Jesum a Caipha in prætorium, hoc est in domum (*Joann.* xviii, 28-33.) ubi prætores seu præceptores causas populi judicantes, sedere solebant. Et ipsi C Judæi non introierunt prætorium, ut non contaminarentur, ingrediendo domum viri gentilis, quia Pilati fuerat prætorium, sed ut manducarent pascha, id est azymos panes, quibus immundi vesci non poterant : immundos autem se reputassent, si contra legem domum intrassent gentilis. Exivit ergo ad eos Pilatus foras, et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? quasi dicat : Præsentastis eum mihi ita ligatum, quasi mortis sit reus. Quid ergo objicitis ei? Consue-D tudo nempe fuit Romanis non damnare hominem, nisi præsentes haberet accusatores, locumque defendendi acciperet ad (*Act.* xxv, 16.)

Digitized by Google

abluenda crimina sibi imposita, ut in Actibus habetur. Responderunt : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dicit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt Judæi : Nobis non licet interficere quemquam. Hoc dixerunt, vel quia durante festo paschali, hoc non licuit eis, ne sanguinis effusione, tantæ solennitatis sanctitatem fœdarent; vel quia Romani abstulerunt eis judicium sanguinis, quamvis minora judicia reliquerint eis, ut aliqui opinantur; vel callide hoc dixerunt, quatenus Christo a judice gentili damnato, ipsi viderentur immunes. Introivit ergo in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, ut ibi in loco quieto seorsum perfectius eum examinaret. Et dixit ei : Tu es rex Judæorum ? Hoc interrogavit Pilatus post accusationem a Judæis factam, quam hic Lucas describit.

Denique Lucas subjungit : *At ille,* scilicet Jesus, *respondens* Pilato, *ait : Tu dicis.* Quasi dicat : Ego nec nego, nec affirmo hoc nunc, sed tu dicis quod verum
4 est. *Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine.* Pilatus enim Christi responsionem accepit, quasi diceret se non esse regem, scilicet temporalem. Unde Joannes plenius ista describens, ait Jesum
Joann. xviii, 36-38. dixisse Pilato : Regnum meum non est de hoc mundo, hoc est, tale quale est regnum mundanum, sed est cœleste ac spirituale. Quasi dicat : Non derogavi imperatori, quærendo dominationem terrenam ac temporalem. Imo, ut apud Joannem ha-
Ibid. vi, 15. betur, quum Judæi voluissent eum facere regem, fugit. Unde adjecit : Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri utique mei decertarent pro me, ut non traderer Judæis. Dixit ergo ei Pilatus : Ergo rex es tu ? Respondit Jesus : Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, hoc est ex Deo non solum per creationem, sed et per prædestinationem
A et imitationem, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas ? Et quum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, dicens : Ego nullam in eo causam invenio : sicut nunc recitat Lucas. Qui subdit :

At illi, puta Judæi, *invalescebant,* hoc est, impetuosius et fortius quam ante clamabant, audito quod præses Jesum excusaret, *dicentes : Commovit populum,* hoc est, suis doctrinis et falsis prodigiis plebem nostram turbavit, subvertit, et ad illicita concitavit, *docens per universam* 5
B *Judæam,* hoc est per totam nostram regionem, *incipiens a Galilæa.* Ibi enim primo exorsus est discipulos congregare, prædicare, atque miracula facere. In Galilæa namque vocavit Petrum, et filios Zebedæi ; et in Cana Galilææ fecit primum suum miraculum, mutando aquam in vinum. *Usque huc,* hoc est pertingens ac veniens, prædicando et alios subvertendo, usque Jerusalem, civitatem Judææ metropolitanam seu principalem. Judæa autem interdum accipitur prout distinguitur a
C Galilæa et Samaria, sed nunc sumitur prout provincias illas includit. *Matth. iv, 18 et seq.* *Joann. ii, 1-11.*

Omnia ista consideranda sunt nobis ad compassionem, ad imitationem et gratiarum actionem. Consideremus ergo, quam opprobriosissime fuerit Christus Pilato oblatus, quam falsissime accusatus, quam mansuete, patienter ac silenter se habuit : sicque omnem mundi vanitatem et gloriam contemnamus, verborum injurias ac mendaces accusationes æquanimiter toleremus. Tamen interdum propter scandalum
D evitandum licet se veraciter excusare.

Pilatus autem audiens Galilæam nominari, 6
interrogavit si homo Galilæus esset, id est, an Jesus de Galilæa oriundus consisteret. Quamvis enim in Bethlehem Judæ fuerat natus, tamen in Galilæa fuit conceptus, et plurimum conversatus : propter quod Jesus Nazarenus vocatus est. *Et* 7
ut cognovit ex responsione eorum quos interrogavit, *quod de Herodis potestate esset,* id est de provincia atque dominio Herodis Antipæ, tetrarchæ Galilææ : qui de- *Matth. ii, 1-6. Luc. i, 26 et seq.* *Matth. xxvi, 71; Marc. xvi, 6; Luc. xviii, 37; Joann. xviii, 5, 7; etc.*

Digitized by Google

Luc. III, 1. *Marc.* VI, 27. *Matth.* II, 1. collavit beatissimum Joannem Baptistam,
et fuit majoris Herodis, sub quo natus est
Christus, filius; *remisit eum ad Herodem,*
cupiens se exonerare ab ejus judicio, quem
novit innocentem, mendaciter accusatum,
et ex invidia traditum, et ne manum su-
am mitteret in messem alienam. Et sicut
ait Theophilus, in hoc egit Pilatus secun-
dum legem Romanorum, quæ jussit quem-
libet a suæ ditionis principe judicari. *Qui*
et ipse, scilicet Herodes, *Jerosolymis erat*
illis diebus solennitatis paschalis, propter
festum. Fuit enim Judæus religione et na-
tu. Nam et pater ejus, quamvis esset na-
tione gentilis, videlicet Idumæus, tamen
proselytus factus est, id est, Judæorum
ritum assumpsit, et circumcidi se fecit
amore conjugis suæ, quæ fuit Judæa. Et
ut dicitur, etiam aliam habuit uxorem Je-
rosolymitanam, de qua genuit hunc He-
rodem Antipam.

8 *Herodes autem, viso Jesu, gavisus est*
valde, non ex devotione, sed curiosita-
te. Cujus gaudii causa subjungitur : *Erat*
enim ex multo tempore cupiens videre
eum, id est, diu optavit Jesum videre,
præsertim ex eo tempore quo decollavit
Joannem, quia post hoc cœpit Jesus ma-
gis publice prædicare, ac miracula face-
re, ita quod fama ejus ad Herodem per-
venit. Ideo sequitur : *eo quod audiret*
multa de illo, videlicet de Christi mira-
culis, eloquentia et doctrina. Unde Evan-
gelistæ dicunt, quod statim in principio
Matth. IX, 31; *Luc.* IV, 14. prædicationis Christi exiit fama ejus in
universam regionem. *Et sperabat signum*
aliquod videre ab eo fieri. Naturale enim
hominibus est libenter videre mirifica at-
que insolita. Specialiter quoque, ut ait
I *Cor.* I, 22. Apostolus, Judæi signa petunt. Et supra
scriptum est dixisse Herodem de Christo :
Luc. IX, 9. Quis est iste de quo talia audio?

9 *Interrogabat autem illum,* scilicet Je-
sum, *multis sermonibus,* hoc est, varias
quæstiones proposuit Christo : quæ non
sunt ab aliquo Evangelistarum descriptæ;
sed aliqui opinantur, quod interrogavit
Jesum, an esset ille propter quem pater

A suus fecit occidi infantes, atque similia.
Et ipse Jesus *nihil ei respondebat :* quia
Herodes indignus fuit, eo quod ex curio-
sitate fuerit motus. Christus quoque no-
luit per Herodem liberari a passione. Si
autem fecisset coram eo miraculum, aut
juxta sapientiam suam respondisset He-
rodi, non permisisset Herodes eum occi-
di. Ideo quoque tacuit Jesus, ut daret
exemplum vitandi ostentationem coram
magnatibus. *Stabant autem principes sa-* 10
cerdotum et Scribæ, hoc est legis doctores,
B *constanter,* id est audenter et pertinaci-
ter, *accusantes eum,* eisdem forte causis
quibus et ante Pilatum accusaverant eum.
Sed Jesus nihil respondit, patientiam do-
cens, et incorrigibilium cedens furori :
præsertim quoniam opera ejus quæ fecit,
videlicet sanctitas vitæ et miraculorum ex-
cellentia, quibus usque in hanc horam
præfulsit, eum etiam silentem excusabant;
imo ex sua taciturnitate mitissima, pa-
tuit innocentia ejus. Unde Pilatus maxime
mirabatur de Christi taciturnitate, sciens
C quod unico verbo potuisset se excusare.
Sprevit illum Herodes cum exercitu suo, 11
tanquam simplicem et fatuum, eo quod
nec sibi, nec accusatoribus quidpiam re-
sponderet. Unde in Job scriptum est : De- *Job* XII, 4.
ridetur justi simplicitas. *Et illusit indu-*
tum veste alba, ut solent fatui derideri.

Et sic Filius Dei dignatus est de judice
ad judicem mitti, ac taliter derideri, ut
nos rei a judicio reprobationis ac damna-
tionis æternæ liberaremur, et ab æterna
confusione ac dæmonum illusione eripe-
D remur, stolaque immortalitatis ac gloriæ
vestiamur, et merito Christi veræ desu-
per sapientiæ consortes ac filii efficiamur.
Itaque gloriemur, quando despicimur, nec
vestium pompam, superfluitatem et cu-
riositatem amemus; sed quid Dominus et
Salvator noster pro nobis passus est, per-
pendamus cum gratiarum actione effica-
cique imitatione. Nempe si ille qui est
increata sapientia, atque omnipotens vir- I *Cor.* I, 24.
tus Dei Patris, propter nos ita derideri
dignatus est : cur nos infirmi, ignorantiis

Digitized by Google

pleni, et vitiis obtenebrati, volumus sapientes et virtuosi reputari, et irrisoribus nostris protinus indignari? Non est servus major domino suo, nec discipulus sapientior suo magistro. A

Joann. XIII, 16; *Matth.* X, 24.

Et remisit Jesum *ad Pilatum,* reputans Christum sua subventione indignum, et ut Pilatus hominem in suo dominio captum judicaret. Quod et ideo fecit, quia pontifices et Judæos nolebat offendere, Christum eripiendo, sed potius illis placere, ipsum taliter deridendo coram tot millibus hominum, in regia urbe et festo B

12 præcipuo. *Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die.* Pilatus enim honoravit Herodem, mittendo ad eum hominem suæ provinciæ, et causam illius discretioni Herodis committens. *Nam antea inimici erant ad invicem :* quia Pilatus occiderat injuste quosdam Galilæos, qui fuerant de potestate Herodis : in quo derogavit Herodi, subditos ejus ita occidens, et manum suam in alienam messem extendens.

13 *Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum et magistratibus,* id est recto- C

ribus populi, *et plebe,* scilicet communi-

14 tate Judæorum, *dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum,* id est, a vestra lege et obedientia Cæsaris avertentem suos auditores; *et ecce ego coram vobis interrogans,* id est, hominem istum examinans, *nullam causam invenio in homine isto ex his,* id est ex numero criminum, *in quibus eum accu-*

15 *satis. Sed neque Herodes* aliquem horum excessuum in ipso invenit. *Nam remisi vos* cum Jesu *ad illum,* id est Herodem, D

et ecce nihil dignum morte actum est ei, hoc est, Herodes nullam illi pœnam aut sententiam inflixit, ex qua pateat quod existimaverit istum mortem promeruisse. Nam illusio in alba veste, non grave cri-

16 men, sed insipientiam designabat. *Emendatum ergo illum dimittam.* Quia mortem non meruit, faciam illum flagellari, atque ludibriis affici, ut si forte excessit in verbis, ignoscatis ei taliter correcto, et ego sic eum dimittam transire.

Deinde tangitur alia occasio, qua Pilatus desideravit Jesum de morte eripere.

Necesse autem habebat dimittere eis, pu- 17

ta Judæis, *per diem festum,* id est in solennitate paschali, *unum* vinctum quemcumque petissent. Judæi enim, antequam essent Romanis subjecti, consuetudinem habuerunt in festo paschali dimittere liberum unum ex vinctis, in signum atque memoriam liberationis patrum suorum ex Ægypto tempore Paschæ. Postea Romanis subjecti impetraverunt ab eis, ut hæc consuetudo eis observaretur a judice Romano eis præposito : ideo Pilatus a Romano imperio Judæis præfectus, necesse habuit hanc consuetudinem observare, necessitate conditionata, videlicet si contentare deberet Judæos, et obedire Romanis. Attamen Beda affirmat, quod non imperialis legis sanctione, sed annua Judæorum consuetudine fecit hoc, ad placendum eis-

dem. *Exclamavit autem simul universa* 18

turba, dicens : Tolle hunc, id est, Jesum interfice (quem ex contemptu non expressit hæc turba), *et dimitte nobis Barabbam:*

qui erat, propter seditionem quamdam 19

factam in civitate Jerusalem *et homicidium, missus in carcerem,* ut post festum apto tempore occideretur.

Lucas istud breviter tangit, quod a Matthæo noverat plenius recitatum. Ait enim Matthæus : Per diem autem solennem consuevit præses dimittere populo unum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum unum insignem, id est in malitia famosum et singularem. Congregatis orgo illis, dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent illum. Quumque Pilatus hæc diceret, contigit quod etiam ait Matthæus : Sedente illo, puta Pilato, pro tribunali, id est in sede judiciali ad judicandum de Christo, misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi, hoc est, non agas aliquid contra eum, quia non spectat ad te, eo quod innocens sit : multa enim passa sum hodie, id est hoc

Matth. XXVII, 15-18.

Ibid. 19.

Digitized by Google

die naturali (videlicet in aurora, ut creditur, quum Pilatus surrexisset de lecto : quia dominæ, conjugesque magnatum solent ad tempus manere in lecto post viros), visu, id est in visione et somno, propter eum, id est ad hoc ut ejus liberationem procurem a te. Ad quod, ut creditur, diabolus illam feminam instigavit, jam quasi pro certo conjiciens quod Jesus esset Messias, quia videbat ineffabilem mansuetudinem, patientiam atque constantiam Christi in omni sua injuriatione ac passione, et quia damnationem Judæ jam vidit, itemque insolitam consolationem sanctorum in limbo, ut fertur : ideo timuit exspoliari et vinci a Jesu, quum tamen paulo ante Judam ad ejus traditionem, atque Judæos ad ejus occisionem incitasset.
Matth. xxvii, 20-23. Præterea ait Matthæus : Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent, hoc est, occidi deposcerent. Respondens autem præses, dixit illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti ? At illi dixerunt : Barabbam. Dicit illis Pilatus : Quid ergo faciam de Jesu, qui dicitur Christus ? Dicunt omnes : Crucifigatur. Pila-
22 tus autem *tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit ? Nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, et dimittam.* Hoc verbum asserit Lucas.

Joann. xix, 1. Porro quod sequitur scribit Joannes : Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit, hoc est, servis suis præcepit Jesum nudare, columnæ alligare, et flagellis percutere. O quam erubescibile fuit, in tot millium adspectu nudari ! et quam pœnalissimum fuit tenerrimo ac nobilissimo corpori Christi, tam atrociter flagellari ! Scribit enim sacratissima vidua S. Brigitta in Revelationibus suis, benedicta et gloriosa virgine Maria sibi id enarrante, quod tam diu ac acerrime flagellaverunt Christum, quod costæ ejus patebant, in tantum quod unus de adversariis Christi, abscidit funem quo fuit ligatus, et flagellatoribus dixit : Numquid interficietis eum nondum dijudicatum et condemnatum, et causam mortis ejus facietis vestram ? Deinde S. Brigitta scribit, quod caro et pellis Christi tantæ teneritudinis fuit, quod sanguis videbatur per eam ; item, quod in primo ictu flagelli, caro ejus perforabatur, et sanguis exsiliit, et quod virgo Maria adstabat, primumque ictum illum et Filii sui vulnerationem inde sequentem conspiciens, cecidit in terram ut mortua, nec rediit ad se ipsam, nisi flagellatione completa, tuncque adspexit corpus Filii sui dilaceratum, et undique cruentatum.

Deinde Joannes et Matthæus dicunt : Et milites præsidis (videlicet garciones : non enim erant nobiles viri, sicut jam milites sunt aurati), suscipientes Jesum in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem ; et exuentes Jesum vestimenta sua, chlamydem coccineam circumdederunt ei, hoc est, veste rubea ad similitudinem purpuræ induerunt eum. Unde Joannes ait : Veste purpurea circumdederunt eum. Et aliqui dicunt, quod fuit aliquid rubeum vile simile purpuræ. Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, et arundinem, id est calamum, in dexteram ejus, videlicet pro sceptro regali. Et genu flexo ante eum, illudebant eum, dicentes : Ave, rex Judæorum. Et dabant ei alapas. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percusserunt caput ejus. *Matth.* xxvii, 27-30; *Joann.* xix, 2, 3.

Exivit itaque iterum Pilatus, et dicit Judæis : Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia nullam causam mortis in eo invenio. Exiit ergo Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum. Et dicit eis : Ecce homo. Quum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite : ego enim non invenio in eo causam. Responderunt Judæi, et dixerunt : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Quum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit : utpote ne forte sic *Joann.* xix, 4-8.

Digitized by Google

esset, et sic gravissime peccasset, Dei Filium taliter flagellari, coronari, illudi et percuti faciendo. Magis quoque quam ante timuit Jesum occidere, ne forte Filium Dei perimeret. Sed unde Pilatus, quum esset gentilis atque idololatra, habebat notitiam veri Dei? Et respondendum, quod inter Judæos habitando, aliquid forte de omnipotentia et majestate summi Dei, quem Israelitæ colebant, audivit. Omnibus quoque, ut loquitur Damascenus, naturaliter inserta seu indita est cognitio exsistendi Deum : sed et multi gentilium noverunt esse unum Deum altissimum.

Joann. XIX, 9-14. Et ingressus est iterum Pilatus in prætorium, et dixit ad Jesum : Unde es tu? Quamvis enim jam ante audisset quod Jesus esset de Galilæa, nunc tamen audito quod dixisset se esse Filium Dei, diligentius quærit de loco et principio suæ nativitatis, an scilicet vere de Deo sit natus, an ex hominibus. Jesus autem responsum non dedit, sicut per Isaiam fuit prædictum : Quasi agnus coram tondente se obmutescet. (*Is.* LIII, 7.) Dixit ergo Pilatus : Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? Jesus autem respondit : Non haberes potestatem ullam contra me, nisi datum tibi esset desuper, scilicet a Deo, vel a Romano imperio. A Deo enim est omnis potestas (*Rom.* XIII, 1); sed potestatis abusio inest hominibus ex perversa et propria voluntate. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum, videlicet Jesum, etiam magis quam ante. Consideravit enim innocentiam atque modestiam Christi. Judæi autem clamabant : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, id est, propria auctoritate regem se asserit, contradicit Cæsari, qui prohibuit hoc. Potestque per Cæsarem intelligi Tiberius, sub quo crucifixus est Jesus. Pilatus ergo quum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta.

Sed contra hoc videtur quod in Marco legitur, Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum (*Marc.* XV, 25) : ergo ante tertiam horam Pilatus sedit pro tribunali, quoniam certum est Jesum primo fuisse judicatum, quam cruci appensum. Infra quoque ait Lucas, quod erat hora quasi sexta, quando crucifixerunt eum (*vers.* 44). Matthæus vero ait, quod ab hora sexta usque ad nonam tenebræ factæ sunt super universam terram (*Matth.* XXVII, 45): et toto tempore illo pependit Christus in ligno. Dicendum, quod hora sexta vel parum ante, crucifixus est Jesus, ut asserit Lucas. Ideo dicit Joannes, quod erat hora fere sexta, quia fuit ante sextam. Sed quod Marcus ait de tertia hora, hoc retulit ad animum Judæorum, quia illa hora clamaverunt : Tolle, crucifige eum. Vel ideo dicit hoc Marcus, quia crucifixus est Jesus inter tertiam et sextam : medium autem per utrumque extremorum significatur, quia aliquid participat de utroque.

Deinde scribit Joannes : Et dixit Pilatus Judæis : Ecce rex vester. (*Joann.* XIX, 14, 15.) Hoc ad derisionem illorum dixit. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dixit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem. Tunc, ut ait Matthæus, videns Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus suas coram populo, dicens (*Matth.* XXVII, 24, 25) : Innocens ego sum a sanguine justi hujus; vos videritis, hoc est, vos ipsi pensate quid agitis, quia non ego, sed vos eum occiditis. Et respondens universus populus dixit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros, hoc est, nobis et filiis nostris imputetur effusio sanguinis ejus. O obtenebratissimi crudelissimique Judæi, qui non solum vos ipsos, sed et filios vestros tam incomparabili atque enormi peccato involvitis, et Christum vobis in lege ac Prophetis promissum, tam irreverenter tractatis! Denique, exaudita est oratio vestra, et pervenit super vos ira Dei usque in finem (*I Thess.* II, 16) : sicut et Psalmista prædixit, alloquens Deum : Effunde super eos (*Ps.* LXVIII, 25.)

iram tuam, et furor iræ tuæ comprehen- A
Dan. IX, 26, 27. dat eos. Daniel quoque prædixit : Non erit
ejus populus, qui eum, scilicet Christum,
negaturus est, et finis ejus vastitas ; et
usque in finem perseverabit desolatio.

Igitur, præinductis verbis a Luca omis-
sis, continuanda sunt quæ ipse nunc scri-
23 bit. *At illi*, puta Judæi, *instabant vocibus
magnis, postulantes ut crucifigeretur; et
invalescebant voces eorum*. Quod enim ra-
tione et æquitate adipisci non poterant,
scilicet Christi crucifixionem, importunis
clamoribus et postulatione iniqua obtine- B
re conati sunt. Quorum insolentiam multi
24 injusti sequuntur. *Et Pilatus adjudica-
vit fieri petitionem eorum,* id est, senten-
tiam dedit quod Jesus esset crucifigen-
dus, sicut Judæi petebant : qui etiam
ideo magis petebant Christum crucifigi,
quam alia morte occidi, quia mors con-
fixorum in cruce ignominiosissima fuit
apud Judæos, et pœnalissima patientibus
25 eam. *Dimisit autem illis eum qui propter
homicidium et seditionem missus fuerat
in carcerem, quem petebant:* qui etiam, ut C
Joann. XVIII, 40. ait Joannes, fuit latro. Unde et ideo Pila-
tus dedit Judæis optionem inter Jesum et
Barabbam, quia nequaquam putavit quod
peterent tam sceleratissimum hominem
sibi dimitti magis quam Jesum : et ut
reor, si pejorem vinctum habuisset Pila-
tus quam Barabbam, illum proposuisset
Judæis. *Jesum vero tradidit voluntati eo-
rum* ad crucifigendum : et in hoc dire
peccavit, quamvis minus quam Judæi. Pec-
cavit et Jesum sic flagellando, et aliis mo-
dis puniendo, quamvis non fecit hoc ani- D
mo persequendi, sed liberandi Dominum
Jesum, ut scilicet furorem Judæorum se-
daret, et sic Christum abire permitte-
rent. Etenim quum judex esset, nullatenus
debuit innocentem damnare, præsertim
quum pars adversa in probatione defice-
ret ; nec ex timore humano imperatoris
debuit contra justitiam facere, et inno-
xium flagellare.

26 *Et quum ducerent eum,* hoc est, dum
ministri Pilati ac ceteri educerent Jesum
ad locum crucifixionis. Primo tamen, ut
alii Evangelistæ testantur, exuerunt eum Matth. XXVII, 31 ;
chlamyde seu purpura, et induerunt eum Marc. XV, 20.
vestimentis ejus ; et bajulans crucem, ex- Joann. XIX, 17.
ivit in Calvariæ locum. *Apprehenderunt
Simonem quemdam Cyrenensem,* hoc est
a Cyrene civitate Libyæ, ut aliqui dicunt :
quem quidam dicunt fuisse natione gen-
tilem, sed ad Judaismum conversum ; vel
forte fuit de synagoga urbis præfatæ et
natus Judæus. Filii autem ejus, secun-
dum Marcum, fuerunt Alexander et Ru- Marc. XV, 21.
fus, quos aliqui dicunt fuisse discipulos
Christi. *Venientem de villa* quadam ex-
tra Jerusalem versus eam, ita quod istis
in itinere obviavit. *Et imposuerunt ei cru-
cem portare post Jesum.* Imo timore et
minis compulerunt eum ad hoc. Ait enim
Matthæus : Hunc angariaverunt ut tolle- Matth. XXVII, 32.
ret crucem ejus. Quod crudelissimi illi
non fecerunt ex compassione aut pro re-
levamine Jesu : sed quia ex pœnis jam
valde lassatus fuit, timebant ne forte sub
onere crucis deficiens, moreretur in via,
sicque futuras pœnas leniori morte eva-
deret ; vel ut citius venirent ad locum Cal-
variæ, in quo desiderium suum de Christi
crucifixione explerent.

Sequebatur autem illum multa turba 27
populi, quidam compatiendo, sed multo
plures deridendo, et crucifixionem ejus
optando : imo, quo ante famosior fuit, eo
jam plures secuti sunt ad videndum spe-
ctaculum ; *et mulierum quæ plangebant
et lamentabantur eum,* hoc est, cordia-
liter tristabantur, et corporaliter flebant
eum. *Conversus autem ad illas Jesus,* fa- 28
ciem suam vertens ad eas : qua visa plus
flebant, ut moris est feminarum. Fuerunt
quoque ibi aliqui viri discipuli, et amici
Christi, ut Nicodemus, Joseph, Joannes
apostolus, et forte Gamaliel, ac alii : qui
licet vehementer dolerent, fletum tamen
pro posse represserunt. *Dixit : Filiæ Je-
rusalem.* Aliquæ enim feminarum istarum
erant habitatrices Jerusalem, et aliæ fu-
erunt de Galilæa, seu aliis locis. *Nolite
flere super me...* Non reprobat compassio-

nem et fletum earum, sed hortatur ut A
non ita dumtaxat plorent sicut plorabant :
unde admonuit eas ut etiam propriam
calamitatem, et filiorum suorum culpam,
imminentesque pœnas deplangerent. Nam
29 subditur : *quoniam ecce venient dies in
quibus dicent* habitatores et habitatrices
Jerusalem ac Judææ : *Beatæ steriles* feminæ,
quæ non conceperunt, *et* beati *ventres
qui non genuerunt, et ubera quæ non
lactaverunt,* hoc est, fetus non habuerunt
quibus lac darent. Hoc Christus prædixit
de tempore obsidionis Jerusalem a Roma- B
nis, quæ facta est anno quadragesimo secundo
post Christi passionem. Fuitque in
ea indicibilis calamitas, pressura, atque
mœstitia Judæorum, in tantum quod parentes
suos pueros comederunt : ideo tunc
feliciores reputabantur qui absque prole
fuerunt, quam prolem habentes, quoniam
minor fuit eis causa mœstitiæ, quum sobolem
non haberent cujus intuerentur
miserias.

30 *Tunc incipient dicere montibus, Cadite
super nos; et collibus, Operite nos.* Hoc C
quippe dixerunt, vel ex desperatione, vel
ad insinuandum magnitudinem suæ calamitatis
ac desolationis, vel ex desiderio
effugiendi adversarios suos. Tunc quoque
multi Judæorum fugerunt ad cavernas atque
speluncas. Nam et Josephus scribit
se tunc cum quadraginta viris in speluncam
quamdam fugisse. Simili sensu scri-
Osee x, 8. ptum est per Osee : Dicent montibus, Operite
nos ; et collibus, Cadite super nos.
Quod et de tempore circa finale judicium
intelligi potest, in quo maxima tribulatio D
31 erit. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt,*
hoc est, si isti iniqui me ita occidunt et
vexant, qui viridi ligno assimilor, quia
jugiter plenus fui et sum omnium virtutum
fructu et flore perfectionis viroreque
gratiæ, ita quod per mortem hanc
violentam abscindi et tolli non merui ; *in
arido quid fiet?* id est, qualis erit punitio
Judaicæ plebis me persequentis, omnisque
iniqui, qui propter virtutum carentiam
et pravitatis infecunditatem ligno
arido comparatur? Hinc Salomon ait : Si Prov. xi, 31.
justus in terra recipit, quanto magis impius
et peccator ?

Ducebantur autem et alii duo nequam 32
cum eo, ut interficerentur. Hoc inquinatissimi
Judæi procuraverunt, ut ex latronum
illorum consortio, Christus sceleratior
appareret ; nec legitur quod illi nequam
suam tulerint crucem, ut Jesus. Sed Jesus
hæc passus est, ut nos merito hujus confusionis
passionisque suæ, inter electos
Dei et angelos computemur.

Et postquam venerunt in locum qui vo- 33
catur Calvariæ. Calvaria dicitur os capitis
humani, carne, pelle, crinibusque nudatum.
Quidam ergo, ut refert Hieronymus,
asserebant ideo locum istum, dictum locum
Calvariæ, quia ibi sepultus fuerit
Adam, ejusque caput ibi conditum fuit; et
quod ideo ibi crucifigi voluit Christus, ut
sanguis ejus super primi hominis tumulum
distillaret, eumque cum sua posteritate
salvaret. Hanc opinionem reprehendit
Hieronymus, dicens, Adam fuisse sepultum
juxta Hebron, ut ex libro Josue comprobatur.
Scriptum est enim in libro Josue
: Adam maximus ibi situs est, scilicet Josue xiv,
in spelunca duplici, ubi Abraham suam 15. Gen. xxiii,
conjugem legitur sepeliisse in Genesi. Pro- 19.
pter quod Hebron olim vocabatur Cariatharbe,
id est civitas quatuor, eo quod ibi
sepulti sint quatuor magni Patriarchæ
cum uxoribus suis, videlicet Adam cum
Eva, Abraham cum Sara, Isaac cum Re- Ibid. xxv,
becca, Jacob cum Lia. Verumtamen Tho- 9; xxxv, 29; xlix, 31.
mas super Lucam scribit Athanasium dicere,
quod Judæorum doctores affirmant
Adam in loco Calvariæ esse sepultum :
et forte aliqui Judæorum doctores opinati
sunt ita. Verius tamen est locum istum
dictum Calvariæ, propter capita reorum
ibi occisorum : quæ capita tempore procedente
fiebant calvariæ, hoc est nudata
a carne, pelle, capillis. Unde in tam ignominioso
loco dignatus est Christus occidi,
ut nos merito suæ vilipensionis istius,
ad honorabilissimos cœli empyrei thronos
sublevemur.

Digitized by Google

Ibi crucifixerunt eum, hoc est, clavis cruci affixerunt. Voluit autem Christus propter nos hoc genus mortis perferre : Primo, quia suspensio in ligno fuit ignominiosissimum, exsecrabilissimum ac pœnalissimum reorum supplicium ; ideo Christus istud elegit, ut nobis copiosius subveniret, et Patrem æternum magis nobis placaret. Secundo, ut perfectissimum obedientiæ fortitudinisque præberet exem-
Philipp. II, 8. plum, dum Patri obedivit, non solum usque ad mortem, sed et usque ad durissimum atque turpissimum genus mortis; et ut non solum non formidemus mortem pati propter Deum et æquitatem, sed nec aliquod mortis genus. Tertio, quia per quatuor cornua crucis signantur quatuor partes mundi, quas Christus sua passione redemit. Quarto, quoniam Adam in ligno
Gen. III, 6. et esu fructus ejus peccavit, mundumque perdidit ; ideo Christus per lignum voluit redimere mundum. Ideo ait Theophilus : Quia per lignum mors introivit, necesse erat ut per lignum exterminaretur. Hinc in Præfatione dicimus Deo Patri : Qui salutem generis humani in ligno crucis constituisti, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret ; et qui in ligno vincebat, puta diabolus, in ligno quoque vinceretur per Christum Dominum nostrum.

Eductio autem Christi ad passionem, ejusque passio, præfiguratæ fuerunt per
Ibid. IV, 8. eductionem qua Cain eduxit Abel justum in agrum, et interfecit eum ibidem ; item
Ibid. XXII, 2 et seq. per eductionem Isaac ut immolaretur ; et per serpentem æneum, quem Moyses ere-
Num. XXI, 9; Joann. III, 14. xit pro signo, ut intuentes illum serpentem liberarentur a morsibus ignitorum serpentium. Sic qui fideliter ac devote Christi passionem attendunt, eripiuntur a dæmonum tentamentis, et morsibus vitiorum. Denique in hac Christi eductione et crucifixione impleta sunt quæ in Isaia propheta fuerunt prædicta, ubi legitur :
Is. LIII, 7, 6, 4. Sicut ovis ad occisionem ducetur ; et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum ; vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Hinc

A et David in Christi persona prædixit : Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ps. XXI, 17, 18. Tunc impletum est et illud Jeremiæ : Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam ; Jer. XI, 19. itemque illud Danielis, Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Dan. IX, 26. Per Zachariam quoque Christus profatur : Adspicient ad me quem confixerunt. Zach. XII, 10. Et iterum fertur : Dicent ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum Ibid. XIII, 6.
B tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me, id est a posteritate Patriarcharum, qui me dilexerunt.

Et latrones crucifixerunt præfati ministri militesque Pilati (fueruntque quatuor, ut constat ex eo quod scriptum est apud Joannem : Milites quum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem), Joann. XIX, 23. *unum a dextris* Christi, *et alterum a sinistris,* ut Jesus in medio latronum sus-
C pensus, quasi princeps latronum ac sceleratorum reputaretur. Ad hoc enim Judæi procuraverunt id fieri ; sed Deus illud permisit, ut impleretur quod Isaias prædixit, Cum sceleratis reputatus est. Is. LIII, 12. Et Christus hoc pertulit, ut per hoc quod ipse sic inter iniquissimos reputatus atque suspensus est, nos miseri peccatores, a reproborum hominum ac dæmonum societate, tormentis ac medio liberemur, et inter electos Dei sanctosque angelos feliciter collocemur.

D Consideremus quotidie corde profundo, quantum regratiari tenemur Patri æterno, pro eo quod naturalem et unicum ac superdilectissimum Filium suum, quem utique non minus diligit quam se ipsum, permisit ita propter nos sperni, conculcari, et acerbissima morte necari, ut ab æterna confusione salvemur, et cœlestem recuperemus, verum, perpetuum beatificumque honorem. Non ergo negligamus nos ipsos, pro quorum salute Dei Filius, Deo Patri vere æqualis, tanta pati dignatus

Digitized by Google

est. Quumque, ut Seneca fassus est, maxima ingratitudinis pars sit beneficiorum oblivio, maxima quoque gratitudinis portio, beneficiorum recognitio, nequaquam obliviscamur eorum quæ propter nos passus est Sanctus Sanctorum; sed corde vero et opere eadem recognoscamus, nec illum per vitam iniquam inhonoremus, qui nos tam incomprehensibiliter honoravit, ne universis brutis viliores deterioresque simus.

Porro, in hac Christi suspensione impletum est quod prædixit Psalmista in B
Ps. xxi, 7. Christi persona : Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et
Ps. lxviii, 8. abjectio plebis; itemque, Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

Insuper, qualiter facta sit crucifixio Christi, diversimode recitatur. Aliqui etenim dicunt, quod cruce in terram prostrata, affixus sit cruci; alii, quod cruce erecta, ita quod per scalas ascenderunt crucifixores. Sed B. Brigitta scribit, quod cruce levata, erexerunt tabulas, et super eas steterunt.

Considerandum vero est nobis, quam ineffabiliter pœnosa fuerit Christo crudelissima illa tenerrimorum ac præhonorabilium pedum suorum ac manuum perforatio, et quam amarum fuit affectuosissimæ Matri ejus dulcissimæ hoc cernere, aut ictus illos audire. Quid nobis igitur incumbit, nisi cordialissime condolere Filio Dei et Matri ipsius, omnemque vanitatem et vilem delectationem despicere? Sed hoc diligentissime debemus perpendere, quam D dolorosissima fuit Christo violentissima illa corporis sui sancti in cruce distentio, ita quod ossium ejus dissolvebatur compago, nullumque membrum in naturali ac pristino loco seu situ permansit, et nervi disrumpebantur. Vere tam miserabili-
Ps. xxiii, 10. ter, tamque pœnaliter tunc pendebat Rex gloriæ, Dominus virtutum, mundi Salvator,
Act. x, 42. Filius Dei, Judex vivorum ac mortuorum, ut solo adspectu in ejus compassionem mollescere potuerint corda lapidea. Nam

A et grave lassi sui corporis pondus, membra sua dignissima, extractione violentissima dissecuit et contrivit, ejusque vulnera dilatando pœnaliter amaricavit, ac nervos disrupit : ita quod ex toto corpore sanguis pene totus effluxit, prout in Psalmo prænuntiaverat Christus : Sicut aqua ef- Ps. xxi, 15.
fusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea. Postremo pensandum, quantam Jesus Christus sustinuit pœnam, dum ante crucifixionem rursus exuerunt eum : tunc namque vulnera et vulnerum dolor renovabantur. Jam enim ex sanguinis emanatione vestis interior carni inhæsit, et profundis quasi implicata fuit et coagulata vulneribus.

Jesus autem dicebat : Pater, dimitte 34
illis, id est, tam Judæis pœnam hanc procurantibus, quam gentilibus eam inferentibus, clementer ignosce, tam istud eorum supergravissimum scelus, quam cetera sua peccata. Specialiter tamen oravit hoc Christus pro peccato quo tunc peccabant in eum. Nam subditur : *non enim sciunt quid* C *faciunt*. Non enim sciverunt se Dei Filium trucidare, sed hominem impiissimum ac blasphemum se putabant occidere : et per ignorantiam hanc, peccatum eorum, præsertim gentilium atque simplicium Judæorum, aliqualiter alleviabatur. Sed majores et doctiores inter Judæos ex- Joann. xv, 22.
cusationem non habuerunt, quia jamdudum aut certitudinaliter aut probabiliter cognoverant Jesum esse Christum; sed paulatim invidiosa eorum malitia eos sic Sap. ii, 21.
excæcavit, quod jam reputaverunt oppositum, et simplices deceperunt. Tanta quoque mirabilia viderunt et perceperunt agi a Christo, quod credere tenebantur. Propter quod passione instante, Christus dixit Apostolis : Si opera non fecissem in eis, Joann. xv, 24.
quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem viderunt et oderunt me et Patrem meum gratis. In hac oratione, Christus perfectissime adimplevit quod ante docuit et præcepit : Orate, inquiens, Matth. v, 44.
pro persequentibus et calumniantibus vos; et quod per Isaiam erat de ipso præ-

Digitized by Google

Is. LIII, 12. dictum, Ipse peccata multorum tulit, et A pro transgressoribus rogavit. Denique hæc Christi oratio exaudita fuit pro multis millibus Judæorum, imo pro omnibus pro quibus eam fudit ex ratione deliberata : de quorum conversione in Actibus Apostolorum habetur. Taliter enim, scilicet ex ratione deliberata, Christus non oravit pro reprobis, sed pro electis dumtaxat. Unde et apud Joannem ait ad Patrem :
Joann. XVII, 9. Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo, quia tui sunt.

Dicit Ambrosius, quod Christus ascendit B talis in cruce, quales nos formavit natura, et qualis primus homo in paradiso fuit, videlicet nudus. Aliqui tamen dicunt, quod benedicta virgo Maria velum capitis sui loco verecundiæ Filii sui circumvolvit. Sed S. Brigitta scribit, quod quum Christus circa crucem crucifigendus sederet, quidam vir ex quadam compassione accessit, et locum verecundiæ texit, et quod Christus ex facto viri illius quamdam consolationem accepit, et virum illum adjuvit in ligando velum illud ad C locum præfatum. Sic autem Christus nudari dignatus est, ut nos merito suæ nudationis induamur jam vestibus virtutum et gratiæ, deinde in vita futura vestimentis gloriæ sempiternæ.

* ejus *Dividentes vero vestimenta sua*, miserunt sortes*. Quomodo factum sit hoc, in
Ibid. XIX, 23, 24. Joanne plenius legitur, ubi habetur : Milites quum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem), et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, id est non D consuta, desuper contexta per totum, id est artificiose confecta opere reticulato, hoc est per modum retis atque cilicii, non incisa : quam Virgo sanctissima creditur propriis manibus suo Dilecto fecisse. Dixerunt ergo milites ad invicem : Non scindamus eam, id est, non dividamus eam in quatuor partes sicut alia vestimenta, sed sortiamur de illa cujus sit, id est, sortem mittamus ad quem tota deveniat. Forte enim propter operis subtilitatem ac raritatem, quivis militum desideravit tunicam illam integram adipisci. Itaque patet, quod super solam tunicam inconsutilem missa sit sors, ut communiter dicitur, ut impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem in Psalmo in Christi persona : Diviserunt sibi vestimen- Ps. XXI, 19.
ta mea, et super vestem meam, scilicet tunicam inconsutilem, miserunt sortem.

Et stabat populus exspectans, id est, ex- 35
itum rei videre desiderans, *et deridebant eum,* scilicet Christum, *principes* sacerdotum *cum eis,* id est cum populo. Aliqui tamen ibi fuerunt non mediocriter condolentes ; sed illi comparatione aliorum tam pauci fuerunt, ut pro nihilo reputentur. Ideo Christus ait in Psalmo : Et susti- Ps. LXVIII, 21.
nui qui simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non inveni. Per Isaiam quoque : Circumspexi, et non erat Is. LXIII, 5.
auxiliator ; quæsivi, et non fuit qui adjuvaret. *Alios* salvos fecit,* id est, a languo- * Dicentes: Alios
ribus multis curavit ; sed plures spiritualiter salvos fecit, eos convertendo ad Deum. Ecce obtenebrati isti iniqui propria se condemnant sententia ; et dum Christum se putant vituperare, maxime eum commendant, quod miraculorum sit potens effector. De ingratissimis istis Judæis Christus prædixit in Psalmo : Pro eo ut Ps. CVIII, 4, 5.
me diligerent detrahebant mihi, et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea. *Se ipsum salvum faciat,* id est, de pœnis istis eripiat, *si hic est Christus Dei electus,* id est a Deo summe electus secundum naturam suam humanam. De quo per Isaiam Deus testatur : Ecce servus meus, suscipiam illum ; Is. XLII, 1.
electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Ecce quam ineffabilis fuit ista Judæorum insania, cæcitas et imperitia. Qualem enim consequentiam habuit, ut Jesus se de pœnis illis eriperet, si Christus esset, et non potius eas usque ad mortem inclusive perferret ? Nonne Prophetæ Christi occisionem apertissime prædixerunt ? Nonne David in Christi persona cecinerat, In pulverem mortis deduxisti Ps. XXI, 16.

Digitized by Google

Is. LIII, 12. me? Et Isaias : Tradidit (inquit) in mortem A
Dan. IX, 26. animam suam ; Daniel quoque, Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus.

36 *Illudebant autem ei et milites accedentes* ad crucem, *et acetum offerentes illi,*
37 *dicentes : Si tu es rex Judæorum, salvum te fac.* Isti gentiles conformabant se locutioni irrisionique Judæorum. O quam durissima fuit omnium horum crudelitas, quod homini in tam incomparabili supplicio constituto, non solum non condoluerunt, sed et tam contemptibiliter illuserunt ! sicut in Psalmo fuit prædictum, B
Ps. LXVIII, 27. Christo ad Patrem loquente : Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. De hac Christi irrisione Matthæus
Matth. XXVII, 39-43. effatur : Prætereuntes autem, id est, per viam illam pergentes, blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah ! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva te ipsum ; si Filius Dei es, descende nunc de cruce. Similiter principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus, dicebant : Alios salvos C fecit, se ipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. Confidit in Deum, liberet eum nunc, si vult. Dixit enim, quia Filius Dei sum. Hæc omnia beatissimus secretorum Dei contemplator, sanctus David, in spiritu clarissime prævidit, et pulcherrime prænuntiavit, loquens in Christi
Ps. XXI, 8, 9. persona : Omnes videntes me deriserunt me ; locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum ; salvum faciat eum, quoniam vult eum. Item- D
Ps. CVIII, 25. que : Ego factus sum opprobrium illis ; viderunt me, et moverunt capita sua.

Præterea de oblatione aceti prætacta sciendum, quod impii illi dederunt bis Christo potum acetosum, felleum, seu amarum : Primo, circa crucifixionem, scilicet, antequam crucifigeretur, vel statim quum fuerat crucifixus. Potius tamen reor, quod ante crucifixionem, quum dicat Matthæ-
Matth. XXVII, 33-35. us : Venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod interpretatur Calvariæ locus ; et dederunt ei vinum bibere felle mixtum ; et quum gustasset, noluit bibere. Deinde ait Matthæus : Postquam autem crucifixerunt eum. Deinceps, pluribus interpositis verbis, addit : Circa horam no- *Matth.*
nam exclamavit Jesus : Eli, Eli, etc. Et XXVII, 46, 48.
continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Post hanc autem potationem Christus mox tradidit spiritum. Subdit enim Matthæus : Jesus autem *Ibid.* 50.
iterum clamans voce magna, emisit spiritum. Joannes vero clarius scribit hæc,
dicens : Postea sciens Jesus quod jam om- *Joann.* XIX,
nia consummata sunt, ut consummaretur 28-30.
Scriptura, dixit : Sitio. Vas ergo positum erat plenum aceto. Illi autem plenam aceto spongiam hyssopo, id est arundini seu calamo, circumponentes, obtulerunt ori ejus. Quum ergo accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est. Unde de potatione hac Lucas nunc loquitur. Verumtamen Marcus dicit, quod non accepit potum *Marc.* XV,
hunc ; sed hoc facile concordatur. Modi- 23.
cum enim accepit, ut impleretur Scriptura : quod autem modicum est, pro nihilo reputatur. Ideo ait Matthæus, Quum *Matth.*
gustasset, noluit bibere : ex quo patet, XXVII, 34.
quod modicum sumpsit. Tuncque impletum est illud in Psalmo : Et dederunt in *Ps.* LXVIII,
escam meam fel, et in siti mea potaverunt 22.
me aceto.

Sed quæritur, quomodo Joannes et Lucas vocant potum acetum, quum Marcus nominet eum vinum myrrhatum, Matthæus vero primo vocat eum vinum felle mixtum. Et respondendum, quod potus iste, secundum Augustinum, fuit amarissimum vinum, ita quod fuit acetosum, propter quod vocatur acetum ; et admixta erant ei myrrha et fel. Insuper aliqui dicunt, quod ministri præsidis talem potum dabant damnatis ad mortem, ut citius morerentur, et sic ipsi de illorum expedirentur custodia. Alii referunt, quod seniores Judæorum ordinaverant adjudicatis morti dari vinum bonum ac aromaticum ad bibendum, quatenus ex potu hujusmodi ex-

Luc. III, 1. *Marc.* VI, 27. *Matth.* II, 1. collavit beatissimum Joannem Baptistam, A
et fuit majoris Herodis, sub quo natus est
Christus, filius; *remisit eum ad Herodem,*
cupiens se exonerare ab ejus judicio, quem
novit innocentem, mendaciter accusatum,
et ex invidia traditum, et ne manum su-
am mitteret in messem alienam. Et sicut
ait Theophilus, in hoc egit Pilatus secun-
dum legem Romanorum, quæ jussit quem-
libet a suæ ditionis principe judicari. *Qui
et ipse,* scilicet Herodes, *Jerosolymis erat
illis diebus* solennitatis paschalis, propter
festum. Fuit enim Judæus religione et na- B
tu. Nam et pater ejus, quamvis esset na-
tione gentilis, videlicet Idumæus, tamen
proselytus factus est, id est, Judæorum
ritum assumpsit, et circumcidi se fecit
amore conjugis suæ, quæ fuit Judæa. Et
ut dicitur, etiam aliam habuit uxorem Je-
rosolymitanam, de qua genuit hunc He-
rodem Antipam.

8 *Herodes autem, viso Jesu, gavisus est
valde,* non ex devotione, sed curiosita-
te. Cujus gaudii causa subjungitur : *Erat
enim ex multo tempore cupiens videre* C
eum, id est, diu optavit Jesum videre,
præsertim ex eo tempore quo decollavit
Joannem, quia post hoc cœpit Jesus ma-
gis publice prædicare, ac miracula face-
re, ita quod fama ejus ad Herodem per-
venit. Ideo sequitur : *eo quod audiret
multa de illo,* videlicet de Christi mira-
culis, eloquentia et doctrina. Unde Evan-
gelistæ dicunt, quod statim in principio
Matth. IX, 31; *Luc.* IV, 14. prædicationis Christi exiit fama ejus in
universam regionem. *Et sperabat signum
aliquod videre ab eo fieri.* Naturale enim D
hominibus est libenter videre mirifica at-
que insolita. Specialiter quoque, ut ait
I *Cor.* I, 22. Apostolus, Judæi signa petunt. Et supra
scriptum est dixisse Herodem de Christo :
Luc. IX, 9. Quis est iste de quo talia audio?

9 *Interrogabat autem illum,* scilicet Je-
sum, *multis sermonibus,* hoc est, varias
quæstiones proposuit Christo : quæ non
sunt ab aliquo Evangelistarum descriptæ;
sed aliqui opinantur, quod interrogavit
Jesum, an esset ille propter quem pater
suus fecit occidi infantes, atque similia.
Et ipse Jesus *nihil ei respondebat :* quia
Herodes indignus fuit, eo quod ex curio-
sitate fuerit motus. Christus quoque no-
luit per Herodem liberari a passione. Si
autem fecisset coram eo miraculum, aut
juxta sapientiam suam respondisset He-
rodi, non permisisset Herodes eum occi-
di. Ideo quoque tacuit Jesus, ut daret
exemplum vitandi ostentationem coram
magnatibus. *Stabant autem principes sa-* 10
cerdotum et Scribæ, hoc est legis doctores,
constanter, id est audenter et pertinaci-
ter, *accusantes eum,* eisdem forte causis
quibus et ante Pilatum accusaverant eum.
Sed Jesus nihil respondit, patientiam do-
cens, et incorrigibilium cedens furori :
præsertim quoniam opera ejus quæ fecit,
videlicet sanctitas vitæ et miraculorum ex-
cellentia, quibus usque in hanc horam
præfulsit, eum etiam silentem excusabant;
imo ex sua taciturnitate mitissima, pa-
tuit innocentia ejus. Unde Pilatus maxime
mirabatur de Christi taciturnitate, sciens
quod unico verbo potuisset se excusare.
Sprevit illum Herodes cum exercitu suo, 11
tanquam simplicem et fatuum, eo quod
nec sibi, nec accusatoribus quidpiam re-
sponderet. Unde in Job scriptum est : De- *Job* XII, 4.
ridetur justi simplicitas. *Et illusit indu-
tum veste alba,* ut solent fatui derideri.

Et sic Filius Dei dignatus est de judice
ad judicem mitti, ac taliter derideri, ut
nos rei a judicio reprobationis ac damna-
tionis æternæ liberaremur, et ab æterna
confusione ac dæmonum illusione eripe-
remur, stolaque immortalitatis ac gloriæ
vestiamur, et merito Christi veræ desu-
per sapientiæ consortes ac filii efficiamur.
Itaque gloriemur, quando despicimur, nec
vestium pompam, superfluitatem et cu-
riositatem amemus; sed quid Dominus et
Salvator noster pro nobis passus est, per-
pendamus cum gratiarum actione effica-
cique imitatione. Nempe si ille qui est
increata sapientia, atque omnipotens vir- I *Cor.* I, 24.
tus Dei Patris, propter nos ita derideri
dignatus est : cur nos infirmi, ignorantiis

Digitized by Google

pleni, et vitiis obtenebrati, volumus sa- A
pientes et virtuosi reputari, et irrisoribus
Joann. xiii, 16; Matth. x, 24. nostris protinus indignari? Non est ser-
vus major domino suo, nec discipulus sa-
pientior suo magistro.

Et remisit Jesum *ad Pilatum,* reputans
Christum sua subventione indignum, et
ut Pilatus hominem in suo dominio ca-
ptum judicaret. Quod et ideo fecit, quia
pontifices et Judæos nolebat offendere,
Christum eripiendo, sed potius illis pla-
cere, ipsum taliter deridendo coram tot
millibus hominum, in regia urbe et festo B
12 præcipuo. *Et facti sunt amici Herodes et*
Pilatus in ipsa die. Pilatus enim honora-
vit Herodem, mittendo ad eum hominem
suæ provinciæ, et causam illius discretioni
Herodis committens. *Nam antea inimici*
erant ad invicem : quia Pilatus occiderat
injuste quosdam Galilæos, qui fuerant de
potestate Herodis : in quo derogavit He-
rodi, subditos ejus ita occidens, et manum
suam in alienam messem extendens.

13 *Pilatus autem convocatis principibus*
sacerdotum et magistratibus, id est recto- C
ribus populi, *et plebe,* scilicet communi-
14 tate Judæorum, *dixit ad illos : Obtulistis*
mihi hunc hominem quasi avertentem po-
pulum, id est, a vestra lege et obedientia
Cæsaris avertentem suos auditores; *et ecce*
ego coram vobis interrogans, id est, ho-
minem istum examinans, *nullam causam*
invenio in homine isto ex his, id est ex
numero criminum, *in quibus eum accu-*
15 *satis. Sed neque Herodes* aliquem horum
excessuum in ipso invenit. *Nam remisi*
vos cum Jesu *ad illum,* id est Herodem, D
et ecce nihil dignum morte actum est ei,
hoc est, Herodes nullam illi pœnam aut
sententiam inflixit, ex qua pateat quod
existimaverit istum mortem promeruisse.
Nam illusio in alba veste, non grave cri-
16 men, sed insipientiam designabat. *Emen-*
datum ergo illum dimittam. Quia mor-
tem non meruit, faciam illum flagellari,
atque ludibriis affici, ut si forte excessit
in verbis, ignoscatis ei taliter correcto, et
ego sic eum dimittam transire.

Deinde tangitur alia occasio, qua Pila-
tus desideravit Jesum de morte eripere.
Necesse autem habebat dimittere eis, pu- 17
ta Judæis, *per diem festum,* id est in so-
lennitate paschali, *unum* vinctum quem-
cumque petissent. Judæi enim, antequam
essent Romanis subjecti, consuetudinem
habuerunt in festo paschali dimittere li-
berum unum ex vinctis, in signum atque
memoriam liberationis patrum suorum ex
Ægypto tempore Paschæ. Postea Romanis
subjecti impetraverunt ab eis, ut hæc con-
suetudo eis observaretur a judice Roma-
no eis præposito : ideo Pilatus a Romano
imperio Judæis præfectus, necesse habuit
hanc consuetudinem observare, necessi-
tate conditionata, videlicet si contentare
deberet Judæos, et obedire Romanis. At-
tamen Beda affirmat, quod non imperia-
lis legis sanctione, sed annua Judæorum
consuetudine fecit hoc, ad placendum eis-
dem. *Exclamavit autem simul universa* 18
turba, dicens : Tolle hunc, id est, Jesum
interfice (quem ex contemptu non expres-
sit hæc turba), *et dimitte nobis Barabbam:*
qui erat, propter seditionem quamdam 19
factam in civitate Jerusalem *et homicidi-*
um, missus in carcerem, ut post festum
apto tempore occideretur.

Lucas istud breviter tangit, quod a Mat-
thæo noverat plenius recitatum. Ait enim
Matthæus : Per diem autem solennem con- Matth. xxvii, 15-18.
suevit præses dimittere populo unum vin-
ctum, quem voluissent. Habebat autem
tunc vinctum unum insignem, id est in
malitia famosum et singularem. Congre-
gatis ergo illis, dixit Pilatus : Quem vul-
tis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum
qui dicitur Christus? Sciebat enim quod
per invidiam tradidissent illum. Quumque
Pilatus hæc diceret, contigit quod etiam
ait Matthæus : Sedente illo, puta Pilato, Ibid. 19.
pro tribunali, id est in sede judiciali ad
judicandum de Christo, misit ad eum uxor
ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi, hoc
est, non agas aliquid contra eum, quia
non spectat ad te, eo quod innocens sit :
multa enim passa sum hodie, id est hoc

Digitized by Google

die naturali (videlicet in aurora, ut creditur, quum Pilatus surrexisset de lecto : quia dominæ, conjugesque magnatum solent ad tempus manere in lecto post viros), visu, id est in visione et somno, propter eum, id est ad hoc ut ejus liberationem procurem a te. Ad quod, ut creditur, diabolus illam feminam instigavit, jam quasi pro certo conjiciens quod Jesus esset Messias, quia videbat ineffabilem mansuetudinem, patientiam atque constantiam Christi in omni sua injuriatione ac passione, et quia damnationem Judæ jam vidit, itemque insolitam consolationem sanctorum in limbo, ut fertur : ideo timuit exspoliari et vinci a Jesu, quum tamen paulo ante Judam ad ejus traditionem, atque Judæos ad ejus occisionem incitasset.
Matth. xxvii, 20-23. Præterea ait Matthæus : Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent, hoc est, occidi deposcerent. Respondens autem præses, dixit illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt : Barabbam. Dicit illis Pilatus : Quid ergo faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes : Crucifigatur. Pila-
22 tus autem *tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit? Nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, et dimittam.* Hoc verbum asserit Lucas.

Joann. xix, 1. Porro quod sequitur scribit Joannes : Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit, hoc est, servis suis præcepit Jesum nudare, columnæ alligare, et flagellis percutere. O quam erubescibile fuit, in tot millium adspectu nudari! et quam pœnalissimum fuit tenerrimo ac nobilissimo corpori Christi, tam atrociter flagellari! Scribit enim sacratissima vidua S. Brigitta in Revelationibus suis, benedicta et gloriosa virgine Maria sibi id enarrante, quod tam diu ac acerrime flagellaverunt Christum, quod costæ ejus patebant, in tantum quod unus de adversariis Christi, abscidit funem quo fuit ligatus, et flagellatoribus dixit : Numquid interficietis eum nondum dijudicatum et condemna- A tum, et causam mortis ejus facietis vestram? Deinde S. Brigitta scribit, quod caro et pellis Christi tantæ teneritudinis fuit, quod sanguis videbatur per eam ; item, quod in primo ictu flagelli, caro ejus perforabatur, et sanguis exsiliit, et quod virgo Maria adstabat, primumque ictum illum et Filii sui vulnerationem inde sequentem conspiciens, cecidit in terram ut mortua, nec rediit ad se ipsam, nisi flagellatione completa, tuncque adspexit corpus Filii sui dilaceratum, et undique B cruentatum.

Deinde Joannes et Matthæus dicunt : Et milites præsidis (videlicet garciones : non enim erant nobiles viri, sicut jam milites sunt aurati), suscipientes Jesum in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem; et exuentes Jesum vestimenta sua, chlamydem coccineam circumdederunt ei, hoc est, veste rubea ad similitudinem purpuræ induerunt eum. Unde Joannes ait : Veste purpurea circumdederunt eum. Et aliqui dicunt, quod fuit aliquid C rubeum vile simile purpuræ. Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, et arundinem, id est calamum, in dexteram ejus, videlicet pro sceptro regali. Et genu flexo ante eum, illudebant eum, dicentes : Ave, rex Judæorum. Et dabant ei alapas. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percusserunt caput ejus. *Matth.* xxvii, 27-30; *Joann.* xix, 2, 3.

Exivit itaque iterum Pilatus, et dicit Judæis : Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia nullam causam mortis D in eo invenio. Exiit ergo Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum. Et dicit eis : Ecce homo. Quum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite : ego enim non invenio in eo causam. Responderunt Judæi, et dixerunt : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Quum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit : utpote ne forte sic *Joann.* xix, 4-8.

Digitized by Google

esset, et sic gravissime peccasset, Dei Fi- A
lium taliter flagellari, coronari, illudi et
percuti faciendo. Magis quoque quam an-
te timuit Jesum occidere, ne forte Filium
Dei perimeret. Sed unde Pilatus, quum
esset gentilis atque idololatra, habebat no-
titiam veri Dei? Et respondendum, quod in-
ter Judæos habitando, aliquid forte de om-
nipotentia et majestate summi Dei, quem
Israelitæ colebant, audivit. Omnibus quo-
que, ut loquitur Damascenus, naturaliter
inserta seu indita est cognitio exsistendi
Deum : sed et multi gentilium noverunt B
esse unum Deum altissimum.

Joann. XIX, 9-14. Et ingressus est iterum Pilatus in præ-
torium, et dixit ad Jesum : Unde es tu?
Quamvis enim jam ante audisset quod Je-
sus esset de Galilæa, nunc tamen audito
quod dixisset se esse Filium Dei, diligen-
tius quærit de loco et principio suæ na-
tivitatis, an scilicet vere de Deo sit natus,
an ex hominibus. Jesus autem responsum
non dedit, sicut per Isaiam fuit prædi-
Is. LIII, 7. ctum : Quasi agnus coram tondente se ob-
mutescet. Dixit ergo Pilatus : Mihi non C
loqueris? Nescis quia potestatem habeo
crucifigere te, et potestatem habeo dimit-
tere te? Jesus autem respondit : Non ha-
beres potestatem ullam contra me, nisi
datum tibi esset desuper, scilicet a Deo,
Rom. XIII, 1. vel a Romano imperio. A Deo enim est
omnis potestas; sed potestatis abusio in-
est hominibus ex perversa et propria vo-
luntate. Propterea qui me tradidit tibi,
majus peccatum habet. Et exinde quære-
bat Pilatus dimittere eum, videlicet Jesum,
etiam magis quam ante. Consideravit enim D
innocentiam atque modestiam Christi. Ju-
dæi autem clamabant : Si hunc dimittis,
non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui
se regem facit, id est, propria auctoritate
regem se asserit, contradicit Cæsari, qui
prohibuit hoc. Potestque per Cæsarem in-
telligi Tiberius, sub quo crucifixus est Je-
sus. Pilatus ergo quum audisset hos ser-
mones, adduxit foras Jesum, et sedit pro
tribunali. Erat autem Parasceve Paschæ,
hora quasi sexta.

Sed contra hoc videtur quod in Marco
legitur, Erat autem hora tertia, et cruci- *Marc.* XV, 25.
fixerunt eum : ergo ante tertiam horam
Pilatus sedit pro tribunali, quoniam cer-
tum est Jesum primo fuisse judicatum,
quam cruci appensum. Infra quoque ait
Lucas, quod erat hora quasi sexta, quan- *vers.* 44.
do crucifixerunt eum. Matthæus vero ait,
quod ab hora sexta usque ad nonam te- *Matth.* XXVII, 45.
nebræ factæ sunt super universam terram:
et toto tempore illo pependit Christus in
ligno. Dicendum, quod hora sexta vel pa-
rum ante, crucifixus est Jesus, ut asserit
Lucas. Ideo dicit Joannes, quod erat hora
fere sexta, quia fuit ante sextam. Sed quod
Marcus ait de tertia hora, hoc retulit ad
animum Judæorum, quia illa hora clama-
verunt : Tolle, crucifige eum. Vel ideo
dicit hoc Marcus, quia crucifixus est Je-
sus inter tertiam et sextam : medium au-
tem per utrumque extremorum significa-
tur, quia aliquid participat de utroque.

Deinde scribit Joannes : Et dixit Pilatus *Joann.* XIX, 14, 15.
Judæis : Ecce rex vester. Hoc ad deri-
sionem illorum dixit. Illi autem clama-
bant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dixit eis
Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Re-
sponderunt pontifices : Non habemus re-
gem nisi Cæsarem. Tunc, ut ait Matthæ-
us, videns Pilatus quia nihil proficeret, *Matth.* XXVII, 24, 25.
sed magis tumultus fieret, accepta aqua
lavit manus suas coram populo, dicens :
Innocens ego sum a sanguine justi hujus;
vos videritis, hoc est, vos ipsi pensate
quid agitis, quia non ego, sed vos eum
occiditis. Et respondens universus popu-
lus dixit : Sanguis ejus super nos et su-
per filios nostros, hoc est, nobis et filiis
nostris imputetur effusio sanguinis ejus.
O obtenebratissimi crudelissimique Judæi,
qui non solum vos ipsos, sed et filios ve-
stros tam incomparabili atque enormi pec-
cato involvitis, et Christum vobis in lege
ac Prophetis promissum, tam irreveren-
ter tractatis! Denique, exaudita est ora-
tio vestra, et pervenit super vos ira Dei *I Thess.* II, 16.
usque in finem : sicut et Psalmista præ- *Ps.* LXVIII, 25.
dixit, alloquens Deum : Effunde super eos

iram tuam, et furor iræ tuæ comprehen- A
Dan. IX, 26, 27. dat eos. Daniel quoque prædixit : Non erit
ejus populus, qui eum, scilicet Christum,
negaturus est, et finis ejus vastitas ; et
usque in finem perseverabit desolatio.

Igitur, præinductis verbis a Luca omis-
sis, continuanda sunt quæ ipse nunc scri-
23 bit. *At illi,* puta Judæi, *instabant vocibus
magnis, postulantes ut crucifigeretur; et
invalescebant voces eorum.* Quod enim ra-
tione et æquitate adipisci non poterant,
scilicet Christi crucifixionem, importunis
clamoribus et postulatione iniqua obtine- B
re conati sunt. Quorum insolentiam multi
24 injusti sequuntur. *Et Pilatus adjudica-
vit fieri petitionem eorum,* id est, senten-
tiam dedit quod Jesus esset crucifigen-
dus, sicut Judæi petebant : qui etiam
ideo magis petebant Christum crucifigi,
quam alia morte occidi, quia mors con-
fixorum in cruce ignominiosissima fuit
apud Judæos, et pœnalissima patientibus
25 eam. *Dimisit autem illis eum qui propter
homicidium et seditionem missus fuerat
in carcerem, quem petebant :* qui etiam, ut C
Joann. XVIII, 40. ait Joannes, fuit latro. Unde et ideo Pila-
tus dedit Judæis optionem inter Jesum et
Barabbam, quia nequaquam putavit quod
peterent tam sceleratissimum hominem
sibi dimitti magis quam Jesum : et ut
reor, si pejorem vinctum habuisset Pila-
tus quam Barabbam, illum proposuisset
Judæis. *Jesum vero tradidit voluntati eo-
rum* ad crucifigendum : et in hoc dire
peccavit, quamvis minus quam Judæi. Pec-
cavit et Jesum sic flagellando, et aliis mo-
dis puniendo, quamvis non fecit hoc ani- D
mo persequendi, sed liberandi Dominum
Jesum, ut scilicet furorem Judæorum se-
daret, et sic Christum abire permitte-
rent. Etenim quum judex esset, nullatenus
debuit innocentem damnare, præsertim
quum pars adversa in probatione defice-
ret ; nec ex timore humano imperatoris
debuit contra justitiam facere, et inno-
xium flagellare.

26 *Et quum ducerent eum,* hoc est, dum
ministri Pilati ac ceteri educerent Jesum
ad locum crucifixionis. Primo tamen, ut
alii Evangelistæ testantur, exuerunt eum Matth. XXVII, 31 ; Marc. XV, 20. Joann. XIX, 17.
chlamyde seu purpura, et induerunt eum
vestimentis ejus ; et bajulans crucem, ex-
ivit in Calvariæ locum. *Apprehenderunt
Simonem quemdam Cyrenensem,* hoc est
a Cyrene civitate Libyæ, ut aliqui dicunt :
quem quidam dicunt fuisse natione gen-
tilem, sed ad Judaismum conversum ; vel
forte fuit de synagoga urbis præfatæ et
natus Judæus. Filii autem ejus, secun-
dum Marcum, fuerunt Alexander et Ru- Marc. XV, 21.
fus, quos aliqui dicunt fuisse discipulos
Christi. *Venientem de villa* quadam ex-
tra Jerusalem versus eam, ita quod istis
in itinere obviavit. *Et imposuerunt ei cru-
cem portare post Jesum.* Imo timore et
minis compulerunt eum ad hoc. Ait enim
Matthæus : Hunc angariaverunt ut tolle- Matth. XXVII, 32.
ret crucem ejus. Quod crudelissimi illi
non fecerunt ex compassione aut pro re-
levamine Jesu : sed quia ex pœnis jam
valde lassatus fuit, timebant ne forte sub
onere crucis deficiens, moreretur in via,
sicque futuras pœnas leniori morte eva-
deret ; vel ut citius venirent ad locum Cal-
variæ, in quo desiderium suum de Christi
crucifixione explerent.

Sequebatur autem illum multa turba 27
populi, quidam compatiendo, sed multo
plures deridendo, et crucifixionem ejus
optando : imo, quo ante famosior fuit, eo
jam plures secuti sunt ad videndum spe-
ctaculum ; *et mulierum quæ plangebant
et lamentabantur eum,* hoc est, cordia-
liter tristabantur, et corporaliter flebant
eum. *Conversus autem ad illas Jesus,* fa- 28
ciem suam vertens ad eas : qua visa plus
flebant, ut moris est feminarum. Fuerunt
quoque ibi aliqui viri discipuli, et amici
Christi, ut Nicodemus, Joseph, Joannes
apostolus, et forte Gamaliel, ac alii : qui
licet vehementer dolerent, fletum tamen
pro posse represserunt. *Dixit : Filiæ Je-
rusalem.* Aliquæ enim feminarum istarum
erant habitatrices Jerusalem, et aliæ fu-
erunt de Galilæa, seu aliis locis. *Nolite
flere super me...* Non reprobat compassio-

nem et fletum earum, sed hortatur ut A
non ita dumtaxat plorent sicut plorabant :
unde admonuit eas ut etiam propriam
calamitatem, et filiorum suorum culpam,
imminentesque pœnas deplangerent. Nam
29 subditur : *quoniam ecce venient dies in*
quibus dicent habitatores et habitatrices
Jerusalem ac Judææ : *Beatæ steriles* fe-
minæ, quæ non conceperunt, *et* beati *ven-*
tres qui non genuerunt, et ubera quæ non
lactaverunt, hoc est, fetus non habuerunt
quibus lac darent. Hoc Christus prædixit
de tempore obsidionis Jerusalem a Roma- B
nis, quæ facta est anno quadragesimo se-
cundo post Christi passionem. Fuitque in
ea indicibilis calamitas, pressura, atque
mœstitia Judæorum, in tantum quod pa-
rentes suos pueros comederunt : ideo tunc
feliciores reputabantur qui absque prole
fuerunt, quam prolem habentes, quoniam
minor fuit eis causa mœstitiæ, quum so-
bolem non haberent cujus intuerentur
miserias.
30 *Tunc incipient dicere montibus, Cadite*
super nos; et collibus, Operite nos. Hoc C
quippe dixerunt, vel ex desperatione, vel
ad insinuandum magnitudinem suæ cala-
mitatis ac desolationis, vel ex desiderio
effugiendi adversarios suos. Tunc quoque
multi Judæorum fugerunt ad cavernas at-
que speluncas. Nam et Josephus scribit
se tunc cum quadraginta viris in spelun-
cam quamdam fugisse. Simili sensu scri-
Osee x, 8. ptum est per Osee : Dicent montibus, Ope-
rite nos; et collibus, Cadite super nos.
Quod et de tempore circa finale judicium
intelligi potest, in quo maxima tribulatio D
31 erit. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt,*
hoc est, si isti iniqui me ita occidunt et
vexant, qui viridi ligno assimilor, quia
jugiter plenus fui et sum omnium vir-
tutum fructu et flore perfectionis virore-
que gratiæ, ita quod per mortem hanc
violentam abscindi et tolli non merui ; *in*
arido quid fiet? id est, qualis erit punitio
Judaicæ plebis me persequentis, omnis-
que iniqui, qui propter virtutum caren-
tiam et pravitatis infecunditatem ligno
arido comparatur? Hinc Salomon ait : Si Prov. xi, 31.
justus in terra recipit, quanto magis im-
pius et peccator ?
Ducebantur autem et alii duo nequam 32
cum eo, ut interficerentur. Hoc inquina-
tissimi Judæi procuraverunt, ut ex latro-
num illorum consortio, Christus sceleratior
appareret; nec legitur quod illi nequam
suam tulerint crucem, ut Jesus. Sed Jesus
hæc passus est, ut nos merito hujus con-
fusionis passionisque suæ, inter electos
Dei et angelos computemur.
Et postquam venerunt in locum qui vo- 33
catur Calvariæ. Calvaria dicitur os capitis
humani, carne, pelle, crinibusque nuda-
tum. Quidam ergo, ut refert Hieronymus,
asserebant ideo locum istum, dictum lo-
cum Calvariæ, quia ibi sepultus fuerit
Adam, ejusque caput ibi conditum fuit; et
quod ideo ibi crucifigi voluit Christus, ut
sanguis ejus super primi hominis tumu-
lum distillaret, eumque cum sua posteri-
tate salvaret. Hanc opinionem reprehendit
Hieronymus, dicens, Adam fuisse sepul-
tum juxta Hebron, ut ex libro Josue com-
probatur. Scriptum est enim in libro Jo-
sue : Adam maximus ibi situs est, scilicet Josue xiv,
in spelunca duplici, ubi Abraham suam 15.
conjugem legitur sepeliisse in Genesi. Pro- Gen. xxiii, 19.
pter quod Hebron olim vocabatur Cariath-
arbe, id est civitas quatuor, eo quod ibi
sepulti sint quatuor magni Patriarchæ
cum uxoribus suis, videlicet Adam cum
Eva, Abraham cum Sara, Isaac cum Re- Ibid. xxv,
becca, Jacob cum Lia. Verumtamen Tho- 9; xxxv, 29;
mas super Lucam scribit Athanasium di- xlix, 31.
cere, quod Judæorum doctores affirmant
Adam in loco Calvariæ esse sepultum :
et forte aliqui Judæorum doctores opinati
sunt ita. Verius tamen est locum istum
dictum Calvariæ, propter capita reorum
ibi occisorum : quæ capita tempore pro-
cedente fiebant calvariæ, hoc est nudata
a carne, pelle, capillis. Unde in tam igno-
minioso loco dignatus est Christus occi-
di, ut nos merito suæ vilipensionis istius,
ad honorabilissimos cœli empyrei thronos
sublevemur.

Digitized by Google

Ibi crucifixerunt eum, hoc est, clavis cruci affixerunt. Voluit autem Christus propter nos hoc genus mortis perferre : Primo, quia suspensio in ligno fuit ignominiosissimum, exsecrabilissimum ac pœnalissimum reorum supplicium ; ideo Christus istud elegit, ut nobis copiosius subveniret, et Patrem æternum magis nobis placaret. Secundo, ut perfectissimum obedientiæ fortitudinisque præberet exemplum, dum Patri obedivit, non solum (Philipp. II, 8.) usque ad mortem, sed et usque ad durissimum atque turpissimum genus mortis; et ut non solum non formidemus mortem pati propter Deum et æquitatem, sed nec aliquod mortis genus. Tertio, quia per quatuor cornua crucis signantur quatuor partes mundi, quas Christus sua passione redemit. Quarto, quoniam Adam in ligno (Gen. III, 6.) et esu fructus ejus peccavit, mundumque perdidit ; ideo Christus per lignum voluit redimere mundum. Ideo ait Theophilus : Quia per lignum mors introivit, necesse erat ut per lignum exterminaretur. Hinc in Præfatione dicimus Deo Patri : Qui salutem generis humani in ligno crucis constituisti, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret ; et qui in ligno vincebat, puta diabolus, in ligno quoque vinceretur per Christum Dominum nostrum.

Eductio autem Christi ad passionem, ejusque passio, præfiguratæ fuerunt per (Ibid. IV, 8.) eductionem qua Cain eduxit Abel justum in agrum, et interfecit eum ibidem ; item (Ibid. XXII, 2 et seq.) per eductionem Isaac ut immolaretur ; et per serpentem æneum, quem Moyses ere- (Num. XXI, 9; Joann. III, 14.) xit pro signo, ut intuentes illum serpentem liberarentur a morsibus ignitorum serpentium. Sic qui fideliter ac devote Christi passionem attendunt, eripiuntur a dæmonum tentamentis, et morsibus vitiorum. Denique in hac Christi eductione et crucifixione impleta sunt quæ in Isaia propheta fuerunt prædicta, ubi legitur : (Is. LIII, 7, 6, 4.) Sicut ovis ad occisionem ducetur ; et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum ; vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Hinc et David in Christi persona prædixit : Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. (Ps. XXI, 17, 18.) Tunc impletum est et illud Jeremiæ : Ego quasi (Jer. XI, 19.) agnus mansuetus qui portatur ad victimam ; itemque illud Danielis, Post heb- (Dan. IX, 26.) domadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Per Zachariam quoque Christus profatur : Adspicient ad me quem (Zach. XII, 10.) confixerunt. Et iterum fertur : Dicent ei : (Ibid. XIII, 6.) Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me, id est a posteritate Patriarcharum, qui me dilexerunt.

Et latrones crucifixerunt præfati ministri militesque Pilati (fueruntque quatuor, ut constat ex eo quod scriptum est apud Joannem : Milites quum crucifixissent eum, (Joann. XIX, 23.) acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem), *unum a dextris* Christi, *et alterum a sinistris,* ut Jesus in medio latronum suspensus, quasi princeps latronum ac sceleratorum reputaretur. Ad hoc enim Judæi procuraverunt id fieri ; sed Deus illud permisit, ut impleretur quod Isaias prædixit, Cum sceleratis reputatus est. (Is. LIII, 12.) Et Christus hoc pertulit, ut per hoc quod ipse sic inter iniquissimos reputatus atque suspensus est, nos miseri peccatores, a reproborum hominum ac dæmonum societate, tormentis ac medio liberemur, et inter electos Dei sanctosque angelos feliciter collocemur.

Consideremus quotidie corde profundo, quantum regratiari tenemur Patri æterno, pro eo quod naturalem et unicum ac superdilectissimum Filium suum, quem utique non minus diligit quam se ipsum, permisit ita propter nos sperni, conculcari, et acerbissima morte necari, ut ab æterna confusione salvemur, et cœlestem recuperemus, verum, perpetuum beatificumque honorem. Non ergo negligamus nos ipsos, pro quorum salute Dei Filius, Deo Patri vere æqualis, tanta pati dignatus

Digitized by Google

est. Quumque, ut Seneca fassus est, ma- A
xima ingratitudinis pars sit beneficiorum
oblivio, maxima quoque gratitudinis por-
tio, beneficiorum recognitio, nequaquam
obliviscamur eorum quæ propter nos pas-
sus est Sanctus Sanctorum; sed corde ve-
ro et opere eadem recognoscamus, nec
illum per vitam iniquam inhonoremus,
qui nos tam incomprehensibiliter hono-
ravit, ne universis brutis viliores deteri-
oresque simus.

Porro, in hac Christi suspensione im-
pletum est quod prædixit Psalmista in B
Ps. xxi, 7. Christi persona: Ego autem sum vermis,
et non homo, opprobrium hominum et
Ps. lxviii, 8. abjectio plebis; itemque, Propter te sus-
tinui opprobrium, operuit confusio faciem
meam.

Insuper, qualiter facta sit crucifixio Chri-
sti, diversimode recitatur. Aliqui etenim
dicunt, quod cruce in terram prostrata,
affixus sit cruci; alii, quod cruce erecta,
ita quod per scalas ascenderunt crucifi-
xores. Sed B. Brigitta scribit, quod cruce
levata, erexerunt tabulas, et super eas ste- C
terunt.

Considerandum vero est nobis, quam
ineffabiliter pœnosa fuerit Christo crude-
lissima illa tenerrimorum ac præhonora-
bilium pedum suorum ac manuum perfo-
ratio, et quam amarum fuit affectuosissimæ
Matri ejus dulcissimæ hoc cernere, aut
ictus illos audire. Quid nobis igitur in-
cumbit, nisi cordialissime condolere Filio
Dei et Matri ipsius, omnemque vanitatem
et vilem delectationem despicere? Sed hoc
diligentissime debemus perpendere, quam D
dolorosissima fuit Christo violentissima il-
la corporis sui sancti in cruce distentio,
ita quod ossium ejus dissolvebatur com-
pago, nullumque membrum in naturali
ac pristino loco seu situ permansit, et ner-
vi disrumpebantur. Vere tam miserabili-
Ps. xxiii, 10. ter, tamque pœnaliter tunc pendebat Rex
gloriæ, Dominus virtutum, mundi Salvator,
Act. x, 42. Filius Dei, Judex vivorum ac mortuorum,
ut solo adspectu in ejus compassionem
mollescere potuerint corda lapidea. Nam
et grave lassi sui corporis pondus, mem-
bra sua dignissima, extractione violentissi-
ma dissecuit et contrivit, ejusque vulnera
dilatando pœnaliter amaricavit, ac nervos
disrupit: ita quod ex toto corpore san-
guis pene totus effluxit, prout in Psalmo
prænuntiaverat Christus: Sicut aqua ef- Ps. xxi, 15.
fusus sum, et dispersa sunt omnia ossa
mea. Postremo pensandum, quantam Jesus
Christus sustinuit pœnam, dum ante cru-
cifixionem rursus exuerunt eum: tunc
namque vulnera et vulnerum dolor reno-
vabantur. Jam enim ex sanguinis emana-
tione vestis interior carni inhæsit, et pro-
fundis quasi implicata fuit et coagulata
vulneribus.

Jesus autem dicebat: Pater, dimitte 34
illis, id est, tam Judæis pœnam hanc pro-
curantibus, quam gentilibus eam inferen-
tibus, clementer ignosce, tam istud eorum
supergravissimum scelus, quam cetera sua
peccata. Specialiter tamen oravit hoc Chri-
stus pro peccato quo tunc peccabant in
eum. Nam subditur: *non enim sciunt quid*
faciunt. Non enim sciverunt se Dei Fi-
lium trucidare, sed hominem impiissi-
mum ac blasphemum se putabant occide-
re: et per ignorantiam hanc, peccatum
eorum, præsertim gentilium atque simpli-
cium Judæorum, aliqualiter alleviabatur.
Sed majores et doctiores inter Judæos ex- Joann. xv,
cusationem non habuerunt, quia jamdu- 22.
dum aut certitudinaliter aut probabiliter
cognoverant Jesum esse Christum; sed
paulatim invidiosa eorum malitia eos sic Sap. ii, 21.
excæcavit, quod jam reputaverunt oppo-
situm, et simplices deceperunt. Tanta quo-
que mirabilia viderunt et perceperunt agi
a Christo, quod credere tenebantur. Pro-
pter quod passione instante, Christus dixit
Apostolis: Si opera non fecissem in eis, Joann. xv,
quæ nemo alius fecit, peccatum non ha- 24.
berent; nunc autem viderunt et oderunt
me et Patrem meum gratis. In hac oratio-
ne, Christus perfectissime adimplevit quod
ante docuit et præcepit: Orate, inquiens, Matth. v,
pro persequentibus et calumniantibus vos; 44.
et quod per Isaiam erat de ipso præ-

Digitized by Google

Is. LIII, 12. dictum, Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. Denique hæc Christi oratio exaudita fuit pro multis millibus Judæorum, imo pro omnibus pro quibus eam fudit ex ratione deliberata : de quorum conversione in Actibus Apostolorum habetur. Taliter enim, scilicet ex ratione deliberata, Christus non oravit pro reprobis, sed pro electis dumtaxat. Unde et apud Joannem ait ad Patrem : *Joann.* XVII, 9. Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo, quia tui sunt.

Dicit Ambrosius, quod Christus ascendit talis in cruce, quales nos formavit natura, et qualis primus homo in paradiso fuit, videlicet nudus. Aliqui tamen dicunt, quod benedicta virgo Maria velum capitis sui loco verecundiæ Filii sui circumvolvit. Sed S. Brigitta scribit, quod quum Christus circa crucem crucifigendus sederet, quidam vir ex quadam compassione accessit, et locum verecundiæ texit, et quod Christus ex facto viri illius quamdam consolationem accepit, et virum illum adjuvit in ligando velum illud ad locum præfatum. Sic autem Christus nudari dignatus est, ut nos merito suæ nudationis induamur jam vestibus virtutum et gratiæ, deinde in vita futura vestimentis gloriæ sempiternæ.

* *ejus* *Dividentes vero vestimenta sua*, miserunt sortes*. Quomodo factum sit hoc, in *Ibid.* XIX, 23, 24. Joanne plenius legitur, ubi habetur : Milites quum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem), et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, id est non consuta, desuper contexta per totum, id est artificiose confecta opere reticulato, hoc est per modum retis atque cilicii, non incisa : quam Virgo sanctissima creditur propriis manibus suo Dilecto fecisse. Dixerunt ergo milites ad invicem : Non scindamus eam, id est, non dividamus eam in quatuor partes sicut alia vestimenta, sed sortiamur de illa cujus sit, id est, sortem mittamus ad quem tota deveniat. Forte enim propter operis subtilitatem

A ac raritatem, quivis militum desideravit tunicam illam integram adipisci. Itaque patet, quod super solam tunicam inconsutilem missa sit sors, ut communiter dicitur, ut impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem in Psalmo in Christi persona : Diviserunt sibi vestimen- *Ps.* XXI, 19. ta mea, et super vestem meam, scilicet tunicam inconsutilem, miserunt sortem.

Et stabat populus exspectans, id est, ex- 35
itum rei videre desiderans, *et deridebant eum,* scilicet Christum, *principes* sacer-
B dotum *cum eis,* id est cum populo. Aliqui tamen ibi fuerunt non mediocriter condolentes ; sed illi comparatione aliorum tam pauci fuerunt, ut pro nihilo reputentur. Ideo Christus ait in Psalmo : Et susti- *Ps.* LXVIII, 21. nui qui simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non inveni. Per Isaiam quoque : Circumspexi, et non erat *Is.* LXIII, 5. auxiliator ; quæsivi, et non fuit qui adjuvaret. *Alios* salvos fecit,* id est, a languo- * *Dicentes: Alios* ribus multis curavit ; sed plures spiritualiter salvos fecit, eos convertendo ad C Deum. Ecce obtenebrati isti iniqui propria se condemnant sententia ; et dum Christum se putant vituperare, maxime eum commendant, quod miraculorum sit potens effector. De ingratissimis istis Judæis Christus prædixit in Psalmo : Pro eo ut *Ps.* CVIII, 4, 5. me diligerent detrahebant mihi, et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea. *Se ipsum salvum faciat,* id est, de pœnis istis eripiat, *si hic est Christus Dei electus,* id est a Deo summe electus secundum naturam suam D humanam. De quo per Isaiam Deus testatur : Ecce servus meus, suscipiam illum ; *Is.* XLII, 1. electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Ecce quam ineffabilis fuit ista Judæorum insania, cæcitas et imperitia. Qualem enim consequentiam habuit, ut Jesus se de pœnis illis eriperet, si Christus esset, et non potius eas usque ad mortem inclusive perferret ? Nonne Prophetæ Christi occisionem apertissime prædixerunt ? Nonne David in Christi persona cecinerat, In pulverem mortis deduxisti *Ps.* XXI, 16.

Digitized by Google

Is. LIII, 12. me? Et Isaias : Tradidit (inquit) in mortem
Dan. IX, 26. animam suam; Daniel quoque, Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus.

36 *Illudebant autem ei et milites accedentes* ad crucem, *et acetum offerentes illi,*
37 *dicentes : Si tu es rex Judæorum, salvum te fac.* Isti gentiles conformabant se locutioni irrisionique Judæorum. O quam durissima fuit omnium horum crudelitas, quod homini in tam incomparabili supplicio constituto, non solum non condoluerunt, sed et tam contemptibiliter illuserunt! sicut in Psalmo fuit prædictum,
Ps. LXVIII, 27. Christo ad Patrem loquente : Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. De hac Christi irrisione Matthæus
Matth. XXVII, 39-43. effatur : Prætereuntes autem, id est, per viam illam pergentes, blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva te ipsum; si Filius Dei es, descende nunc de cruce. Similiter principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus, dicebant : Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. Confidit in Deum, liberet eum nunc, si vult. Dixit enim, quia Filius Dei sum. Hæc omnia beatissimus secretorum Dei contemplator, sanctus David, in spiritu clarissime prævidit, et pulcherrime prænuntiavit, loquens in Christi
Ps. XXI, 8, 9. persona : Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum. Item-
Ps. CVIII, 25. que : Ego factus sum opprobrium illis; viderunt me, et moverunt capita sua.

Præterea de oblatione aceti prætacta sciendum, quod impii illi dederunt bis Christo potum acetosum, felleum, seu amarum : Primo, circa crucifixionem, scilicet, antequam crucifigeretur, vel statim quum fuerat crucifixus. Potius tamen reor, quod ante crucifixionem, quum dicat Matthæ-
Matth. XXVII, 33-35. us : Venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod interpretatur Calvariæ locus; et dederunt ei vinum bibere felle mixtum; et quum gustasset, noluit bibere. Deinde ait Matthæus : Postquam autem crucifixerunt eum. Deinceps, pluribus interpositis verbis, addit : Circa horam nonam exclamavit Jesus : Eli, Eli, etc. Et *Matth.* XXVII, 46, 48. continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Post hanc autem potationem Christus mox tradidit spiritum. Subdit enim Matthæus : Jesus autem *Ibid.* 50. iterum clamans voce magna, emisit spiritum. Joannes vero clarius scribit hæc, dicens : Postea sciens Jesus quod jam omnia consummata sunt, ut consummaretur *Joann.* XIX, 28-30. Scriptura, dixit : Sitio. Vas ergo positum erat plenum aceto. Illi autem plenam aceto spongiam hyssopo, id est arundini seu calamo, circumponentes, obtulerunt ori ejus. Quum ergo accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est. Unde de potatione hac Lucas nunc loquitur. Verumtamen Marcus dicit, quod non accepit potum *Marc.* XV, 23. hunc; sed hoc facile concordatur. Modicum enim accepit, ut impleretur Scriptura : quod autem modicum est, pro nihilo reputatur. Ideo ait Matthæus, Quum *Matth.* XXVII, 34. gustasset, noluit bibere : ex quo patet, quod modicum sumpsit. Tuncque impletum est illud in Psalmo : Et dederunt in *Ps.* LXVIII, 22. escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Sed quæritur, quomodo Joannes et Lucas vocant potum acetum, quum Marcus nominet eum vinum myrrhatum, Matthæus vero primo vocat eum vinum felle mixtum. Et respondendum, quod potus iste, secundum Augustinum, fuit amarissimum vinum, ita quod fuit acetosum, propter quod vocatur acetum; et admixta erant ei myrrha et fel. Insuper aliqui dicunt, quod ministri præsidis talem potum dabant damnatis ad mortem, ut citius morerentur, et sic ipsi de illorum expedirentur custodia. Alii referunt, quod seniores Judæorum ordinaverant adjudicatis morti dari vinum bonum ac aromaticum ad bibendum, quatenus ex potu hujusmodi ex-

hilarati instantem mortem minus attenderent, atque facilius sustinerent : et hoc ideo ordinasse narrantur, quoniam in Proverbiis Salomon loquitur : Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo ; bibant et obliviscantur egestatis suæ. (*Prov.* XXXI, 6, 7.) In Jerusalem ergo (ut dicunt) fuerunt feminæ piæ, quæ pro Christo atque latronibus talem potum præstiterunt ministris : qui veneno invidiæ pleni, pro tali potu dederunt Christo vinum fellitum, quum protulisset, Sitio, quia non solum spiritualiter nostram sitiebat salutem, sed et corporalem sitim habuit maximam ac pœnosam, ex diuturna afflictione et vehementi labore, ac copiosissima sanguinis emanatione, ex qua excessiva siccitas fuit in eo causans vehementissimam sitim, quæ fuit maxima pœna. Unde Christus ait in Psalmo : (*Ps.* XXI, 16.) Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis. Sed cur tantam sitim pati voluit Christus ? nisi ut nos merito suæ sitis, cœlestium deliciarum superabundanti affluentia beatifice ac jucundissime æternaliter impleamur, sicut in Psalmo prædictum est : (*Ps.* XXXV, 9.) Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Consideremus quotidie hanc novissimam Christi mensam, qua propter nos cibatus est felle, et potatus aceto : sicque discamus cibi et potus superfluitatem ac voluptatem vitare, per abstinentiam carnem libenter ac rationabiliter castigare, et de victualium tenuitate non murmurare : quod implere ad religiosos spectat potissimum.

38 *Erat autem et superscriptio scripta super illum,* id est, titulus exaratus, continens causam crucifixionis Christi, fuit jussu Pilati affixus cruci in parte ejus superiori. Crux quippe primo fuit trium brachiorum, sicut et littera Tau (T). Pilatus vero addidit et superposuit quartam partem, ubi posuit tabulam, in qua scripsit hunc titulum. Unde Matthæus ait : (*Matth.* XXVII, 37.) Posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam. *Litteris Græcis, et Latinis, et Hebraicis,* id est, tribus principalibus mundi idiomatibus scripsit hunc titulum, ut legeretur ab omnibus : *Hic est rex Judæorum.* Matthæus hoc plenius exprimit, dicens scriptum fuisse : Hic est Jesus Nazarenus, rex Judæorum, (*Matth.* XXVII, 37.) id est causa ob quam crucifixus est Jesus a Nazareth, quia se dixit regem Judæorum. Verumtamen Pilatus his verbis non intendebat affirmare quod Jesus esset rex Judæorum, præsertim quoad temporale ac terrenum dominium, ne videretur imperatori rebellis. Unde cum quadam Judæorum derisione sic scripsit, tanquam diceret : Ecce qualem apparentiam habet, quod iste voluerit esse rex Judæorum. Unde pontifices, lecto hoc titulo, indignati sunt, dicentes Pilato : Noli scribere, Rex Judæorum ; (*Joann.* XIX, 21, 22.) sed, quia ipse dixit, Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi.

39 *Unus autem de his qui pendebant latronibus,* scilicet a sinistris suspensus, *blasphemabat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos,* id est, a morte hac corporali nos salva. Porro, secundum Matthæum et Marcum, uterque latro convitiabatur Christo, (*Matth.* XXVII, 44. *Marc.* XV, 32.) id est, verba improperatoria ac blasphema dixit ad eum. Lucas vero non ait hoc, nisi de uno latrone. Quod dupliciter concordatur : primo, quod Matthæus et Marcus ponant plurale pro singulari, utentes tropo seu modo loquendi, quo societas dicitur facere, quod unus ex ea facit; secundo, quod primo ambo latrones improperaverint Christo, sed unus eorum, visis mirabilibus quæ fiebant in solis obscuratione terræque motione, pœnituit, et socium suum in malitia persistentem redarguit. Aliqui dicunt, quod attendens Christi patientiam et orationem qua dixit, Pater, ignosce illis, fuit conversus et pœnitens factus, scilicet ante solis obscurationem : præsertim quoniam Lucas, Matthæus et Marcus recitant factum istud latronum ante solis obscurationem aliorumque mirabilium perpetrationem. Mirabilis autem fuit patientia

Christi latroni non respondentis. Ait quip-
pe Chrysostomus : Mirabilius est videre
hominem convitia passum, et non mo-
tum, quam hominem percussum ac vulne-
ratum, et non cadentem.
40 *Respondens autem alter*, scilicet latro
pendens a dextris, *increpabat eum, di-
cens : Neque tu times Deum*, quemadmo-
dum nec ceteri Judæi et servi Pilati Chri-
sto illudentes, *quod in eadem damnatione
es?* id est, non obstante quod nunc es in
simili pœna crucifixionis cum Christo, ad-
huc tamen Deum non metuis, quum jam
morti sis proximus? quasi dicat : Etsi
tempore sanitatis ac prosperitatis Deum
non formidasti, nunc merito eum time-
res : quem si timeres, non justum hunc
blasphemares : quoniam timor retrahit ho-
Prov. xv, 27. minem a peccato, sicut Salomon ait, Per
41 timorem declinat unusquisque a malo. *Et
nos quidem juste*, id est, tu et ego juste
hæc patimur ; *nam digna factis recipi-
mus*, id est supplicia nostris excessibus
debita ; *hic vero nihil mali gessit :* sicut
Is. liii, 9. in Isaia dictum est, Iniquitatem non fecit,
42 nec inventus est dolus in ore ejus. *Et di-
cebat ad Jesum : Domine, memento mei*,
id est, clementer succurre, *quum veneris
in regnum tuum* cœleste. Jam enim cre-
didit latro Jesum esse regem Messiam in
lege promissum, cujus est regnum cœlo-
rum. Hoc autem credidit ex mirabilibus
quæ adspexit, et ex ineffabili patientia,
caritate et mansuetudine Christi : potius
tamen ex supernaturali et gratiosissima il-
luminatione Spiritus Sancti, quia vas mi-
sericordiæ fuit. Unde in hujus conversi-
one, illustratione ac salvatione latronis,
datur omni peccatori et pœnitenti maxima
spes salutis, omnisque desperandi occasio
tollitur, quum latro iste in tot facinoribus
deprehensus, tantum repente sortitus est
caritatis fervorem, pœnitentiæ gratiam, ve-
niæ plenitudinem, accelerationemque sal-
vationis æternæ. Cum tanta etenim con-
tritione et amoris fervore confessus est
Christo duplici confessione, videlicet con-
fessione bonitatis ac laudis divinæ, et con-

A fessione propriæ culpæ, quod Christus
eum absolvit a pœna et culpa. Caritas I Petr. iv, 8.
nempe operit multitudinem peccatorum ;
et quo fuerit major contritio, eo plus au-
fertur de culpa et pœna.
Et dixit ei Jesus : Amen, id est vere, 43
*dico tibi : Hodie mecum eris in paradi-
so*, id est in statu et affluentia beatitudinis
veræ. Christus namque, quia pro originali
satisfecit, pro cujus dumtaxat reatu san-
cti in limbo patrum detinebantur, quum
in infernum, id est in limbum patrum,
B descendisset, mox animas ibi repertas be-
atificavit, dando eis præmium essentiale,
videlicet beatificam fruitionem divinæ es-
sentiæ : cujus beatitudinis gloria jam no-
mine paradisi exprimitur. Latronis autem
istius anima a corpore separata, statim ad
limbum descendit, beatitudinemque præ-
fatam adepta est. Paradisus itaque modo
non dicitur paradisus terrestris, aut cœ-
lum empyreum, sed participatio beatifi-
cæ visionis. Quemadmodum autem medi-
cus corporum aliquem languidissimum et
C desperatum infirmum subito curans, su-
am pandit peritiam, et magnam consequi-
tur famam ; sic Christus hunc salvans la-
tronem, omnibus nobis suam declaravit
ad ignoscendum atque salvandum clemen-
tiam, sapientiam atque potentiam.
Porro hoc loco omittit Lucas ac alii duo
Evangelistæ, quæ de mutua compassione
Christi et dilectissimæ Matris ejus scribit
Joannes, dicendo : Stabat autem juxta cru- Joann. xix, 25-27.
cem Jesu Mater ejus. O affectuosissimum,
dolorosum, omnique compassione dignis-
D simum verbum ! Et soror matris ejus, vi-
delicet Maria uxor Cleophæ, mater Jacobi
Minoris. Quum ergo vidisset Jesus Matrem
suam, et discipulum stantem quem dili-
gebat, dicit Matri suæ : Mulier, ecce filius
tuus, id est, Joannem apostolum tibi as-
signo pro filio : quoniam ego nunc sub-
trahor tibi, ita quod de cetero tecum non
ero in vita ista mortali, et humano modo
tecum conversans. Deinde dicit discipu-
lo : Ecce Mater tua, id est, Matrem meam
tibi commendo, ut eam filialiter diligas,

Digitized by Google

reverenter custodias, ei adsistas, obsequaris, provideas. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam matrem, in suam fidem, in suam custodiam.

44 *Erat autem fere hora sexta,* quando
videlicet crucifixus est Jesus : quod qualiter intelligendum sit, dictum est supra ;
et tenebræ factæ sunt in universa terra
45 *usque in horam nonam, et obscuratus est*
sol : non quod lux in sole esse desierit, aut in eo caligo exstiterit, sed quoniam lumen non fudit in terram, nec apparebat, interposito medio quodam inter ipsum et incolas terræ, quemadmodum fit in eclipsi. Dicitque Origenes, quod ista eclipsis seu obscuratio facta sit per interpositionem densarum multarumque nubium inter solem et terram. Hieronymus vero ait, quod facta sit per retractionem radiorum solarium, quemadmodum
Exod. x, 22. in Ægypto tempore Moysis. Verumtamen Origenes atque Hieronymus opinative magis quam assertive loquuntur, assignando modos quibus fieri potuit illa eclipsis.

Cf. in Matth. xxvii, 45. Magis ergo credendum divino et sancto Dionysio, qui in epistola sua ad Polycarpum scribit se eclipsim istam vidisse apud Heliopolim urbem Ægypti, ubi Dionysius tunc fuit ad vacandum astronomiæ, ob aeris serenitatem et quietem ibi præcipuam. Asserit ergo Dionysius, quod vidit lunam ab oriente venire, seque soli supponere et obscuritatem causare. — Tangit præterea in præfata epistola Dionysius, quatuor supernaturalia quæ fiebant in illa eclipsi. Primum est, quoniam naturalis eclipsis solis non fit nisi tempore conjunctionis incensionisque lunæ, quando videlicet directe supponitur soli ; tunc autem oppositio et plenilunium fuit, utpote luna quintadecima, quando Judæi celebrant Pascha. Secundum est, quia quum luna fuisset supposita soli hora sexta in medio cœli, tamen hora vespertina restituta est loco suo in oriente : ideo ordo temporis confusus non fuit. Tertium, quia eclipsis naturaliter inchoatur ab occidente, videlicet a parte solis quæ respicit occidentem, quæ primo eclipsatur, et pervenit usque ad orientem : quoniam motus lunæ in proprio orbe velocior est motu solis in circulo proprio, sicque pertransit solem ab occidente accedens. Sed tunc luna jam pertransierat solem, distans ab eo per circuli medietatem, exsistens in oppositione ad solem. Idcirco oportuit ut ab oriente rediret ad solem, et primo attingeret eum a parte orientali, illamque primitus eclipsaret. Quartum est, quia in naturali eclipsi illa pars solis primo nudatur et cernitur, quæ primo fuerat obscurata ; sed tunc pars ultimo obscurata primo apparuit, quoniam luna redibat ad orientem unde advenerat. Quintum miraculum circa illam eclipsim addunt Hieronymus atque Chrysostomus, quoniam naturalis eclipsis modicum durat, puta quousque luna pertranseat solem ; tunc vero duravit tribus horis, luna tam diu sub sole manente.

Præterea illa eclipsis fuit non solum in terra Judææ, quum Dionysius dicat eam in Ægypto fuisse et apud Athenas. Alii quoque historiographi scribunt eam fuisse in aliis terris. Denique videntes Athenienses philosophi tanta mirabilia in illa eclipsi, dixisse leguntur : Aut Deus naturæ patitur, aut elementa et sidera mentiuntur, aut machina mundi peribit. Attamen scientes illa mirabilia fieri virtute alicujus causæ non naturalis, sed supernaturalis, fecerunt altare in honorem causæ illius, vocabantque eam, scilicet causam, ignotum Deum. Hinc in Actibus legitur Paulus apostolus invenisse Athenis aram ignoto Deo consecratam, dixitque Atheniensibus : Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Act. xvii, 23. Unde quum Dionysius a B. Paulo apostolo audisset causam mirabilium illorum, cito credidit. — Sed, ut recitat Origenes, contra præscripta de ista eclipsi filii hujus sæculi dixerunt : Quomodo nullus Græcorum aut barbarorum tam mirabile factum descripsit ? Ad quod Origenes respondet, quod quidam nomine Phlegon, in Chronicis suis descripsit

istud sub imperio Tiberii contigisse : non A tamen scribit lunam fuisse plenam. Postremo, si quod in textu habetur, In universa terra, intelligatur de tota habitabili terra, non potuit fieri per lunæ suppositionem dumtaxat, propter lunæ parvitatem ; sed tunc addendus esset modus prætactus Origenis sive Hieronymi.

Præterea, sicut refert Hieronymus, quidam contra Evangelium Christi scribentes, dixerunt solem tunc naturale aliquid sustinuisse, quod discipuli Jesu ex imperitia, propter passionem Jesu contigisse B dixerunt. Quod quam falsum et fictum sit, patet ex dictis.

Et velum templi scissum est per *medium,* id est in duas partes, a summo ejus usque deorsum, ut ait Matthæus. Fuit autem duplex velum templi tunc in Jerusalem exsistentis : unum exterius in introitu templi, quod Remigius tunc divisum testatur; aliud interius in ingressu Sancti sanctorum, quod S. Hieronymus scissum effatur. Per veli autem scissuram significabatur, quod mysteria, sacramenta et figuræ veteris Testamenti in Christi C passione impleta essent ac patefacta. Refert quoque Hieronymus se legisse, quod superliminare templi tunc scissum divisumque fuit. Sed et Josephus ait angelicas potestates, quæ usque tunc præsides et custodes templi fuerunt, tunc pariter conclamasse : Transeamus ex his sedibus. Quod autem Lucas hic scribit de veli scissione, per anticipationem narravit, quia ut Matthæus apertissime dicit, velum scissum fuit in morte Christi quum spiritum D traderet.

Matth. XXVII, 51.

Ibid. 50, 51.

Denique, secundum Matthæum et Marcum, circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens : Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Hoc autem protulit Christus in quantum homo, non ex impatientia, sed ad insinuandum ineffabilem acerbitatem pœnarum suarum. Et derelictum se dixit a Deo, non quod privatus esset gratia aut gloria, aut a personali esse Verbi æterni sua humanitas fuerit separata; sed quia nulla pro tunc fiebat redundantia consolationis a superiori parte animæ suæ in partem ejus inferiorem, corporeamque naturam. Sic autem non fuit in sanctis martyribus, quorum multi durante eorum passione tantam intra se consolationem senserunt, ut exteriorem vix sentirent dolorem. Ideo quoque se clamavit relictum, quia tam graviter patiebatur, sicque expositus fuit voluntati sceleratorum, ac si peccator et a Deo contemptus fuisset, quemadmodum ab Isaia fuit prædictum : Nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Et Christus in Psalmo ait ad Patrem : Super me confirmatus est furor tuus; et omnes fluctus tuos induxisti super me. Tunc enim, ut Isaias prædixit, Dominus voluit eum conterere in infirmitate.

Ibid. 46; *Marc.* XV, 34.

Is. LIII, 4.

Ps. LXXXVII, 8.

Is. LIII, 10.

Insuper ait Matthæus : Quidam autem illic stantes, et audientes, scilicet qualiter Jesus clamasset, Eli, Eli, dicebant : Eliam vocat iste. Istos aliqui dicunt fuisse gentiles, non intelligentes perfecte idioma Hebræum, ideo per Eli putabant Eliam notari; et quia inter Judæos morabantur, poterant aliquid scire de Elia. Alii dicunt quod fuerunt Judæi, qui ideo dixerunt Christum invocare Eliam, ut eum de imbecillitate diffamarent, eo quod ab Elia peteret opem, qui paulo ante se Dei Filium nominavit. Deinde Jesus dixit : Sitio. Et continuo currens unus ex eis, scilicet Pilati ministris, ut dicitur, obtulit ei acetum. Ceteri vero dicebant : Sine, id est, sustine paulisper et exspecta seu cessa, videamus si veniat Elias liberans eum. Hoc autem non confidendo, sed irridendo dixerunt : quasi dicant, Frustra invocavit Eliam. Quum ergo accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est, id est, quæ de mea passione prænuntiata fuerunt, et quæ pro hominibus facere patique debui, impleta sunt; nec aliud restat, nisi ut spiritum meum Patri offeram et emittam.

Matth. XXVII, 47.

Joann. XIX, 28.

Matth. XXVII, 48, 49.

Joann. XIX, 30.

Digitized by Google

46 *Et clamans voce magna Jesus.* Vox illa A magna fuit et valida, quia affectuosissima mente, et forti et alta sonoritate prolata. *Ait : Pater, in manus tuas,* id est in tua potestate et æquitate, *commendo spiritum meum,* id est animam. Hoc autem dixit Salvator, non quasi anima sua alicui periculo exeundo esset exposita, a quo peteret eam præservari; sed hoc dixit, quasi cum gratiarum actione et laude eam Patri secure committens. Denique aliqui dicunt Christum dixisse in cruce, voce submissa, psalmum in quo versiculus iste B Ps. xxx, 2-6. conscriptus est, scilicet, In te, Domine, speravi, a principio ejus usque ad hæc verba inclusive, quæ alte deprompsit. Alii asserunt eum dixisse omnes psalmos ab eo loco quo alte clamavit : Deus meus, Ps. xxi, 2. Deus meus, ut quid dereliquisti me? quod est principium psalmi vicesimi primi; usque ad hunc versum, In manus tuas, etc.

Et hæc dicens, exspiravit, videlicet capite Philipp. II, 8. inclinato, factus Patri obediens usque ad mortem. Et tunc Christus cum tam forti clamore spiritum tradens, apertis- C sime verum esse monstravit quod ante Joann. x, 18. jam dixerat : Potestatem habeo ponendi animam, et iterum sumendi eam. In hac itaque exspiratione vere obiit Christus, ita quod anima ejus separabatur a corpore, et descendit in limbum patrum, tanquam gloriosissima triumphatrix; et mox in ejus adventu, sanctæ animæ ibi exsistentes, perfusæ atque impletæ sunt lumine gloriæ, cœperuntque Deum videre per speciem, quia pretium jam fuit solutum, et pro originali peccato fuerat satisfactum. Quam- D vis autem anima corpusque Christi fuerunt a se invicem separata, utrumque tamen mansit Verbo æterno unitum, quia quod Verbum semel assumpsit, interim nunquam deposuit.

Matth. XXVII, 51, 52. In hac Christi exspiratione, terra supernaturaliter mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt ex vehementi terræ tremore. Et multa corpora sanctorum quæ dormierant, surrexerunt : non in hac hora, sed eadem hora qua Christus resurrexit. Ideo ait Matthæus : Et exeuntes de monumentis post re- Matth. XXVII, 53. surrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, puta Jerusalem, et apparuerunt multis ibi hominibus, protestantes Jesum esse Christum, et a morte veraciter suscitatum, seque resurrexisse, ut hujus rei exsisterent testes. — Qui autem fuerint sancti illi cum Christo surgentes, nescimus certitudinaliter. Hieronymus tamen ait, quod antiqui patriarchæ Abraham, Isaac et Jacob tantam sollicitudinem habuerunt ut sepelirentur in terra promissionis, in qua noverant Christum nasciturum, passurum ac sepeliendum, quatenus ejus resurrectionis essent participes. Hinc aliqui putaverunt hujusmodi Patriarchas et aliquos Prophetarum, Adam quoque et Evam et David cum Christo resurrexisse. Rursus, secundum Hieronymum, incertum est an isti sic cum Christo suscitati, iterum sint defuncti, vel in eis resurrectio sit completa, ita quod in corpore glorificato regnent cum Salvatore. Et apparet quibusdam magis probabile, quod taliter regnent cum Christo : aliter, ut dicunt, non essent idonei testes perfectæ resurrectionis dominicæ. Verumtamen in Revelationibus S. Brigittæ legitur Virgo benedicta loqui ad Brigittam, quod nullum corpus humanum sit in regno cœlesti, nisi corpus Filii sui et corpus suum.

Videns autem centurio quod factum 47 *fuerat, glorificavit Deum, dicens : Vere hic homo justus erat.* Hoc alii Evangelistæ plenius scribunt. Ait enim Matthæus : Centurio autem, id est, qui centum mi- Ibid. 54. litibus præfuit et fuit de Pilati familia (unde Centurio est nomen officii, non personæ), et qui cum eo erant, scilicet milites ejus, custodientes Jesum, ne ante mortem raperetur ab aliquo, aut sine licentia præsidis deponeretur de ligno, viso terræ motu et his quæ fiebant in præfata eclipsi, et quia Jesus sic clamans exspirasset, timuerunt valde, dicentes : Vere Filius Dei erat iste, id est, mirabilia ista quæ vidimus, protestantur quod veraciter fuit

Filius Dei, sicut asseruit, et sicut ei impositum fuit. Lucas autem singulariter ait de centurione, quod glorificavit, id est, gloriosum et omnipotentem esse confessus est, atque laudavit, ex consideratione tantorum mirabilium, summum Deum, ejus virtuti ista adscribens et dicens : Vere hic homo justus erat, ita quod injuste occisus est, eo quod veritatem protulerit. Ex his elicitur, quod centurio et exsistentes cum eo timuerunt, et timendo glorificaverunt Deum, atque utrumque dixerunt, videlicet : Vere Filius Dei erat iste; Hic homo justus erat. Sed quia centurio principalior fuit, Lucas de ipso dumtaxat hæc scribit. Perpendit quoque centurio hoc penitus miraculosum fuisse, quod Jesus tantis tamque diuturnis excruciatus atque exhaustus tormentis, totoque corpore dissipatus, in ipsa sua exspiratione tam fortiter exclamavit, quum alii ita tractati, tunc vix parvulum sonum queant emittere. Aliqui autem legunt sic, Glorificavit eum, scilicet Christum : ut sit sensus, quod centurio visis his, testimonium Christo perhibuit gloriosum.

48 *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud,* id est ad mirabilem Christi occisionem, per quam mortem diabolumque prostravit, et mundum redemit, ac victor ad immortalitatem profectus est, *et videbant quæ fiebant,* videlicet solis obscurationem, terræ motum, et Christi validum in exspiratione clamorem, *percutientes pectora sua, revertebantur* ad propria. Per pectoris percussionem insinuabant, quod injustissime actum esset cum Jesu, et quod pœniterent de hoc quod in ejus crucifixionem consensissent; sed et plagam ultionis divinæ verebantur. Nam et ideo centurio cum suis valde expavit. Unde quod Lucas ait, Omnis turba, intelligendum est dici propter multitudinem eorum qui taliter redierunt : non tamen absolute omnes qui aderant ita egerunt; imo aliqui ipsorum tam Judæi quam gentiles, in pristina perstiterunt malitia.

49 *Stabant autem omnes noti ejus,* id est A discipuli et amici ac consanguinei Christi, loquendo de his qui ibi fuerunt, *a longe* a cruce, timore Judæorum ac crucifixorum. Non tamen steterunt multum remote a cruce; sed comparatione adversariorum Christi prope crucem stantium, a longe stabant, sicut in Psalmo prædictum est : Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos. Ps. LXXXVII, 19. *Et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa,* etiam prædicto modo steterunt a longe. Nec obstat quod Joannes testatur : Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus. Joann. XIX, 25. B Non enim (ut dictum est) steterunt remote, loquendo absolute, sed respective : et forte nunc propius, nunc remotius stabant. Inter præfatas vero mulieres fuerunt, secundum Matthæum, Maria Magdalene, et Maria mater Jacobi Minoris et Joseph fratris ejus, Matth. XXVII, 56. fuitque soror sacratissimæ Virginis et Cleophæ uxor, itemque mater filiorum Zebedæi. Fuit etiam ibi Joanna, ut patet ex his quæ sequenti dicuntur capitulo. Luc. XXIV, 10.

C *Et ecce vir nomine Joseph.* Omittit hoc 50
loco Lucas, quod post eum scripsit Joannes, dicens : Judæi ergo quoniam Parasceve erat, Joann. XIX, 31-34. scilicet sexta feria proxima sabbato (singulariter celebri, scilicet tam ratione paschalis solennitatis, quam ratione septimæ diei, quæ jussa fuit in lege veteri celebrari), ut non remanerent in cruce corpora crucifixorum, videlicet Christi atque latronum, sabbato : erat enim magnus, id est valde solennis, dies ille sabbati; rogaverunt Pilatum ut frangerentur D a crucifixoribus eorum crura, et tollerentur, id est, corpora de cruce deponerentur, ne horrore sui diuturni supplicii, solennitatem illius diei fœdarent, incutiendo transeuntibus tædium ac pavorem. Huic preci consensit Pilatus. Subdit enim Joannes : Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, id est primi latronis ad dexteram Christi pendentis; vel, Primi, id est principalis latronis; vel, Primi, id est ejus qui venientibus eis primo fuit in via; et alterius latronis. Ad Jesum

Digitized by Google

autem, id est corpus ejus exanime, po-
nendo partem pro toto, quum venissent,
ut viderunt eum jam mortuum, non frege-
runt crura ejus, sed unus militum lancea
latus ejus aperuit. Miles iste, ut legitur,
vocabatur Longinus, et erat cæcutiens :
distillanteque aliqua parte sanguinis Chri-
sti super oculos ejus, cœpit clare videre ;
imo et intus illuminatus est, atque con-
versus ; et postea diu vixit, et tandem
martyrio coronatus, migravit ad Dominum.
Et continuo de latere Christi exivit san-
guis et aqua : vera utique aqua. Quod non
fuit naturale, sed miraculosum, et pro-
pter mysticas rationes peractum, videlicet
ad designandum inviolabilem puritatem
corporis Christi, et quod corpus ejus ve-
re compositum fuit ex elementis.

Matth. XXVII, 57. Deinde quum sero factum esset, secun-
dum Matthæum, contigit quod ait nunc
Lucas. *Et ecce,* quia notabile est quod di-
cetur, *vir* sexu, virtute, atque constantia
animi, *nomine Joseph,* imitator perfectio-
nis sancti illius Joseph eximii patriarchæ,
qui erat decurio, id est potens ac nobilis,
et etiam dives, secundum Matthæum. Erat-
que a civitate Judææ nomine Arimathea,
quæ alio nomine vocata est Ramatha, de
I Reg. I, 19, 20. qua (ut in libris Regum habetur) fuit Sa-
muel et ejus parentes. Dicitur autem decu-
rio, quia de ordine curiæ fuit, et officium
curiæ forsitan aliquod administrans. Fuit
enim consiliarius, secundum Hieronymum.
Interdum tamen et etiam proprie appel-
latur decurio, qui decem præest militi-
bus ; sicut centurio, qui centum. *Vir bo-
nus,* id est pius ac Deo devote intentus,
et justus ad proximos : quod ad curiæ
officiales præcipue pertinet, quamvis hæc
raro inveniantur in eis. Itaque Joseph iste
similis fuit Cornelio centurioni ac decu-
Act. X, 1, 2, 22. rioni, qui fuit vir religiosus ac bonus et
timoratus, ut dicitur in Actibus.

51 *Hic non consenserat consilio et actibus
eorum,* videlicet Judæorum qui inter se
consuluerunt quomodo Jesum occiderent,
ejusque mortem procuraverunt ; *qui ex-
spectabat et ipse* per spem formatam, quæ
est theologica virtus, *regnum Dei,* id est
felicitatem cœlestem. Fuit enim discipu- *Matth.* XXVII, 57.
lus Christi, secundum Matthæum ; occul-
tus tamen, secundum Joannem, propter *Joann.* XIX, 38.
metum Judæorum. Sed nunc timore illo-
rum postposito, *accessit ad Pilatum* au- 52
dacter, ut ait Marcus, *et petiit corpus Jesu,* *Marc.* XV, 43.
id est licentiam deponendi sepeliendique
illud. Nam et Joseph iste, visis tot mira-
bilibus, animatus fuit ad honorifice se-
peliendum corpus Christi. Pilatus autem,
ut ait Marcus, mirabatur si Jesus jam *Ibid.* 44, 45.
obiisset. Et quum cognovisset hoc a cen-
turione, donavit corpus Christi huic felici
Joseph, propter dignitatem et reverenti-
am ejus, et quia agnovit Jesum innocen-
tem fuisse ; itemque quia a centurione
forte audivit mirabilia illa esse facta, ad
innuendum quod Jesus esset injuste oc-
cisus, et Filius Dei.

Et depositum corpus Christi de cruce, 53
involvit Joseph *sindone,* scilicet munda
ac linea veste, *et posuit eum in monu-
mento exciso,* id est sepulcro lapideo in
petra magna exciso, *in quo nondum quis-
quam positus fuerat,* id est, nullus fuit
ibi ante sepultus. Si enim alius ibi fuis-
set ante sepultus, forte dixissent Judæi,
non Jesu, sed illius corpus esse ablatum
de monumento. Denique, secundum Joan-
nem ista plenius describentem, venit et *Joann.* XIX, 39-42.
Nicodemus ferens mixturam myrrhæ et
aloes quasi libras centum, id est unguen-
tum ex talibus speciebus confectum. Ac-
ceperunt ergo corpus Jesu Joseph et Ni-
codemus, et ligaverunt eum linteis, id
est, pannis lineis, scilicet linteamine at-
que sudario, ejus corpus involverunt, cum
aromatibus. Unde apparet, quod non ha-
buerunt claram perfectamque fidem de
Christi resurrectione cito futura, adhiben-
tes ei hanc unctionem contra putrefacti-
onem. Erat autem in loco ubi crucifixus
est Jesus, hortus, id est prope locum Cal-
variæ ; et in horto monumentum novum,
quod Joseph sibi ipsi fecit excidi, secun- *Matth.* XXVII, 60.
dum Matthæum ; et ibi posuerunt corpus
Christi cum reverentia grandi. Et advol-

Digitized by Google

vit saxum magnum Joseph cum adjutoribus suis ad ostium monumenti : quod, ut legitur, factum fuit ad modum domunculæ, in cujus medio fuit sepulcrum, et habuit ostium parvum ad ingrediendum.

54 *Et dies erat Parasceves,* id est sexta feria quam sabbatum sequebatur : in qua die crucifixus est Christus, et populus ejus salvatus. De qua die Dominus ait per
Zach. III, 9. Zachariam de Christo : Auferam peccata terræ illius in die una. Porro, parasceve interpretatur præparatio, quia in die illa præparabantur cibaria pro sabbato subsequente, in quo nec cibaria præparari licitum opinabantur Judæi. Hoc autem vocabulum traxerunt Judæi a Græcis qui inter eos conversabantur. Non enim Hebraicum, sed Græcum est nomen hoc. *Et sabbatum,* videlicet septima dies hebdomadæ, *illucescebat,* id est, lucere incipiebat, non quod sol tunc cœperit apparere, sed stellis in principio noctis sabbati apparere incipientibus. Judæi namque a vespera in vesperam solennia celebrabant: ideo sabbatum tunc illucescebat, quoniam prima sabbati illius vespera jam instabat.

55 *Subsecutæ autem mulieres, quæ cum ipso venerant de Galilæa,* de quibus jam dictum est, *viderunt monumentum,* id est, consideraverunt attente, proponentes cito reverti, monumentumque ingredi ad corpus Christi ungendum. Ideo subditur : *et quemadmodum positum erat corpus ejus,*
56 ut illud citius attingere possent. *Et revertentes* in Jerusalem cum benedicta virgine Maria, *paraverunt aromata et unguenta,* quibus post sabbatum corpus Christi condirent, quamvis Nicodemus hoc satis fecisset. Unde constat, quod nec feminæ istæ Christum die tertia resurrecturum putabant ; sed contra fœtorem aromata, contra corruptionem parabant unguenta, feria sexta usque ad solis occasum, scilicet quamdiu eis licuit operari. *Et sabbato quidem siluerunt,* id est, toto illo die sabbati præsolenni quieverunt a præparatione aromatum et unguenti usque ad vesperam, *secundum mandatum* legis, quæ jussit ut sabbati silentium, hoc est quies, a vespera usque ad vesperam servaretur. Sed facta vespera sabbati, in qua licuit ista pietatis opera exercere, quia secundum mulierum istarum æstimationem non sufficiebant pro corporis Christi unctione unguenta adhibita, rursus emerunt aromata ; et tota nocte illa, quæ inter sabbatum et dominicam fuit diem, paraverunt ea, maneque ea secum tulerunt ad monumentum, ut venientes ungerent Jesum. Marc. XVI, 1.

Porro, ut refert Matthæus, altera die quæ est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum, dicentes : Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens in corpore, Post tres dies resurgam, id est tertio die statim post ejus inchoationem. Jube ergo custodiri sepulcrum ejus usque in diem tertium inclusive, ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum, et dicant plebi, Surrexit a mortuis : et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus : Habetis custodiam, id est, milites qui monumentum custodiant, vobis prompte concedo. Ite, custodite, id est, per milites custodiri facite monumentum, sicut scitis esse expediens. Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem suo sigillo, cum custodibus, id est militibus ad sepulcri custodiam deputatis. Sed ut Salomon protestatur : Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Hinc quanto Judæi callidius cogitaverunt nomen et famam ac fidem Christi prorsus exstinguere, tanto plus eum glorificaverunt. Quod enim tam diligenter sepulcrum signaverunt et custodiri fecerunt, certissimum signum est, corpus Christi furto non esse sublatum, sed divina resuscitatum virtute, ut super Matthæum clarius demonstravi.

(Matth. XXVII, 62-66. — Prov. XXI, 30.)

Postremo, quæ Joseph et Nicodemus corpori Christi corporaliter exhibuerunt, nos Christo spiritualiter debemus impendere : et myrrha ac aloe istud condire, id est vitiorum mortificatione, ac bonæ conver-

Digitized by Google

sationis dulci odore, exemplarique fama venerari ac ungere; et in novo ponere monumento, id est in intimo cordis fundo virtutibus reformato ipsum sepelire, nostris eum cordibus imprimendo, per suæ divinitatis contemplationem humanitatisque suæ speculationem, atque per jugem suorum beneficiorum memoriam, per suæ bonitatis ardentem amorem, suæque vitæ ac passionis cruciformem imitationem. Debemus etiam eum involvere linteis, hoc est sinceritate conscientiæ, et animi puritate, cordisque vigilanti custodia, ut perseveret semper nobiscum, qui cum Patre et Spiritu Sancto est unus Deus, super omnia sublimis et benedictus. Amen.

ARTICULUS L

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : UNA AUTEM SABBATI VALDE DILUCULO VENERUNT AD MONUMENTUM.

POSTQUAM beatus et lucidissimus Lucas evangelista Christi incarnationem, atque in sæculo isto conversationem, prædicationem et operationem, ac passionem gloriose descripsit, nunc in ultimo isto capitulo ejus resurrectionem describit. In fine quoque capituli aliquid tangit de ipsius ascensione et Sancti Spiritus missione.

1 Itaque ait : *Una autem sabbati,* videlicet prima die post sabbatum, qui fuit
dies festivus Judæorum, id est die dominica, *valde diluculo,* utpote incipiente
aurora, quando adhuc apparuit aliquid
tenebrarum, *venerunt* ex Jerusalem *ad monumentum* Christi, mulieres, de quibus
in fine præcedentis capituli dictum est,
portantes quæ paraverant aromata. Dictum est namque in præcedentis capituli
Luc. xxiii, 55, 56. fine : Subsecutæ mulieres, quæ cum ipso
venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum fuit corpus ejus; et revertentes, paraverunt aro-
2 mata et unguenta. *Et invenerunt lapidem
revolutum a monumento.* Postquam enim
de clauso sepulcro Christus surrexit, sicut de clauso Virginis utero exiit, angelus
lapidem sepulcro superpositum mox removit, ut Dominum monstraret resurre-
Matth. xxviii, 2. xisse, sicut in Matthæo habetur : Angelus
Domini descendit de cœlo, et accedens,
revolvit lapidem, et sedebat super eum.
Et ingressæ monumenti speluncam, *non* 3
invenerunt corpus Domini Jesu. Jam enim
surrexit.

Et factum est, dum mente consternatæ 4
essent de isto, id est animo dejectæ ac
stupefactæ de dominici absentia corporis,
revolutioneque lapidis, de quo inter se dixerunt cum ingenti anxietate in via : Quis Marc. xvi, 3, 4.
revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat quippe magnus valde, ut in
Marco legitur. *Ecce duo viri steterunt
juxta illas in veste fulgenti,* id est, duo
angeli in specie virorum, sicut et juxta
Apostolos Christo ascendente in cœlum. Act. i, 10.
Verumtamen Matthæus et Marcus mentionem non faciunt nisi de angelo uno. Sed
major numerus minorem includit, et minor majorem non excludit. Matthæus quoque et Marcus loquuntur de angelo qui
lapidem revolvit, et ex parte amborum
mulieribus loquebatur. Si autem objiciatur, quod secundum Joannem, Maria Mag- Joann. xx, 12.
dalene vidit angelos duos sedentes, unum
ad caput, et unum ad pedes : respondet
Chrysostomus, quod primo sederunt, deinde feminis sanctis assurgebant.

Quum timerent autem et declinarent 5
vultum in terram. Mulieres istæ visis

angelis, valde pavebant : quia eorum ad- A
Matth. xxviii, 3. spectus erat ut fulgur, ut Matthæus refert
de uno, nec dubium quin idem sit intel-
ligendum de alio; et cœlesti claritate ful-
gebant. Et quia in specie juvenum ap-
paruerunt virorum, feminæ istæ devotæ
etiam erubuerunt, et facies suas depres-
serunt deorsum, quasi illos adspicere non
audentes. *Dixerunt* angeli *ad illas*. Con-
suetudo Scripturæ est, ut multitudo sive
societas facere aut loqui dicatur, quod fa-
cit aut loquitur pars ipsius seu unus ex
ea. Sic nunc angeli isti dixisse scribun- B
tur, quod unus dixit ex persona ambo-
rum. *Quid quæritis viventem cum mor-
tuis?* id est, cur Jesum Christum, secundum
suam deitatem æternaliter invariabiliter-
que viventem, atque secundum naturam
assumptam jam suscitatum, quæritis in
sepulcro quasi unum ex mortuis nondum
resuscitatis ? Verumtamen antequam an-
gelus verba hæc protulit, consolabatur mu-
Ibid. 5; Marc. xvi, 6. lieres, dicendo : Nolite expavescere, scio
enim quod Jesum quæritis. Et tunc inter
cetera dixit verba prætacta ac subsequen- C
6 tia. *Non est hic*, secundum corporalem
præsentiam, qui omnia implet per divi-
nitatis suæ incircumscriptibilem majesta-
tem, *sed surrexit* propria sua virtute di-
vina. *Recordamini qualiter*, id est quam
vere et evidenter ac frequenter, *locutus
est vobis, quum adhuc in Galilæa esset,*
7 *dicens : Quia oportet*, id est, opportunum
est et conveniens, et secundum divinam
præordinationem necesse. *Filium hominis
tradi in manus hominum peccatorum*, vi-
delicet Judæorum ac gentilium : qui Dei D
Filium male tractando et occidendo, fa-
cti sunt antonomastice peccatores, id est
sceleratissimi transgressores, utpote dei-
cidæ. Propter quod scelus machina mun-
di expavit, et vultus naturæ discoloratus
est, et ordo rerum confusus. *Et cruci-
figi*. Nam etsi alio modo redimi potuit
genus humanum, iste tamen convenien-
tissimus fuit. *Et tertia die resurgere*. Ex
quibus probatur, quod Christus non so-
lum discipulis, sed et feminis istis devotis

passionem et resurrectionem suam præ-
dixit.

Et recordatæ sunt mulieres istæ *verbo-* 8
rum ejus jam prætactorum, quæ ex ma-
gnitudine compassionis et doloris fuerunt
oblitæ. *Et regressæ a monumento, renun-* 9
tiaverunt hæc omnia, quæ eis acciderant,
et verba ista angelica, *illis undecim* Apo-
stolis, nam Judas jam periit, *et ceteris
omnibus* Christi discipulis, ad suam so-
cietatem pertinentibus. *Erat autem Maria* 10
Magdalene, quæ fuit familiarissima, fi-
delissima ac ferventissima Christi disci-
pula, *et Joanna* conjux Chusæ procuratoris
Herodis, quam Dominus Jesus sanavit, *et
Maria Jacobi* mater, et etiam Salome, ut Marc. xvi, 1.
in Marco legitur, *et ceteræ quæ cum eis
erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc*, et
item ad alios, sicut jam patuit; sed Apo-
stolos tanquam principaliores jam repetit.
Et visa sunt ante illos sicut deliramentum
verba ista, id est, phantastica, abusiva, et 11
femineæ levitatis ea reputabant, nequa-
quam credentes Jesum resurrexisse, nec
angelos feminis istis vere apparuisse, sed
eas esse illusas. Verumtamen beatissimus
Petrus non penitus putavit feminas deli-
rare, sed veritatem certius optavit cogno-
scere, sicut subjungitur.

Petrus autem surgens a sua pusillani- 12
mitate, formidine et torpore, corporaliter
quoque surgens, quia sedebat in terra mœ-
stissimus, *cucurrit ad monumentum*. Pro-
ut in Joanne legitur, non solum Petrus,
sed et Joannes cum eo currebat ad monu- Joann. xx, 3, 4.
mentum; sed Petrum tanquam seniorem,
ferventiorem et principaliorem exprimit
Lucas, cujus exemplo cucurrit et Joannes.
Verumtamen iste cursus fuit ex denunti-
atione solius Mariæ Magdalene, ut Joannes Ibid. 1, 2.
insinuare videtur : et ita evangelista Lu-
cas non videtur hic servare ordinem rei
gestæ. *Et procumbens*, id est, ad inspici-
endum se inclinans, *vidit linteamina sola
posita*. Linteamina namque, quibus cor-
pus Christi fuerat involutum, fuerunt posi-
ta sola, id est seorsum decenter composita
seu plicata, et a sudario separata. Suda-

Digitized by Google

rium quoque fuit decenter convolutum, et
seorsum locatum. Quod tamen fuit an-
gelico obsequio factum, ad declarandum
quod corpus Salvatoris non fuit ab ejus
discipulis furtive sublatum : quoniam to-
tis viribus festinassent hoc faciendo, timo-
re custodum præsentium; neque tamdiu
aut curiose se occupassent cum hujusmo-
di lineorum compositione pannorum, imo
eos simul cum corpore abstulissent. Ve-
rumtamen apud Joannem scribitur, quod
Joann. xx, 6. Petrus intravit locum sepulcri. Idcirco di-
cendum, quod primo ad inspiciendum se
inclinavit, ut recitavit Lucas; deinde ut
omnia diligentius consideraret, ingressus
est. *Et abiit, secum mirans quod factum
fuerat,* utpote quod Christus surrexit, ut
quidam exponunt, vel potius quod cor-
pus ejus sic deerat, et linteamina ita dis-
posita erant. Et tunc, ut creditur, Petrus
a Joanne divertit se, et anxie cogitavit de
istis, moxque Christus ei apparuit.

Deinde describitur apparitio Christi fa-
13 cta duobus discipulis. *Et ecce duo ex illis,*
non ex numero Apostolorum, sed septua-
ginta duorum discipulorum, ut dicitur,
ibant ipsa die dominicæ resurrectionis, *in
castellum quod erat in spatio stadiorum
sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.*
Sedecim stadia faciunt leucam : et ita
sexaginta stadia faciunt quatuor leucas,
quatuor stadiis deficientibus. Porro sta-
dium continet passus centum viginti quin-
que; passus vero est spatium quinque pe-
14 dum. *Et ipsi loquebantur ad invicem de
his omnibus quæ acciderant* circa Chri-
stum, et circa mulieres visitantes sepul-
crum. Itaque de utilibus conferebant. In
quo itinerantes sequi debent eosdem, et
vana vitare colloquia, atque sæpe oratio-
nibus meditationibusque vacare in ambu-
lando.

15 *Et factum est, dum fabularentur,* id
est, conferrent (sumendo verbum hoc, Fa-
bulari, prout derivatur a verbo, For, faris,
non a Fabula), *et secum quærerent,* id
est, invicem interrogarent, qualiter gesta
et narrata se possent habere; *et ipse Jesus
appropinquans,* id est, per modum itine-
rantis et peregrinantis eis se applicans,
ibat cum illis. Ipse etenim dixit : Ubi Matth.
fuerint duo vel tres congregati in nomine xviii, 20.
meo, ibi sum in medio eorum. Et quia
de Christi passione contulerunt, et ei pie
compatiebantur, apti fuerunt visitari et
consolari ab eo. Specialiter etenim com-
placet Salvatori compassio et collatio de
sua passione.

Oculi autem illorum tenebantur, ne eum 16
agnoscerent : quia, ut Marcus habet, in Marc. xvi,
alia effigie apparuit eis : et hoc, propter 12.
dubitationem et incredulitatem eorum.
Non tamen putandum quod faciei Christi
dispositio sit mutata : quia vere fuit glo-
rificatus, nec alia illa effigies fuit sub-
jective in facie Christi, ut probabilior te-
net opinio; quamvis aliqui dicant, quod
Christus ad horam mutavit vultus sui ef-
figiem, sicut in transfiguratione. Verisi- Luc. ix, 29.
milius ergo fertur, quod altera illa effigies
fuit subjective solum in oculis discipu-
lorum, vel, ut aliqui opinantur, in aere.
Potuit equidem Christus visum discipu-
lorum diversimode immutare, per solam
impressionem talium aut talium visualium
specierum seu radiorum. Hinc aliqui di-
cunt, quod erant percussi specie cæcitatis
quæ vocatur acrisia : quemadmodum Sy- IV Reg. vi,
ri videntes Eliseum, nec tamen eum re- 18; Gen. xix,
cognoscentes; et Sodomitæ quærentes do- 11.
mum Lot, nec invenientes. Est quippe
acrisia quædam cæcatio, qua aliquid con-
fuse et imperfecte videtur, nec tamen sub
propria specie apprehenditur. Unde se-
cundum Gregorium, Christus discipulis is-
tis ipsum amantibus et de ipso loquenti-
bus, exhibuit se præsentem, et tamen de
ipso dubitantibus suæ cognitionis abstulit
speciem.

Et ait ad illos : Qui sunt hi sermo- 17
*nes quos confertis ad invicem, ambulan-
tes, et estis tristes?* Non ex ignorantia hoc
quæsivit, sed ut ad eorum responsionem
eos congruenter instrueret. *Et respondens* 18
unus, cui nomen Cleophas, qui fuit de
septuaginta duobus discipulis; alter, se-

Digitized by Google

* Ammaon cundum Ambrosium, fuit Amaus *. Gregorius vero in prologo super Moralia Job dicit, quod creditur fuisse Lucas iste evangelista, ita quod ex humilitate suum subticuit nomen. *Dixit : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?* Hoc totum non assertive, sed interrogative protulit Cleophas, quasi diceret : Venisti tu solus in Jerusalem in hoc Pascha, ut ignores quæ in ea contigerunt uno horum dierum, hoc est, in die Parasceves, et etiam ante, quando in die Palmarum et postea multa prodigia fecit in Jerusalem Christus? Nam ita te habes nos interrogando, quasi solus peregrinus hic fueris, et idcirco ab aliis peregrinis nihil audieris : quum tamen certum sit, quod his diebus innumerabiles fuerint in Jerusalem peregrini, a quibus merito percepisses quæ in ea sunt facta, quoniam peregrini libenter inquirunt atque percipiunt nova.

19 *Quibus ille dixit : Quæ?* id est, quænam sunt illa quæ in Jerusalem his diebus sunt facta? *Et dixerunt : De Jesu Nazareno,* id est, Jesum Nazarenum facta ista concernunt, et de eo ac in eo facta sunt, *qui fuit vir* sexu et omni perfectione virtutum, *propheta* summus, omnium præscius futurorum : ita quod gratia prophetiæ fuit in eo per modum habitus fixe, imo semper in actu et æque perfecte; *potens in opere,* id est in omni actu virtuoso, perfecto, et in signis, prodigiis atque miraculis. Unde et dixit : Opera quæ dedit mihi Pater, testimonium perhibent de me; itemque, Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. *Et sermone :* quia in verbis sapientissimus ac eloquentissimus fuit, juxta illud : Diffusa est gratia in labiis tuis. Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus. Adversarii quoque ejus coacti sunt dicere : Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. Et recte nunc dicitur, quod fuit potens in opere et sermone, præmittendo, In opere : cœpit enim facere et docere, ita quod primo egit quod postmodum prædicavit. Sed jam multi sunt quasi potentes in sermone, debiles vero in opere : qui de humilitate, patientia, mansuetudine, temperantia, justitia, caritate, copiose sermocinantur, et tamen faciliter a propriis passionibus superantur, inquinamentis carnis et animæ viliter infeliciterque succumbunt. Itaque, Jesus fuit potens in opere et sermone, *coram Deo,* id est vere et infallibiliter, virtuose, et meritorie sibi ipsi quantum ad præmium accidentale, et aliis absolute, *et omni populo,* id est secundum omnium præsertim vulgarium reputationem : qui dixerunt, Nunquam apparuit sic in Israel; et, Propheta magnus surrexit in nobis. Porro, quidam sunt potentes in opere et sermone coram hominibus, sed non coram Deo, sicut hypocritæ.

(Joann. v, 36. — Ibid. xv, 24. — Ps. xliv, 3. — Luc. iv, 22. — Joann. vii, 46. — Act. i, 1. — Matth. ix, 33. — Luc. vii, 16.)

20 *Et quomodo,* id est quam injuste, *tradiderunt eum summi sacerdotes et principes nostri,* videlicet pontifices et seniores, *in damnationem mortis,* id est, morte dignum eum judicaverunt, dicentes : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Importune quoque impetraverunt a præside sententiam condemnationis ad mortem adversus Christum. *Et crucifixerunt eum,* quia ejus crucifixionem procuraverunt. (Joann. xix, 7.)

Nos autem sperabamus, ante passionem 21
ipsius, *quia ipse esset redempturus Israel,*
hoc est liberaturus Israeliticum populum,
tanquam verus Messias in lege et Prophetis promissus, ab originali et omni peccato, et captivitate diaboli, et servitute
peccati. Quasi dicerent : Hoc sperabamus,
sed modo non speramus. *Et nunc super
hæc omnia,* id est ultra ea quæ dixi, *tertia dies est hodie, quo*,* id est a die Para- * alias quod
sceves in quo *facta sunt ista,* quo scilicet
Jesus morti adjudicatus et crucifixus est.
Sed et mulieres quædam ex nostris, id 22
est ad societatem nostram spectantes, quia
nobiscum Dominum Jesum sequebantur
devote, *terruerunt nos : quæ ante lucem,*
id est valde diluculo, *fuerunt ad monu-
mentum, et non invento corpore ejus,* quia 23

jam resurrexit, *venerunt* ad Apostolos, *di-* A
centes se etiam visionem, id est visibilem
formam, *angelorum vidisse :* ita quod an-
gelos in assumptis corporibus corporali-
ter conspexerunt; *qui* angeli *dicunt eum*
vivere, id est Christum resurrexisse. Ita-
que discipuli verbis mulierum istarum
auditis, terrebantur, quia forsitan metue-
bant quod Judæi increduli imponerent eis
quod corpus sui abstulissent magistri, et
24 propterea eos persequerentur. *Et abierunt*
quidam ex nostris ad monumentum, ut-
Joann. xx, 3. pote Petrus et Joannes (ut dictum est), *et* B
ita invenerunt sicut mulieres dixerunt,
videlicet lapidem revolutum, et linteami-
na posita; *ipsum vero,* id est corpus Je-
su, *non invenerunt.*

25 *Et ipse dixit eis : O stulti,* id est Scri-
pturarum notitiam non habentes, et veræ
fidei luce carentes, *et tardi corde ad cre-*
dendum in omnibus verbis et vaticiniis,
quæ locuti sunt Prophetæ de mea passio-
ne et resurrectione : quum tamen habea-
tis sufficientia inductiva ad credendum
quod ego sum ille de quo illa prædixe- C
runt Prophetæ, nam verbis et sufficien-
tibus miraculis Christum me esse proba-
vi. Quæritur, cur Christus discipulos istos
Matth. v, 22. vocaverit stultos, quum alibi dicat, Qui
dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehen-
næ ignis. Et respondendum, quod peccata
verborum pensantur penes intentionem,
affectionemque cordium, quoniam ea quæ
sunt in voce, sunt earum quæ sunt in
anima passionum, affectionum intentio-
numque notæ. Christus ergo prohibuit di-
cere proximo, Fatue, ex contemptu, deri- D
sione, aut simili vitiosa radice, non autem
ex caritate et zelo justitiæ, rationabili cau-
sa id exigente.

26 *Nonne hæc oportuit pati Christum,* pro-
pter æterni Patris præordinationem, et
Prophetarum verificationem atque huma-
ni generis salvationem, sanctorum de lim-
bo eductionem, cœlestis patriæ apertio-
nem, cœlestis Jerusalem reædificationem,
et ita, puta per passionem, *intrare in*
gloriam suam, id est in cœlum ascende-
re, et corpore glorificari, gloriamque cœ-
lestem plenarie possidere? Christus quip-
pe sua humiliatione, passione et morte,
promeruit sibi ipsi præmium accidentale,
atque dominium omnis creaturæ, dicente
Apostolo : Humiliavit se, factus obediens Philipp. II, 8, 9.
usque ad mortem, propter quod et Deus
exaltavit illum. Et tamen hæc gloria de-
bebatur Christo etiam aliunde, videlicet
ratione hypostaticæ unionis cum Verbo,
et propter plenitudinem beatificæ visio-
nis, seu essentialis felicitatis animæ ejus :
quæ redundasset indesinenter in corpus
ipsius, et impassibile illud fecisset, nisi
Deo dispensante, redundantia illa fuisset
usque ad resurrectionem dilata, ut in epi-
stola ad Dioscorum loquitur Augustinus.
Et ita gloria illa fuit proprie gloria Chri-
sti. Sed et universa gloria curiæ cœlestis,
fuit et est gloria Christi, secundum quod
Deus est, tanquam domini ac datoris. Si
itaque Christum per passionem, et mul-
tiplicem tribulationem oportebat propri-
am gloriam ingredi, nos qui sumus, qui
absque tribulationibus et adversitatibus,
pœnitentialibusque operibus gloriam vo-
lumus ingredi alienam? Numquid servus Joann. XIII, 16.
major est domino suo, aut membrum ca-
pite suo præstantius, aut redemptus re-
demptore sublimior, aut fragilis creatura,
creatore suo Dei unico Filio? Merito ergo
dixit Apostolus : Quia per multas tribu- Act. XIV, 21.
lationes, oportet nos intrare in regnum
cœlorum; et item, Omnes qui volunt pie II Tim. III, 12.
vivere in Christo persecutionem patientur.

Et incipiens a Moyse et omnibus Pro- 27
phetis : id est, ex verbis Moysis sumpsit
exordium, quia primus et principalis fuit
inter eos qui libros ad vetus Testamentum
pertinentes scripserunt; deinde aliorum
Prophetarum allegavit oracula; *interpre-*
tabatur illis, id est, expositionem fecit
istis duobus discipulis, *in omnibus Scri-*
pturis quæ de ipso erant loquentes, id est,
prophetias de ipso prædictas eis declara-
vit et allegavit, vel in generali et multas
in speciali, vel omnes ad propositum per-
tinentes ac sufficientes.

Digitized by Google

28 *Et appropinquaverunt castello* Emmaus A
quo ibant. Et ipse se finxit longius ire.
Secundum Gregorium, Fingere, pro Com-
ponere sumitur in hoc loco, ut sit sensus,
quod Dominus Jesus composuit seu dispo-
suit se ad procedendum remotius. Potest
etiam dici, quod finxit, id est, simulavit
se longius ire : quia simulatio facti licita
est et commendabilis, quando fit ex rati-
onabili causa, et bono fine. Unde et Josue
Josue VIII, 15. cum filiis Israel simulavit fugam. Christus
autem sic simulavit multiplici ratione :
primo, mystice, ad innuendum quod ad- B
huc longe fuit ab illorum nondum cre-
dentium mente; secundo, ut per hoc daret
eis occasionem operis misericordiæ, vide-
licet invitandi et cogendi se ad hospi-
tium; tertio, ut per hoc ipsum doceret
nos ut et nos taliter faciamus.

29 *Et coegerunt,* hoc est, multum instan-
ter et quodammodo importune invitave-
runt, *illum, dicentes : Mane nobiscum,*
cœnam et hospitium nobiscum sumendo,
quoniam advesperascit, et, pro id est, *in-
clinata est jam dies,* sole ad occasum C
tendente. Sic et nos quotidie Christum
rogemus ac invitemus, ut in cordis nostri
cubiculo manere dignetur. Ipse etenim
Joann. XV, 5. apud Joannem loquitur : Qui manet in
me, et ego in eo, hic fert fructum mul-
tum. Atque ut in libro Sapientiæ legi-
Sap VII, 28. tur, Neminem diligit Deus, nisi qui cum
sapientia inhabitat. Denique spiritualiter
advesperascit, quoniam vita nostra ad oc-
casum quotidie tendit; et inclinata est
dies, quando tempus promerendi deficere
incipit. Specialiter quoque advesperascit D
in anima, dum propinquat ad culpam; et
inclinatur dies, quando elongatur a gra-
tia, hoc est, quando disponitur ad peccata.

Præterea, sicut prætactum est, ex hoc lo-
co atque exemplo elicitur, quam caritative,
instanter, imo et importune peregrini ac
pauperes ad mensam et hospitium sint
vocandi. Hoc namque est opus misericor-
diæ. Opera autem misericordiæ ad Chri-
stianos potissimum pertinent, quum lex
Christi sit lex totius caritatis et pietatis.
Magna quoque est virtus hospitalitatis :
de qua et in veteri Testamento Abraham *Gen.* XVIII,
et Lot specialiter commendantur. Unde et 1-8; XIX, 1-3.
sanctus Job : Foris (inquit) non mansit *Job* XXXI,
peregrinus, ostium meum viatori patuit. 32.
Et Christus in Evangelio perhibet se in
die judicii esse dicturum ad electos, Ho- *Matth.* XXV,
spes fui et collegistis me; ad reprobos 35, 43.
vero, Hospes fui et non collegistis me.
Hinc princeps Apostolorum hortatur : Ho- I *Petr.* IV, 9.
spitales invicem sine murmuratione. Et
Paulus : Hospitalitatem nolite oblivisci : *Hebr.* XIII,
per hanc enim placuerunt quidam Deo, 2.
angelis hospitio receptis.

Et intravit cum illis : in quo dedit
exemplum obtemperandi rationabili peti-
tioni, ne quis in proprio sensu sit perti-
nax. *Et factum est, dum recumberet,* id 30
est, quiesceret et manducaret, *cum illis,
accepit panem, et benedixit,* non tamen
in suum corpus convertit, sicut in cœna,
sed ut moris est benedicere cibum : in
quo instruxit nos, ut ante refectionem be-
nedicatur cibus et potus ; *ac fregit, et
porrigebat illis* panem jam fractum ad
manducandum. *Et aperti sunt oculi eo-* 31
rum : non quod corporales eorum oculi
hucusque fuerint clausi, sed quia nunc
aliter viderunt Christum quam ante. Nunc
enim cœperunt eum in propria et co-
gnoscibili ac determinata effigie cernere,
quem ante viderunt confuse. Sic oculi
primorum parentum dicuntur aperti post *Gen.* III, 7.
perpetrationem peccati, quantum ad ali-
um modum videre ; et in libris Regum
legitur Eliseus dixisse : Domine, aperi ocu- IV *Reg.* VI,
los istorum (puta Syrorum). Idcirco sub- 20.
jungitur : *et cognoverunt eum* in fractio-
ne panis, ut paulo post subditur. Habuit *vers.* 35.
enim Salvator consuetudinem sic accipi-
endi, benedicendi, frangendi, distribuen-
dique panem, ut ex Evangelio comproba-
tur : sicut dum turbas refecit ex quinque *Matth.* XIV,
panibus hordeaceis, et postmodum ex pa- 19; XV, 36.
nibus septem. Aliqui vero dicunt, quod
Christus manibus fregit panem, ac si cul-
tello fuisset divisus, et per hoc eum no-
verunt. Potest quoque intelligi de inte-

rioribus oculis, qui aperti sunt, id est illuminati, Christum cognoscendo. *Et ipse evanuit ex oculis eorum,* id est, repente et quasi imperceptibiliter ac velocissime per dotem agilitatis ab eorum adspectu disparuit : per quod monstravit se corpus glorificatum habere ; non autem evanuit tanquam phantasma.

32 *Et dixerunt ad invicem* duo isti discipuli : *Nonne cor nostrum,* præsertim voluntas, *ardens erat in nobis,* id est inflammatum desiderio veritatis, ac Christi, *dum loqueretur in via,* id est, quando Christus increpavit ac informavit nos, ambulando nobiscum, *et aperiret,* id est exponeret, *nobis Scripturas?* — Posset hic quæri, an discipuli isti in via fuerunt veræ caritatis fervore accensi. Et videtur quod imo : nam Glossa ait, quod cor eorum fuit igne Spiritus Sancti accensum et caritatis ardore. Sed videtur contrarium, quia non erant in fide, ergo nec in caritate. Ad hoc quidam respondent, quod non erant in caritate, nec veræ caritatis fervorem habebant, et quod ardor iste erat a Spiritu Sancto, sed non cum Spiritu Sancto, quemadmodum timor servilis. Et si objiciatur quia de istis duobus discipulis dicit Gregorius, quod esse extranei a caritate non poterant hi cum quibus Veritas gradiebatur : respondetur, quod hoc propterea dixit Gregorius, quia habebant aliquid simile caritati et ejus effectui. Porro si istud quis teneat, cogetur concedere quod et feminæ pergentes ungere corpus Jesu, erant extra caritatem atque in statu damnationis.

33 *Et surgentes eadem hora* a mensa, *regressi sunt in Jerusalem :* quia præ caritatis ardore quem nunc cum fide vere habebant, quiescere, et differre tam saluberrimum nuntium non valebant, nec senserunt viæ laborem ; dilectionisque ardor exstinxit in eis servilem Judæorum timorem. *Et invenerunt congregatos undecim* Apostolos in conclavi, *et eos qui cum ipsis erant,* videlicet alios quosdam Christi discipulos ex septuaginta duobus, aut feminas aliquas Christi discipulas. Itaque Thomas tunc aderat, et paulo post exiit, non credens auditis ; sicque defuit apparitioni quæ consequenter describitur, prout (Joann. xx, 24.)
in Joanne legitur. *Dicentes, quod surre-* 34
xit Dominus vere et apparuit Simoni. Participium istud, Dicentes, quidam referunt ad verbum, Invenerunt, ut sit nominativi casus : eritque sensus, quod duo isti discipuli invenientes undecim congregatos, dixerunt eis, quod Dominus vere surrexit et Petro apparuit. Aptius tamen videtur, ut dictio ista, Dicentes, referatur ad Undecim congregatos, sitque accusativi casus : ut sit sensus, quod duo discipuli invenerunt congregatos undecim inter se recitantes, et etiam istis duobus dicentes, quod Dominus vere surrexit. Et istud ex duobus probatur. Primo, quoniam isti duo discipuli nondum scivisse videntur quod Christus apparuerit Petro, sed Petrus hoc Apostolis retulit. Secundo, ex modo loquendi ipsius Evangelistæ in loco præsenti, quia post verba prædicta mox sub-
ditur : *Et ipsi narrabant quæ gesta erant* 35
in via. Ex quo apparet, quod participium illud, Dicentes, et pronomen hoc, Ipsi, referenda sint ad diversos : ita quod isti duo quum audissent verba Apostolorum, Christi resurrectionem et apparitionem Petro factam eis narrantium, tunc et ipsi narraverunt narrantibus sibi, quæ gesta erant in via, scilicet qualiter Christus se eis in via associavit, eosque interrogavit, increpavit, edocuit, *et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.*

Denique, secundum Glossam, inter viros, Dominus Jesus primo apparuit Petro : nam sicut inter feminas post Virginem gloriosam Maria Magdalene fuit Christo devotior, et in ejus amore ardentior, familiariorque eidem, sic inter viros Petrus ; item, quatenus tantam misericordiam exhibendo Simoni Petro, instrueret eum omnem misericordiam peccatoribus exhibere ; et rursus, ne Petrus abundantiori absorberetur tristitia, et ne ex trina negatione desperationem incurreret. Et fuit

Digitized by Google

revera ineffabilis pietas, quod illi discipulo primum ac specialiter se monstravit, A a quo inhonestius ac frequentius fuit negatus : et merito S. Petrus fuit postmodum aliis misericordissimus.

Deinde describitur adhuc alia apparitio
Joann. xx, 19-23. Salvatoris, quæ et a Joanne est descripta, ubi quædam habentur quæ hic omittuntur, sicut et hic aliqua describuntur quæ ibi non recitantur. Non enim omnes om-
36 nia conscripserunt. *Dum autem hæc loquerentur* Apostoli et duo præfati discipuli, *stetit Jesus in medio eorum,* hoc B est, repente januis clausis intravit, atque
Matth. xviii, 20. in medio stetit, sicut promisit : Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Stetit autem in medio ad litteram, ut ab omnibus melius videretur et audiretur, seque monstraret esse eumdem qui ante passionem in medio eorum consistere solitus erat ; spiritualiter vero, ut humilitatem commendaret, et virtutum magistrum se esse ostenderet : nam virtus consistit in me-
Luc. xxii, 27. dio ; et ipse ante passionem disseruit, Ego C in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Per hoc quoque ostendit dilectionem suam ad discipulos suos.

Et dixit eis : Pax vobis, hoc est, pacem pectoris, quæ est tranquillitas seu quies mentis in Deo, habete modo per gratiam, et pacem æternitatis habete nunc per spem, et aliquam prægustationem. Itaque, sicut Salvator ante passionem præcepit
Ibid. x, 5. discipulis, In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui ; sic ipsemet post resurrectionem visitando D eos, primum locutus est, Pax vobis. Quo constat quam magnum bonum sit pax vera, spiritualis et interna. *Ego sum* vere magister et Dominus vester, paulo ante crucifixus, et nunc vere resuscitatus : qui secundum deitatem sum æternaliter et perfecte, cujus esse est plenum, infinitum, simplicissimum, omniformiterque perfe-
Exod. iii, 14. ctum ; qui dixi ad Moysen : Ego sum qui sum. *Nolite timere* inordinato timore, quasi velim vos fallere aut nocere.

Conturbati vero præ admiratione, *et* 37
conterriti, sicut naturale est fragilitati humanæ defunctorum apparitionem horrere, et insolitas expavescere visiones, sed et propter periculum, *existimabant se spiritum videre,* videlicet animam Christi, aut alium spiritum forte fallacem in corpore assumpto. Sed mirum, quomodo hoc putabant, quum jam paulo ante dixissent, quod surrexit Dominus vere : quod audierunt a sanctis mulieribus, et a Petro, a duobus quoque discipulis, atque ut reor, a Jacobo Minore, cui ante hanc horam apparuit Christus. Et respondendum, quod ideo forsitan putabant spiritum se videre, non verum corpus, quoniam clausis introiit januis : quod adhuc impossibile forsitan æstimabant vero humanoque corpori. Verumtamen Petrus et duo prædicti discipuli, et Jacobus Minor, de resurrectione Christi non dubitabant, quamvis virtutem et dotes corporis glorificati nondum cognoscerent.

Et dixit eis : Quid turbati estis, hoc 38
est immoderanter inquietati, formidolosi et stupidi, *et cogitationes* erroneæ *ascendunt in corda vestra,* ex proprii intellectus imbecillitate, quia suspicamini spi-
ritum vos videre? *Videte manus meas et* 39
pedes, in quibus manent vulnerum cicatrices, ad insinuandum quod vere in proprio corpore resurrexi, *quia ego ipse sum,* qui fui mortuus, et nunc corporaliter vivo atque appareo ; *palpate,* ut certificemini etiam tactu, *et videte,* exteriori interiorique oculo, me veraciter surrexisse et apparere ; *quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere :* spiritus
enim in sua natura est simplex. *Et quum* 40
hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes, et cicatrices in eis : forsan etiam latus, ejusque cicatricem. Voluit autem cicatrices in suo corpore reservare : primo, ut tactum est, ad probandum veritatem suæ resurrectionis ; secundo, in signum victoriæ ; tertio, ut per hoc electos et Sanctos in patria in suo magis accendat amore ; quarto, ut eas Patri pro nobis præsentet ;

rioribus oculis, qui aperti sunt, id est illuminati, Christum cognoscendo. *Et ipse evanuit ex oculis eorum,* id est, repente et quasi imperceptibiliter ac velocissime per dotem agilitatis ab eorum adspectu disparuit : per quod monstravit se corpus glorificatum habere ; non autem evanuit tanquam phantasma.

32 *Et dixerunt ad invicem* duo isti discipuli : *Nonne cor nostrum,* præsertim voluntas, *ardens erat in nobis,* id est inflammatum desiderio veritatis, ac Christi, *dum loqueretur in via,* id est, quando Christus increpavit ac informavit nos, ambulando nobiscum, *et aperiret,* id est exponeret, *nobis Scripturas?* — Posset hic quæri, an discipuli isti in via fuerunt veræ caritatis fervore accensi. Et videtur quod imo : nam Glossa ait, quod cor eorum fuit igne Spiritus Sancti accensum et caritatis ardore. Sed videtur contrarium, quia non erant in fide, ergo nec in caritate. Ad hoc quidam respondent, quod non erant in caritate, nec veræ caritatis fervorem habebant, et quod ardor iste erat a Spiritu Sancto, sed non cum Spiritu Sancto, quemadmodum timor servilis. Et si objiciatur quia de istis duobus discipulis dicit Gregorius, quod esse extranei a caritate non poterant hi cum quibus Veritas gradiebatur : respondetur, quod hoc propterea dixit Gregorius, quia habebant aliquid simile caritati et ejus effectui. Porro si istud quis teneat, cogetur concedere quod et feminæ pergentes ungere corpus Jesu, erant extra caritatem atque in statu damnationis.

33 *Et surgentes eadem hora* a mensa, *regressi sunt in Jerusalem :* quia præ caritatis ardore quem nunc cum fide vere habebant, quiescere, et differre tam saluberrimum nuntium non valebant, nec senserunt viæ laborem ; dilectionisque ardor exstinxit in eis servilem Judæorum timorem. *Et invenerunt congregatos undecim* Apostolos in conclavi, *et eos qui cum ipsis erant,* videlicet alios quosdam Christi discipulos ex septuaginta duobus, aut feminas aliquas Christi discipulas. Itaque
Thomas tunc aderat, et paulo post exiit,
non credens auditis ; sicque defuit appari- Joan. xx, 24.
tioni quæ consequenter describitur, prout
in Joanne legitur. *Dicentes, quod surre-* 34
xit Dominus vere et apparuit Simoni.
Participium istud, Dicentes, quidam refe-
runt ad verbum, Invenerunt, ut sit nomi-
nativi casus : eritque sensus, quod duo
isti discipuli invenientes undecim con-
gregatos, dixerunt eis, quod Dominus vere
surrexit et Petro apparuit. Aptius tamen
videtur, ut dictio ista, Dicentes, referatur
ad Undecim congregatos, sitque accusativi
casus : ut sit sensus, quod duo discipuli
invenerunt congregatos undecim inter se
recitantes, et etiam istis duobus dicentes,
quod Dominus vere surrexit. Et istud ex
duobus probatur. Primo, quoniam isti duo
discipuli nondum scivisse videntur quod
Christus apparuerit Petro, sed Petrus hoc
Apostolis retulit. Secundo, ex modo lo-
quendi ipsius Evangelistæ in loco præ-
senti, quia post verba prædicta mox sub-
ditur : *Et ipsi narrabant quæ gesta erant* 35
in via. Ex quo apparet, quod participium
illud, Dicentes, et pronomen hoc, Ipsi,
referenda sint ad diversos : ita quod isti
duo quum audissent verba Apostolorum,
Christi resurrectionem et apparitionem Pe-
tro factam eis narrantium, tunc et ipsi
narraverunt narrantibus sibi, quæ gesta
erant in via, scilicet qualiter Christus se
eis in via associavit, eosque interrogavit,
increpavit, edocuit, *et quomodo cognove-*
runt eum in fractione panis.

Denique, secundum Glossam, inter viros, Dominus Jesus primo apparuit Petro : nam sicut inter feminas post Virginem gloriosam Maria Magdalene fuit Christo devotior, et in ejus amore ardentior, familiariorque eidem, sic inter viros Petrus ; item, quatenus tantam misericordiam exhibendo Simoni Petro, instrueret eum omnem misericordiam peccatoribus exhibere ; et rursus, ne Petrus abundantiori absorberetur tristitia, et ne ex trina negatione desperationem incurreret. Et fuit

revera ineffabilis pietas, quod illi disci- A
pulo primum ac specialiter se monstravit,
a quo inhonestius ac frequentius fuit ne-
gatus : et merito S. Petrus fuit postmo-
dum aliis misericordissimus.

Deinde describitur adhuc alia apparitio
Joann. xx, 19-23. Salvatoris, quæ et a Joanne est descripta,
ubi quædam habentur quæ hic omittun-
tur, sicut et hic aliqua describuntur quæ
ibi non recitantur. Non enim omnes om-
36 nia conscripserunt. *Dum autem hæc lo-
querentur* Apostoli et duo præfati disci-
puli, *stetit Jesus in medio eorum,* hoc B
est, repente januis clausis intravit, atque
Matth. xviii, 20. in medio stetit, sicut promisit : Ubi fu-
erint duo vel tres congregati in nomine
meo, ibi sum in medio eorum. Stetit au-
tem in medio ad litteram, ut ab omnibus
melius videretur et audiretur, seque mon-
straret esse eumdem qui ante passionem
in medio eorum consistere solitus erat ;
spiritualiter vero, ut humilitatem com-
mendaret, et virtutum magistrum se esse
ostenderet : nam virtus consistit in me-
Luc. xxii, 27. dio ; et ipse ante passionem disseruit, Ego C
in medio vestrum sum, sicut qui mini-
strat. Per hoc quoque ostendit dilectionem
suam ad discipulos suos.

Et dixit eis : Pax vobis, hoc est, pacem
pectoris, quæ est tranquillitas seu quies
mentis in Deo, habete modo per gratiam,
et pacem æternitatis habete nunc per
spem, et aliquam prægustationem. Itaque,
sicut Salvator ante passionem præcepit
Ibid. x, 5. discipulis, In quamcumque domum intra-
veritis, primum dicite, Pax huic domui ;
sic ipsemet post resurrectionem visitando D
eos, primum locutus est, Pax vobis. Quo
constat quam magnum bonum sit pax
vera, spiritualis et interna. *Ego sum* vere
magister et Dominus vester, paulo ante
crucifixus, et nunc vere resuscitatus : qui
secundum deitatem sum æternaliter et
perfecte, cujus esse est plenum, infinitum,
simplicissimum, omniformiterque perfe-
Exod. iii, 14. ctum ; qui dixi ad Moysen : Ego sum qui
sum. *Nolite timere* inordinato timore, qua-
si velim vos fallere aut nocere.

Conturbati vero præ admiratione, *et* 37
conterriti, sicut naturale est fragilitati hu-
manæ defunctorum apparitionem horrere,
et insolitas expavescere visiones, sed et
propter periculum, *existimabant se spiri-
tum videre,* videlicet animam Christi, aut
alium spiritum forte fallacem in corpore
assumpto. Sed mirum, quomodo hoc pu-
tabant, quum jam paulo ante dixissent,
quod surrexit Dominus vere : quod audi-
erunt a sanctis mulieribus, et a Petro, a
duobus quoque discipulis, atque ut reor,
a Jacobo Minore, cui ante hanc horam
apparuit Christus. Et respondendum, quod
ideo forsitan putabant spiritum se vide-
re, non verum corpus, quoniam clausis
introiit januis : quod adhuc impossibile
forsitan æstimabant vero humanoque cor-
pori. Verumtamen Petrus et duo prædicti
discipuli, et Jacobus Minor, de resurrecti-
one Christi non dubitabant, quamvis vir-
tutem et dotes corporis glorificati nondum
cognoscerent.

Et dixit eis : Quid turbati estis, hoc 38
est immoderanter inquietati, formidolosi
et stupidi, *et cogitationes* erroneæ *ascen-
dunt in corda vestra,* ex proprii intelle-
ctus imbecillitate, quia suspicamini spi-
ritum vos videre? *Videte manus meas et* 39
pedes, in quibus manent vulnerum cica-
trices, ad insinuandum quod vere in pro-
prio corpore resurrexi, *quia ego ipse sum,*
qui fui mortuus, et nunc corporaliter vivo
atque appareo ; *palpate,* ut certificemini
etiam tactu, *et videte,* exteriori interiori-
que oculo, me veraciter surrexisse et ap-
parere ; *quia spiritus carnem et ossa non
habet, sicut me videtis habere :* spiritus
enim in sua natura est simplex. *Et quum* 40
hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes,
et cicatrices in eis : forsan etiam latus,
ejusque cicatricem. Voluit autem cicatri-
ces in suo corpore reservare : primo, ut
tactum est, ad probandum veritatem suæ
resurrectionis ; secundo, in signum victo-
riæ ; tertio, ut per hoc electos et Sanctos
in patria in suo magis accendat amore ;
quarto, ut eas Patri pro nobis præsentet ;

Digitized by Google

quinto, ad majorem impiorum et ingra-
torum confusionem.
41 *Adhuc autem illis non credentibus,* quod
verum conspicerent corpus Christi, ob
causam prætactam; nec omnes erant æque
increduli, imo quidam omnino credebant,
et quidam nondum complete : ideo sub-
ditur, *et mirantibus præ gaudio,* quia ut
Joann. xx, 20. apud Joannem legitur, Gavisi sunt disci-
puli viso Domino. Ergo aliquo modo cre-
debant; sed mirabantur de tam nova et
insperata consolatione et apparitione, de
qua vehementer gaudebant ; atque præ
gaudio mirabantur, quod et qualiter tam
bene et optime eis contigerit, qui paulo
ante tam desolatissimi erant : quia ut as-
serit Augustinus, quæ multum læta sunt,
vix creduntur. Occulte enim metuit ani-
mus, ne forsan contingat oppositum, et
tunc duplex mœror nascatur. Sic Jacob
Gen. xlv, 26. patriarcha audito a filiis, Joseph vivit,
quasi de gravi somno evigilans, non ta-
men credebat eis. *Dixit,* non ex ignoran-
tia quærens, sed solitum loquendi modum
observans, ut magis agnosceretur : *Ha-
betis hic aliquid quod manducetur?* qua-
tenus non tantum per visum, tactum, au-
ditum, sed etiam per gustum meam vobis
42 resurrectionem demonstrem. *At illi obtu-
lerunt ei partem piscis assi,* cujus forsitan
partem jam comederunt, *et favum mellis.*
43 *Et quum manducasset coram illis, su-
mens reliquias dedit eis,* ut secum come-
derent. Nec dubium quin et potavit cum
eis, secundum quod princeps Apostolo-
Act. x, 41. rum dixit : Manducavimus et bibimus cum
illo, postquam resurrexit. Porro, Christus
comedit, non tamen aliquid convertebatur
in corpus ipsius; sed potestative cibum et
potum consumpsit, quemadmodum aquam
consumit radius solis calens.
44 *Et dixit ad eos : Hæc sunt verba quæ
locutus sum ad vos*,* hoc est, isti effectus, *[quum adhuc essem vobiscum]
videlicet apparitiones et meæ resurrecti-
onis probationes, sunt res significatæ per
verba quæ vobis prædixi, quando adhuc
inter vos ante meam passionem passibilis
conversabar, a quibus nunc carnis im-
A mortalitate et plenæ beatitudinis statu di-
sto. Itaque, Verbum, hic sumitur pro re
verbo significata, sicut in libris Regum
loquitur Ezechias : Non fuit verbum in IV Reg. xx, 13, 15; Is. xxxix, 2, 4.
domo mea, et in omni potestate mea, quod
non ostenderim eis, videlicet nuntiis regis
Babylonis. *Quoniam necesse est impleri
omnia quæ scripta sunt in lege Moysis, et
Prophetis, et Psalmis de me.* Eodem mo-
do necesse fuit illa impleri, quo necesse
fuit Christum pati : quod qualiter opor-
tebat, jam dictum est. Itaque necesse fuit
B illa impleri, necessitate conditionata, non
absoluta, hoc est necessitate consequen-
tiæ, non consequentis, seu in sensu com-
posito, non in sensu diviso; non necessitate
coactionis liberi arbitrii, sed præordina-
tionis divini decreti. Porro in lege Moysis
multa de Christo conscripta sunt : ut quod
Deus dixit ad Abraham, Isaac, et Jacob, In Gen. xv. 18; xxvi, 4; xxviii, 14.
semine tuo benedicentur omnes familiæ
terræ; et, Prophetam suscitabit vobis Do- Deut. xviii, 15.
minus, etc. Insuper, quamvis Psalmista
fuit propheta, tamen liber Psalmorum pro-
C prie inter Hagiographa computatur : et ita
nunc Psalmi a Scriptura Prophetarum di-
stinguuntur.
Tunc aperuit illis sensum, id est, in- 45
tellectum eorum illuminavit, *ut intellige-
rent Scripturas.* Verumtamen non tam
perfecte eos jam illustravit, sicut in die
Pentecostes, quando limpidissimam Scri-
pturarum intelligentiam eis infudit; nunc
tamen eos aliqualiter illuminavit, quia ut
habet Joannes, insufflavit in eos, et dixit : Joann. xx, 22.
Accipite Spiritum Sanctum.
D *Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est,* 46
hoc est de mea passione et resurrectione
prophetatum in Daniele, Osee, in Psalmis,
aliisque Prophetis. Scriptum est enim :
Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Dan. ix, 26.
Christus. Et Osee ait : Vivificabit nos post Osee vi, 3.
duos dies, in die tertia suscitabit nos.
Sophonias quoque : Exspecta me, dicit Soph. iii, 8.
Dominus, in die resurrectionis meæ in fu-
turum. Atque in Psalmo : Tu autem, Do- Ps. xl, 11.
mine, miserere mei, et resuscita me; et
retribuam eis. *Et sic oportuit* Christum* *oportebat

pati pro mundi salute, quia ille fuit con- A
venientior modus humanæ redemptionis,
et Deus ita præordinavit, *et resurgere a*
mortuis tertia die, quia non decuit Christi
resurrectionem ultra tertium diem differ-
47 ri, *et prædicari in nomine ejus pœniten-*
tiam et remissionem peccatorum in omnes
gentes, hoc est, universis mundi homini-
bus, Judæis atque gentilibus, evangelizari
ut in fide Christi pœnitentiam agant, at-
que per gratiam ejus confidant se remissi-
onem peccatorum suorum posse suscipere,
virtute et merito passionis ipsius, per B
sacramenta ejus, primo in Baptismo, de-
inde in sacramento Pœnitentiæ, quæ est
secunda post naufragium tabula. Hinc in
Act. XIII, 38. Actibus Paulus ait Judæis : Per Jesum vo-
bis remissio peccatorum annuntiatur, ab
omnibus a quibus non potuistis in lege
Moysis justificari. Et rursus loquens gen-
Ibid. XVII, 30, 31. tilibus : Tempora (inquit) prioris igno-
rantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat
hominibus ut omnes ubique pœnitentiam
agant, eo quod statuit diem in quo ju-
dicaturus est orbem in æquitate, in viro C
quem statuit, fidem præbens omnibus, re-
suscitans illum a mortuis. Et iterum loqui-
Ibid. III, 26. tur Petrus : Primum Deus suscitans Filium
suum, misit eum ut convertat se unus-
Ibid. IV, 12. quisque a nequitia sua ; itemque, Non est
nomen aliud sub cœlo datum hominibus,
in quo oporteat nos salvos fieri.

De hac omnium gentium conversione ad
Christum, et diffusione Ecclesiæ catholicæ
per totum orbem terrarum, copiosissime
et apertissime prædixerunt Prophetæ. Scri-
Ps. XXI, 28. ptum est namque in Psalmis : Remini- D
scentur et convertentur ad Dominum uni-
versi fines terræ, et adorabunt in conspectu
ejus universæ familiæ gentium ; itemque,
Ps. LXXI, 17. Benedicentur in ipso tribus terræ, omnes
gentes magnificabunt eum. Unde et per
Is. XLIX, 5, 6. Isaiam loquitur Christus : Glorificatus sum
in oculis Domini. Et dixit : Parum est
ut sis mihi servus ad suscitandas tribus
Jacob, et fæces Israel convertendas ; dedi
te in lucem gentium, ut sis salus mea
usque ad extremum terræ. Sed et in Da-
niele legitur : Omnes populi, tribus et *Dan.* VII, 14.
linguæ servient ei. Quod totum impletum
est : quia etsi nunc magna et latissima
regna ad stolidissimam spurcissimi Ma-
hometi legem aliasque perfidias sint col-
lapsa, longo tamen tempore in eis viguit
religio christiana. Nihilo minus ante fi-
nem sæculi prædicta plenius implebuntur.

Porro prædicatio ista facta est ab Aposto-
lis Christi, *incipientibus* eam *a Jerosoly-*
ma : quia post Christi ascensionem et Spi-
ritus Sancti missionem, cœperunt Apostoli
in Jerusalem prædicare, prout per Isaiam
fuit prædictum : De Sion exibit lex, et *Is.* II, 3.
verbum Domini de Jerusalem ; atque in
Psalmo, Virgam virtutis tuæ emittet Do- *Ps.* CIX, 2.
minus ex Sion. Jerusalem namque fuit
metropolis Judæorum, quibus Christus fuit *Matth.* XV, 24.
specialiter missus, de quorum et semine *Rom.* I, 3.
fuit natus ; multisque donis fuit populus
ille a Deo ornatus. Ideo decuit eis primo
evangelizari, prout loquitur eis Paulus :
Vobis oportebat primum loqui verbum *Act.* XIII, 46.
Dei. Jerusalem quoque fuit civitas san-
cta, in qua fuit templum Dei, et viguit
cultus ejus, floruitque sæpe studium legis
ac Prophetarum, quam et Christus passi-
oni suæ præelegit. Idcirco decuit evange-
licam prædicationem post Christi passio-
nem inchoari ibidem, ut et Judæi increduli
inexcusabiles redderentur. In quo etiam di-
vinæ pietatis declaratur immensitas, quod
illis voluit primo viam prædicari salutis,
qui mortem procuraverunt Salvatoris, et
Dei Filium occiderunt.

Vos autem testes estis horum, videlicet 48
resurrectionis meæ et aliorum mysterio-
rum meorum, qui et ante passionem me-
am mecum estis conversati, et de mea
resurrectione estis multipliciter certifica-
ti. *Et ego mittam promissum Patris mei* 49
in vos, id est, Spiritum Sanctum a Patre
procedentem, quem et Pater per Prophe-
tas et me promisit se vobis daturum, mit-
tam et infundam cordibus vestris : sicut
in die Pentecostes scimus peractum. Istud *Ibid.* II, 1-4.
enim Christus in sermone post Cœnam
frequenter promisit, juxta illud Joannis :

Digitized by Google

Joann. xv, 26, 27. Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me; et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Certumque est quod Christo nequaquam competeret auctoritas mittendi dandique Spiritum Sanctum, nisi ab ipso procederet Spiritus Sanctus, et verus consisteret Deus.

Vos autem sedete in civitate Jerusalem, in loco quo loquor hæc vobis, ubi vobiscum ultimam feci Cœnam, *quoadusque induamini virtute ex alto,* id est usque ad horam qua accipietis Spiritum Sanctum, qui corda vestra induet omnem perfectionem gratiæ ac virtutum, ex throno cœlesti ac decreto Patris æterni, sicque efficiet vos idoneos ad prædicandum ac testificandum de me, dando vobis sapientiam, constantiam et fervorem, omnium linguarum notitiam, totius Scripturæ peritiam, ardentissimam caritatem, insuperabile robur fortitudinis spiritualis. Hinc in Actibus
Act. I, 8. legitur Christus dixisse discipulis : Accipietis virtutem Spiritus Sancti supervenientis in vos, et eritis mihi testes in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Verumtamen non est intelligendum, quod Christus præcepit discipulis continue in civitate sedere, quia post verba hæc interdum exierunt pro rationabilibus
Joann. XXI, 3. causis, scilicet ad piscandum; sed intentio Christi fuit, ut non longe discederent, nec diu abessent, sed frequenter seu opportunis horis ibi manerent, præsertim post ascensionem, et per orationes, jejunia ac alia devotionis exercitia, se ad Spiritus Sancti pararent susceptionem ple-
Act. I, 4. nariam. Hinc scribitur in Actibus : Convescens præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum. Unde nunc subditur :

50 *Eduxit autem eos foras in Bethaniam.* In die quippe ascensionis bis eis apparuit: primo, in Jerusalem; et tunc eis præcepit ut irent in montem Oliveti, qui est prope Bethaniam, in quo rursus eis apparuit : propterea dicitur eos eduxisse in Bethaniam, quamvis corporaliter cum eis non ierit, et quia mons Olivarum prope Bethaniam est. Sicque duxit eos in Bethaniam, id est in viam Bethaniam versus, usque ad montem prædictum. *Et elevatis manibus suis, benedixit eis :* forsitan signum crucis super eos formando, et verba benedictionis aliqua proferendo, ut et ipsi sic facerent aliis : nam et prælati a suis subditis recedendo, sic facere debent. Imo quum activa benedictio Dei, sit collatio munerum gratiæ ejus, et multiplicatio eorumdem, Christus secundum quod homo, manus levando benedictionisque verba loquendo, secundum quod Deus incrementa gratiæ ac virtutum cordibus
infudit eorum. *Et factum est, dum bene-* 51
diceret illis, recessit ab eis, id est, elevari cœpit corporaliter in aere, *et ferebatur,* id est, propria virtute ascendit, *in cœlum :* quod divina virtute principaliter fecit, et item per dotem agilitatis. Unde in Actibus
habetur : Quum hæc dixisset, videntibus Act. I, 9.
illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Et ipsi adorantes Christum ut verum 52
Deum, sicut et Thomas evidentia veritatis
convictus, dixit : Dominus meus, et Deus Joann. XX, 28.
meus; *regressi sunt in Jerusalem,* in cœnaculum, quod fuerat prope templum, *cum gaudio magno,* tam de Christi sui prædilecti magistri atque dulcissimi Domini gloriosa ascensione, felicitate et gloria, quam de beneficiis Dei eis datis ac dandis, ac totius mundi conversione ad Christum instante. Nam et duo angeli Christo ascendente apparuerunt eis, dicentes :
Viri Galilæi, quid statis adspicientes in Act. I, 11.
cœlum? etc.

Et erant semper in templo, id est omni 53
tempore opportuno, præsertim post susceptionem Spiritus Sancti : quia usque ad illud tempus magis latebant in domo, quam se manifestabant in templo, utpote nondum plene desuper confortati; *laudantes et benedicentes Deum,* eum de suis beneficiis ac promissis laudando, et propter

Digitized by Google

propriam ac immensam bonitatem, perfectionem et beatitudinem ejus, eum jugiter benedicendo, sicut ait Propheta : Benedicam Dominum in omni tempore. Hinc legitur in Actibus : Quotidie erant perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exsultatione, laudantes Deum. Et denuo : Omni die non cessabant, in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Jesum. Quæ omnia post Spiritus Sancti in signo visibili susceptionem Lucas recitat contigisse. Verumtamen Theophilus dicit, eos etiam inter Ascensionem et Pentecosten cum aliis templum intrasse causa orationis et laudis divinæ, quia ex ascensione Salvatoris erant aliqualiter roborati, atque a pristina formidine sublevati. Tamen quod primo dictum est, verius æstimatur, et his quæ in Actibus scribuntur Apostolorum, magis concordans.

Ps. XXXIII, 2. *Act.* II, 46, 47. *Ibid.* V, 42.

Postremo, qualiter præmemorata dominicæ resurrectionis argumenta, Christi resurrectionem sufficienter probant, Thomas in tertia parte Summæ suæ magistraliter docet.

Discamus ergo et nos cum sanctis Apostolis in templo semper unanimiterque manere, per orationes, jejunia et alia exercitia virtuosa, ad quotidianum gratiæ ac virtutum augmentum nos præparare, Omnipotentem jugiter benedicere ac laudare, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SECUNDUM JOANNEM

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

EGO *sicut aquæductus exivi de paradiso, et fluvius meus appropinquavit ad mare, quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus.* Eccli. XXIV, 41, 43, 44.

Increata atque fontana Sapientia Dei, unigenitus Filius Patris æterni, Dominus noster Jesus Christus, ex quo humanam naturam supernaturaliter induit, suppositaliterque assumpsit, homines mirabiliter sublimavit, atque ineffabiliter deificavit, supernaturalibus donis ac gratiis humanæ fragilitatis conditionem prorsus transcendentibus, suos adimplendo electos.

Inter quos gloriosi Apostoli sortiuntur primatum, quoniam primitias Spiritus receperunt. Hos tantis virtute, potestate et gratia decoravit Deus sublimis et benedictus, ut sanctitate, sapientia atque miraculis, universos præcedere comprobentur. Ipsis quippe etiam ordo rerum, naturalisque cursus mundi et lex naturæ creatæ, inenarrabiliter exstiterunt subjecti, in tantum ut ea quæ magni ac ingeniosi philosophi æstimabant nec divina virtute neque angelica potestate fieri posse, ipsi uberrime agnoscantur fecisse, mortuos suscitando, cæcos et claudos a nativitate repente curando, dæmonibus imperando, venena sine læsione bibendo, in igne nullum supplicium sustinendo, arcana cordium, futura quoque pure contingentia certitudinaliter cognoscendo, beatorum angelorum frequentes apparitiones, allocutiones et administrationes habendo, imo ad libitum obtinendo. Denique, quum usque ad Christi passionem, rudes et formidolosi exstiterint, subito omni scientia Scripturarum, omni facultate linguarum, itemque insuperabili animi fortitudine, copiosissime sunt repleti. Verum, si ita non est, si hæc atque similia non fecerunt ac passi sunt, quomodo ipsi tam pauci, impotentes, illitterati, ignobiles, totum pene mundum tam cito ad incomprehensibilem fidem, ad arduissimam legem convertere, quomodo idololatriam exstirpare, et dæmonum cultum destruere potuerunt, quos scimus omnem magicam artem atque cum dæmonibus conventionem, sub æternæ damnationis comminatione prohibuisse, et ad unius summi Dei sincerissimam dilectionem et claram notitiam, universa documenta sua et opera ordinasse?

Rom. VIII, 23.

Hos ergo electissimos homines Filius Dei in terris ambulans, cum hominibus quoque conversans, vocavit, collegit, instruxit. Inter quos unum in familiarissimum puerum, in prædilectum discipulum, in sapientissimum Evangelistam elegit, cui tanquam carissimo filio, tanquam castissimo atque pulcherrimo adolescenti, pio dulcique ju veni, ampliora intimæ dilectionis demonstravit indicia. Hic est sanctus Apostolus, felix Evangelista, sacer Joannes, cujus in hoc opere elucidandum utcumque est evangelium, prout Spiritus veritatis præstare dignabitur.

Baruch III, 38.

Digitized by Google

Hic igitur tanquam aquæductus exivit a paradiso, tanquam præcipuus inter eos
Joann. I, 13. qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Egressus est quoque a paradiso, id est a Christi collegio, a primitiva Ecclesia plena deliciis Spiritus Sancti. Præterea exivit ut aquæductus, quia per ipsum fluxerunt, fusi ac desuper propinati sunt nobis rivi,
Eccli. XV, 3. seu aquæ sapientiæ salutaris, fluenta doctrinæ cœlestis, de quibus illustrissimus Isaias
Is. XII, 3. prædixit : Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Fluvius autem hujus aquæductus, fistulæ, seu organi Spiritus Sancti, est doctrina in evangelio S. Joannis contenta, quæ instar abundantissimi fluminis, cunctorum fidelium animas rigat, ab ignorantiæ siccitate, a vitiorum sterilitate, ab ardore libidinis eripit, radios sapientiæ influendo, rorem gratiæ imprimendo, cœlestium contemplationum gustum dulcissimum (quo omnis caro desipit) exhibendo.

Porro hic fluvius, propter exundantiam ac redundantiam suam, propinquavit ad
Eccli. I, 5. mare, id est ad abyssum sapientiæ, ad eum de quo ait Scriptura : Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Quemadmodum enim omnia flumina egrediuntur a mari Oceano, secundum quosdam, et revertuntur in ipsum ; sic omnis sapientia fluit a Deo, et redit ac terminatur in eum. Idcirco Deus comparatur mari immenso. Sapientia ergo Joannis sanctissimi, quam nobis descripsit ac reliquit, huic mari propinquat : Primo, quoniam reducit mentes nostras ad Deum, totius sapientiæ splendidissimum fontem. Secundo, quia ob exuberantissimam plenitudinem suam, divinæ et increatæ sapientiæ assimilatur, præsertim quum sit supernaturalis, æternæ lucis veritati innitens, et tanquam expressio atque impressio increatæ scientiæ Dei ; quemadmodum imago apparens ac resultans in speculo, derivatur a vultu inspicientis. Tertio, quia Joannes præ cunctis sanctæ theologiæ scriptoribus, Apostolis, Evangelistis et Prophetis, plenius, clarius atque profundius loquitur de divinis, in tantum ut de ipso dei-
Ibid. XXIV, 35-37. formi evangelista Joanne verificetur illud in Ecclesiastico : Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum ; qui adimplet quasi Euphrates sensum, et mittit disciplinam ut lucem, adsistens quasi Gehon in die vindemiæ. Doctrina ergo Joannis propinquat mari seu divinæ sapientiæ pelago, tanquam materiæ et objecto circa quod eminenter versatur, ac singulariter tractat.

Propterea quoque doctrinam quasi antelucanum sive auroram illuminat omnibus, id est, docendo præbet universis fidelibus. Quemadmodum enim lux auroræ tenebras noctis propellit, atque ad meridianum jubar disponit ; sic doctrina Joannis ignorantiæ et peccati abstergit caliginem per luminis gratiæ infusionem, sicque ad claram ac beatificam Dei visionem seu meridianum gloriæ lumen, adducit per evangelicorum
II *Cor.* V, 7. documentorum custodiam. Et quoniam nunc per fidem ambulamus, non per speciem,
I *Cor.* XIII, 12. cognoscentes per speculum in ænigmate, non facie ad faciem, ideo omnis illuminatio seu instructio vitæ præsentis, potius comparatur auroræ quam luci meridianæ.

Digitized by Google

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SECUNDUM JOANNEM

ARTICULUS PRIMUS

DE DIGNITATE ET EXCELLENTIA SACRATISSIMI EVANGELISTÆ S. JOANNIS, ET QUOD LIBER EVANGELII JOANNIS UNIVERSOS SCRIPTURÆ CANONICÆ LIBROS EXCEDIT.

HIC est discipulus in tantum inter discipulos reliquos prædilectus a Christo, ut hac circumlocutione, Discipulus quem diligebat Jesus, significetur in præsenti evangelio, quasi ipsum solum amasset. (*Joann.* XIII, 23; XIX, 26; XXI, 7, 20.) Ipse exstitit unus trium Apostolorum qui suscitationi puellæ, transfigurationi dominicæ, ac trinæ orationi Christi tempore passionis interfuerunt. (*Marc.* V, 37. *Matth.* XVII, 1. *Ibid.* XXVI, 37.) Denique ipse solus in Cœna supra pectus Jesu recubuit seu quievit, reclinans se in sinu Jesu. (*Joann.* XIII, 23. 25.) Tuncque, secundum Augustinum et Bedam, ex fonte dominici pectoris bibit quod postea in evangelio propinavit. Quod non est intelligendum quasi in hora illa impletus sit spiritu sapientiæ, et illustratus a Christo evangelica veritate, præsertim quum ipso testante, dum post resurrectionem Maria Magdalene sibi retulisset Dominum a monumento sublatum, ipse sic esse crediderit : nondum enim sciebat (ut ipsemet ait) Scripturas. (*Ibid.* XX, 2. *Ibid.* 8, 9.) Quomodo ergo tunc bibit, nisi quod ille recubitus fuit signum ac dispositio, causa quoque meritoria, in quantum ex magna dilectione processit, futuræ illuminationis Spiritus Sancti? Hunc Christus a nuptiis ubi aquam in vinum convertit, vocavit, ut recitat Beda; eique tempore passionis Matrem suam virgineam ac superdignissimam commendavit. (*Ibid.* II, 8, 9. *Joann.* XIX, 27.)

Hic sanctus Apostolus in fervonti oleo positus, exivit illæsus, quatuor mortuos suscitavit, totiusque Asiæ rexit ac fundavit Ecclesias. Ipse est præclarissimum jubar Ecclesiæ, non dumtaxat evangelii, sed trium quoque epistolarum et Apocalypsis radiosus descriptor. Præterea, quantus fuerit in corde divini ac magni Dionysii, innotescit in ea quam Joanni misit epistola, ubi inter cetera loquitur : Ave, vere dilectissime, vere amabilium et desiderabilium ac dilectorum valde dilectissime.

Denique, quamvis tota Scriptura canonica tractet de Deo tanquam de objecto, specialiter quoque Prophetæ, Apostoli et Evangelistæ loquantur de Christo ut promisso vel misso; nihilo minus evangelicum volumen S. Joannis universis Scripturæ codicibus rite præfertur, quoniam de Divinitate ac Trinitate, de divinæ essentiæ unitate, de Personarum distinctione, de æterna atque divina Christi generatione et Sancti Spiritus processione, de duplici Christi natura, multiplici actione et una persona, plenius, clarius atque pro-

Digitized by Google

fundius scribit. Ea quoque supplevit quæ alii Evangelistæ omiserunt, videlicet signa, documenta et opera facta a Christo ante incarcerationem Joannis Baptistæ. Insuper, de doctrina et sermonibus Salvatoris Joannes valde sublimius scribit, quam ceteri Evangelistæ : propter quod designatur in prophetica quatuor animalium visione Ezechieli ostensa, per aquilam, quæ altius volat, solareque lumen clarius inspicit. (*Ezech.* I, 5 *et seq.*)

Scripsit autem Evangelium post alios Evangelistas. Quum enim demoraretur in exsilio Patmos, insurrexerunt in Asia et in Epheso hæretici, asserentes Christum esse hominem purum, nec tempore præcessisse Mariam. Quum ergo reversus esset Joannes a Patmos ad Ephesum, prout Areopagita Dionysius ei prophetavit, rogatus est ab episcopis Asiæ, ut de Christi (*Apoc.* I, 9.) A divinitate, de qua alii Evangelistæ pauca scripserunt, plenius scriberet, imo Evangelium Christi plenissime conscribendo elucidaret, quo tam præsentes quam futuros damnaret errores, omniumque credentium instrueret animas. Quod Spiritu Sancto invocato, et communi jejunio ac prece præmissis, effecit. Dicitque Alcuinus, quod a tempore ascensionis Christi per annos sexaginta quinque absque adminiculo scribendi prædicavit.

Ad hujus igitur evangelii sacrosancti B elucidationem, tanto accedo humilius, et Sancti Spiritus illustrationem invoco affectuosius, quanto sublimior est ejus materia, atque declivior ac insufficientior propriæ rationis intelligentia. Sed nec intendo cursorie pertransire, neque extranea introducere, sed textus declarationi ac moralitati viribus totis insistere.

ARTICULUS II

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI : IN PRINCIPIO ERAT VERBUM.

HOC inter theologicum philosophicumque processum, seu inter theologiam et philosophiam, distat ac interest, quod theologia seu sacra Scriptura increatæ veritati innititur, atque per lumen gratiæ revelatur, philosophia vero humanæ rationi seu naturali lumini inniti censetur, atque humano ex consideratione rerum creatarum studio invenitur. Ex quo duæ aliæ differentiæ oriuntur : Prima, quod theologiæ falsitas admisceri non valet, quoniam infallibili fundamento incumbit, et ab incommutabili Veritate infunditur ac docetur : idcirco in his quæ fidei sunt, diversa opinari vel dubitare, prorsus illicitum est. Philosophiæ vero diversi miscentur errores, propter humanæ rationis caliginem. Secunda, quod theologia exor- C dium sumit a summo, ab ente primo, a Deo altissimo. Philosophia autem ab infimis inchoat, et paulatim ad summa conscendit : quoniam naturaliter intellectiva cognitio ex sensitiva procedit, et immaterialia atque divina per corporalia cognoscuntur. Creator quoque per creaturas, quemadmodum ad Romanos fatetur Apostolus : Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt cognoscuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. (*Rom.* I, 20.)

Hinc ergo excellentissimus Evangelista, D qui non cognovit litteraturam, tanquam piscator et idiota, usque ad annum circiter triginta primum, de divinis, non lumine naturali, nec prævia notitia sensitiva, vel ex sensibilium consideratione instructus, sed radiante Spiritu Sancto su- (*Act.* IV, 13.)

Digitized by Google

pernaturaliter et eminentissime doctus, ab
ipso universorum sublimi principio Deo
sancto ac adorando, exorsus est :
1 *In principio,* inquiens, *erat Verbum.*
Nempe, quum ejus intentio fuerit, Ebio-
nis atque Cerinthi hæreticorum, dicenti-
um Christum esse hominem purum, hæ-
resim reprobare, convenienter incepit a
Christi divinitate, ostendens quod Chri-
stus non sit pura creatura, neque in tem-
pore factus omnino, puta secundum se
totum, sed verus Deus et Creator æter-
nus. Itaque, *In principio,* id est in exor-
dio temporis quo facta sunt omnia, juxta
Eccli. XVIII, 1. illud Ecclesiastici : Qui vivit in æternum,
creavit omnia simul. De quo principio ac-
Gen. I, 1. cipi potest id Genesis : In principio crea-
vit Deus cœlum et terram. *Erat Verbum,*
id est unigenitus Filius Dei. Quasi dicat :
Inter alia non est creatum, sed illis per
creationem incipientibus, ipsum veraciter
erat, et invariabiliter subsistebat. Sic ex-
ponendo, excluditur error dicentium quod
Christus non fuit prior Virgine Matre. Hunc
quoque reor fuisse intellectum Evangeli-
stæ, qui primo evangelii sui verbo inten-
debat Cerinthi et Ebionis, hæresiarcharum
sui temporis, errorem destruere, asseren-
tium Christum ex Maria sumpsisse totius
sui esse initium.

Vel sic : *In principio,* hoc est ante om-
nia sæcula et ante tempora universa, in
ipso æternitatis nunc atque momento. De
quo principio scriptum est, dicente ipso
Prov. VIII, 22. Filio Dei de Patre æterno : Dominus pos-
sedit me initio viarum suarum, antequam
quidquam faceret a principio. *Erat Ver-*
Eccli. I, 5. *bum,* de quo Ecclesiasticus dicit : Fons
sapientiæ verbum Dei in excelsis. De quo
Coloss. I, 17. ait Apostolus : Ipse est ante omnes, et
omnia in ipso constant. De hoc Verbo po-
Is. XLV, 23. test intelligi illud Isaiæ : Egredietur de
ore meo justitiæ verbum. De quo per
Ps. XLIV, 2. Psalmistam loquitur Deus : Eructavit cor
Ps. XXXII, 6. meum verbum bonum ; itemque, Verbo
Domini cœli firmati sunt. Sic exponen-
do, confunditur error filiorum perditio-
nis, elatissimi Arii atque Eunomii, affir-
A mantium quod licet Filius Dei sit pura
creatura, nihilo minus ante mundi crea-
tionem est genitus; et licet Patri non fu-
erit coæternus, tamen natura, dignitate et
tempore, prior est omnibus ceteris crea-
turis. Horum igitur hæreticorum perfidi-
am sciens Joannes futuram, sic exorsus
est : In principio erat Verbum.

Tertio sic : *In principio,* id est in Deo
Patre, cui ratio principii appropriatur sic-
ut æternitas, juxta illud Hilarii : Æterni-
tas est in Patre, species in imagine, usus
B in munere. Pater quippe est principium
sine principio, Filius vero et Spiritus San-
ctus sunt principium, sed de principio.
Ait enim Filius : Ego sum Alpha et Omega, Apoc. I, 8; XXI, 6; XXII, 13.
principium et finis. Sciscitantibus quoque
Judæis, Tu quis es? respondit : Princi- Joann. VIII, 25.
pium, qui et loquor vobis. Denique Pa-
ter, Filius et Spiritus Sanctus, propter
identitatem essentiæ sunt unum princi-
pium, una causa, unus Creator, una om-
nium beatitudo ac finis. Quæ enim ab-
solute dicuntur de Deo, tribus Personis
C communia sunt, nec multiplicantur in eis:
unde trium Personarum est unus numero
intellectus, una voluntas, una potentia,
justitia, misericordia atque perfectio. Ita-
que, In principio Deo Patre, *erat Verbum,*
quoniam sic procedit a Patre per genera-
tionem et personalem distinctionem, ut
tamen in ipso æternaliter perseveret per
substantialem identitatem. Et ut Damasce-
nus testatur, quælibet divinarum Perso-
narum est in alia per circumincessionem,
eo quod unaquæque earum sit infinita.
D Rursus, emanatio in divinis, qua una Per-
sona procedit ab alia, est emanatio ad
intra, quæ non terminatur in aliud ad ex-
tra, vel substantialiter distinctum a suo
fonte. Ideo Filius Dei invariabiliter ma-
net in Patre, præsertim quum sit verbum
mentale, intellectualiter profluens a cor-
de paterno, quemadmodum scriptum est :
Eructavit cor meum verbum bonum. Ps. XLIV, 2.

Sed nunc de ipso Verbo Dei et æterna
generatione ejus, aliquid est loquendum.
Et primo inquiritur, cur Evangelista vo-

Digitized by Google

lens Christi divinitatem ostendere, potius utitur nomine verbi quam filii. Hujus duplex est ratio : Prima, ut insinuet generationem in divinis non esse materialem, carnalem, seu mutationi admixtam, sed intellectualem, invariabilem, immanentem ac simplicem : quoniam verbum proprie sumptum, est interior mentis conceptus, intelligibilis dictio, atque prolata intus notitia. Alia ratio est, quoniam nomen verbi magis pertinet ad propositum quam nomen filii. Filius namque dicit comparationem dumtaxat ad patrem ; verbum autem importat respectum, non tantum ad proferentem, sed etiam ad id quod per verbum exprimitur, ad vocem quoque quam induit, et ad instructionem quæ per ipsum in alio fit. Quum igitur Evangelista nunc tractet de Filio, non dumtaxat in ordine ad Patrem, sed insuper per comparationem ad creata quæ fecit et regit, præsertimque ad homines quos redemit, ad carnem quoque quam assumpsit, et ad documenta quæ dedit : constat quod convenientissime nomine verbi omnia hæc respicientis, describitur, nec aptius neque subtilius nomen ad universa hæc insinuanda invenitur.

Oportet autem advertere, quod verbum, secundum Damascenum, tribus modis accipitur : Primo, pro verbo vocali. Sicque dicit Gregorius, quod nihil est instabilius verbo : est enim de genere successivorum, quibus idem est esse et fieri, quemadmodum motus et tempus. Sic quoque ait Basilius : Habet autem et verbum nostrum externum divini Verbi similitudinem quamdam. Nam verbum nostrum totam declarat mentis conceptionem. Quæ namque mente concipimus, ea ore proferimus, et mens nostra quasi fons quidam est, verbum vero prolatum, quasi rivulus manans ex ipso. Secundo, pro verbo mentali quod verbo vocali exprimitur et significatur, secundum quod ait Philosophus : Sunt ergo ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ. Unde et Plato asserit in Timæo : Ad hoc datus est nobis sermo, ut mutui atque interioris conceptus fiant indicia. Tertio, pro imaginatione vocis. Antequam enim mentale verbum verbo vocali exprimitur, formatur in sensu interiori seu virtute imaginativa, imaginatio quædam verbi vocalis, ex qua illud procedit. Imo et antequam ex auditu verbi vocalis ejus qui loquitur, verbum mentale in intellectu audientis concipitur, generatur in potentia imaginativa illius, imaginatio verbi vocalis, ex qua verbum mentale procedit : quia secundum Boetium, sicut imaginata procedunt ex sensatis, sic intellecta ex imaginatis. Quartum modum accipiendi verbum addit Thomas, videlicet ut verbum sumatur pro re significata vel facta per verbum : quemadmodum David dixit ad puerum Amalecitam : Quod est verbum quod factum est? (II Reg. I, 4.) Sic quoque Ezechias dixit ad Isaiam : Non fuit verbum in domo mea, quod non ostenderim eis. (Is. XXXIX, 2, 4.) Hoc modo cuncta creata dicuntur verba Dei, qui interiori increato ac genito Verbo, omnia intelligendo et quasi loquendo constituit, juxta illud : Ipse dixit, et facta sunt. (Ps. XXXII, 9; CXLVIII, 5.)

Porro æterna generatio Verbi accipienda est ita. Quum Deus sit ens simplicissimum, nobilissimum, simpliciterque perfectum, oportet quod sit intellectualis naturæ, imo intellectus purus, semper in actu consistens. Deus ergo cognoscit se ipsum et cetera omnia. Est ergo in se ipso, sicut intellectum seu cognitum in intelligente. Intellectum vero seu res intellecta, secundum esse quod habet in intelligente, est ratio atque intentio intelligentis, et imago vel similitudo intellecti. Ratio autem et intentio seu definitio quam intelligens habet et concipit de re intellecta, vocatur verbum intelligentis, quoniam est quidam conceptus formatus atque expressio qua intra se dicit quod de re intellecta apprehendit : et hic conceptus est imago intellecti, quoniam actio intellectus perficitur in assimilatione intelligentis ad intelligibile. Hoc ergo quod

Digitized by Google

Deus Pater de se ipso concipit, et intra se profert seu loquitur, appellatur Verbum mentis paternæ, et Filius Dei Patris. Emanatio itaque Verbi istius, generatio nuncupatur, et Verbum emanans vocatur Filius intelligentis intellectualiterque dicentis, quoniam generatio proprie sumpta, est productio rei viventis a vivo, quæ terminatur ad esse ejusdem naturæ secundum rationem similitudinis adæquatæ. Similiter ad rationem filii pertinet, quod procedat ex generante vitali secundum similitudinem in identitate naturæ saltem specifica. Verbum autem mentis divinæ hoc modo producitur, et cum generante convenit, non solum in specifica, sed in numerali seu individua identitate naturæ. Propter quod generatio et filiatio propriissime atque verissime habent locum in Deo, ita quod ratio patris et filii prius ac perfectius competunt Deo quam creaturis, imo a Deo derivantur secundum quamdam imitationem ad creaturas, prout Apostolus dicit : Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur. *Ephes.* III, 14, 15.

Præterea, activa generatio Verbi, est ipsa intellectio Patris notionaliter sumpta, quæ terminatur ad Verbi productionem, seu ad ipsum verbum intus prolatum : et quoniam Pater uno simplicissimo actu se ipsum et cuncta intelligit, ideo unico actu intellectivo seu una locutione, gignit ac profert perfectissimum verbum, in quo universa resplendent, repræsentantur et continentur, quæ a Patre noscuntur, et in ejus sapientia elucescunt, fulgent ac conspiciuntur. Illud ergo unicum et simplicissimum verbum, est perfecta, itemque naturalis imago Patris, et character substantiæ ejus, tanquam ad similitudinem ejus productum, eumque plenissime repræsentans. Est quoque exemplar, species ac ratio omnium creaturarum, quoniam omnes relucent in Verbo, atque ad ejus imitationem productæ sunt.

Quoniam ergo tota perfectio et natura Patris perfecte relucet in Filio, quod esse

A non posset, nisi Filius esset vere immensus æqualisque Patri, et per consequens verus Deus, eamdem cum Patre habens essentiam (finitum namque a perfecta repræsentatione infiniti distat in infinitum); propterea Filius appellatur emanatio claritatis omnipotentis Dei, candor lucis æternæ, et speculum sine macula majestatis paternæ, atque imago bonitatis illius, quemadmodum de Filio Dei sub nomine sapientiæ scriptum est. *Sap.* VII, 25, 26. Unde ad Hebræos ait Apostolus : Qui quum sit splendor glo- *Hebr.* I, 3.

B riæ et figura substantiæ ejus; alibi quoque, Qui est imago Dei invisibilis. *Coloss.* I, 15. Insuper, quum Filius procedat ab intellectu Patris, idcirco pertinentia ad intellectum potissime competunt Filio. Quorum aliqua sunt ei propria, et aliqua appropriata. Propria enim Filio sunt, sapientia generata, ars genita, verbum, imago : quæ omnia accipiuntur in Deo personaliter. Dum autem dicitur Verbum seu Filius Dei esse sapientia Patris et exemplar cre- *I Cor.* I, 24. aturarum, non est sic intelligendum, quasi

C Pater non sit in se et per se sapiens, sapientia ingenita, quæ est ipsemet Pater, atque exemplar, species ac ratio universorum. Alioqui, quomodo sapientem Filium generasset? Nullus enim alteri confert quod ipse non habet.

De hac æterna, divina et inenarrabili Verbi generatione habetur in Psalmo : Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Ps.* II, 7. Et denuo : Ex utero ante luciferum genui te. *Ps.* CIX, 3. In Proverbiis quoque : Ab æterno ordinata sum, et ex an- *Prov.* VIII, 23-25, 27.

D tiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram; ante colles ego parturiebar. Quando præparabat cœlos, aderam. Itemque Ecclesiasticus : Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. *Eccli.* XXIV, 5. Hinc etiam scriptum est : Egressus ejus a principio, a diebus æternitatis. *Mich.* V, 2. Enimvero, quod Deus ineffabilis habeat Filium ineffabilem, et per consequens sibi æqualem, clarissime innotescit ex hoc quod in libro Proverbiorum legitur : Quis suscitavit om- *Prov.* XXX, 4.

Digitized by Google

nes terminos terræ? quod nomen ejus, et A quod nomen filii ejus, si nosti?

Ostenso quando erat Verbum, ostendit Evangelista ubi erat. *Et Verbum erat apud Deum,* id est juxta et intra Patrem, tanquam individuum inseparabileque ab eo. Non enim distant loco, duratione, natura vel dignitate; sed ubi et quando Pater, ibi et tunc Filius ejus. Quum autem dicitur, Verbum erat apud Deum, Deus accipitur relative et personaliter, non absolute et essentialiter. Quemadmodum autem Pater quum sit immensus, est illocalis B et incircumscriptibilis, universa transcendens, implens, conservans ac ambiens; ita et Verbum ejus. Unde quum Verbum dicitur esse apud Patrem, non est ruditer accipiendum, quasi unus sit extra et prope alium : imo totus Pater in Filio, et econtrario, vere circumincessibiliterque consistit. Sed ad designandum personalem distinctionem inter Patrem et Verbum, ait Evangelista, Verbum erat apud Deum, quasi personaliter distinctum a Patre.

Noverat quippe Joannes, cui totus pro- C cessus ac status militantis Ecclesiæ fuerat in Apocalypsis descriptione revelatus, futuros hæreticos qui dicerent Patris et Filii eamdem esse personam. Cujus perfidiæ princeps fuit Sabellius, asserens Patrem, Filium ac Spiritum Sanctum unam esse hypostasim, tribus nominibus designatam propter diversas operationes : ita quod Deus esset Pater ratione creationis, idemque Filius ratione incarnationis, et Spiritus Sanctus ratione sanctificationis qua rationalem creaturam sanctificat. Unde Sa- D belliani dixerunt Patrem incarnatum ac passum : propterea dicti sunt Patrispassiani. Non enim admiserunt veram in Deo esse trinitatem vel processionem Personæ a Persona, vel Deum dici Patrem propter relationem realem; sed eo modo quo nos asserimus superbenedictam Trinitatem esse Patrem, cui incessabiliter dicimus :
Matth. VI, 9. Pater noster qui es in cœlis. Horum errorem destruit Evangelista, dicendo, Verbum erat apud Deum : quod verum non esset, si Pater et Verbum essent una persona, quum nihil sit proprie apud se ipsum.

Ostenso quando et ubi erat Verbum, declaratur quid erat. *Et Deus erat Verbum.* Hic sumitur Deus substantialiter et absolute, ut sit sensus : Verbum erat Deus, id est, veram habens deitatem, atque ejusdem cum suo genitore essentiæ. Unde de Filio dicit Apostolus ad Romanos : Qui est Rom. IX, 5.
super omnia Deus benedictus in sæcula. Et in prima Joannis Canonica legitur : Simus in vero Filio ejus Jesu Christo; hic I Joann. V, 20.
est verus Deus et vita æterna. Sicut autem in præcedenti clausula designata est inter Patrem et Verbum personalis distinctio, sic verbo præsenti insinuatur esse inter eos substantialis identitas, sive essentiæ unitas, quum nullum creatum sit Deus, sed a divinæ naturæ perfectione in infinitum deficiat. Per hoc itaque reprobatur error Photini, Arii, et omnium asserentium Filium Dei esse puram creaturam.

Quod autem Filius Dei sit verus Deus, apertissime pandit Psalmista, dum ait : Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. Quod Ps. XLIV, 7.
autem id dicatur de Filio, patet ex verbis sequentibus : Virga directionis virga re- Ibidem.
gni tui, etc. Unde et Jeremias de Christo inducit : Suscitabo David germen justum, Jer. XXIII, 5, 6.
et regnabit Rex; et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Pro quo Hebraica veritas continet nomen Domini tetragrammaton, quod (teste Rabbi Moyse) absolutissimum est, soli vero Deo conveniens. De hoc Rege fatetur Psalmista : Audi, filia, et concupiscet Rex deco- Ps. XLIV, 11, 12.
rem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum. Isaias quoque de Christo Filio Dei : Parvulus, ait, Is. IX, 6.
natus est nobis, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.

Hoc Verbum *erat in principio,* id est 2
ab æterno, in ipso æternitatis momento, vel in mundi exordio, *apud Deum* Patrem, tanquam coæternum eidem, sicut si sol

ab æterno fuisset, vel pes in pulvere ab æterno stetisset, splendor atque vestigium æternaliter exstitissent. In His quippe quæ naturaliter profluunt, procedens seu causatum coævum est suo principio. Filius vero procedit a Patre naturali emanatione, imo a substantia Patris immediate, sine actione intermedia quæ sit realiter ab essentia Patris distincta. His itaque verbis innuitur coæternitas Patris ac Verbi. Quam Psalmista quoque evidenter ostendit, dicendo : Et permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generationem ; itemque : Sit nomen ejus benedictum in sæcula ; ante solem permanet nomen ejus. Hæc enim de nullo accipi possunt nisi de Christo Filio Regis æterni, de quo in exordio Psalmi illius cantatur : Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. Denique idem patenter ostenditur per id quod scriptum est : Ego primus, et ego novissimus ; manus quoque mea fundavit terram ; non a principio in abscondito locutus sum. Porro, quod ista dicantur de Filio, patet ex eo quod subditur : Et nunc Dominus misit me et spiritus ejus.

Ps. LXXI, 5.

Ibid. 17.

Ibid. 2.

Is. XLVIII, 12, 13, 16.

Declarato quando, ubi, quid et quomodo erat Verbum, nunc manifestatur quid operabatur.
3 *Omnia per ipsum facta sunt,* id est, universæ creaturæ corporales et spirituales, cœlum, terra, mare, et quidquid cœli ambitu continetur, creata sunt immediate vel mediate ab unigenito Filio Dei, sicut a causa prima, principali et efficienti. Sciendum vero, quod quandocumque dicitur aliquid fieri per aliud, præpositio, Per, designat aliquod genus causæ in causali. Dicitur autem aliquid fieri per aliud pluribus modis : Primo, sicut per causam instrumentalem : quemadmodum domus fit per securim et terebellum. Secundo, sicut per causam principalem : ut regnum gubernatur per eum quem rex fecit sibi consortem et comparem. Tertio, sicut per causam extrinsecam : ut homo percutit per baculum. Quarto, sicut per causam intrinsecam vel conjunctam :

A quemadmodum Petrus vivit per animam suam, et scribit per manum.

Rursus, quum aliquid dicitur fieri per aliud, intelligi potest dupliciter : Primo, ut insinuetur mediatio quædam seu medium causans inter primum agens et effectum. Secundo, ut solum importetur processio unius ab alio : sicque fieri per aliquid, est fieri seu produci ab illo. Juxta quem modum dicit Apostolus : Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, id est, a divina voluntate constitutus apostolus.
B Dum ergo dicuntur omnia facta per Verbum, utroque horum modorum intelligi licet, videlicet : Per Verbum, id est a Verbo, tanquam ab omnipotente Creatore, et primo universorum fontali atque causali principio : sic namque omnia facta sunt a supergloriosissima Trinitate, et a qualibet divina Persona. Item, omnia facta sunt per Verbum, tanquam per id quod inter Patrem et creaturas est medium : non tamen quasi per causam instrumentalem, ministratoriam, a Patre separatam,
C sive extrinsecam ei, sed sicut per causam conjunctam, parem ac principalem et effectivam. Quod rursus intelligendum non est, quasi creaturæ non sint immediate factæ a Patre, præsertim quum Pater et Filius sint una causa, unus Creator, unumque principium ; sed quia Filius procedit a Patre, habens virtutem creativam ab ipso, et secundum ordinem originis mediat inter Patrem et creaturas, et quoniam Pater nil operatur ad extra sine Filio. Quum enim natura sit operationis prin-
D cipium, sicut trium Personarum est una natura, ita et una indivisaque actio ad extra.

II Cor. I, 1; Ephes. I, 1; Coloss. I, 1; II Tim. I, 1.

Joann. V, 19.

Sed quum Pater et Filius sint unus Creator et unum principium, quomodo Pater dicitur aliquid facere seu creare per Verbum vel Filium ? Et respondendum, quod Pater operatur per Verbum, sicut per causam exemplarem : non quod Pater non sit causa exemplaris, imo quælibet Persona divina est omnium rerum causa efficiens, exemplaris atque finalis ; sed quod

Filio appropriatur ratio causæ exemplaris, eo quod sibi conveniant vi suæ emanationis, ars, sapientia, et cetera quibus convenit exemplariter agere. Quoniam ergo Pater omnia efficit per intellectum atque intelligibilem dictionem, juxta illud, Ps. xxxii, 9; cxlviii, 5. Ipse dixit et facta sunt; dictio autem intus prolata, est verbum : idcirco asseritur omnia fecisse per Verbum, quamvis et per sui ipsius propriam atque ingenitam sapientiam cuncta creaverit. Itaque, omnia fecit per Verbum, non quod Pater et Verbum sint duæ causæ distinctæ, sed secundum sensum et modum prætactos, et etiam quoniam in divinis emanatio ad intra, est causa emanationis ad extra. Quum Ps. ciii, 24. vero dicimus Deum omnia fecisse in sapientia, vel per sapientiam, intelligi potest, tam de sapientia Patris ingenita, quomodo dicitur operari per ideam seu formam archetypam, quam de Sapientia genita, quæ est unicus Filius ejus.

Postremo, opinor quod idcirco potissimum Scriptura dicit Deum operari per Verbum et Spiritum Sanctum, ut sciamus sanctæ Trinitatis esse individuam actionem ad extra, et per consequens eamdem

A essentiam, sicque certissime credatur esse unus verus simplicissimus Deus.

Et sine ipso factum est nihil, hoc est, nulla penitus res est citra Deum, quæ non sit producta a Verbo. Itaque, per *nihil,* non debet intelligi creatura corporalis, vel dæmon, quoniam quidquid entitatis et bonitatis habent, a Verbo sortita sunt. Manichæus vero per *nihil* intellexit corporalia, quæ dixit comparatione spiritualium nihil esse, et a principio tenebrarum producta : cujus hæretica pravitas

B nec theologorum sanctorum, neque summorum philosophorum consonat dictis. Potest autem per *nihil,* peccatum intelligi, quia peccatum, quoad suum formale, nihil est, sed defectus ab ente et ordine, secundum Dionysium : ideo non est factum per Verbum, sed a voluntate creata et defectiva. Hinc ergo de Christo loquens, dicit Apostolus : In ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et Coloss. i, 16, 17. invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates;

C omnia per ipsum et in ipso sunt creata, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.

ARTICULUS III

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS PRIMI CAPITULI, AB EO LOCO QUO DICITUR : QUOD FACTUM EST, IN IPSO VITA ERAT. — IN QUO AGITUR DE IDEIS.

QUAMVIS Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, sit æternum, et creaturæ ex tempore vel simul cum tempore inceperint, ita quod ab agente invariabili et æterno processit recens temporalisque actio; non tamen Verbum Dei aliquo modo mutatum est: quoniam quidquid de novo produxit, per rationem æternam seu idealem præconceptionem æternaliter præordinavit quando et quomodo ipsum produceret; atque in illo instanti

D mundum creavit, in quo se hoc facturum ab æterno incommutabiliter præcognovit. Ex quo constat, quod vanæ ac frivolæ sunt rationes Averrois aliorumque philosophorum, æternitatem mundi probare conantium ex invariabilitate primi agentis seu Creatoris. Produxit autem Deus mundum ex tempore : Primo, secundum Thomam in Summa contra gentiles, ad declarandum quam libere esset rerum causa, ita quod omnia operatur liberrime secundum Ephes. i, 11.

Digitized by Google

propositum voluntatis suæ, prout fatetur Apostolus ad Ephesios. Secundo, ut ex creatione rerum daretur facilis via cognoscendi æternitatem Creatoris. Quemadmodum enim Rabbi Moyses asserit : Facillima atque clarissima via probandi Deum esse, et item quod sit æternus, patet per hoc quod omnia citra ipsum de novo producta sunt. Idcirco in commemorationem beneficii creationis et æternitatis Creatoris, jussum fuit in lege celebrari sabbatum, in quo Deus ab operibus requievit. (Exod. xx, 8-11.)

Itaque ad hæc insinuanda, ait nunc gloriosissimus Evangelista : *Quod factum est,*
4 id est omne creatum, *in ipso* Verbo *vita erat,* id est, in Verbo vitaliter atque intellectualiter ab æterno fuit ac splenduit, per rationem exemplarem sive ideam quam habet in Verbo omnia cognoscente intellectualiterque producente : quemadmodum artifex facit domum, et medicus sanitatem, per speciem seu exemplar domus ac sanitatis quod habet in mente. Unde, secundum Aristotelem, septimo Primæ philosophiæ, et domus et sanitas quæ sunt in materia, sunt a domo et sanitate quæ præexsistunt in intellectu. Ex his patet error Procli Platonici, Avicennæ quoque Peripatetici, et sequentium eos, affirmantium quod creata procedunt a primo principio per modum naturalis emanationis, vel essentialis emicationis, ut splendor a luce, calor ab igne, lux a sole, et rivus a fonte.

Esse igitur creaturarum quod habent in Verbo, imo in Patre et Spiritu Sancto totaque superbeatissima Trinitate, seu in divina essentia, est esse increatum, exemplare, causale, ideale atque vitale, vel (ut planius loquar) idea, vita et lux. Propter quod, secundum Dionysium, omnia sunt in Deo per causam et exemplar. Nempe, ut scriptum est in Elementatione theologica Procli Platonici, et in libro de Causis, quod est in alio, est in eo secundum naturam et modum ejus in quo est, et non secundum proprium esse ac modum. Quum ergo Deus sanctus et gloriosus sit

A mens æterna et simplicissima, certum est quod omnia sint in eo per rationem æternam ac simplicem, quæ appellatur idea et exemplar, quia per illam Deus cognoscit et operatur creata. Palam est enim quod Deus cuncta et singula propriis rationibus et speciebus intelligat ac producat.

Sed quum Deus sit simplicissima unitas, quomodo potest in eo esse exemplarium rationum multitudo, et idearum pluralitas atque distinctio? Et respondendum, quod idea est divina essentia a divino intelle-
B ctu per modum imitabilis ac repræsentativi intellecta. Divina quippe essentia, quum sit perfectionis immensæ, omnium rerum perfectionem causaliter continens et supereminenter complectens, ab omnibus creaturis, secundum aliquem gradum perfectionis, participatur et imitatur ; omnia quoque intellectualiter repræsentat. In quantum ergo intellectus divinus cognoscit divinam essentiam, vel Deus se ipsum ut participabilem a tali vel tali ente creato, sive creabili vel creando, secun-
C dum hoc divina essentia habet rationem ideæ, et nuncupatur idea rei creatæ, quæ per eam cognoscitur et causatur. Suntque in Deo multæ atque distinctæ ideæ, non quod in Deo sit diversitas aliqua vel distinctio idearum ex parte Dei ; sed distinctio ista est ex parte rerum ideatarum, ad quas refertur idea : quæ tamen relatio realis non est, sed rationis ex parte ideæ, quamvis ex parte ideatorum consistat realis.

De his exemplaribus rationibus ac ide-
D alibus formis, professus est Plato in primo Timæi, dicendo : Certe dubium non est ad cujusmodi exemplum animadverterit mundani operis fundamenta constituens : nam si (ut utique est) pulchritudine incomparabili mundus est, opifexque et fabricator ejus optimus, perspicuum est quod juxta sinceræ et incommutabilis proprietatis exemplum, mundi sit instituta molitio. — Hinc denique Augustinus, in libro LXXXIII Quæstionum : Ideas (inquit) Plato primus appellasse perhibetur ;

Digitized by Google

non tamen rem ipsam ipse primus cognovit, (A) quoniam tanta vis constituitur in ideis, ut nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit. Sunt namque ideæ principales formæ vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ sunt, semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur. Et quum ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest. Has autem rationes ubi esse arbitrandum est, nisi (B) in mente Creatoris? Non enim extra se aliquid intuebatur, ut secundum illud constitueret quod constituebat. Ex quibus constat, quod quidam dicentes ideam esse rem creatam et cognitam objectaliter contemplatam, non rationem in luce divinæ mentis exsistentem, contradicunt Augustino.

Insuper Origenes hic ait : Potest et sic distingui, Quod factum est in ipso; et postea dicatur, Vita erat : ut sit sensus : Omnia per ipsum et in ipso facta sunt, et (C) in ipso unita sunt et unum sunt. In ipso enim erant, quia in ipso subsistunt causaliter priusquam sint in semetipsis effective. Sed si quæsieris, quomodo et qua ratione omnia quæ per Verbum facta sunt, in ipso vitaliter et uniformiter atque causaliter subsistunt, accipe exemplum ex creaturarum natura. Conspice quomodo omnium rerum quas mundi hujus sensibilis globositas comprehendit causæ, simul et uniformiter in sole, qui est maximum mundi luminare, subsistunt; quomodo nu- (D) merositas herbarum et fructuum, in singulis seminibus simul continetur; quomodo multiplices regulæ, in arte artificis unum sunt; quomodo infinitus linearum numerus, in uno puncto unum subsistit. Ex his naturalibus exemplis, velut philosophicæ theoriæ pennis, poteris arcana Verbi acie mentis inspicere, et quantum datur humanis rationibus, videre quomodo omnia quæ per Verbum sunt facta, in ipso vivunt et facta sunt.

Postremo sciendum, quod in tribus Personis et unaquaque earum, sit eadem ratio exemplaris atque indistincta idea. Itaque omne quod factum est, fit vel fiet, est vita in Verbo, id est, secundum vitalem ideam præexsistit in ipso : et hæc vita est divina essentia, quæ est vita et lux.

Et vita erat lux hominum. Hic sumitur vita personaliter pro hypostasi Verbi, seu ipso Verbo subsistente. Vita, id est, Verbum Dei vivens, et vitæ principium (de quo legitur : Quoniam apud te est fons (Ps. xxxv. 10.) vitæ), erat lux hominum, hoc est dator luminis naturalis ingenii, atque infusor luminis gratiæ. Quidquid enim intellectualis claritatis, decoris et perfectionis in hominibus reperitur, a Verbo seu Filio Dei profluxit et datur, a quo dona naturæ et gratiæ derivantur. Dicitur ergo Verbum lux nostra, quasi causa nostræ illustrationis, illuminans nos ad divinorum cognitionem, atque perducens ad beatitudinem supernaturalem per supernaturalia dona Spiritus Sancti, sicut ait Apostolus : Gratia Dei vita æterna. (Rom. vi. 23.) Hinc dicit Psalmista : Signatum est super nos lumen (Ps. iv. 7.) vultus tui, Domine. Sed quoniam, juxta divinum Dionysium, nulla creatura sit expers participationis lucis divinæ, cur Verbum seu vita hæc appellatur specialiter lux hominum? Et respondendum dupliciter : Primo, quia in hoc libro tractatur de Verbo prout salvator est generis humani, eripiens nos a tenebris ignorantiæ (I Petr. ii. 9.) et peccati, transferensque ad lumen gratiæ in præsenti, atque ad lumen gloriæ in futuro. Secundo, quoniam inter omnes creaturas corporales et inferiores, solus homo ad Deum convertitur et pertingit per intellectum et voluntatem : idcirco specialiter illustratur a Verbo, tanquam ad Dei imaginem factus.

5 *Et lux* ista, videlicet Verbum, de quo cantamus in Psalmo : In lumine tuo videbimus lumen; (Ps. xxxv. 10.) *in tenebris lucet,* hoc est, inter perversos Judæos conversatione, prædicatione et signis resplenduit. Vel, In tenebris lucet, hoc est, in cordibus im-

Digitized by Google

piorum gratiæ suæ lucem diffundit, et per A prædicatores fideles hominibus excæcatis ac reprobis lumen christianæ doctrinæ proponit. Potest quoque per tenebras, omnis creatura intellectualis intelligi, quæ comparatione lucis divinæ, potius reputatur caligo quam lux. Propter quod ait
Ps. xvii, 29. Psalmista : Deus meus, illumina tenebras meas.

Et tenebræ eam non comprehenderunt.
Joann. xviii, 12. Infra ait S. Joannes, quod cohors et tribunus et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum. Et in Actibus princeps Apo- B
Act. i, 16. stolorum ait de Juda : Qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum. Nonne et isti tenebræ exstiterunt, quibus dixit Sal-
Luc. xxii, 53. vator, Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum ? Quomodo ergo tenebræ non comprehenderunt hanc lucem ? Sed hoc facillime solvitur, quoniam illa de corporali comprehensione Christi intelliguntur, nunc autem de spirituali comprehensione fit sermo.

Verum tunc rursus quæstio oritur, quomodo tenebræ non comprehenderunt hanc C lucem. Multi enim ad Christum conversi sunt, eumque per fidem, spem et caritatem comprehenderunt : quibus dicit Apo-
Ephes. v, 8. stolus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Sed rursus apparet oppositum. Ut enim mox subjungetur,
vers. 18. Deum nemo vidit unquam : ergo multo amplius Deum nemo comprehendit unquam, quum spiritualis comprehensio sit perfectissima, interna ac intima visio. Et respondendum, quod Evangelista ad litteram loqui videtur de obtenebratis Ju- D dæis, et comprehensione Christi per fidem et caritatem. Sic enim excæcati et indurati Judæi Christum non comprehende-
Joann. viii, 37. runt. Unde Salvator ad eos : Sermo (inquit) meus non capit in vobis; et iterum,
Ibid. 19. Neque me scitis, neque Patrem meum.

Præterea, multiplex est comprehensio. Prima est comprehensio terminativa, qua res secundum se totam capitur, videtur sive cognoscitur, tam perfecte sicut cognoscibilis est. Sicque infinitum a finito comprehendi non valet. Unde hoc modo Deus est tam incomprehensibilis omni creaturæ, etiam Sanctis in patria, quam immensus : ideo hoc modo ipse solus comprehendit se ipsum. Secunda est comprehensio claræ visionis, qua essentia rei vere conspicitur. Et ita Beati comprehendunt Deum, quem facie ad faciem contuentur : I Cor. xiii, 12.
propter quod comprehensores dicuntur. Tertia est comprehensio certæ adhærentiæ per fidem, atque sinceræ adhæsionis per caritatem. Sic viatores comprehendunt Deum : quod magis proprie dicitur apprehendere quam comprehendere. Tenebræ ergo, id est peccatores, quia in suis malitiis permanserunt, nullo horum modorum comprehenderunt Jesum. Qui autem conversi sunt, comprehenderunt eum tertio modo.

Denique, juxta doctrinam magni Dionysii, Deus comparatur soli materiali. Unde et Deus Sol intelligentiæ atque justitiæ Sap. v, 6; Malach. iv, 2.
appellatur : quoniam sicut sol iste visibilis universa suæ lucis susceptiva irradiat, atque ingenita propriæ lucis plenitudine naturalique proprietate, sine præratiocinatione ac prævia deliberatione, cuncta disposita sua claritate perfundit, ornat impletque, et si quid est quod non illustratur hoc lumine, hoc non est ex solis defectu, sed ex propria indispositione; sic Deus sublimis et benedictus, ex propria bonitatis infinita plenitudine, naturali inclinatione, et superliberalissima atque piissima communicabilitate, omnem intellectualem creaturam illuminat, implet ac perficit, si fuerit capax atque disposita. Quod si aliqua non illustratur, hoc est non ex parte Dei, sed ob propriam indignitatem ac aversionem. Quamvis enim sit Deus ubique omnibus verissime præsens ac intimus, nihilo minus passiones nostræ et vitia separant nos ab eo, ut per Isaiam inducitur : Iniquitates vestræ diviserunt Is. lix, 2.
inter Deum vestrum et vos. Quæ utique impediunt nos a receptione gratiæ et illustrationis divinæ, secundum quod Jeremias testatur : Peccata vestra prohibue- Jer. v, 25.

Digitized by Google

runt bonum a vobis. Removeamus ergo obstacula ista, faciendo quod in nobis est, aptemusque nos infusioni gratiarum cœlestium; et tunc illuminabimur atque implebimur mox a Deo, juxta illud Job :
Job xxxiv, 14. Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Et
Zach. i, 3. per Zachariam : Convertimini ad me, et convertar ad vos, dicit Dominus. Hinc Ja-
Jacob. iv, 8. cobus admonet : Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.

Quæritur circa præhabita, an naturali ratione possit inveniri aut demonstrari pluralitas Personarum in Deo, et an gentiles philosophi habuerunt cognitionem de Patre et Filio per naturalem rationem. Quæstio ista præcipue oritur difficultatemque habet ex verbis Augustini, septimo Confessionum dicentis : Ibi, utpote in libris Platonis vel Platonicorum, non quidem his verbis, sed omnino hoc idem quod his verbis significatur, multis ac multiplicibus rationibus reperi comprobatum, quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, etc., usque ibi, Et vita erat lux hominum. Trismegistus quoque invenitur dixisse : Monas gignit monadem, et in se suum reflectit ardorem. Et videtur id posse probari : Primo, ex immensitate divinæ bonitatis, quæ quum sit infinitæ communicabilitatis, processit in actum sibi proportionatum, producendo germen immensum, quod non potest esse nisi Deus. Secundo, quia nullius rei possessio jucunda est sine consortio; et quum in Deo sit amor perfectus atque immensus, habet Deus aliquem quem diligit infinito amore, eo quod amor non sit proprie ad se ipsum. Tertio, quoniam generatio est perfectissima productio : convenit ergo perfectissimo enti, Deo altissimo. Quarto, quoniam quidquid perfectionis est in creaturis, reperitur in Deo. Quum ergo in mente creata sit emanatio verbi ab intellectu, et amoris a voluntate, erit etiam in mente divina processus verbi atque amoris, seu Prolis ac Spiritus Sancti.

A Et respondendum, quod nunquam aliquis purus philosophus agnovit, quod in Deo esset emanatio ad intra Personæ a Persona, vel quod aliquid procedens a Deo esset ei æquale et consubstantiale : imo hoc reputabant omnino impossibile, ut patet ex Elementatione Procli summi Platonici. Sed nec possibile est naturali ratione demonstrare vel invenire Deum esse in Personis trinum, vel binum, et in essentia unum : quia perfectio Creatoris relucet in creaturis eo modo quo procedunt B a Creatore. Quum ergo tres Personæ sint una causa creaturarum, ita quod creatio convenit eis quantum ad id in quo conveniunt, scilicet ratione naturæ atque potentiæ, palam est quod earum distinctio ex creaturis nequeat elici, demonstrari, aut inveniri.

Verumtamen advertendum quod profundissimi philosophorum aliqua dixerunt, et in scriptis suis reliquerunt, in quibus videntur cognitionem divinitatis Patris ac Filii habuisse, propter communionem ver- C borum quibus utuntur loquendo de Deo et processione eorum quæ producuntur ab ipso. Plato namque et ejus sequaces, multi quoque Peripatetici, disseruerunt universorum processum a primo principio fieri per quamdam assimilationem, ita quod omnia profluxerunt a Deo per rationem similitudinis, hoc est secundum similitudinem quamdam, quoniam omne agens producit sibi simile, et effectus vocatur participata similitudo suæ causæ. Quum ergo Deus sit lux pura, supersplen- D didissima et immensa, id quod immediate causatur ab eo, dixerunt esse ei simillimum. Unde vocabant primam intelligentiam seu primam mentem creatam, signaculum lucis divinæ, splendorem claritatis æternæ, itemque, quod esset imago evidentissima ac præclarissima majestatis divinæ, speculumque perfectionis increatæ. Et quoniam ratio filiationis in similitudine quadam consistit, idcirco dixerunt mentem illam immediate a summa divinaque mente creatam, esse Filium imo et

Digitized by Google

Unigenitum et Primogenitum Dei. Unde A refert Macrobius super Somnium Scipionis, quod Platonici posuerunt a summo Deo immediate profluxisse ac conditam esse mentem quamdam Deo sublimi simillimam, omnium creaturarum speciebus ac rationibus plenam, a qua dixerunt cetera omnia esse creata.

Hinc etiam Hermes Trismegistus, qui legitur fuisse Platonis discipulus (fuit autem et alius Hermes, qui scribitur præcessisse diluvium) : ait igitur Hermes præfatus in libro suo quem intitulavit, De B Verbo perfecto. Sed antequam verba Hermetis commemorem, audiamus quid in libro contra hæreticos asserat Augustinus. Hermes, qui Latine Mercurius, scripsit librum De Verbo perfecto : magnum nomen libri, quoniam magnus de quo scripsit. Audiamus quid dicat : Dominus omnium factor deorum, secundum fecit Dominum. Quoniam ergo hunc fecit primum et solum et verum, bonus ei visus est, et plenissimus omnium bonorum ; et lætatus est in eo, et valde dilexit eum, tanquam uni- C genitum suum. Et post pauca : Hic est (inquit) Filius Dei benedicti, cujus nomen non potest humano ore narrari. Ex hoc ergo quod Hermes vocat hunc secundum Deum, elucescit quod posuit eum substantialiter distinctum a summo Deo, et per consequens puram creaturam. Itaque, quod Augustinus affirmat illum esse magnum, scilicet Verbum Dei perfectum, de quo scripsit Hermes hunc librum, indiget sano intellectu et pia interpretatione : quia secundum veritatem, liber ille scriptus D non est de Filio Dei vero, sed æstimato, præsertim quoniam Filius Dei non est factus, quomodo Hermes dicit Dominum omnium deorum fecisse secundum Deum. Ex hoc dicto Hermetis et Platonicorum, orta est hæresis Arii atque Eunomii, asserentium Filium Dei esse puram creaturam, ut dicit S. Thomas in Summa contra gentiles.

Denique, juxta Thomam in prima parte Summæ, etiam Origenes dictis Platonicorum imbutus, dixit Verbum Dei esse puram creaturam. Propter quod Thomas ait Origenem fuisse fontem Arianæ perfidiæ, quia secundum Origenem, Verbum dicitur in Deo non proprie, sed metaphorice, utpote non filius naturalis, sed imitativus. Verum, qualiter intelligendum sit dictum hoc Thomæ, ignoro. Constat nempe quod Origenes in multis locis testetur Filium Dei esse verum æternumque Deum. Imo in epistola sua ad S. Barbaram, quam instruxit, apertissime dicit quod Patris et Filii et Spiritus Sancti sit una divinitas et vera æqualitas, et quod sunt tres Personæ unusque Deus. Præterea Athanasius fidei propugnator, allegat Origenem pro confirmatione fidei Trinitatis ; nec dubium quin sanctissimus Athanasius, qui tantæ auctoritatis exstitit in Scripturis quod nullus unquam ei contradicere ausus fuit, bene agnovit ac legit verba atque volumina Origenis, nec aliquo modo allegasset eum, disputando contra Arianos, si putasset Origenem fuisse fontem Arianæ impietatis.

Verumtamen multa inveniuntur in dictis Origenis, ex quibus videtur verum esse quod adstruit Thomas, videlicet, quod Filius Dei non comprehendat Patrem perfecte ; itemque, quod hoc est Filius ad Patrem, quod Petrus vel Paulus ad Filium. Insuper, super illud Isaiæ, Seraphim *Is.* VI, 2. stabant super illud, per Seraphim, intelligit Origenes Filium ac Spiritum Sanctum, sicut innuit S. Hieronymus, quamvis non exprimat nomen Origenis. Ad hæc atque similia diversi diversimode responderunt : quidam, quod hæretici inseruerunt talia libris Origenis, sicut libris B. Ambrosii aliqua falsa inveniuntur inserta ; quidam, quod fuerunt duo Origenes, unus catholicus, alter hæreticus ; quidam, quod Origenes scripsit aliqua sibi invicem contrariantia, sicut et Augustinus, propter quod tandem compulsus est facere librum Retractationum. Sed de hac materia nihil definio, Origenem indiscrete defendendo, quem certum est in multis errasse.

Digitized by Google

Nunc solvendæ sunt rationes quibus videtur ostendi quod Trinitas, vel Patris ac Filii deitas, posset naturali ratione probari. Primo itaque, ad auctoritatem Augustini dicendum, quod principium evangelii S. Joannis invenitur in libris Platonicorum, non quantum ad verum ipsius intellectum, sed quantum ad aliquam communionem verborum, et quantum ad apparentiam superficialem. Posuerunt enim Platonici verbum in Deo. Unde Avicebron Platonicus in libro suo de Fonte vitæ affirmat, quod intellectus divinus ac paternalis omnia agit per verbum intus conceptum. Sed nomine verbi, intelligunt rationem idealem seu mundum archetypum. Quod vero Hermes ait monadem, id est unitatem seu unum Deum, genuisse monadem, Thomas interpretatur sic intelligendum, quod unus Deus condidit unum mundum, propter sui ipsius amorem. Tamen intelligendum id reor de generatione prædictæ mentis creatæ, secundum Platonicos. Et quod dicit Trismegistus Deum in se suum reflexisse ardorem, intelligit non de processione Spiritus Sancti, sed quod Deus diligit se propter se, et ex amore sui ad se ipsum conversi diligit alia.

Ad argumentum de immensitate divinæ bonitatis, dicerent naturales, quod quamvis sit communicabilitatis immensæ, non tamen producit germen sibi æquale : non ex sua impotentia, sed propter incapaci-

A tatem procedentis, quod dicunt non posse æquari suo causali atque fontali principio. Ad aliud diceretur, quod nullius rei possessio jucunda est sine consorte, in his quorum unum indiget altero ; Deus vero in se ipso summe simpliciterque perfectus est. Ad aliud de amore diceretur, quod licet amor non sit proprie ad se ipsum, nihilo minus, secundum Philosophum, amor ad alium oritur ex amore ad se ipsum, et unusquisque tantum vel plus diligit se, quantum aliquem alium
B conditum : ideo Deus vere diligit se ipsum infinito amore atque fervore. Ad aliud diceretur, quod generatio convenit Deo altiori modo quam creaturis, per hoc quod tribuit eis vim generativam. Ad aliud quoque responderetur, quod in creatis intellectibus est emanatio verbi ac amoris, quia in eis differunt essentia et actio, nec essentia eorum in se ipsa perfecta est, quum non sit actus purus, sed verbo atque amore perficitur. In Deo autem opposito modo est, quia in eo sunt penitus
C idem essentia, virtus et actio, estque Deus in se absolute perfectus, et purus actus, quidquid ad beatitudinem pertinet, in se eminentissime comprehendens. Quamvis itaque præinductæ rationes non sunt demonstrativæ, pulchre tamen declarant quod fides Trinitatis non sit aliquam irrationabilitatem vel impossibilitatem complectens : nam licet sit supra rationem, non tamen est contra eam.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO HUJUS PRIMI CAPITULI, AB EO LOCO QUO DICITUR : FUIT HOMO MISSUS A DEO.

HUCUSQUE tractavit sublimis Evangelista de divinitate, divinaque operatione, atque incommutabili subsistentia Verbi. Nunc vero subjungit de ejus præcursore. Quoniam enim dicturus mox est

D de Verbi incarnatione, et adventu ejus in hunc mundum, ceterisque operibus atque dogmatibus Salvatoris, congruenter præmisit de ejus præcursore tractatum. Pauca enim ponit de Præcursore, sciens Lucam

Digitized by Google

glorioso sententiosoque stilo descripsisse A
Luc. I, III. genealogiam, annuntiationem, conceptio-
nem, nativitatem conversationemque Præ-
Matth. III; Marc. I. cursoris : de cujus etiam parcitate in vi-
ctu, et duritia in vestitu, Matthæus et
Marcus scripserunt. Itaque ait :

6 *Fuit homo missus a Deo.* Nemo enim
Hebr. V, 4. sapienter agens, assumit sibi honorem,
sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.
Quocontra Dominus ait de præsumptuosis
Jer. XXIII, 21. et falsis prophetis : Ipsi currebant, et ego
non misi eos. Missio ista Joannis intelligi
potest tunc facta, quando Deo jubente ex-
ivit a latibulis eremi ad ripam Jordanis,
quatenus illic baptizando, populum con-
gregaret, eisque de Christi adventu prædi-
Luc. III, 1, 2. caret. Unde Lucas ait : Anno quintodecimo
imperii Tiberii Cæsaris, factum est ver-
bum Domini super Joannem Zachariæ fi-
lium, in deserto. Fuit autem missus a
Deo, vel ex sola inspiratione interna, vel
ex allocutione et apparitione angelica ex-
terius facta, quæ non est ab aliquo Evan-
gelistarum descripta. Hanc missionem Jo-
Malach. III, 1. annis Deus prædixit per Malachiam : Ecce
mitto angelum meum, et præparabit viam
ante faciem meam. Dicitur quippe Joan-
nes angelus, ratione officii, non naturæ,
et quoniam angelicæ conversationis fuit.

Cui nomen erat Joannes. Sic namque
Luc. I, 13. Gabriel archangelus jussit Zachariæ vo-
care filium suum. Et congruit nomen is-
tud Præcursori, quia Joannes interpretatur
gratia Dei, quæ præcipue fuit in homine
Matth. XI, 11. isto, quo inter natos mulierum non sur-
rexit major seu sanctior ; qui etiam primo
Ibid. III, 2. prædicavit : Pœnitentiam agite, appropin- D
quabit enim regnum cœlorum, hoc est
gratia Salvatoris. Quum enim alicui divi-
nitus nomen imponitur, insinuatur quod
proprietas significata per nomen compe-
Gen. XVII, 5. tit illi, quemadmodum Abram vocatus est
Abraham, id est pater multarum gentium,
Ibid. XXXII, 28. et Jacob dictus est Israel, quum Dei an-
gelum vidisset.

7 *Hic venit* a secretis locis deserti ad pu-
blica loca, *in testimonium* perhibendum,
id est ad testificandum, non ad salvan-
dum, videlicet *ut testimonium perhiberet*
de lumine, id est, veritatem annuntiaret
de Christo, *ut omnes* homines, primo Ju-
dæi, deinde gentiles, *crederent* in Filium
Dei *per illum,* hoc est mediante testifi-
catione Joannis, sicque credendo, conse-
querentur salutem æternam. Non dicit, Ut
omnes crederent in illum, quoniam fides
quum sit virtus theologica, habet Deum
pro objecto : concernit enim Deum sub
ratione primæ veritatis. Ideo non est cre-
dendum in hominem purum. Hinc infra
B ait Salvator, Creditis in Deum, et in me Joann. XIV, 1.
credite : quod consequens non esset, nisi
et Filius esset Deus.

Non erat ille Joannes *lux* principalis, 8
effective illustrans, lucem gratiæ præstans,
et per essentiam lucens ; erat tamen lux
instrumentalis, dispositive illuminans, ad
gratiam præparans, lux participata, eo mo-
do quo Christus ait Apostolis : Vos estis Matth. V, 14.
lux mundi. Et ad Philippenses Apostolus :
Sitis, inquit, sine querela in medio na- Philipp. II, 15.
tionis pravæ, inter quos lucetis sicut lu-
C minaria in mundo. Denique, secundum
Dionysium, quædam est lux illuminans,
non illuminata, sicut lux prima. Alia est
lux solum illuminata, ut illi qui modicam
gratiam habent. Alia est lux medio modo
se habens, videlicet illuminans et illumina-
ta, ut illi qui de gratia sibi concessa alios
possunt illuminare : inter quos certum est
Præcursorem unum de summis fuisse. *Sed*
ut testimonium perhiberet de lumine : hoc
est, Joannes non fuit Christus in lege pro-
missus, sed ejus minister et præco, ordina-
tus ad hoc, ut Christo testimonium daret.
Hoc fecit Joannes dicendo : Venit fortior Marc. I, 7.
post me, cujus non sum dignus procum-
bens solvere corrigiam calceamentorum
ejus. In Actibus quoque Paulus ait dixisse
Joannem : Quem me arbitramini esse, non Act. XIII, 25.
sum ego. Perhibuit etiam Joannes testi-
monium Christo operibus, utpote bapti-
zando Judæos in nomine Christi venturi.
Forma enim baptismi Joannis fuit, Baptizo
te in nomine futuri, secundum quod in
Actibus tangit Apostolus : Joannes baptiza- Ibid. XIX, 4.

Digitized by Google

vit populum, dicens, In eum qui venturus A est, ut crederent, hoc est in Jesum. Idcirco receptio baptismi Joannis erat quædam professio credendi in Christum.

Missus est ergo Joannes ante Christum, ut homines ad Christi susceptionem aptaret, docendo, baptizando, orando, exemplariterque vivendo. Erat nempe testis idoneus, propter vitæ suæ sanctitatem omnibus manifestam, gratiam prophetalem, angelicam annuntiationem, miraculosam conceptionem ac nativitatem. Necessaria vero fuit Judæis præparatio ista : nam B quum rudes fuerint, immediate capaces non erant supernaturalium atque cœlestium documentorum Christi, sed pedetentim inducendi erant ad sublimiora. Joannes ergo, inducendo eos ad peccatorum confessionem, baptismi receptionem, di-
Matth. III, 2. cendo etiam, Appropinquabit regnum cœlorum, cœpit eos a terrenis abstrahere, atque ad supernorum amorem accendere, ac per hoc ad Christi legem et fidem aptare.

9 *Erat lux vera,* hoc est non participata aut defectiva, sed plena et substantialiter C clara, in qua natura lucis perfectissime reperitur. Unde Joannes in Canonica sua
1 *Joann.* I, 5. scribit : Deus lux est, et tenebræ non sunt in eo ullæ. Omne autem creatum habet aliquid tenebrositatis admixtum ; nam ipsa minoratio lucis, ipsa ejus distantia seu dissimilitudo a luce divina, est tenebrositas quædam. Comparatione quoque lucis divinæ ac infinitæ, appellatur quasi ca-
Job XXV, 5; XV, 15. ligo : ideo enim luna non splendet, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Quamvis vero istud de qualibet divina D Persona sit verum, nunc tamen de Filio dicitur, cui lux appropriatur, quoniam lux spiritualis præcipue spectat ad intellectum ac sapientiam. Quum ergo Verbum seu Filius sit emanatio intellectus, sic ei appropriatur lux, sicut sapientia, veritas, ars, splendor, et species.

Quæ illuminat lumine naturalis ingenii *omnem hominem venientem in hunc mundum,* id est, qui per nativitatem ingreditur orbem terrarum vallemque lacrimarum. Vel, Illuminat lumine gratiæ omnem hominem venientem in hunc mundum, id est omnem qui illuminatur gratia spirituali, quam nullus sortitur nisi a Filio. Juxta hunc sensum habetur in Psalmo, Allevat Dominus omnes qui corruunt, et *Ps.* CXLIV, 14. erigit omnes elisos : non quod omnes corruentes et elisi allevantur ac eriguntur, sed quod nemo talium allevetur aut erigatur, nisi a Deo. Vel, Illuminat omnem hominem, quantum in se est, sicut vult 1 *Tim.* II, 4. omnes salvari, ita quod nemo excusatur si non fuerit illustratus. Illuminat quoque omnem hominem, dando unicuique angelum pro custode, qui a diversis erroribus et peccatis retrahit hominem sibi commissum. Vel, Illuminat omnem hominem, hoc est quosdam de omni genere hominum : nam post passionem, et prædicationem Apostolorum, illuminavit sæculum universum. Juxta quem sensum ait inferius : Si exaltatus fuero a terra, omnia *Joann.* XII, 32. traham ad me ipsum ; et Psalmista, Be- *Ps.* LXXI, 17. nedicentur in ipso omnes tribus terræ.

In mundo erat. Hoc de Christo secun- 10 dum utramque ejus naturam accipi potest, sed differenter. Primo sic : In mundo, id est in toto ente creato seu universo, erat hæc lux, id est, totum mundum ab exordio suæ creationis implevit, quum sit infinita. Propter quod ait per Jeremiam : Numquid non cœlum et terram ego im- *Jer.* XXIII, 24. pleo? Deus enim ubique est per essentiam, præsentiam, atque potentiam. Ipse siquidem omnia penetrat, sua quoque potentia ad omnia se extendit, et suo conspectui omnia patent. Verumtamen, juxta Salomonem, Longe est Dominus ab impiis : *Prov.* XV, 29. non utique loco, sed dissimilitudine, quia non est nec habitat in eis per gratiam. Fuit autem circa Deum triplex error : Unus Manichæorum, dicentium ista corporalia et terrena Deo lucis non esse subjecta. Contra hos dicimus Deum esse ubique per potentiam. Alius fuit error negantium divinam providentiam. De quibus dicit Psalmista : Dixerunt : Quomodo scit Deus ; et, *Ps.* LXXII, 11. Si est scientia in Excelso? Contra hos dici-

Digitized by Google

mus Deum esse ubique per præsentiam, A
Hebr. IV, 13. ita quod omnia sunt aperta et nuda oculis ejus. Tertius fuit error dicentium, quod Deus immediate non condidit nisi primam intelligentiam, et illa creavit secundam, secunda quoque tertiam. Cujus erroris origo, secundum Thomam, fuit auctor libri de Causis. Quem errorem Avicenna et Algazel sunt secuti. Contra istos asserimus Deum esse ubique per essentiam. — Secundo exponitur sic : In mundo erat, id est, lux ista seu Christus post incarnatio-
Baruch III, 38. nem in terris est visus, et cum hominibus B
conversatus, ita quod illum quem totus non capit orbis secundum suam divinitatem, parva pars terræ cepit et clausit secundum humanitatem assumptam.

Et mundus, videlicet cœlum et terra, et quidquid cœli ambitu continetur, *per ipsum* Verbum *factus est,* eo sensu quo jam dictum atque expositum est : Omnia per ipsum facta sunt. Et quoniam mundus seu omnis creatura per Verbum facta est, ideo ad Verbi cognitionem naturalem inducit, videlicet ad cognoscendum suum C
Creatorem, quantum ad naturam, non quantum ad personam secundum relativam proprietatem. Effectus enim repræsentat suam causam.

Et mundus eum non cognovit. In hoc sancto Joannis evangelio, mundus diversis modis accipitur : quandoque pro tota creatura; quandoque indifferenter pro bonis ac malis hominibus in mundo degentibus; interdum specialiter pro electis, ut quum
Joann. III, 16. dicitur, Sic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum suum daret; interdum pro re- D
Ibid. VII, 7. probis, sicut ait Salvator, Me odit mundus. Nunc ergo accipitur mundus pro perversis ac cæcis hominibus, qui Christum non cognoverunt per fidem formatam. Et licet aliqui tales agnoscant eum
Tit. I, 16. per fidem informem, factis tamen negant eumdem. Denique Judæi increduli, qui eum cognoverunt corporali intuitu, non cognoverunt eum interiori visu. Numquid
Joann. IX, 24. enim cognoverunt eum, qui dixerunt, Nos scimus quia hic homo peccator est?

In propria venit, hoc est, in hunc mun- 11
dum inferiorem a se creatum, vel in Judæam et populum Israeliticum sibi olim peculiarem, per incarnationem descendit, quemadmodum Isaias oravit, dicendo : Uti- *Is.* LXIV, 1.
nam dirumperes cœlos, et descenderes. A *Ps.* XVIII, 7.
summo etenim cœlo egressio ejus. *Et sui,* hoc est Judæi ad cultum Dei specialiter deputati, de quorum semine natus est Christus, *eum non receperunt* per fidem. Paucissimi enim Judæorum crediderunt in Christum, comparatione incredulorum. Hoc apud Isaiam apertissime invenitur prædictum, loquente Christo ad Patrem : Hæc *Is.* XLIX, 5.
dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur. Hinc Dominus ait per Jeremiam : Prævaricatione præva- *Jer.* V, 11, 12.
ricata est in me domus Juda et domus Israel; negaverunt Dominum, et dixerunt, Non est ipse. Judæi igitur isti appellantur populus Christi, non ratione prædestinationis, sed creationis, et temporalis electionis atque vocationis. De quibus ait per Isaiam : Filios enutrivi et exaltavi, ipsi *Is.* I, 2.
autem spreverunt me. Potest quoque generaliter de universis infidelibus et perversis exponi : qui dicuntur sui, quia ab ipso creati; et non receperunt eum, quia non omnium est fides, et novit Dominus II *Thess.* III, 2.
qui sunt ejus per prædestinationem. II *Tim.* II, 19.

Verum, ut Lucas ait in Actibus : Crediderunt quotquot præordinati erant ad *Act.* XIII, 48.
vitam æternam. De quibus jam subditur :
Quotquot autem receperunt eum per fidem 12
formatam. Universaliter loquitur, dicendo, Quotquot, quoniam non est personarum *Ibid.* X, 34.
acceptor Deus. *Dedit eis potestatem,* hoc est idoneitatem, seu gratiam efficacem, *filios Dei fieri,* hoc est per quam fiunt filii Dei adoptivi.

Sed quæritur, quum homines fiant filii Dei eo ipso quod credunt in Christum, quemadmodum ait Apostolus ad Galatas, Omnes vos filii Dei estis per fidem in *Galat.* III, 26.
Christo Jesu : quomodo recipientibus Christum per fidem, datur potestas filios Dei fieri, et non potius ipsa filiatio adoptiva?

Digitized by Google

Et respondendum dupliciter : Primo, quod A licet homo dum convertitur ad Christum per fidem et dilectionem, efficiatur adoptivus filius Dei, hoc tamen non est nisi in quantum habet propositum recipiendi Baptismum, in quo spiritualiter renascitur, et filiatio adoptiva perficitur. Omnibus ergo qui receperunt Christum, dedit ipsemet Christus secundum quod Deus, potestatem filios Dei fieri perfecte in fonte Baptismatis, quod non datur adultis nisi credentibus, imo nulli nisi fidem profiteatur, vel per se, si sit compos rationis, B vel per alium, si sit infra annos discretionis. In Baptismo autem gratia augetur, character imprimitur, et homo Christo perfecte conformatur et incorporatur, atque ab omni labe peccati ac reatu pœnæ absolvitur, ut sit omnino filius Dei. Secundo respondetur, quod omnibus qui Christum nunc per fidem recipiunt, datur potestas filios Dei fieri, filiatione gloriæ consummata in patria. Per fidem enim pervenitur ad speciem. Filiatio quoque gratiæ adoptionis ordinatur ad filiationem C gloriæ beatificæ fruitionis. Filiatio autem fundatur in assimilatione. Quoniam ergo per Christi adventum data est hominibus participatio divini esse, et supernaturalis similitudo cum Deo, idcirco recipientibus ipsum datur præfata potestas. Per fidem quippe inchoatur in nobis supernaturalis cognitio patriæ, quæ quantum ad suam plenitudinem, Deo est propria. Per gratiam quoque gratum facientem ponitur anima in esse supernaturali, divino ac meritorio, tamque accepta ac similis Deo D efficitur, ut etiam vitam æternam de condigno mereatur.

His qui credunt in nomine ejus, loquendo de nomine nominato, hoc est in ipso Christo, fide formata. Quum itaque Verbum sit Filius naturalis, qui ei per fidem uniuntur, atque per caritatem incorporantur, efficiuntur filii adoptivi. Filiatio autem adoptiva, quæ fit per gratiam, qua homines fiunt participes hereditatis Patris adoptantis, est participatio filiationis naturalis. Hinc ad Romanos dicit Apostolus : Si filii, et heredes, heredes quidem *Rom.* VIII, 17. Dei, coheredes autem Christi. Et rursus : Non accepistis spiritum servitutis iterum *Ibid.* 15. in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater).

Deinde Evangelista distinguit generationem spiritualem, per quam filiatio adoptiva acquiritur, a generatione carnali.
Qui credentes et filii adoptivi, *non ex* 13
sanguinibus, id est seminibus viri ac feminæ. Semen enim est superfluum alimenti sanguinei et sanguis coagulatus. Itaque, Non ex sanguinibus, id est semine viri, in quo est virtus formativa, et semine mulieris, quæ præbet in generatione materiam. *Neque ex voluntate carnis,* id est concupiscentia sensualitatis, vel feminæ, quæ nomine carnis exprimitur, quoniam mollior, et in ratione debilior; *neque ex voluntate,* id est concupiscentia, *viri; sed ex Deo nati sunt,* id est divina virtute et gratia spiritualiter regenerati, ac divinum esse sortiti. Nam loquendo de esse naturæ, tunc nati sunt ex seminibus parentum sicut et infideles ; sed loquendo de esse gratiæ, per quod constituti sunt filii Dei adoptivi, nati sunt ex Deo, tanquam ex patre principali, hominem sibi assimilante ac deificante. Porro in generatione carnali ac naturali, semen se habet per modum causæ materialis, parentes per modum causæ efficientis; concupiscentia vero movet ad actum. Potest autem per voluntatem carnis et viri intelligi appetitus superior seu intellectivus, qui actum generationis imperat, vel ei consentit.

Digitized by Google

ARTICULUS V

EXPLANATIO HUJUS PRIMI CAPITULI, AB EO LOCO QUO SCRIPTUM EST : ET VERBUM CARO FACTUM EST.

SUPRA declaravit Evangelista quod Ver-
bum Dei fuit ab æterno. Nunc pandit
14 quod factum est in tempore, dicens : *Et*
Verbum caro factum est. Item asseruit fi-
lios Dei adoptivos natos non esse ex san-
guinibus. Ne quis ex hoc opinaretur quod
multo minus Filius Dei naturalis natus
esset ex semine seu sanguine, ideo do-
cet quod Verbum factum est caro, na-
scendo ex semine Patriarcharum atque ex
sanguine Virginis. Iterum, quoniam dixit
homines fieri filios Dei, ostendit hoc non
esse impossibile nec incredibile, quum
Filius Dei factus sit filius hominis. Itaque,
Verbum, id est unigenitus Filius Dei verus
Deus, in se æternaliter subsistens, caro,
id est homo verus, factum est, assumen-
do humanam naturam ad propriam per-
sonalitatem, utpote substantificando eam
in semetipso, conferens ei subsistere in
eodem esse in quo et Verbum subsistit,
ita quod Verbi atque assumptæ humani-
tatis est una hypostasis, eademque suppo-
sitalitas seu subsistentia personalis : nam
et ipsum Verbum est suppositum sub-
stantificans humanitatis sibi unitæ. Sumi-
tur ergo hoc loco pars pro toto, videlicet
caro pro homine, quemadmodum et in
Ps. LXIV, 3. Psalmo, Ad te omnis caro veniet ; in Isaia
Is. XL, 5. quoque, Videbit omnis caro quod os Do-
Luc. III, 6. mini locutum est; itemque, Videbit omnis
caro salutare Dei nostri. Sic etiam infra
Joann. XVII, 2. ait Salvator ad Patrem : Dedisti ei pote-
statem omnis carnis.

Denique Verbum factum est homo, as-
sumendo simul in eodem instanti ani-
mam rationalem tunc primo creatam, et
carnem humanam ex purissimis sanguini-
bus sanctissimæ atque dignissimæ Virgi-
A nis sumptam, et a Spiritu Sancto forma-
tam ac organizatam, rationalique anima
informatam : sic quod in eodem instanti
creata est anima Christi, et caro ejus for-
mata ac animæ copulata, et utrumque si-
mul a Verbo assumptum. Nunquam tamen
caro et anima, vel humanitas Christi, ha-
buit propriam personalitatem aut subsi-
stentiam ; sed in momento suæ creationis
ac partium suarum mutuæ unionis, as-
sumpta est ipsa humanitas a Verbo, et
supposita in ipso. Sic Virgo vere concepit
B Filium Dei, Deum ac hominem, præbendo
materiam anima Christi informatam, ac
Verbo immediate unitam. Hoc est novum
et supernovum, omniumque novorum ac
mirabilium novissimum ac mirabilissi-
mum, de quo vaticinatus est Jeremias :
Novum, inquiens, faciet Dominus super Jer. XXXI,
terram, Mulier circumdabit virum. Cir- 22.
cumdedit enim in utero sacratissimo pue-
rum Jesum, virum, non ætate et quanti-
tate, sed sapientia et virtute.

Incarnatus est ergo Filius Dei, ut nos
C efficiamur divinæ consortes naturæ, perci- II Petr. I,
piendo meritis Christi copiosissimam gra- 4.
tiam in præsenti, æternamque beatitudi-
nem in futuro. Inclinavit et humiliavit Philipp. II,
se ipsum, servilem formam accipiens, ut 7.
nos in cœlestibus exaltaret, et angelis pa-
rificaret; similitudinem carnis peccati as- Rom. VIII, 3.
sumpsit, ut nos ab omni macula culpæ
purgaret. In quibus apparet magnitudo
divinæ dilectionis, atque dignatio sum-
mæ majestatis ad genus humanum. Quum
enim amoris sit amantem et amatum uni-
D re, unum in alium transponere, eosque
inseparabiliter colligare, constat quod Deus
ineffabiliter nos amavit, quoniam nostram

Digitized by Google

naturam sibi immediatissime copulavit, videlicet unione hypostatica, eamque in se quodammodo transformavit atque transposuit, et sibi indissolubiliter counivit : nam et in triduo mortis manserunt corpus et anima Verbo unita.

In Christo ergo sunt duæ naturæ, et una hypostasis seu persona; sunt quoque in eo duæ generationes, et una filiatio, puta divina. Generatio namque pertinet ad naturam, filiatio ad personam. Per hanc Verbi incarnationem, incomprehensibiliter prorsusque inenarrabiliter honorificata ac sublimata est, non solum humanitas Christi, sed totum insuper genus humanum. Quid enim tam gloriosum atque magnificum esse potest hominibus, ut hoc quod
Matth. xxviii, 10; *Hebr.* ii, 11-13. I *Joann.* ii, 1. Deus noster factus est frater noster, quod Creator noster factus est noster Salvator, quod judex noster factus est noster advocatus? Nonne perfectio creaturæ est assimilari suo Creatori? Per Verbi autem incarnationem, assimilati sumus nostro Creatori similitudine speciei specialissimæ. Imo, si rite intelligo, per incarnationem hanc benedictam, facti sumus naturales fratres naturalis Filii Dei, utpote ejusdem naturæ cum Filio Patris æterni. Non tamen sumus naturales filii Patris Verbi, quia non sumus naturales fratres Verbi secundum naturam illam qua convenit ei esse naturalem Filium Dei, sed ratione naturæ assumptæ. — Amplius autem incarnatio ista sanctissima maxime auget spem nostram, caritatem quoque summe inflammat. Quomodo enim diffidere possumus de misericordia et benevolentia ejus qui propter nos in tantum
Philipp. ii, 7. *Ps.* xx, 4. exinanivit se ipsum, qui tanta dilectionis signa nobis ostendit, qui ita prævenit nos in benedictionibus suæ dulcedinis? Quid etiam ita caritatem accendere potest, sicut tantorum exhibitio beneficiorum, et quod tantum dilecti ac ante dilecti sumus a Deo nostro, quod tam propinque ac intime se nobis univit quod una persona cum natura nostra effectus est, quod ultra omnem creaturam subcœlestem, cœlestem et supercœlestem, nostram exaltavit naturam?

Magna, ni fallor, et inæstimabilis est virtus horum verborum : Verbum caro factum est. Quæ decet nos cum omni humilitate interiori et exteriori, seu corporis prostratione, inclinatione vel genuflexione proferre, ut humiliemus nos illi qui propter nos humiliavit se ipsum, quum esset Altissimus; cum summa quoque reverentia et gratitudine cordiali ac mentis fervore, ut honoremus ac diligamus eum gratissimo animo, qui prior eatenus honorificavit atque dilexit nos. I *Joann.* iv, 10.

Quæritur, cur potius Verbum quam Pater vel Spiritus Sanctus incarnatum est. Et respondendum, quod propter diversas causas. Primo : nam Verbo seu Filio appropriatur similitudo Patris cum Patre. Homo autem peccavit, Dei similitudinem *Gen.* iii, 5. inordinate appetendo : unde peccatum hominis fuit quodammodo specialiter contra Filium. Propter quod Pater zelans pro Filio, hominem condemnavit. Filius vero videns Patrem pro se zelatum, atque sui occasione honore sibi ab hominibus impendendo privatum, pro Patre quoque zelatus est. Unde ad recuperandum Patris honorem hominumque salutem, voluit incarnari. Secundo, quoniam homo habet specialem assimilationem cum Verbo. Nam Verbo appropriantur ea quæ pertinent ad intellectum; homo quoque recipit speciem a perfectione intellectuali, videlicet ab esse rationali. Tertio, quoniam incarnatio ordinatur ad beatificam visionem; visio autem hæc respicit intellectum a quo profluit, et verbum ab intellectu procedit : sicque propter convenientiam Verbi cum visione beatifica, congruebat ei incarnatio ista salvifica. Quarto, quoniam Verbum est media in Trinitate Persona : idcirco conveniebat ei incarnatio et ratio mediatoris, ut esset Deus et homo.

Postremo, protestante Simeone justo ac *Luc.* ii, 25. timorato, hoc Verbum incarnatum positum est in signum cui contradicetur. *Ibid.* 34. Propterea omnia loca sacræ Scripturæ plena

sunt scandalis, secundum Hieronymum : non quod electi, qui sunt docibiles Dei, scandalizentur in verbis Scripturæ, sed reprobi volentes scrutari inscrutabilia Dei, sacramque Scripturam proprio intellectu metiri. Unde ex hoc quod dictum est, Verbum caro factum est, homines perditissimi in intolerabiles inciderunt errores. Arius namque et Eunomius asserebant, quod Verbum Dei sic factum est caro, quod solam carnem assumpsit, non animam. Dicebant enim, quod Verbum esset pura creatura, carni Christi loco animæ copulata. Apollinaris hæreticus dixit, quod Verbum sic factum est caro, quod aliquid Verbi in carnem mutatum est, et quod in Christo non fuit anima rationalis, quoniam vicem animæ intellectivæ suppleverit Verbum, fuerit tamen in eo anima sensitiva : quo concesso, Christus potius esset Deus et bestia, quam Deus et homo. Ebion autem, Cerinthus atque Photinus dixerunt, quod Verbum factum est caro per solam gratiæ unionem. Dixerunt enim, quod Christus esset purus homo, et non diceretur Deus nisi ob suæ sanctitatis et gratiæ excellentiam. Quorum errores quantum ad hoc secutus est inimicus Dei Nestorius, dicens quod Deitas non fuit in Christo nisi sicut in templo, affirmans quod ex Verbo et humana natura non constet una persona. Eutyches vero confinxit, quod Verbum sic factum est caro, quod ex natura divina et humana resultet in Christo una natura, sicut et una persona : quo dato, divina natura esset mutabilis, et Christus non esset Deus, nec homo, sed aliquid habens naturam mixtam ex divina atque humana natura. Sabellius dixit Patrem incarnatum. Manichæus asseruit Verbum carnem factum, non vere, sed tantum phantastice. Valentinus autem dixit, quod Verbum factum est caro, non assumendo corpus ex Virgine, sed secum illud portando de cœlo, ita quod corpus Christi fuerit de natura cœlestium corporum.

Joann. VI, 45.

Universos errores istos stultissimos dam-A nat Ecclesia, asserens Verbum veraciter assumpsisse totam naturam humanam, quatenus illa natura vinceret diabolum in Christo, quæ victa fuit ab eo in homine protoplasto. Denique hoc Christus assumpsit, quod sanandum redimendumque fuit. Quemadmodum ergo caro et anima rationalis infectæ erant peccato, ita utræque Verbo unitæ sunt, ita quod unio ista facta est in persona directe et immediate, tanquam in termino, non in natura hoc modo, nam utraque natura retinet suas B proprietates naturales, et sine confusione, perturbatione ac commixtione unitæ sunt, una manente persona. Quum autem dicitur, Verbum caro factum, passum ac mortuum, non insinuatur aliqua mutatio facta in ipso Verbo secundum se, sed in natura assumpta, quæ tam propinque ac intime conjuncta est Verbo, ut quod est unius, prædicetur de alio, videlicet humana de Verbo, et divina de homine ; sed quid propter quid dicatur, est attendendum.

C Postremo opinor quod Spiritus Sanctus non sine præcipuis causis dixit per Evangelistam, Verbum caro factum est, potius quam, Verbum factum est homo : primo, ut magnitudo divinæ inclinationis seu exinanitionis ostenderetur ; secundo, ut futurum Manichæorum errorem destrueret, incarnationisque veritatem apertissime demonstraret. — Itaque Deus factus est homo, ut nos deificemur : illius ad ima descensio, nostra est ad summa promotio.

D *Et habitavit in nobis,* id est in natura nostra quam induit, quæ fuit velut templum ac tabernaculum Verbi assumentis atque Divinitatis intus latentis. Unde et dixit Judæis, Solvite templum hoc : quod dixit de templo corporis sui, prout Evangelista exposuit. In ceteris Sanctis habitat Verbum per fidem et gratiam ; in Christo homine habitavit per hypostaticam unionem, et beatificam visionem, atque inseparabilem copulam. Vel sic, Habitavit in nobis, id est, inter nos commorari ac conversari

Joann. II, 19. *Ibid.* 21. *Ephes.* III, 17.

dignatus est, prout dictum fuit per Baruch : *Baruch* III, 38. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Hinc quoque per Zachariam prædixit : *Zach.* II, 10. Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui; et per Isaiam : *Is.* LII, 6. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.

Et vidimus gloriam ejus. Gloria in Scripturis diversis modis accipitur : interdum pro majestate, interdum pro clara cum laude notitia, interdum pro beatitudine B seu lætitia, interdum pro quacumque excellentia seu opere magno. Apostoli ergo viderunt oculo corporali gloriam Verbi incarnati, id est magnificentiam miraculorum ipsius : *Matth.* XVII, 1, 2. et claritatem quam habuit in transfiguratione viderunt Petrus, Joannes et Jacobus; claritatem vero et excellentiam ejus post resurrectionem viderunt *Act.* I, 3. omnes Apostoli. Porro majestatem Divinitatis in carne latentis, et beatitudinem animæ Christi Deo semper fruentis, viderunt Apostoli oculo intellectuali seu visu C interiori per fidem, præsertim post resurrectionem et Spiritus Sancti missionem. Excellentiam quoque ejus in prædicando et operando viderunt, quomodo erat docens sicut potestatem habens, *Matth.* VII, 29. *Marc.* I, 27. et novam ac propriam legem tradens; dæmones imperiali verbo ejiciens, atque ad nutum propria virtute miracula faciens; cordium arcana aperiens, cuncta futura prænoscens; post resurrectionem clausis januis intrans, *Joann.* XX, 19, 22. Spiritum Sanctum insufflans, in conspectu discipulorum ascendens. *Act.* I, 9. D Et quoniam omnia ista fuerunt supra hominem, et ultra omnem potestatem creatam, solique Deo possibilia, ideo subditur : *gloriam quasi Unigeniti a Patre,* id est, talem ejus gloriam vidimus, qualem decet videri et esse in unico naturalique Filio Patris æterni. Et ita, quod ait, Quasi, non denotat similitudinem, sed veritatem. Unde Evangelista omnem excellentiam Christi breviter innuens, dicit, Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre : ac si A de aliquo rege cum maximo apparatu intrante, diceremus, Ipse intravit quasi rex, id est tam clare atque potenter, ut spectat ad regem.

Propter hanc visionem Christus dixit Apostolis : Beati oculi qui vident quæ vos videtis. *Luc.* X, 23. Hinc per Isaiam fuerat prophetatum : Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt. *Is.* LII, 8. Et iterum dixit Isaias : Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum; et aures tuæ audient vocem post tergum monentis. *Ibid.* XXX, 20, 21. Et Psalmista : Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. *Ps.* LXVII, 25.

Postremo omnia, etiam humana et infima, quæ in Christo fuerunt, gloria et honore ornantur, *Ps.* VIII, 6. imo supernaturalibus magnificentiis decorantur, divinisque plena fuerunt præconiis. Nam conceptus et natus est ex muliere; *Galat.* IV, 4. sed mulier ista ante partum, in partu, et post partum virgo permansit, omnique macula caruit, tota pulchra ineffabiliterque sanctissima : *Cant.* IV, 7. et hoc utique gloriosissimum fuit. Denique hanc conceptionem ac nativitatem prædixerunt Prophetæ ac Patriarchæ, quam nuntiaverunt et Angeli. Turpissima quoque et acerbissima morte occisus est : *Luc.* I, 9-14. sed tempore passionis sola voce omnes adversarios suos dejecit in terram; *Joann.* XVIII, 6. et quum in cruce penderet, supernaturaliter obscuratus est sol, mota est terra; *Matth.* XXVII, 45, 51. et cum resurgente multi Sancti dudum mortui surrexerunt. *Ibid.* 52.

Vidimus etiam eum, *plenum gratiæ.* De plenitudine gratiæ Christi multa possem inducere; sed breviter perstringendo, sciendum quod secundum doctores, fuit et est in Christo triplex gratia, utpote gratia unionis, gratia habitualis, et gratia capitis. Alii dividunt sic, quod in Christo fuit gratia unionis, gratia singularis personæ, et gratia capitis. Sed redit in idem, quoniam gratia singularis personæ fuit habitualis, sicut et gratia capitis : ideo illi per gratiam habitualem intelligunt gratiam illius personæ singularis, hominis Christi.

Digitized by Google

Gratia autem unionis in Christo, non est quid creatum, sed ipsemet Deus gratiose, gratis et pie uniens naturam humanam divinæ, vel esse personale Verbi humanitati unitum. De hac gratia intelligendum est verbum Augustini, dicentis, quod sola gratia factum est ut homo sit Deus, et quod humana natura unita est Verbo. Quum enim unio Verbi ac hominis sit summa et propinquissima, scilicet personalis, certum est quod non sit facta per aliquam gratiam creatam ac habitualem intermediam. — Gratia vero habitualis in Christo, est donum supernaturale, personalem consequens unionem, operationes Christi perficiens. Quæ gratia tanta fuit in Christo, quod major gratia communicari non potest creaturæ. Tota nempe capacitas intellectualis creaturæ vel rationalis, quantum ad gratiæ receptionem, fuit in anima Christi repleta. Eratque gratia ista summe perfecta atque plenissima, ratione immediatæ ac hypostaticæ unionis hominis Christi cum Verbo. Quanto enim intellectualis creatura fonti gratiarum Deo sublimi vicinius copulatur, tanto gratia ampliori perfunditur. Quemadmodum ergo humanitas Christi incomparabiliter præ ceteris omnibus vicinius unita est Verbo, sic gratia ejus omnium electorum gratiam incomparabiliter pene, non tamen simpliciter infinite, excedit. — Insuper, quoniam Christus est salvator, mediator et caput totius Ecclesiæ militantis ac triumphantis, ideo habet omnibus de sua plenitudine communicare, spiritualem sensum atque vivificum motum influere, sicut et caput influit membris sensum ac motum. Idcirco ponitur in Christo gratia capitis, hoc est exuberans habitus gratiæ, ex cujus redundantia alii gratiam sortiuntur. Gratia tamen immediate a Deo creatur; sed gratia Christi asseritur causa gratiæ aliorum per modum causæ instrumentalis, exemplaris, seu meritoriæ. Unumquodque autem operatur per id per quod est in actu. Quoniam ergo Christus per gratiam habitualem seu personalem, est in actu gratiæ perfectissimo, ideo per eamdem gratiam influit aliis. Unde gratia habitualis et gratia capitis non distinguuntur in Christo realiter, sed gratia capitis superaddit gratiæ habituali rationem superabundantiæ. — Patet ergo, quod gratia unionis in Christo sit simpliciter infinita, quum sit ipsemet Deus, qui est gratia effective gratificans, sicut appellatur natura naturans. Alia gratia, quum sit quid creatum, non est simpliciter infinita in Christo.

I Tim. II, 5; *Ephes.* I, 22. *Ephes.* I, 23.

Quæritur, quid magnum est Christo, quod dicitur plenus gratia, quum de Joanne Baptista prædixerit angelus : Spiritu Sancto replebitur ex utero matris. Stephanus quoque plenus gratia et fortitudine fuisse describitur; et de Apostolis legitur, quod repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Dicendum, quod gratia dicitur plena dupliciter : Primo, ex parte gratiæ, quum tanta est intensive ac virtualiter, quod major esse non valet : sicque plenitudo gratiæ est propria Christo. Secundo, ex parte subjecti, ut quum quis habeat gratiam tantam, quod operationes ad quas divinitus ordinatur, facile exsequi potest : et ita Sancti dicuntur fuisse gratia pleni, secundum exigentiam sui status ac propriæ conditionis. Tanto enim gratia dicitur plenior, quanto redundare potest in plures. Plenum autem opponitur vacuo. Unde quemadmodum aliqua nuncupantur diversimode vacua, sic multipliciter plena dicuntur.

Luc. I, 15. *Act.* VI, 8. *Ibid.* II, 4.

Præterea fuerunt in Christo gratiæ gratis datæ, quæ ordinantur ad fidei manifestationem et aliorum utilitatem, videlicet gratia prophetiæ et miraculorum, donum linguarum, etc. Dona vero Spiritus Sancti fuerunt in eo excellentissimo modo; virtutes quoque morales et intellectuales, eo modo quo, secundum Plotinum magnum Platonicum, virtutes heroicæ insunt hominibus purgati defæcatique animi. Quædam tamen virtutes imperfectionem includunt circa objectum, ut fides et spes; vel circa subjectum, ut pœnitentia. Fides

I Cor. XII, 7. *Ibid.* 10.

Digitized by Google

namque includit defectum et obscuritatem notitiæ, spes vero absentiam et exspectationem boni optati. Hæ ergo virtutes non fuerunt in Christo, cujus anima a suæ creationis principio vidit Deum per speciem, plenamque sortita est felicitatem.

Et veritatis. Verbum incarnatum plenum fuit veritate, id est Divinitate, secundum Augustinum et Bedam, quia in
Coloss. II, 9. ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, secundum Apostolum. Veritas quoque increata appropriatur Filio ab intellectu Patris profluenti. Fuit etiam plenum veritate, id est omni cognitione et
Ibid. 3. sapientia, quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Fuit etiam et est in Christo sapientia increata, quæ realiter idem est quod Verbum ac divina essentia; item, sapientia Beatorum seu patriæ, quoniam anima ejus vidit semper Deum per speciem, cognovitque omnia in Verbo, quæ Deus cognoscit notitia visionis, videlicet universa præterita, præsentia, et futura. Est quoque in Christo scientia indita seu infusa, qua per species sibi concreatas agnoscit res in propriis naturis, ordinibus atque generibus : quemadmodum angeli, secundum Augustinum, cognoscunt res cognitione vespertina, et
Gen. II, 19, 20. Adam cognovit creata in paradiso ante ruinam. Præter istas scientias ponunt quidam in Christo scientiam acquisitam, ita quod intellectus possibilis animæ Christi abstraxit ab intellectu suo agente species rerum sensatarum. Nulla enim naturalis perfectio defuit Christo : unde ad ejus perfectionem pertinuit, quod easdem res diversis modis atque scientiis novit. De hac scientia dicunt loqui Apostolum ad
Hebr. V, 8. Hebræos : Didicit ex his quæ passus est, obedientiam. Insuper Christus plenus fuit veritate vitæ, veritate doctrinæ, et veritate justitiæ.

Huic autem verbo Joannis, consonat il-
Luc. II, 40. lud Lucæ : Puer Jesus crescebat plenus sapientia, et gratia Dei erat in eo. Imo tam plenus fuit gratia a principio suæ conceptionis in Virgine, quod nunquam

A profecit in gratia habituali, sicut nec in sapientia, nisi ponamus in eo sapientiam acquisitam. Unde quod Lucas dicit, pro- *Luc.* II, 52.
fecisse gratia et sapientia apud Deum et homines, intelligendum est quantum ad manifestationem, sicut post resurrectionem dicitur ei data omnis potestas in cœ- *Matth.* XXVIII, 18.
lo et in terra; vel quantum ad usum. — Postremo dicitur Christus plenus veritate, quoniam implevit et verificavit ea quæ scripta erant de ipso.

Deinceps Evangelista confirmat quæ di-
B xit de excellentia Verbi incarnati, testimonio Præcursoris. *Joannes* Baptista *testi-* 15
monium perhibet de ipso : quemadmodum dictum atque expositum est, Hic venit in *vers.* 7.
testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. *Et clamat* magno affectu, sublimique voce, tanquam certus de veritate, nec metuens prædicare eminentiam Filii Dei. Dicit autem Evangelista de Præcursore principaliter, Perhibet, et, Clamat : nam quamvis verba ore Joannis Baptistæ prolata diu transierint, tamen
C verba ejus incessabiliter repetuntur, et ipse in Evangelio indesinenter testimonium perhibet Christo et clamat. Quid ergo de Christo testetur, subjungitur.

Hic Unigenitus Patris plenus gratia et veritate, *erat* ab æterno, quia in principio erat Verbum, et etiam nunc est, semperque erit ille, *quem dixi* esse regem Messiam, Salvatorem mundi ; vel, Quem dixi, id est, futurum prænuntiavi, et de quo testificatus sum verba sequentia : *Qui post me,* id est post meam prædicationem
D ac baptizationem, *venturus est* in publicum, manifeste docendo, miracula faciendo, atque per suos discipulos baptizando. Non utique loquitur Joannes de adventu Christi in mundum, quoniam incarnatio et nativitas Christi humana jam diu fuerunt præteritæ; sed Christus, qui usque ad tricesimum suæ ætatis annum latuit, post prædicationem Joannis venit in publicum. *Ante me factus est,* id est mihi præpositus et prælatus seu dignior factus, etiam secundum naturam assumptam, cu-

Digitized by Google

jus dignitas et gratia omnium creaturarum simul sumptarum dignitatem gratiamque excellit, per hypostaticam ejus unionem cum Verbo. Unde ratio prælationis subjungitur : *quia prior me erat,* secundum divinitatem, in qua coæternus est Patri. Quoniam ergo persona Verbi æterna est, idcirco ipsa secundum naturam assumptam omni creaturæ præficitur. Nec obstat illud Psalmistæ, quod Apostolus ad
Ps. viii, 6; Hebr. ii, 7. Hebræos allegat de Christo : Minuisti eum paulo minus ab angelis. Quamvis enim Christus, quantum ad corporis passibilitatem et assumptæ humanitatis naturalem seu specificam dignitatem, minor angelis fuit, absolute tamen loquendo major exstitit illis, secundum suam humanitatem, imo secundum corpus et animam, ut Verbo unita omniumque gratiarum charismatibus adimpleta.

Ex hoc verbo vitali quo ait Joannes de Christo, Ante me factus est, sumpsit Arius occasionem letalis erroris, asserens Verbum secundum naturam Verbi factum, quum certum sit quod Joannes præcessit ipsum Verbum secundum quod incarnatum : unde Verbum non potest dici factum ante Joannem, nisi secundum propriam naturam. Sed argumentum istud facillime solvitur, quia laborat in æquivocis : non enim jam sumitur factum esse, pro productione rei quantum ad esse de non esse, sed sicut expositum est. Juxta quem sensum Manasses primogenitus filius Joseph patriarchæ, dicere potuit de fratre suo Ephraim, Qui post me venit seu natus est, ante me factus est, quia sublimius benedictus, atque præpositus
Gen. xlviii, 13-20. Baruch ii, 5. mihi a patriarcha Jacob : ut patet in Genesi. Juxta hunc modum Baruch ait : Facti sumus subtus, et non supra. Potest nihilo minus exponi de Christo secundum assumptam humanitatem, et factione proprie dicta. Eritque sensus : Ante me, id est ante generationem seu nativitatem meam ex utero, factus est, id est quantum ad corporis sui perfectam organizationem quoad lineamentorum distincti-

A onem, quamvis non quoad debitam quantitatem; et item, Ante me factus est, quoad animæ suæ perfectionem in omni sapientia, dono, virtute et gratia Spiritus Sancti. Christus enim in primo suæ conceptionis instanti habuit corpus et animam prædictis modis perfecta, et tunc Joannes nondum factus fuit his modis.

Porro quæ sequuntur, Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, dicit Origenes esse verba Joannis Baptistæ. Et hoc videtur : primo, ex ordine vel serie tex-
B tus; secundo, ex parte conjunctionis copulativæ *et,* connectentis sequentia præcedentibus; tertio, quia post verba sequentia immediate subjungitur : Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes ad eum. Secundum Hieronymum vero, Augustinum et Bedam, sunt verba Joannis evangelistæ redeuntis, et exsequentis post introductionem testimonii Joannis Baptistæ, quod supra dixit : Et Verbum caro factum est, et vidimus gloriam ejus. Itaque, secundum
C istos, Evangelista prosequitur quid de Christi humanitate sentit, et quomodo Apostoli viderunt gloriam ejus, quum dicitur :

16 *Et de plenitudine ejus,* id est de plena et superabundanti gratia Christi, *nos omnes accepimus* aliquam portionem, seu gratiam particularem : quemadmodum ait Apostolus, Divisiones gratiarum sunt, idem I Cor. xii, 4.
autem Spiritus; itemque, Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, etc.; et iterum, Unicuique (inquit) nostrum data est gratia, secun- Ibid. 8-10. Ephes. iv, 7.
D dum mensuram donationis Christi. Accepimus ergo de plenitudine ejus gratiam subsequentem et bene agendo adeptam ac meritam, pro gratia primo infusa pure gratis collata. Nemo enim primam gratiam gratificantem valet mereri, quum sine gratia nihil sit meritorium, et tanta est dignitas gratiæ, quod ex puris naturalibus mereri non potest; sed ea gratis accepta, potest homo per eam adipisci gratiam ampliorem, imo de condigno mereri gratiæ incrementum.

Digitized by Google

Quoniam ergo gratia sequens, seu major vel aucta, datur pro actu meritorio procedente a gratia prima, ob id dicimur accipere *gratiam pro gratia.* Vel, Accepimus de plenitudine ejus, id est de sapientia, pietate et gratia Christi, gratiam novi Testamenti, id est evangelicam legem et gratiam, pro gratia veteris Testamenti, id est loco Mosaicæ legis. Utraque autem lex gratia appellatur, quoniam gratis et misericorditer data. Vel sic : Accepimus gratiam membrorum, videlicet gratiam nobis concessam, pro gratia capitis, id est merito et efficacia gratiæ Christi, qui quolibet vitæ suæ actu quem habuit ut viator, ex gratia profluente meruit nobis gratiam in præsenti, et gloriam in futuro. Sibi ipsi enim non meruit gratiam gratum facientem, nec beatificam visionem, sed membris suis, quæ participant gratiam capitis per fidem et sacramenta Ecclesiæ. Secundum Magistrum vero Sententiarum, quoniam nostra merita et præmia sunt Dei dona, eo quod ex gratia sola liberalitate Dei infusa dependeant, ideo potest sic accipi : Accepimus gratiam, id est meritum vel præmium, pro gratia, quæ est causa meriti vel mercedis. Quum ergo Deus remunerat nostra merita, remunerat sua dona, donatque gratiam super gratiam, juxta illud : Habenti dabitur, et abundabit. (*Matth.* xxv, 29.) Augustinus quoque et Beda exponunt sic : Accepimus jam in spe, gratiam pro gratia, id est vitam æternam pro fide.

Quæritur, quum gratia Christi sit accidens, quod non migrat de subjecto in subjectum, et quum solus Deus sit gratiæ dator, quomodo dicimur de plenitudine gratiæ Christi accepisse. Rursus, quomodo gratia gratis confertur, si datur merito Christi. — Et respondendum ad primum, quod non dicimur accepisse de plenitudine Christi, quasi particulam gratiæ ejus acceperimus, ita quod gratia Christi sit divisibilis, et eadem numero sit primo in Christo, deinde in nobis ; sed quia plenitudo gratiæ Christi est causa instrumentalis, dispositiva ac meritoria, per quam A singulis electis hominibus datur gratia secundum aliquem gradum, sola vero Divinitas est causa efficiens gratiæ. De plenitudine autem gratiæ Christi omnes, præsertim Apostoli, acceperunt, acceptando gratiam non dumtaxat pro habitu gratiæ gratum facientis, quæ ponitur in essentia animæ, sed pro quocumque dono supernaturali vel supernaturaliter dato, quamvis sit naturale in se. Nam de plenitudine sapientiæ Christi, accepimus evangelicam legem ; de plenitudine vero sanctissimæ B conversationis suæ, accepimus boni exempli exhibitionem ; de plenitudine suæ gratiæ interioris, essentiam animæ perficientis, accepimus gratiam pro gratia, id est gratiam habitualem deiforme esse præstantem, pro gratia secundum modos præhabitos. Maxime autem de plenitudine Christi receperunt Apostoli, aliique cum eis in conclavi collecti, quando in die sancto Pentecostes receperunt Spiritum Sanctum in signo visibili (*Act.* II, 1-4) ; repletique sunt omnes, non solum gratia gratificante, sed C et gratiis etiam gratis datis. Nec mirum si de plenitudine Christi dicimur accepisse, quum Petrus universos fideles hortetur, dicendo : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. (I *Petr.* IV, 10.) — Ad secundum dicendum, quod gratia fertur dari sine præviis meritis, quoniam datur sine præviis meritis recipientis, non sine meritis Salvatoris ; vel datur sine meritis quantum ad primam radicem, quia et Christo collata D est absque meritis ejus (sola enim bonitate Dei datum est humanæ naturæ Christi, esse unitam Verbo, et gratia adimpleri), et quoniam Deus decrevit hominibus gratiam dare ex sua largitate per meritum Christi, sive futurum, sive præsens, sive præteritum.

Consequenter subditur causa, signum vel declaratio, quod de plenitudine Christi
accepimus. *Quia lex* veteris Testamenti, 17
in qua erant præcepta moralia, judicialia, ac cærimonialia, *per Moysen data est,* tan-

quam per servum populo Israel. Data est A quoque per angelos, quemadmodum in Actibus loquitur Stephanus ad Judæos in- *Act.* VII, 53. credulos : Accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis. Unde *Galat.* III, 19. ad Galatas dicit Apostolus : Lex propter transgressiones posita est, ordinata per angelos in manu mediatoris. Ex quibus elicitur, quod data sit lex ministerio angelorum multorum, quamvis communiter non fiat mentio nisi de angelo uno, qui frequentius apparuit Moysi. Lex ergo data est a Deo principaliter, per angelum B ministerialiter Moysi, et per Moysen tanquam per ministrum secundarium, data est populo Israel.

Gratia, id est liberatio a peccatis, justificatio generis humani, supernaturale donum Spiritus Sancti perficiens animam, eamque Deo acceptam et ad promerendum idoneam faciens, *et veritas,* id est doctrina evangelicæ legis, vel impletio legis ac Prophetarum, *per Jesum Christum facta est.* Christus namque ut Deus, causa est principalis atque efficiens gratiæ hujus; C sed ut homo talis, est causa instrumentalis ac meritoria ejus. Ipse quoque per assumptam humanitatem implevit et verificavit quæ de ipso prænuntiabantur in lege et Prophetis per figuras seu verba prophetica. Ipse etiam exposuit nobis Scripturas veteris legis per se ipsum, quando *Luc.* XXIV, 45. aperuit discipulis sensum ut intelligerent Scripturas, et quando misit eis Spiritum Sanctum, prout apud Joannem promisit : *Joann.* XVI, 13. Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. D

Præterea Moyses dedit legem, multa jubendo; sed non dedit gratiam qua impleventur quæ jussit. Lex quoque Mosaica *Hebr.* X, 1. habuit umbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, ut dicit Apostolus. Christus vero præstitit gratiam adimplendi quæ jussit, et pro umbra legalium figurarum, proposuit lucem veritatis, atque imaginem rerum, id est evidentem similitudinem bonorum cœlestium. Propter quod, secundum Dionysium, lex evangelica media est inter legem Mosaicam et statum Beatorum in patria. Hinc tempus Christi novæque legis, vocatur tempus gratiæ : quoniam lex nova dat gratiam, in quantum includit sacramenta Ecclesiæ, quæ faciunt quod designant; et propter copiosissimam gratiam quam Christus nobis promeruit; et item propter ineffabilem magnitudinem beneficiorum Dei, et pronitatem ejus ad dandam gratiam tempore evangelicæ legis. Unde philosophis dicitur innotuisse divina majestas ; Judæis, justitia. Christianis vero misericordia innotescit, prout ad Titum protestatur Apostolus : Apparuit benignitas et huma- *Tit.* III, 4. nitas Salvatoris nostri Dei; et alibi, Ap- *Ibid.* II, 11. paruit gratia Salvatoris. Hoc per Zachariam legitur prophetatum, quum dicitur : Et erit qui offenderit ex eis in die illa *Zach.* XII, 8. sicut domus David, et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini.

Deinde ostendit Joannes certitudinem horum quæ hic recitantur. *Deum nemo* 18 *vidit unquam.* Verba evangelistæ Joannis, sicut in stilo simplicissima sunt, sic in sensu vere profundissima exstant. Sic nempe decuit scribi Evangelium humillimi atque altissimi Jesu Christi, ut esset in stilo simplicitas summa, et in sensu profunditas maxima : quatenus sermonis inculta simplicitas corresponderet, tam humilitati humanitatique Christi, de quo conscriptum est Evangelium, quam humilitati Evangelistarum scribentium, qui omnem curiositatem stilique pompam vitarunt; profunditas vero sententiæ corresponderet, tam majestati ac divinitati Christi, quam altæ illuminationi Evangelistarum. Ait ergo nunc Evangelista aquilinus ac deificatus : Deum nemo vidit unquam. Quid quantum ad verba simplicius ? quid in sensu profundius ? Quomodocumque enim exponatur, habet instantiam, et requirit idoneam responsionem.

Potest autem exponi quatuor modis, secundum quod quadriformis est visio, et etiam visio Dei. Est enim corporalis visio Dei, non tamen secundum divinitatem. De

Digitized by Google

Job xix, 26, 27. qua ait sanctus Job : In carne mea videbo Deum salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt. Ex qua auctoritate ostendit Thomas in Summa contra gentiles, quod beatus Job noverat Deum incarnandum. Alia est visio Dei imaginaria, de qua communiter eloquuntur Prophetæ : ut Isaias, quum *Is.* vi, 1. dicit, Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; Daniel quo- *Dan.* vii, 9. que, Adspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit. Tertia est visio Dei per speciem, qua Deum vident Sancti B in patria. Quarta est visio perfectæ comprehensionis, qua res cognoscitur totaliter, tamque perfecte sicut ex sua natura cognoscibilis est : qua solus Deus videt se ipsum.

Si ergo hæc verba exponantur de visione corporali, occurrit objectio de Jacob, qui de visione tempore vigiliæ habita, ait *Gen.* xxxii, 30. in Genesi : Vidi Dominum facie ad faciem. Sed hoc facile solvitur, ut dicamus cum Augustino, quod non vidit Deum in propria persona, sed per creaturam sub- C jectam, hoc est per angelum, Dei præconem : quo modo Manue pater Samsonis, *Judic.* xiii, 22. viso angelo, locutus est conjugi suæ, Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Sed tunc occurrit objectio de his qui Christum in carne viderunt, qui utique divinam Personam verumque Deum corporali visu I *Joann.* i, 1. intuiti sunt, sicut Joannes ait : Quod perspeximus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ. Sed hoc rursus de facili solvitur, quoniam non viderunt Deum secundum divinitatis es- D sentiam, sed quoad naturam assumptam; divinitatem vero non viderunt, nisi per fidem. Porro, si verba hæc exponantur de visione imaginaria, certum est quod Prophetæ frequenter asserant se hoc modo Deum vidisse. Si autem exponatur de visione comprehensionis, habet instantiam de Sanctis in patria, qui Deum comprehendere perhibentur, unde et comprehensores dicuntur. Si vero exponatur de comprehensione omnino perfecta, occur- A rit instantia de Christo, qui quum homo esset, comprehendit Deum perfecte, quemadmodum ait Joannes : Nemo novit Pa- *Matth.* xi, 27; *Joann.* vi, 46. trem, nisi Filius.

Verum breviter respondendo dicendum, quod verbum Evangelistæ his quatuor modis intelligi potest. Primo sic : Deum Trinitatem, vel quamcumque divinam Personam, nemo vidit, videt, videbit videreve potest unquam visu corporali, quantum ad Divinitatis naturam, quum Deus secundum propriam essentiam sit incorporalis, incircumscriptus, simplicissimus, atque purissimus actus. Unde dicit Apostolus : Quem nemo hominum vidit, sed *I Tim.* vi, 16. nec videre potest. — Secundo sic : Deum in sua essentia, nemo vidit unquam, visione imaginaria. Quamvis enim in tali visione dicatur Deus videri, hoc tamen non est, nisi in quantum in sensu interiori formantur corporales similitudines, ad repræsentandum Deum.

Tertio sic : Deum in sua essentia, seu per speciem, nemo, hoc est nullus homo purus viator, vivens vita humana ac sensitiva vidit unquam. Sic enim Deus videri non potest, nisi per speciem increatam, quum omnis species, forma ac similitudo creata, in infinitum deficiat a clara repræsentatione divinæ essentiæ, sicut et omnis creatura in infinitum deficit a plena repræsentatione perfectionis divinæ.

Denique, quum secundum Philosophum, intellectus noster se habeat ad cognitionem intelligentiarum, quemadmodum oculus noctuæ ad intuitum lucis solaris, patet quod incomparabiliter impotentior sit ad claram ac immediatam divinæ essentiæ visionem, loquendo de statu ejus in præsenti, et naturali virtute. Hoc cognoverunt atque professi sunt omnes subtiliores philosophi. Unde Alphorabius, Avicenna, Theophrastus, alii quoque innumerabiles dixerunt, quod de Deo melius cognoscimus quid non sit, quam quid sit, et quod de eo solum cognoscimus quia est, non quid est. Hoc princeps theologorum beatissimus Dionysius, plenius docet, affir-

Digitized by Google

mans quod perfectissima cognitio quam habemus de Deo in vita præsenti, est per puram ac meram abnegationem omnium rerum a Deo, ita ut uniamur ei tanquam prorsus ignoto. Unde tertio capitulo Mysticæ Theologiæ : Hoc est (inquit) Deum vere cognoscere, supersubstantialem supersubstantialiter per omnium entium ablationem laudare. Et in epistola ad Dorotheum : Invisibilis est Deus propter excedentem suæ lucis claritatem. Lux autem divina, immensa et increata, secundum quod inaccessibilis seu incomprehensibilis, hoc modo vocatur a Dionysio divina caligo. De qua in epistola sua ad Caium monachum contestatur : Divinæ tenebræ cooperiuntur omni lumini, et absconduntur omni visioni, propter incircumscriptibilem propriæ claritatis splendorem. Omnia hæc in Elementatione theologica Procli, et in libro de Causis, subtilissime inveniuntur probata.

I *Tim.* vi, 16.

Hinc quoque Dominus ait ad Moysen : Non poteris videre faciem meam ; non enim videbit me homo et vivet. Verumtamen, quoniam in libro Numerorum de Moyse legitur, Palam, et non per ænigmata et figuras, videt Deum ; et quoniam Paulus de se ipso fatetur, quod raptus est usque ad tertium cœlum, audivitque arcana verba quæ non licet homini loqui : propterea Augustinus in libro de Videndo Deum, et Thomas, dicunt quod Moyses Judæorum magister, et Paulus gentium doctor, viderunt Deum in hac vita per speciem. Sed hoc non est contra prædicta, quia pro tunc non vixerunt vita humana, nec quidquam senserunt. Quod ergo legitur Moysi negatum in Exodo, postea concessum est ei, ut legitur in libro Numerorum.

Exod. xxxiii, 20. *Num.* xii, 8. II *Cor.* xii, 2, 4.

Quarto sic : Deum nemo, hoc est nulla creatura, vidit visione perfectæ comprehensionis unquam. Sic enim nec anima Christi videt Deum, qui sicut est infinitæ actualitatis, sic est infinitæ cognoscibilitatis : propter quod perfecte atque totaliter cognosci et comprehendi non valet, nisi ab intellectu infinitæ virtutis. Hanc ultimam expositionem multi putant amplius ad propositum pertinere. Sicque Damascenus in principio sui libri disseruit, quod non solum nullus hominum, sed nec aliquis supermundanorum animorum, Deum vidit unquam. Sed advertendum, quod res dicitur a cognoscente comprehendi dupliciter : Primo, quoniam ejus essentia cernitur, et sic ipsa immediate attingitur. Hoc modo Sancti in patria comprehendunt Deum, et comprehensores dicuntur, quoniam vident, hoc est, intelligunt et agnoscunt Deum sicuti est, secundum Joannem, seu facie ad faciem, juxta Paulum. Secundo, res dicitur comprehendi, quia in tantum cognoscitur sicut ex sua natura cognoscibilis est, ita quod nil ejus latet, sed quasi infra certos terminos continetur in animo cognoscentis. Hoc modo infinitum a finito comprehendi non potest : sicque Apostolus loquitur, Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus ejus.

I *Joann.* iii, 2. I *Cor.* xiii, 12. *Ibid.* ii, 11.

Præter modos commemoratos, videmus Deum tripliciter : per fidem, per naturalem rationem, per anagogicam illustrationem.

Consequenter pandit Evangelista, quis nos instruxit de invisibilibus Dei. *Unigenitus Filius,* Patri consubstantialis, consempiternus et coæqualis, *qui est* invariabiliter ab æterno, *in sinu Patris,* id est Patri intime atque affectuosissime inseparabiliterque conjunctus, *ipse enarravit,* id est, in Evangelio docuit quid de Divinitatis unitate, et Personarum trinitate, quid de Creatoris providentia, omnipotentia, ceterisque secretis divinis, et ad salutem pertinentibus, sentire debemus. Hinc infra loquitur : Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Et ut ait Joannes : Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum verum. Hoc utique insuperabiliter ac ineffabiliter roborat fidem nostram, quod a Filio Dei unigenito vero Deo sumus edocti. Itaque, quod ait, Filium esse in sinu Patris, non

Joann. xvii, 6. I *Joann.* v, 20.

Digitized by Google

est materialiter intelligendum, sed per A
sinum, intelligitur cor paternum, in quo
Verbum æternaliter manet. Loquitur tamen Evangelista more humano, quatenus
per exsistentiam Filii in sinu Patris, insinuet superdulcem affectum, amorosissimamque unionem Patris ac Filii, sicut
apud nos parentes ponunt filios in sinu,
ex magno affectu.

Quoniam ergo fides et lex christiana ab
unigenito Filio Dei pronuntiata ac data
est nobis, idcirco gravius est non credere
et obedire Evangelio, quam olim fuit non B
credere ac parere Pentateucho et Scripturis veteris Testamenti. Ad quod insi-
Hebr. XII, 25. nuandum dicit Apostolus ad Hebræos : Si
illi (puta Judæi) non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur
(puta Moysen), multo magis nos qui de
cœlis loquentem nobis avertimus, scilicet
Filium Dei, non effugiemus. — De hac
sua enarratione Christus ait apud Isaiam :
Is. LXI, 1. Ad annuntiandum mansuetis misit me.

Deinde Evangelista prosequitur plenius
testificationem Joannis de Christo, osten- C
dens locum et tempus, ubi et quando per-
19 hibuit testimonium Christo. *Et hoc est testimonium Joannis,* id est, verba Joannis
Baptistæ jam introducta, sunt quæ testificando dixit de Christo. Aliqui referunt
hoc ad verba sequentia, in quibus Præcursor testatur veritatem de Christo. *Quando miserunt Judæi ab Jerosolymis,* urbe
sacerdotali ac regia atque metropoli in
Judæa, in qua studium Prophetarum ac
legis vigebat, sacrificia quoque fiebant, et
principes Judæorum demorabantur, *sacer- D
dotes et Levitas,* videlicet nuntios solennes et eruditos, qui magis videbantur zelare pro lege ac divino honore, *ad eum,
ut interrogarent eum : Tu quis es,* id est
quæ vel qualis persona, cujus auctoritatis
aut dignitatis ?

Unde moti fuerunt Judæi ad hanc legationem et interrogationem Joannis ? Nisi
enim putassent eum esse aliquem magnum, non misissent ad eum tales legatos, nec tam magna petissent ab ipso.

Et respondendum, quod Judæi, baptizante
Joanne, magnam æstimationem habebant
quod Messias venisset in mundum, ex causis diversis, videlicet : propter testimo- Luc. II, 20, 25-38.
nium pastorum, Annæ prophetissæ et justi
Simeonis, trium quoque Magorum, et pro- Matth. II, 1-6, 16.
pter occisionem infantium : quorum testimoniorum memoria adhuc in Judæis
permansit. Item, quia viderunt sibi regnum ablatum, et alienigenæ traditum,
quod Jacob dedit eis pro signo adventus Gen. XLIX, 10.
Christi ; et quia viderunt hebdomadas illas
impletas, de quibus cecinit Daniel quod Dan. IX, 24-27.
intra illas Christus veniret. Istud de hebdomadibus dicit quidam, quod non videtur certum, vel multum probabile, quia
apud Matthæum Christus improperat Pharisæis, quod ex vaticinio Danielis prædicto, non adverterunt tempus adventus Messiæ instare : Faciem (inquit) cœli judicare Matth. XVI, 4.
nostis, signa autem temporum non potestis ? Et in Luca planius ait : Hypocri- Luc. XII, 56.
tæ, faciem cœli et terræ nostis probare,
hoc autem tempus quomodo non probatis ? Quoniam itaque æstimabant tempus
Messiæ adesse, opinati sunt Joannem esse
Christum, propter miraculosam ejus nativitatem, quæ super omnia montana Ju- Ibid. I, 65.
dææ divulgabatur ; item, propter vitæ suæ
abstractionem, rigorem ac sanctitatem, genealogiæ nobilitatem. Quum enim fuerit
natus de tribu sacerdotali, probabile est Ibid. 3, 13.
quod etiam fuit de tribu regali vel Juda,
quoniam hæ duæ tribus pene semper contraxerunt ad invicem. Quærendo autem,
Tu qui es ? non intendebant sciscitari vel
certificari de nomine et origine, hæc enim
sciebant ; sed de dignitate et gratia.

Et confessus est Joannes veritatem, tan- 20
quam Veritatis præco, amicus et paranymphus, *et non negavit* eam. Os enim quod Sap. I, 11.
mentitur, occidit animam. Et Psalmista
ait Deo : Perdes omnes qui loquuntur Ps. V, 7.
mendacium. Quamvis namque sæpe sit licitum veritatem silere, propter audientium improbitatem, vel propriam pacem,
seu aliam piam seu rationabilem causam
(juxta illud Psalmistæ : Posui ori meo cu- Ps. XXXVIII, 2, 3.

Digitized by Google

stodiam, dum consisteret peccator adversum me; obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis), nunquam tamen licet veritatem negare, quamvis possit aliquando pia cautela abscondi. *Et confessus est : Quia,* id est quod, *non sum ego Christus,* id est non judex, non sponsus, non Salvator, non unigenitus Filius Dei, sed Christi minister, judicis præco, sponsi paranymphus, Salvatoris præcursor, Filii Dei minister. Sacerdotes ergo primo quæsierunt explicite vel saltem implicite a Joanne, an esset Christus. Idcirco Joannes respondit vel ad verba, vel ad mentem eorum.

21 *Et interrogaverunt eum : Quid ergo es? et quid restat? Elias es tu?* Putabant autem Judæi Joannem esse aliquem valde magnum. Quum ergo audissent quod non esset Christus, sciscitati sunt an esset Elias, qui fuit unus de maximis Sanctis veteris Testamenti. Multa vero induxerunt sacerdotes atque Judæos ad opinandum
Luc. i, 80; *Matth.* iii, 4; xiv, 4. III *Reg.* xix, 4; IV *Reg.* i, 8; III *Reg.* xix, 10, 14. *Malach.* iv, 5, 6. quod Joannes esset Elias, scilicet : solitaria vita, duritia vestium, zelus justitiæ contra Herodem. Omnia enim hæc in Elia fuerunt. Item, quoniam adventus Eliæ fuit Judæis promissus per Malachiam. Propter quod discipuli dixerunt Christo, apud Matthæum :
Matth. xvii, 10; *Marc.* ix, 10. Quomodo dicunt Pharisæi, quod Eliam oportet prius venire? Sed quoniam isti Judæi sciebant Joannem esse Zachariæ filium atque Elisabeth, circa triginta annos habentem, intra quos ex infante crevit in virum, mirum est quomodo interrogaverunt, an Joannes esset Elias, qui
IV *Reg.* ii, 11; *Malach.* iv, 5. per tot centenos annos translatus fuit in paradisum, et rediturus est in forma ac statu virili. Et respondendum, quod multi Judæorum tunc, sicut et nunc, posuerunt animas transcorporari : sicque æstimare poterant quod Joannes esset Elias in alio corpore, sicut et multi eorum dixerunt
Num. xxv, 13; III *Reg.* xix, 10, 14. quod Elias esset Phinees, propter zelum utriusque contra iniquos. Vel, sicut quidam dixerunt Jesum esse Eliam, aliique Jeremiam, aut unum ex Prophetis, sic isti æstimabant de Joanne.

A *Et dixit : Non sum* Elias in persona, quia non idem homo. Joannes tamen dici potest Elias, propter similitudinem operationis, parilitatem officii, conformitatem conversationis, sanctitatis et gratiæ cum Elia. Præcessit enim primum Christi adventum, sicut ille præcedet secundum; redarguit Herodem et Herodiadem, sicut ille Achab et Jezabel; uterque eremita; et in aliis multis conveniunt. *Matth.* xiv, 4. III *Reg.* xxi, 20-24. Propter quod ait Christus discipulis : Elias jam venit, et si vultis scire, Joannes ipse est Elias. *Matth.* xvii, 12; xi, 14.
B Hinc Gabriel de Joanne prædixit : Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ. *Luc.* i, 17.

Tertio quæsierunt : *Propheta es tu?** Aliqui dicunt, quod sacerdotes isti per prophetam, intellexerunt non simplicem vatem, sed Prophetam quemdam præcipuum, illum videlicet de quo Moyses scripsit in Deuteronomio : Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris tanquam me. *Deut.* xviii, 15; *Act.* iii, 22. Et dicunt, quod Judæi per istum Prophetam, intellexerunt non ipsum Christum,
C sed ejus præcursorem. Hoc autem non videtur rationabiliter dictum. Joannes enim respondendo, dicit se non esse Prophetam illum de quo ipsi loquuntur. Si igitur ipsi nomine prophetæ, intelligunt Prophetam illum præcipuum, Christi præcessorem, negaret se esse quod veraciter erat. Et si quis dicat, quod negat se esse illum Prophetam de quo præallegata Scriptura loquitur, quæ ad litteram intelligenda est de Christo, tunc responsio Joannis non absolveret quæstionem interroganti-
D um : imo ipse et illi laborarent in æquivocis. Illi enim, secundum istos, quæsierunt an esset præcipuus Propheta Christum præcessurus; et ipse, secundum istos, respondit se non esse Prophetam de quo Moyses loquitur, secundum veritatem, scilicet, quod non esset Christus : sicque illi per prophetam, intelligerent alium quam Joannes. Imo sic responsio ista Joannis non differret a prima, qua se dixit non esse Christum, quum tamen Joannes optime sciret quod sacerdotes in tertia quæ-

* [*Et respondit : Non.*]

Digitized by Google

stione, nomine prophetæ non intelligebant Christum. Denique ex textu præsenti elici nequit, quod sacerdotes intendebant quærere de Propheta illo præcipuo de quo Moyses fuit locutus, sed potius de aliquo Propheta inferiore Elia, quia paulatim descenderant. Non est etiam consuetudo Scripturæ novi vel veteris Testamenti, ut nomine prophetæ simpliciter pronuntiati, intelligatur ille Propheta præcipuus. Melius igitur reor, ut per prophetam, intelligatur quicumque Propheta indistincte, eo modo quo in veteri Testamento communiter fit sermo de propheta.

Sed tunc dubitatio oritur, quomodo Joannes neget se esse prophetam, quum certum sit ipsum fuisse prophetam, Zacharia testante : Tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis. *Luc.* I, 76. Christus quoque vocat eum plus quam prophetam. *Matth.* XI, 9. *Luc.* VII, 28. Dicit enim de eo : Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est. Ex quibus patet quod fuit propheta. Ad hoc respondent Gregorius et Beda, quod quia Joannes fuit plus quam propheta, non solum futura de Christo prænuntiando, sed etiam Christum præsentialiter ostendendo, dum dixit, Ecce Agnus Dei; *Joann.* I, 29, 36. quantum ad id se negat prophetam, quo fuit plus quam propheta. Aliter dici potest, quod quia Joannes fuit medius inter Prophetas et Apostolos, et quasi horizon ac medius utriusque Testamenti, ita quod sua ultimata, formalis ac propria gratia gratis data, non fuit cum Prophetis veteris Testamenti Christum futurum in mundum prædicere, sed eum jam demonstrare, et cum Apostolis annuntiare quoniam venit, ideo negat se esse prophetam : non quia nequaquam propheta fuit, sed quoniam suum ultimatum, formale ac proprium officium, non fuit futura prædicere, sed Christum præcurrere, prædicando, baptizando, ejusque semitas disponendo. Unumquodque enim denominationem sortitur a sua formali et propria ratione. Potest quoque aliter dici, videlicet, quod Joannes dicit se non esse prophetam, eo modo

A quo ait Amos propheta : Non sum propheta; *Amos* VII, 14. et quo modo Christus dicit in Psalmo, Ego autem sum vermis, et non homo. *Ps.* XXI, 7.

22 *Dixerunt ergo ei : Quis es,* id est cujus auctoritatis, gratiæ, vel officii? Non enim quærebant solum quis esset per naturam sive personam, sed quis esset per gratiam et missionem divinam. *Ut responsum demus his qui miserunt nos* ad te ad hunc finem, ut reportaremus eis certam responsionem de hoc quis sis : et frivolum esset nos sine absolutione quæstionum et
B affirmativa responsione reverti. *Quid dicis de te ipso?* qui tantæ excellentiæ es, ut proprio testimonio tuo de te ipso prolato credendum sit : quamvis secundum communem legem, homo non reputetur idoneus testis de se ipso, nisi forte cum juramento. Unde infra Judæi dicunt ad Christum : Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. *Joann.* VIII, 13. Hinc Paulus ad Corinthios, quum sibi ipsi et propriæ gratiæ testimonium perhibuisset propria bona describendo, adjecit :
C Factus sum insipiens, vos me coegistis. *II Cor.* XII, 11.

23 *Ait* Joannes sacerdotibus et Levitis ad se missis : *Ego vox,* per proprietatem, non per essentiam, id est præco et vociferator, *clamantis,* id est Christi vel Spiritus Sancti per me loquentis, *in deserto,* hoc est solitudine Judææ, in qua habitavit ac prædicavit Joannes. Dicitur autem Joannes vox, secundum Gregorium, quia sicut vox præcedit verbum, ut audiatur, sic Joannes præcessit Christum, ut cognosceretur. Sed quum verbum et vox sint idem
D realiter, quomodo vox dicitur verbum præcedere? Dicendum, quod Christus est verbum intellectuale. Quemadmodum ergo in nobis vox oris præcedit verbum mentis, ut audiatur, sic Joannes Christum præcessit. Vel dicendum, quod licet verbum oris et vox idem sint, vox tamen præcedit hoc verbum, secundum rationem, eo modo quo, secundum auctorem libri Causarum, genus præcedit speciem. Secundo, Joannes Baptista appellatur vox Christi, quoniam sicut vox rem ipsam significat,

Digitized by Google

sic Joannes Christum ostendit. Tertio, propter efficaciam suæ prædicationis, altæ atque tubalis, qua Christo testimonium perhibebat. Unde vocatur non solum prænuntiator, sed etiam vox Christi, sicut de homine multum dilecto dicimus, Amor meus.

Quid autem Christus clamaverit per Joannem, subjungitur : *Dirigite viam Domini,* id est, recte et vere exercete opera bona, et sancta desideria in vobis habete, per quæ Deus ingreditur cor humanum : hoc est, vitiorum obliquitates fugite, vos ipsos ad gratiam præparate, atque ad Christi prædicationem ac fidem mentes vestras disponite; *sicut dixit,* hoc est, de me prophetavit, *Isaias propheta,* qui
Is. XL, 3 *et seq.* prædixit de me quod essem futurus vox clamantis, etc. Prædicationem istam Joannis Baptistæ, evangelista Joannes non
Matth. III, 1 *et seq.*; *Luc.* III, 3 *et seq.* prosequitur, quam Matthæus et Lucas plenius prosequuntur.

24 *Et qui missi fuerant,* id est prædicti sacerdotes atque Levitæ, *erant ex Pharisæis,* hoc est de numero Pharisæorum, imo et Pharisæi : ex quo patet quod erant solennissimi nuntii. Triplici quippe exsistente secta inter Judæos (videlicet : Essæorum, qui rigorosissimam, castam et sobriam vitam duxerunt; Sadducæorum, qui dixerunt animas hominum esse mor-
Act. XXIII, 8. tales, et nec angelum, nec spiritum, nec resurrectionem esse; ac Pharisæorum, qui
Ibidem. posuerunt animas immortales, et futuram esse resurrectionem universalem, et spirituales esse substantias), secta Pharisæo-
Ibid. 6. rum, de qua et Paulus se fuisse testatur, erat famosior. Videbantur enim specialem zelum legis habere, et religiose incedere. Aliqui autem sacerdotes, Levitæ ac Scribæ, fuerant Pharisæi, sicut nunc multi sacerdotes, clerici et doctores, sunt claustrales seu religiosi.

Præterea advertendum, quod secundum sanctos doctores communiter, Gregorium, Chrysostomum, Bedam, et alios, nuntii isti insidianter ac malitiose interrogaverunt Joannem, quærentes occasionem adversus eum. Ad quod insinuandum, asserunt nunc dixisse Evangelistam : Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Pharisæi namque, quamvis foris sanctitatem prætenderunt, intus tamen replebantur hypocrisi, ambitione atque invidia. Origenes vero dicit, quod simplici animo quæsierunt, optantes veritatem agnoscere : Primo, quoniam dictum est nunc, quod ex dubitatione moti sunt ad interrogandum. Secundo, quoniam tam magnifice senserunt de Joanne, quod suspicabantur eum esse Christum. Tertio, quoniam maximam reverentiam ei exhibuerunt in ipso interrogationis processu. Quarto, quia Judæi communiter primo multum bene senserunt de Joanne, scientes mirabilem ejus nativitatem, atque sanctissimam vitam. Unde et apud Marcum habetur, quod exibat *Marc.* I, 5.
ad eum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab eo. Sed et in Matthæo legitur, quod multi *Matth.* III, 7.
Pharisæorum veniebant ad baptismum Joannis. Postremo, quia Joannes fuit de genere sacerdotali, et magni sacerdotis filius, non apparet quod sacerdotes prima facie insidiati sint ei : imo, si Joannes dixisset se esse Christum, aliud nihil videtur nisi quod credidissent sic esse. Quod ergo ait Evangelista, Et qui missi fuerant, additum est ad innuendum solennitatem ac idoneitatem nuntiorum.

Et interrogaverunt eum, et dixerunt 25
ei : Quid ergo baptizas, id est, homines in aquis Jordanis lavas, *si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* id est, cur novum ritum præsumis inducere, si non es aliquis horum? Nullus enim ante Joannem ausus est baptizare. Unde Judæi videntes Joannem aliquid novi inducere, voluerunt scire qua auctoritate hoc faceret : et nunc, quia se dixit non esse Christum, neque Eliam, neque prophetam, incipiunt eum de præsumptione notare.

Respondit eis Joannes dicens : Ego ba- 26
ptizo in aqua, id est, exterius lavo corpora vestra, non intus purgo a culpa, nec

Digitized by Google

gratiam præsto; *medius autem vestrum stetit,* id est, inter vos apparere, conversari, et communiter vivere dignatus est, *quem vos non scitis,* id est, non cognoscitis esse Christum, Filium Dei, quamvis forte sciatis quod sit filius Mariæ. Non enim agnoverant Christum secundum suam divinitatem, nec etiam secundum suam humanitatem, per comparationem ad unionem cum Verbo, atque ad cetera Spiritus Sancti charismata.

Quæritur, quomodo Christus stetit medius horum, vel inter hos medius fuit, qui forsitan nunquam fuit inter nuntios istos, sacerdotes et Levitas. Dicendum, quod Christus secundum suam deitatem stat, id est, firmiter invariabiliterque subsistit, medius omnium, quia in omnibus est. Dicitur enim stare, juxta illud in Psalmo : *Ps.* LXXXI, 1. Deus stetit in synagoga deorum. Et Isaias *Is.* III, 13. ait : Stat ad judicandum Dominus. Porro, secundum humanitatem, stetit Christus medius horum dupliciter : Primo, quia in terra et populo eorum communiter vixit. Secundo, quia singulis annis ascendit Jerosolymam in solennitate paschali, secundum legem, intravitque templum, et ibi inter sacerdotes et alios stetit in templo. *Luc.* II, 42, 46. Nam et quum esset annorum duodecim, inventus est in templo in medio doctorum. Sed non videtur Jesus corporaliter adfuisse, et inter istos stetisse, quando locutus est hæc verba Joannes.

27 *Ipse* quem vos non scitis, videlicet Christus, *est qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Hoc jam paulo ante expositum est. *Cujus ego non sum dignus,* id est, cujus præsentia et famulatu dignus non sum in minimis rebus, videlicet, *ut solvam ejus corrigiam calceamenti,* id est, in rebus corporalibus et vilibus ei deserviam. Improportionabiliter namque fuit Christus major Joanne Baptista. Multo minus dignus sum ipsum contingere, vel ejus nomine appellari seu æstimari quod ego sim ille, videlicet Christus. *Matth.* III, 11, 12; *Luc.* III, 16, 17. Matthæus et Lucas plenius recitant verba Joannis Baptistæ. Nam præinductis verbis suis, adjecit de Christo : Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto et igni. *Matth.* III, 11. Quæ verba apud Matthæum, prout Dominus dedit, diligenter exposui.

Prædictis itaque verbis Joannes Baptista satisfecit quæstioni Judæorum. Dicens enim se esse vocem Domini, quemadmodum Isaias prænuntiavit, *Is.* XL, 3. et quod Dominus, cujus ipse vox fuit, tantum excelleret eum quod non esset dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, fassus est se esse Christi præcursorem. Item, dicendo quod baptizaret in aqua dumtaxat, ostendit insufficientiam sui baptismi, ita quod sicut prædicando disponebat homines ad *Matth.* III, 1. Christi prædicationem salubriter audiendam, sic baptizando disponebat ad suscipiendum Christi Baptisma : Primo, quoniam susceptio baptismi Joannis fuit quædam professio credendi in Christum. Baptizavit namque in nomine Christi venturi. *Act.* XIX, 4. Secundo, quoniam qui baptizabantur a Joanne, confitebantur sua peccata : sicque *Matth.* III, 6. aptabantur ad fidem et gratiam Christi. Tertio, quia Joannes baptizando congregavit populum multum, *Ibid.* 5. et ita potuit pluribus annuntiare Christi adventum. Hanc rationem ipsemet sanctus Baptista post pauca commemorat, sicut patebit. *vers.* 31. Patet ergo quod Joannes baptizando, non usurpavit indebitum sibi officium, sed ejus inspiratione hoc fecit quem præcurrebat.

Denique, quod ait Joannes se esse indignum ad solvendum cingulum calceamentorum Christi; non est sic intelligendum, quod Christus tulerit calceamenta. Ipse enim cœpit facere et docere. *Act.* I, 1. Ipse vero discipulis jussit ne calceis uterentur, *Matth.* X, 10. ut legitur in Matthæo. Sed Joannes conformat se communi modo loquendi, quo aliquis volens se multum humiliare sub alio, asserit se indignum ad solvendum ligaturam calceorum ipsius.

Sed quomodo Joannes fuit indignus ad hoc, qui dignus fuit Christum baptizare? Et quum homo exsistens in gratia mereatur de condigno vitam æternam, hoc est claram et immediatam divinæ essentiæ vi-

Digitized by Google

sionem, ita quod dignus fit Divinitati fruendo uniri, quomodo Joannes non fuit dignus Christo in corporalibus ministrare? Et respondendum dupliciter : Primo, quod loquendo de Joanne secundum sua naturalia tantum, non fuit dignus Christum baptizare, vel ei in minimo ministrare, propter infinitam dignitatem Christi secundum suam deitatem, et propter plenitudinem gratiæ suæ humanitatis : et sic loquitur de se Joannes. Vel loquitur de se, secundum quod aliquo modo fuit peccator, quantum ad venialia minutissima :
I Cor. xv, 9. juxta quem modum Paulus, Non sum (inquit) dignus vocari apostolus. Loquendo autem de Joanne secundum magnitudinem gratiæ sibi collatæ, dignus fuit ad hæc, præsertim ob suam profundissimam humilitatem. Secundo dicendum, quod aliquis dicitur dignus per comparationem ad Christum, dupliciter : Primo, simpliciter : sic Joannes ad ista dignus non exstitit. Secundo, juxta modum humanæ conditionis ac possibilitatis : sic Joannes dignus erat ad ista. Imo sic homo dignus est corpus Christi consecrare et manducare. Aliter omnes damnaremur, dicente Apostolo :
Ibid. xi, 27, 29. Quicumque manducaverit corpus Domini indigne, judicium sibi manducat, et reus erit corporis Domini. Hoc modo Virgo benedicta digna fuit Filium Dei concipere et lactare. Sic quoque justus dignus est vita æterna. Et videtur dignitas ista fundari in quadam benevola acceptatione voluntatis divinæ, quæ libere voluit homines taliter dignificari per gratiam.

In omnibus his commendatur et imitanda relinquitur nobis eximia humilitas S. Joannis, qui quum tantæ sanctitatis reputationisque esset ut Christus putaretur, se ipsum profundissime humiliavit. Noverat enim scriptum : Quanto major es, hu-
Eccli. III, 20; x, 7. milia te in omnibus, et invenies gratiam coram Deo et hominibus. Noverat quod homo tanto sit coram Deo sublimior, quan-
A to in oculis propriis fuerit vilior atque declivior. Et si Joannes reputavit se indignum solvere corrigiam calceamentorum Christi, quum esset amicus paranymphusque Sponsi, consanguineus Domini, et breviter, talis ac tantus quod inter natos Matth. xi, 11. mulierum non fuerit major eo : quomodo nos pusilli, tam irreverenter, et intimorate, et inaffectuose accedimus venerandum Dei altare, et Christum consecramus aut sumimus? Humiliemur igitur sub poten- I Petr. v, 6. ti manu Dei : et faciamus quidquid præ- Luc. xvii, 10.
B ceptum est nobis et quidquid valemus, tuncque ex corde dicamus, Servi inutiles sumus ; et Christi sacramentis cum omni puritate ac reverentia propinquemus. Præstet hoc mihi et ceteris indigentibus Christus.

Mystice per calceamenta, intelligitur Christi humanitas a Verbo induta ; per pedem, divinitas humanitate tecta quodammodo et velata ; per corrigiam vero, unio utriusque. Joannes ergo non fuit dignus corrigiam calceamentorum pedis
C Christi dissolvere, quia non potuit perfecte mysterium Incarnationis, seu modum hypostaticæ unionis humanæ naturæ cum Verbo, explicare. Imo hoc excedit intellectum non solum omnium viatorum, sed et angelicorum spirituum.

Hæc, scilicet interrogatio Judæorum, et 28
responsio testificatioque Joannis de Christo, *in Bethania facta sunt trans Jordanem,* hoc est in illa Bethania quæ est ultra Jordanem, in terra duarum tribuum ac mediæ. Estque Bethania illa supra Jorda-
D nem sita. *Ubi erat Joannes baptizans,* non in Bethania, sed in aquis prope currentibus. Hoc dicitur, ad differentiam alterius Bethaniæ citra Jordanem, in qua Mar- Joann. xi, 1. tha, Maria et Lazarus commorati sunt. Verumtamen, secundum Origenem, textus vitio scriptorum corruptus est, quia ut asserit, sic textus haberet : Hæc in Bethabora facta sunt.

Digitized by Google

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO HUJUS PRIMI CAPITULI, AB EO LOCO QUO DICITUR : ALTERA DIE VIDIT JOANNES JESUM VENIENTEM AD SE.

DEINDE ostendit Evangelista lucidius, A
quomodo Præcursor testimonium perhibuit Christo, in præsentia Christi et
29 turbæ. *Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se.* Verba hæc, a diversis diversimode exponuntur. Quod enim hic dicitur, Altera die, referunt aliqui ad ea quæ immediate Evangelista narravit de missione sacerdotum ac Levitarum ad Joannem. Et sic, quod subjungitur de accessu Christi ad Joannem, intelligi posset de illo adventu quo Jesus venit ad Præcursorem, ut baptizaretur ab eo, juxta B
Matth. III, 13. illud dictum Matthæi : Venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Missio enim nuntiorum illorum ad Joannem communiter ponitur præcessisse baptismum Christi a Joanne.

Alii dicunt, quod jam non est sermo de adventu Christi ad baptismum, quia
Ibid. 16. in baptismo Christi, vidit Joannes Spiritum Sanctum in specie columbæ super Christum descendere, ut est apud Matthæum. Nunc vero post pauca subjungitur :
vers. 32. Testimonium perhibuit Joannes, dicens : C
Quia vidi Spiritum descendentem de cœlo quasi columbam, et mansit super eum. Ergo hæc dixit post Christi baptismum. Isti itaque sic exponunt : Altera die, id est alia quadam die, non tamen immediate postquam facta sunt quæ Evangelista modo de missione sacerdotum descripsit, sed postquam Jesus reversus est a deserto.
Marc. I, 9-12. Mox enim ut baptizatus est, expulit eum Spiritus in desertum, ut legitur apud Marcum. Vel, ut quidam dicunt, Christus jam baptizatus, aliquanto tempore commoratus D
est juxta Jordanem, et tunc quadam die accessit Joannem.

Prima vero expositio videtur rationabilior, et textui magis consona. Unde ad argumentum aliorum facillime diceretur, quod Joannes Baptista non dixit omnia verba sequentia simul, sed quædam ante Christi baptismum, et alia postmodum, sicut patebit. Evangelista tamen recitat ea sub uno contextu, quia omittit quæ novit ab aliis tribus Evangelistis descripta, videlicet, quomodo Joannes Christum baptizavit ; et refert quæ illi omiserunt, puta verba Joannis, quorum aliqua dixit Christo ad baptizandum propinquante, alia vero eo jam baptizato.

Vidit ergo Joannes Jesum venientem ad se, videlicet Dominum ad ministrum, Creatorem ad creaturam, Redemptorem ad redimendum, Sanctum Sanctorum ad hominem venialibus non carentem. Quum ergo Joannes vidisset Altissimum tam humiliter inter populares venientem, expavit, et tacere non potuit ; sed humiliantem se exaltavit, *et ait* adstantibus : *Ecce Agnus Dei,* hoc est immaculata hostia, per agnum paschalem præfigurata, quam Deus Pater seu Trinitas, pro mundo ordinavit sibi immolandam, quemadmodum
ait Apostolus : Pro omnibus nobis tradidit Rom. VIII, 32.
illum. Et Christus in passione : Calicem, Joann. XVIII, 11.
inquit, quem dedit mihi Pater, non bibam illum ? Christus itaque dicitur agnus, per proprietatem, non per naturam, sicut di-
citur lapis angularis, leo, vitis. Dicitur Ephes. I, 20; I Petr. II, 6; Apoc. V, 5; Joann. XV, 1, 5.
autem agnus : primo, propter innocentiam ; secundo, propter mansuetudinem ; tertio, propter utilitatem, quoniam spiritualiter vestit et alit nos ; quarto, propter modum suæ occisionis, quoniam Isaia te-
stante, sicut ovis ad occisionem ductus Is. LIII, 7.

est, et quasi agnus coram tondente se obmutuit; quinto, quoniam sicut filii Israel liberabantur a tyrannide Pharaonis per agni immolationem, sic liberati sumus a potestate dæmonis per Christi oblationem.

Ecce qui tollit peccata mundi. Christus secundum quod Deus, abstulit peccata hominum tanquam causa purgationis effectiva ac principalis : quia peccata dimittere, gratiamque mundantem ac justificantem infundere, Deo secundum propriam naturam est proprium, prout sanctus
Job xiv, 4. Job protestatur : Quis potest facere mundum de immundo? nonne tu qui solus es? Sed in quantum homo, abstulit peccata tanquam causa meritoria, instrumentalis et mediativa : sic tamen, quod idoneitas auferendi peccata, competebat Christo homini propter unionem suæ humanitatis cum Verbo : ex qua unione habuit dignitatem et efficaciam quodammodo infinitam. Propter quod, totius mundi universa peccata potuit tollere, omnibus gratiam in præsenti, et gloriam in futuro mereri. Quod nulli competit puræ creaturæ : primo, quia peccatum est quodammodo infinitæ gravitatis, in quantum est contra Dominum immensæ majestatis; secundo, quoniam natura humana in infinitum communicabilis est, ideo totam redimere non potuit, nisi salvator infinitæ dignitatis; tertio, quoniam beatitudo ad quam ordinatur redemptio a peccato, est etiam quodammodo dignitatis immensæ, quum sit immediata fruitio boni simpliciter infiniti. Has rationes ponunt Anselmus, Thomas et Bonaventura.

Abstulit autem Christus omnia peccata mundi, originale videlicet, et actuale seu personale, quia pro omnibus satisfecit. Specialiter tamen ordinabatur passio Christi contra originale, quia pro illo nemo satisfacere potuit, sed omnes quantumcumque sancti, usque ad Christi passionem, descenderunt in limbum. Originale quippe peccatum corrupit atque infecit naturam communiter, quoniam erat privatio originalis justitiæ debitæ in esse, se-

A cundum Anselmum. Unde sibi debebatur pro pœna, carentia visionis divinæ. Totam vero naturam, vel ipsam naturam, redintegrare, sanare, reformare, seu ad originalis justitiæ conformitatem ac statum reducere, non conveniebat nisi universali Redemptori gratiarum plenitudinem continenti. Hoc enim fieri non valebat per gratiam particularem. Abstulit ergo Christus universa peccata; sed oportet ut meritum Christi hominibus per sacramenta, vel fidem et caritatem, applicetur, si
B ejus effectum consequentur. Hinc apud Isaiam legitur : Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum; et rursus, Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Et ipse de se ait in Evangelio : Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Hoc est quod Petrus ait : Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine Agni immaculati. (*Is.* liii, 6. *Ibid.* 5. *Luc.* xix, 10. I *Petr.* i, 18, 19.)

C Prædictis insuper verbis declarat Joannes Baptista duplicem Christi naturam, puta : humanam, dicendo, Ecce Agnus Dei; et divinam, subdendo, Qui tollit peccata mundi. Dicitur quoque Christus Agnus Dei, per excellentiam, tanquam penitus immaculatus et innocens. Et licet aliqui innocentes, mites ac pii, possint per imitationem quodammodo dici agni Dei, quemadmodum infra Christus ad Petrum ait, Pasce agnos meos; de nullo tamen illorum dicere fas est, Qui tollit pec-
D cata mundi. (*Joann.* xxi, 15, 16.)

30 *Hic*, id est ista persona ad me veniens, scilicet Christus; vel, Hic, id est in hoc loco nunc præsentialiter; *est* per corporalem præsentiam, quem scivi venturum ad me, *de quo dixi*, antequam ad me veniret : *Post me venit vir*, id est, homo vigore animi plenus natus est post me. Vel, Venit, id est, ad publicum exit, et se hominibus manifestare incipit, post me qui incepi prædicare ac baptizare ante eum. De hoc viro dictum fuit apud Za-

Digitized by Google

Zach. VI, 12. chariam : Ecce vir, Oriens nomen ejus. Act. XVII, 31. De quo Paulus dicit in Actibus : Deus judicaturus est mundum in viro quem statuit. *Qui ante me factus est, quia prior* vers. 15. *me erat.* Hoc supra expositum est, articulo quinto.

31 *Et ego nesciebam eum.* Hæc sunt verba de quibus Augustinus super Joannem, magnam facit difficultatem. Si enim Joannes nescivit Christum, quomodo testis ejus fuit? et quomodo alios ad ejus agnitionem induxit? Et quomodo nescit eum, quem Luc. I, 44. noverat clausus in utero? Sed ad hoc dici potest, quod novit eum notitia intellectuali, sciens quod esset Deus et homo, Salvator mundi, et natus de Virgine, cito quoque venturus in publicum, prædicaturus et baptizaturus, atque pro omnibus moriturus; sed non scivit vel novit eum notitia faciali, sciendo per exteriorem physionomiam, quæ esset illa persona, quia non habuit memoriter in virtute imaginativa certum phantasma seu idolum de dispositione vultus ac corporis Christi.

Sed huic obviare videtur, quod infra ait Joannes : Et ego nesciebam eum; sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Ex quo certissime constat, quod descensus columbæ in Christum fuit Joanni datus pro signo cognoscendi Christum. Ideo namque adjecit : Ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. Si ergo loqueretur Joannes de notitia faciali, Christus fuisset ei hoc modo ignotus usque post baptismum, quia secun- Matth. III, 16; Marc. I, 10. dum tres Evangelistas, Christo ascendente de aqua, aperti sunt cœli, et descendit super eum Spiritus Sanctus. Unde in Luca Luc. III, 21, 22. legitur : Factum est autem, Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum, etc. Sed hoc dici non licet. Nam Christo ad Matth. III, 14. Joannem accedente, dixit Joannes : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Ergo tunc novit eum secundum faciem.

Ad hanc difficultatem est triplex responsio : Una Chrysostomi, quæ tacta est nunc,

A scilicet, quod non novit eum facialiter usque ad horam baptismi. Hanc responsionem sequitur Thomas, adjiciens, quod Joannes tempore pueritiæ suæ novit Christum puerum ; postmodum vero diu in solitudine conversatus, oblitus fuit dispositionis vultus Christi : et forte, quamvis non fuisset oblitus qualiter erat in pueritia dispositus, tamen ob hoc non novisset eum, quum jam crevit in staturam virilem. Ad instantiam vero nunc factam, sequentes hanc viam respondent, quod B Deus revelavit Joanni dupliciter Jesum : Primo, in ipso accessu Domini Jesu ad Joannem, antequam baptizaretur. Secundo, post baptismum, per descensum columbæ : et de hoc signo facit mentionem Joannes, quia solennius fuit, et primo sibi promissum seu intimatum. Unde, secundum Chrysostomum, Joannes dicit se Jesum nescisse, non quia penitus eum non novit, sed ut ostenderet testimonium suum de Christo non debere esse suspectum eo quod esset consanguineus ejus. Ideo C dicit, Nesciebam eum, quia non novit eum tunc, nisi ex revelatione divina. Ex quo innotescit, quod testimonium Joannis de Christo non fuit humanæ amicitiæ, sed ordinationis divinæ.

Alia est responsio Bedæ, quod ideo dicit se Joannes Christum nescisse, quia non novit eum tam profunde ac plene ante descensum Spiritus Sancti, ut postea. — Alia est responsio Augustini, quod Joannes ideo dicit se Christum nescisse, sed per columbam didicisse, quia non scivit D ante descensum columbæ, quod Christus sibi soli servaret, et nulli ministrorum suorum communicaret, potestatem baptizandi, hoc est potestatem excellentiæ in Baptismo : quæ secundum Thomam et alios, consistit in quatuor. Primum est, quod solus Christus Baptismum instituit; secundum, quod effectum Baptismi sine Baptismo conferre potest; tertium est, quod Baptismus a merito passionis Christi efficaciam habet; quartum, quod Baptismus interdum in nomine Christi da-

Digitized by Google

tus est. Hæc itaque didicit Joannes esse futura, descendente super Christum columba. Porro potestas baptizandi et excellentia ejus, auctoritative non convenit nisi Deo Trinitati.

Deinde Præcursor pandit unam rationem sui baptismi. *Sed ut manifestetur in Israel,* id est, ut Christus agnoscatur a populo Israel, *propterea veni ego,* Deo jubente, *in aqua baptizans,* id est, corpora lavans, non mentes sanctificans. Totum enim Joannis officium in prædicando et baptizando, ordinatum fuit ad hoc, ut homines inducerentur ad fidem, amorem atque notitiam Christi, sicut ostensum est
In Matth. III, 6. plenius. De hac materia et baptismo dixi plura super Matthæum.

Denique quæ sequuntur, Joannes non
32 dixit nisi Christo baptizato. *Et testimonium perhibuit Joannes, dicens : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo,* id est Spiritum Sanctum in forma columbæ visibili : non quod Spiritus Sanctus, qui est verus, incircumscriptus, invariabilis atque immobilis Deus, essentialiter moveatur sive descendat; sed quoniam signum visibile in quo apparet, descendit, sicque Spiritus ratione sui effectus descendere perhibetur. Dum enim creatura subjecta apparet in persona Dei, eum repræsentans, vel in ejus persona loquens aut operans, hoc quandoque adscribitur Deo, quod facit hujusmodi creatura : quem-
Num. XII, 8. admodum Deus dicitur ore ad os locutus ad Moysen. Convenienter quoque Spiritus Sanctus, cui bonitas appropriatur, apparuit in forma columbæ, quæ est animal felle carens, simplex et innocens; et ut insinuaret Spiritus Sanctus, quod nemo possit ejus donis impleri, nisi columbi-
Prov. X, 9. nam simplicitatem studuerit imitari. Qui enim ambulat simpliciter, ambulat con-
Ibid. II, 7. fidenter; et Dominus protegit gradientes simpliciter. In columbarum etiam osculis crebris ac mutuis patet, quod Spiritus Sanctus in specie columbæ rite apparuit, quoniam caritas appropriatur Spiritui Sancto, et illi Spiritu Sancto merentur reple-

A ri, qui satagunt caritative atque pacifice conversari. Non enim est Deus dissensio- I Cor. XIV, 33.
nis, sed pacis, secundum Apostolum.

Et mansit super eum, id est, columba ista repræsentans Spiritum Sanctum ejusque habitationem in anima Christi, ad tempus sedit super caput Christi, ad insinuandum quod indesinenter semperque actualiter et æque perfecte requiesceret Spiritus Sanctus in Christo homine, juxta illud dictum Isaiæ : Requiescet super eum Is. XI, 2.
Spiritus Domini. Sic autem non manet
B Spiritus Sanctus in aliis, quia mortali peccato perdere possunt Spiritum Sanctum; et venialibus culpis incurrunt quotidie quamdam debilitationem gratiæ Spiritus Sancti, quamvis quotidie per opera sancta magis proficiant quam decrescant. In Christo quoque mansit Spiritus Sanctus, ita quod Christus indesinenter potens fuit ad exercenda omnia opera, tam gratiæ gratum facientis, quam gratiæ gratis datæ, in universis signis, virtutibus atque prodigiis. Hoc autem nulli competit alio-
C rum. Unde et Eliseus sentiens sibi abesse spiritum prophetalem, jussit adduci psal- IV Reg. III, 15.
tem. Nathan quoque putavit se loqui prophetico spiritu, quando consuluit regi David ædificare templum : Omnia, inquiens, II Reg. VII, 3.
quæ sunt in corde tuo, fac. Sed nocte Ibid. 4 et seq.
sequenti instructus est a Spiritu Sancto persuadere oppositum. Postremo putandum non est, quod in descensu columbæ sit gratia aliqua infusa vel aucta in anima Christi, qui ab instanti conceptionis plenus fuit simpliciter omni gratia Spiritus
D Sancti; sed descensus mansioque columbæ in Christo, designavit perfectionem et efficaciam gratiæ Christi.

Et ego nesciebam eum : secundum sen- 33
sus prætactos, quia ut dictum est, hoc tripliciter intelligi potest. Expositio tamen Augustini et Bedæ concurrit in idem. *Sed qui misit me baptizare in aqua,* id est Deus, qui mihi hoc jussit occulta inspiratione, vel manifesta atque sensibili apparitione angelica, *ille mihi dixit* per inspirationem internam, sive angelicam

Digitized by Google

allocutionem : *Super quem videris Spiritum descendentem,* id est Spiritum Sanctum in forma columbæ venientem, *et manentem super eum* ad tempus in tali signo visibili, sicut expositum est; *hic est qui baptizat in Spiritu Sancto,* hoc est intus purgando a vitiis, præstando gratiam Spiritus Sancti. In Baptismate enim quod Christus instituit, datur Spiritus Sanctus. Christus autem baptizat efficienter et principaliter, sacerdos vero ministerialiter.

34 *Et ego vidi* corporalibus oculis Spiritum Sanctum in forma columbæ descendentem modo præfato. Quæ columba, secundum quosdam doctores, fuit vera columba, angelico famulatu subito tunc formata, completoque suo ministerio, in præjacentem materiam resoluta. Aliqui tamen dubitant an hoc angelus posset. Quod relinquo disputantibus. *Et testimonium perhibui* coram turba, *quia hic est Filius Dei* naturalis et unicus, non adoptivus. Itaque, quod dicitur, Super quem videris Spiritum descendentem, dictum est Joanni, secundum Augustinum, ad agnoscendum quod Christo competeret potestas excellentiæ in Baptismo ; secundum Chrysostomum vero, ad agnoscendum determinate quod illa persona esset Christus in Spiritu Sancto baptizans.

35 *Altera die,* id est una die sequente diem prædictam, mediate vel immediate, *iterum stabat Joannes* ad fluenta Jordanis, tanquam paratus exsequi officium sibi commissum, in prædicando, baptizando et testificando de Christo. Spiritualiter quoque stabat in culmine perfectionis, in apice contemplationis, in stabilitate virtutum.
Hebr. XIII, 9. Optimum enim est gratia stabiliri cor, secundum Apostolum. Et sapiens in sapi-
Eccli. XXVII, 12. entia permanet ut sol; stultus vero mutatur ut luna. *Et ex discipulis ejus duo,*
36 conformantes se suo magistro. *Et respiciens*
Jesum ambulantem, scilicet circa Jordanem. Christus namque suscepto baptismo, ad tempus commoratus est in locis illis, et cum Joanne conversatus : tamen non diu. Mansit enim, ut Joannes frequenter testaretur de ipso, et eum ostenderet, quatenus electi Judæi crederent, reprobi vero atque increduli inexcusabiles fierent. *Dicit : Ecce Agnus Dei :* qui, ut in Isaia
scribitur, peccatum non fecit, nec dolus Is. LIII, 9; I Petr. II, 22.
inventus est in ore ejus; qui etiam loquitur per Jeremiam : Ego quasi agnus man- Jer. XI, 19.
suetus qui portatur ad victimam.

Et audierunt eum duo discipuli Jo- 37
annis *loquentem,* id est Joannem hæc de Christo testantem; *et secuti sunt Jesum,* ut ejus doctrina instruerentur, quem dicerunt majorem esse Joanne. Cupiebant
enim sortiri charismata meliora, et optimo I Cor. XII, 31.
adhærere magistro. Per quod instruimur ut applicemus nos his quos videmus in sapientia et virtutibus præpollere.

Conversus autem Jesus, hoc est, vultum 38
suum dulcissimum ad illos convertens, imo et pietatis suæ affectum super eos expandens, *et videns eos sequentes se* corporis gressu, et mente fideli, desiderio quoque proficiendi, *dicit eis : Quid quæritis ?* id est, quare venitis post me ? Non quasi ignorans quærit, sed ut illorum responsioni convenienter respondeat, atque ut illi suum desiderium exprimendo, amplius incalescant, et gratiæ præparatiores reddantur. Simili modo si nos cœperimus sequi et quærere Christum, convertet oculum pietatis suæ ad nos, et imbecillitatem nostram juvabit ac perducet ad thronum gratiæ suæ, si tamen constanter quæramus. Ideo monet Psalmista : Lætetur cor Ps. CIV, 3, 4.
quærentium Dominum; quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper. Et denuo : Accedite ad eum, et illu- Ps. XXXIII, 6.
minamini.

Qui dixerunt ei : Rabbi. Quod autem subditur, non est sermo eorum, sed verbum Evangelistæ exponentis quid significet verbum Hebraicum Rabbi. *Quod dicitur interpretatum,* id est, Latine expositum vocatur, *magister. Ubi habitas,* quasi in hospitio alieno, non quasi in propria domo ? Christus enim non habuit propriam domum, quantum ad usum, quamvis ip-

Ps. xxiii, 1. sius esset terra et plenitudo ejus, orbis A
terrarum et universi qui habitant in eo.
Matth. viii, 20. Propter quod ait apud Matthæum : Vulpes
foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput
reclinet. Hoc Jeremias prænoscens et ve-
Jer. xiv, 8, 9. hementer admirans, ait : Quare quasi colonus venturus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ? Quare venturus es velut vir vagus ? Quæsierunt autem ubi Jesus habitaret, quoniam secum pernoctare optabant, quatenus ejus colloquio, præsentia et familiaritate fruerentur. Per quod B
implicite Christo responderunt quid quærerent. Quærebant enim instructionem salutarem et gratiam Salvatoris, scientes magistrum suum Joannem non mentiri, a quo audierunt quod Jesus esset Agnus Dei tollens peccata mundi, baptizans in Spiritu Sancto, et Filius Dei. Tota equidem vita Christi fuit satisfactoria pro piaculis mundi, et meritoria gratiæ cunctis hominibus, quamvis satisfactio illa et meritum terminabatur et consummabatur in passione et morte Christi. Propter quod C
Jesus pendens in cruce, et morti jam pro-
Joann. xix, 30. ximus, dixit : Consummatum est. Ideo Joannes non dixit, Ecce Agnus Dei qui tollet, videlicet in passione, sed, Qui tollit continuo peccata mundi.

Pariformiter et nos cum Sponsa quæramus ubi habitet Christus, dicentes illud
Cant. i, 6. in Canticis : Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Studeamusque stabiliter Christo uniri, imo et actualiter ei quantum possibile
Ps. xxvi, 4. est adhærere, exemplo dicentis : Unam pe- D
tii a Domino, hanc requiram, ut inhabi-
Ps. lxii, 9. tem in domo Domini; et item, Adhæsit
Ps. xxxiii, 2. anima mea post te; rursusque, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

39 *Dicit eis* Jesus : *Venite* post me, *et videte* ubi habitem. Moraliter, secundum Ori-
Ps. lxxxiii, 8. genem : Venite, bene agendo, ac de virtute in virtutem proficiendo; et videte, Deum deorum suaviter contemplando : quia in vita activa et via purgativa bene exercitati, ad vitam contemplativam, seu viam illuminativam, unitivamque cum Deo perfectionem, sunt apti. Unde et ait illustrissimus pater noster Joannes Cassianus : Oportet ethicam seu moralem præire theoricam. *Venerunt* duo isti Joannis discipuli, *et viderunt ubi maneret* Jesus, *et apud eum manserunt die illo,* id est ab illa hora diei qua cum Jesu domum intrabant, usque ad mane diei sequentis. Intraverunt tamen cum Jesu circa occasum solis, sicut subjungitur : *hora autem erat quasi decima,* scilicet circa vesperam. Sic et nos, si venimus bene agendo, et videmus fideliter contemplando ubi habitet Christus, manebimus cum illo in die æternitatis.

Erat autem Andreas frater Simonis Pe- 40
tri, unus ex duobus discipulis *qui audierant a Joanne* testimonium de Jesu, videlicet, Ecce Agnus Dei, *et secuti fuerant eum,* utpote Jesum. Quidam affirmant, quod alter fuit Joannes evangelista; sed nomen suum subticuit, quoniam consuetudo Scripturæ est, ut scriptores ejus proprium nomen non exprimant, ut frequenter. Vel exprimit nomen Andreæ, quoniam principalior exstitit alio.

Invenit hic Andreas *primum fratrem* 41
suum Simonem. Hoc quod ait, Primum, intelligi potest dupliciter : primo sic, Primum, id est primo; secundo sic, Primum, id est majorem et seniorem fratrem suum, Simonem Petrum, qui fuit Andrea antiquior. *Et dicit ei* Andreas : *Invenimus Messiam.* Quid autem hoc significet subdit Evangelista : *quod* nomen Messiæ, *est interpretatum Christus.* Messias quippe est nomen Hebraicum, quod Græce dicitur Christus, et Latine unctus : et competit Salvatori, qui unctus fuit oleo spirituali, tanquam rex summus et sacerdos æternus, non oleo corporali. Unde Psalmista :
Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; Ps. xliv, 8.
propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo
lætitiæ. Et Christus per Isaiam : Spiritus Is. lxi, 1.
(inquit) Domini super me, eo quod unxerit me. Quemadmodum autem Andreas

Digitized by Google

invenit Jesum, non casualiter, sed eum
diligenter sequendo, sic invenit Simonem
fratrem suum, non fortuitu, sed post in-
quisitionem sollicitam. Sentiens enim An-
dreas fructum et gratiam Christi, desi-
deravit fratrem suum carnalem, quem
spiritualiter diligebat, participem facere
gratiæ sibi concessæ, ut essent fratres, non
dumtaxat carnis propagine, sed fide quo-
que et religione. Et hæc est bona frater-
nitas naturæ, quam perficit gratia, et in
qua spiritualis dilectio carnalem amorem
exstinguit, naturalemque affectionem vin-
cit ac ordinat.

42 *Et adduxit eum,* videlicet Andreas Si-
monem, *ad Jesum.* Sic et nos solliciti es-
se debemus secundum exigentiam nostræ
vocationis et veræ caritatis, de salute con-
fratrum et proximorum nostrorum, præci-
pue parentum, fratrum, sororum et cognato-
I *Petr.* IV, 10. rum, sicut et Petrus admonet, Unusquisque
sicut accepit gratiam, in alterutrum illam
administrantes, quatenus spiritualis dile-
ctio naturalem informet et dirigat. Istud
maxime pertinet ad prælatos, quibus qua-
si vicariis suis dicit Christus quod Joseph
Gen. XLIII, 3. dixit fratribus suis in Genesi : Non vide-
bitis faciem meam, nisi fratrem vestrum
minimum adduxeritis ad me, videlicet fa-
ciendo pro ejus salvatione, quod in vobis
est, et ad quod tenemini ratione officii.

Intuitus autem eum, scilicet Simonem,
Jesus, non solum oculis carnis, sed pie-
tatis et caritatis respectu interno, sciens
quantus esset futurus, et [quanta] pro
Christo facturus atque passurus; *dixit :
Tu es Simon,* non solum nomine, sed no-
minis interpretatione ac proprietate. Si-
mon enim, obediens dicitur. Et Petrus
Act. X, 14. obediens fuit Deo, quia nunquam mandu-
cavit omne commune et immundum; ju-
niorique fratri consensit veniendo ad Chri-
Matth. IV, 19, 20. stum; et postea, Christo vocante, cuncta
reliquit, et ei adhæsit. *Filius Joanna.* Sic
enim dictus est pater Petri. Joanna vero
interpretatur gratia Dei, et Petrus filius
fuit gratiæ Salvatoris. *Tu vocaberis Ce-
phas, quod interpretatur Petrus.* Cephas
A idem est quod caput vel capitaneus, et
idem significat Petrus uno modo. Alio mo-
do Petrus dicitur quasi firmus, a petra.
Dicit ergo Salvator, quod Simon iste vo-
cabitur Cephas, quia futurus fuit princeps
Apostolorum. Postmodum vero, quum di-
xit Petrus ad Jesum, Tu es Christus, Fi- *Matth.* XVI, 16.
lius Dei vivi; audivit a Christo, Tu es *Ibid.* 18.
Petrus, et super hanc petram ædificabo
Ecclesiam meam. Verum, quoniam apud
Marcum et Lucam scribitur, Jesum Simo- *Marc.* III, 16; *Luc.* VI, 14.
nem fratrem Andreæ vocasse Petrum in
B electione Apostolorum, ideo aliqui dubi-
tant an Christus hac vice imposuit Simo-
ni nomen istud, vel imponendum prædi-
xit : et dicunt, quod si modo imposuisset,
tunc posterior impositio fuisset confirmatio
præcedentis. Videtur autem dici posse,
quod nunc imposuit sibi nomen Cephæ,
et per consequens nomen Petri, secundum
unam significationem nominis Petri, et
postea, secundum aliam : vel nunc, pro-
pter gratiam futuram; postea, propter gra-
tiam tunc præsentem. Hæc enim mutatio
C nominum, variationem status et proprie-
tatem gratiæ designavit.

In crastinum autem, id est die sequen- 43
ti post collocutionem Jesu et Andreæ ac
Petri, *voluit* Jesus *exire* a loco prope Jor-
danem, *in Galilæam,* redeundo ad Matrem
suam in Nazareth. *Et invenit Philippum :*
non illum de quo in Actibus Apostolo- *Act.* VIII. passim.
rum multa leguntur, qui et Simonem ma- *Ibid.* 13.
gum convertit, et unus fuit de septem *Ibid.* VI, 5.
diaconis; sed Philippum qui postea fa- *Matth.* X, 3.
ctus fuit apostolus. Invenit autem eum,
D non improvise aut casualiter; sed sic iter
suum direxit, sicque Philippum ad sibi
obviandum induxit, quod electum in apo-
stolum S. Philippum cito invenit. *Et dicit
ei Jesus : Sequere me* fide, affectu et ope-
re, ac corporis gressu. Non mirum, si
verba Verbi, seu sermo Christi, tantæ vir-
tutis erant, quod exterioribus sensibus
immutatis, etiam animas poterant immu-
tare atque attrahere. Qui enim foris so-
nabat, intus movebat; et quoniam Deus
verus fuit, in voluntatem aliorum potuit

Digitized by Google

agere immediate, illam pro libitu affici-
endo ac immutando. Hinc est quod quidam Apostolorum ad unam vocem Christi ipsum secuti sunt. Ex quibus patet insania Porphyrii ac Juliani redarguentium Apostolos de animi levitate, quod Christo vocante eum secuti sunt, quasi liceret
44 quemlibet vocantem imitari. *Erat autem Philippus* oriundus *a Bethsaida, civitate Andreæ et Petri,* id est de qua hi duo nati fuerunt. Bethsaida autem fuit urbs Galilææ.

45 *Invenit Philippus Nathanael* fratrem suum carnalem. Quemadmodum dictum est de Andrea, quod Christo audito, accensus zelo salutis fraternæ, quæsivit et reperit Petrum, eumque adduxit ad Jesum, ita nunc legitur de Philippo. — Quæritur, si Philippus continuo sequebatur Jesum, ubi vel quomodo quæsivit ac reperit fratrem suum. Ad hoc facile est respondere. Forte enim reperit eum non longe a via qua ivit cum Jesu, vel alio die.

Et dicit Philippus *ei,* videlicet Nathanaeli : *Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph* putativum, natum *a Nazareth,* ex parte Matris, et quia conceptus fuit in Nazareth, quamvis sit natus in Bethlehem.

Hæc verba Philippi plena sunt sensu. Itaque ait : *Quem scripsit Moyses in lege,* id est eum de quo Moyses scripsit in Pentateucho, *et* de quo scripserunt *Prophetæ, invenimus* ego aliique discipuli Joannis Baptistæ (fertur enim quod Petrus quoque et Philippus fuerunt Joannis discipuli), *Jesum.* Hunc invenerunt, non utique a casu, nec propria industria vel virtute, sed Joanne Baptista monstrante, et Christo se eis ostendente. Porro Moyses scripsit de Christo dupliciter : Uno modo, verba aliorum narrando : quemadmodum
Gen. XLIX, 10. in Genesi prædixit Jacob, Non auferetur (inquit) sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio
Ibid. 18. gentium; et iterum, Salutare tuum exspectabo, Domine. Alibi quoque scribit Deum
Ibid. XXII, 18. dixisse ad Abraham : In semine tuo be-
A nedicentur omnes gentes. Secundo, de ipso Christo prophetando : ut quum ait in Deuteronomio : Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris tanquam me; ipsum audietis. Deut. XVIII, 15; Act. III, 22. Quod autem Prophetæ scripserunt de Christo, non oportet speciali testimonio comprobare, quum certum sit, etiam secundum Judæorum magistros, quod omnes Prophetæ locuti sint super dies Messiæ. Propter quod in Actibus Apostolorum Petrus testatur : Omnes Act. III, 24. Prophetæ a Samuel et deinceps, annunti-
B averunt dies istos, videlicet tempus gratiæ Christi. Hinc Christus dicit in Luca : Oportet impleri omnia quæ scripta sunt de me in lege, et Prophetis, et Psalmis. Luc. XXIV, 44.

Præterea, si Philippus fuit discipulus Joannis, vel eruditus in Prophetis, vel satis illustratus a Spiritu Sancto, tunc novit Jesum, quem credidit Christum, non esse filium Joseph sponsi Mariæ; sed loquebatur secundum opinionem vulgi. Probabile enim est, quod Præcursor docuit suos discipulos, Jesum Christum esse Virginis
C filium. Si vero nondum illuminatus fuit aliquo horum modorum, putavit sicut et ceteri, quod Jesus esset conceptus de viro. Nec mirum si ignorasset Christum esse filium Virginis, quum Joannes evangelista usque post resurrectionem Christi nescierit quod Christus resurrecturus fuit a mortuis. Joann. XX, 9. Imo Apostoli communiter ignoraverunt quod occidendus esset ab impiis, Luc. XVIII, 31-34. quum tamen Prophetæ hoc apertissime prænuntiaverint.

Et dixit ei Nathanael : A Nazareth po- 46
D *test aliquid boni esse?* Non est certum an verba ista locutus sit Nathanael, asserendo, vel dubitando, vel abnegando. Augustinus enim sentit, quod dixit hæc verba assertive, tanquam diceret : Utique a Nazareth Christum venisse, non est incredibile. Aliter, secundum Augustinum, Christus non commendasset Nathanaelem, dicendo : Ecce vere Israelita in quo dolus non est. vers. 47. Et ad hoc potest adduci, quod Nathanael fuit excellens doctor in lege : et ergo novit Isaiam dixisse, quoniam Nazaræus Matth. II, 23.

vocabitur. Ubi enim nostra translatio habet in Isaia (*Is.* XI, 1), Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet; Hebraica veritas continet : Egredietur virga de radice Jesse, et Nazaræus de radice ejus ascendet. Chrysostomus vero tenet oppositum, dicens, quod Nathanael dixit hæc negative, quoniam scivit scriptum in Michæa (*Mich.* V, 2), quod nasceretur in Bethlehem. Alii dicunt, quod protulit verba ista dubitative, habens argumenta pro parte utraque. Puto autem quod dixit hæc cum quadam admiratione, cupiens plenius certificari : tanquam diceret, Mirum est si de civitate illa tam vili et modica, ortus sit Christus rex Israel. Ideo subditur : *Dicit ei Philippus : Veni, et vide :* id est, nolo ut meis verbis nudis fidem adhibeas absolute; sed accede ad Jesum, et tunc experieris qualis et quantus sit, sciesque me vera dixisse.

47 *Vidit Jesus Nathanael venientem ad se* cum Philippo, qui eum adduxit; *et dicit* adstantibus *de eo,* audiente ipso Nathanael : qui tantæ perfectionis fuit, quod Christus novit sibi non obesse quod laudaret ipsum in sua præsentia. Pronis vero ad vanitatem, non expedit laus. *Ecce vere Israelita,* hoc est non solum nomine, sed et re, seu proprietate et gratia, filius Israelis, id est Jacob patriarchæ, qui alio (*Gen.* XXXII, 28) nomine appellatus est Israel. Hoc est : Nathanael iste non solum est filius Jacob secundum carnem et nuncupationem, sed etiam secundum fidem, sapientiam, et virtutum sublimitatem. Israel interpretatur, vir videns Deum. Quoniam ergo Nathanael imitatus est beatissimum patriarcham Jacob, Deum fideliter contemplando, mysteria Christi sapienter intelligendo, et conversationem virtuosam ducendo, merito dicitur vere et verus Israelita. Est autem et alius Israelita secundum carnis (II *Cor.* III, 6) originem solum, vel secundum litteram quæ occidit : de quo dicit Apostolus (I *Cor.* X, 18), Videte Israel secundum carnem. De vero autem et spirituali Israelita, disseruit (*Galat.* VI, 16) : Pax super illos, et super Israel Dei.

Denique, sicut juxta doctrinam Apostoli ad Romanos et Galatas (*Rom.* IX : *Galat.* III), quidam sunt filii Abrahæ secundum carnem, qui non reputantur in semine, quia non sunt digni vocari filii Abrahæ (quod verum est de filiis secundum carnem dumtaxat, puta Judæis incredulis et perversis); alii vero sunt filii Abrahæ spirituales, per fidei imitationem, qui dicuntur vere filii Abrahæ seu Abrahæitæ, quales sunt omnes gentiles electi tempore gratiæ : sic quidam sunt filii Israel secundum carnem tantummodo, qui non sunt vere Israelitæ; alii autem, secundum fidem et gratiam, qui sunt vere Israelitæ, videlicet omnes electi, Deum fide formata ac lucida intuentes. Electi quoque Judæi sunt filii Abrahæ et Jacob seu Israelis, secundum carnem et spiritualem imitationem. Inter quos unus de præcipuis fuit felix iste Nathanael, cui tam singulare atque magnificum testimonium perhibuit Filius Dei. Unde et subditur :

In quo dolus non est. De Christo testati sunt Isaias et Petrus (*Is.* LIII, 9 : I *Petr.* II, 22), quod non est inventus dolus in ore ejus : quantus ergo fuit iste Nathanael, quem Christus eisdem verbis laudavit, quibus ipse prophetico fuit ore laudatus, apostolicoque laudandus? Non itaque fuit fraus, simulatio, hypocrisis, circumventio, in isto Nathanael, sicut communiter in aliis Scribis. Noverat quippe S. Nathanael, quod simulatores et callidi (*Job* XXXVI, 13) provocant iram Dei; et quod, teste Isaia (*Is.* XXXII, 7), fraudulenti vasa sunt pessima; imo, quod juxta Malachiam prophetam (*Malach.* I, 14), maledictus dolosus. Siquidem virum sanguinum (*Ps.* V, 7) et dolosum abominabitur Dominus.

48 *Dicit ei Nathanael : Unde me nosti,* non solum secundum faciem, sed insuper secundum interiora mea, et secundum cordis mei simplicitatem atque propositum? Forte Nathanael putavit se nunquam visum a Jesu corporali intuitu, et forsan sic erat. Verum, audiens Christum de sua interiori dispositione ea asserere de quibus ipse conscius sibi fuit, miratus est, dicens : Unde me nosti? id est, quis tibi

Digitized by Google

1 Cor. II, 11. hæc revelavit de me? Nam quis scit quid A
agatur in homine, nisi spiritus ejus, et
Deus, et illuminatus a Deo? *Respondit Je-*
sus, et dixit ei : Priusquam te Philippus
vocaret, ut venires ad me, *quum esses sub*
ficu, ubi te Philippus invenit allocutusque
fuit, dicendo me esse Messiam a Moyse et
Prophetis prænuntiatum, *vidi,* id est co-
gnovi, *te,* et secreta cordis tui perspexi.

49 *Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi,*
tu es Filius Dei, tu es Rex Israel, id est,
ex istis signis agnosco, quod sis Christus
rex Israeliticæ plebis. Nam cordium se- B
creta et absentium verba, nullo narrante
cognoscere, eos quoque et facta eorum
spiritualiter cernere tam perfecte, qui cor-
poraliter non videntur, Deo est proprium.
Idcirco profiteor te Filium Dei, et Regem
Israel, id est Deum et hominem. Scivit
namque Nathanael, quod Christus non vi-
dit eum sub ficu oculo corporali, nec ver-
ba ejus atque Philippi audivit auribus cor-
poris; scivit quoque, quod nemo nuntiavit
ea Christo : idcirco, auditis verbis Chri-
sti, confessus est quod esset Filius Dei. C

Quidam dicit quod iste Nathanael, di-
cendo Jesum esse Filium Dei, intellexit
hoc de filiatione adoptiva per gratiam ex-
cellentem, ita quod divinitatem Christi non
videtur intellexisse; item, quod dicendo,
Tu es Rex Israel, æstimavit eum tempo-
raliter regnaturum, sicut communiter opi-
nantur Judæi. Sed si Nathanael tam in-
convenienter, imo et false, sensisset de
Christo, nequaquam meruisset audire a
Christo : Ecce vere Israelita in quo dolus
non est. Tunc enim fuisset carnalis Israe- D
lita, aliosque decipiens, docendo de Chri-
sto futuro quod esset purus homo, et rex
temporaliter regnaturus. Fuit enim legis
doctor. Denique, quum fuerit valens legis
doctor atque eximius, secundum Bedam,
scrutabatur Scripturas de Christo. Quoni-
am ergo Prophetæ manifeste describunt
Christi divinitatem (ut quum ait Jeremias:
Jer. XXIII, 16. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Do-
minus justus noster. In Hebræo autem
habetur nomen Domini tetragrammaton,
quod non convenit nisi vero Deo. Et Isa-
ias : Vocabitur, inquit, nomen ejus, Ad- Is. IX, 6.
mirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater
futuri sæculi, Princeps pacis); describunt
quoque primum Christi adventum in om-
nimoda paupertate (dicente Zacharia : Ec- Zach. IX, 9.
ce Rex tuus veniet tibi mansuetus, ipse
pauper; et Jeremia, Quare quasi colonus Jer. XIV, 8.
venturus es in terra?) : hinc igitur non
est verisimile quod Nathanael æstimavit
Messiam purum hominem, atque tempo-
raliter regnaturum, sicut nunc somniant
obtenebrati Judæi.

Argumentum autem illius, quo arguit
quod si Nathanael credidisset eum esse
Filium Dei naturalem, non dixisset, Tu
es Rex Israel, sed, Totius mundi, non con-
vincit, nec apparentiam habet, præsertim
quum in Isaia etiam Deus secundum na-
turam deitatis frequenter dicatur rex Ja- Is. XLI, 21;
cob seu Israel. Unde in Isaia dicitur in XLIV, 6.
persona Israelitici populi : Dominus judex Ibid. XXXIII,
noster, Dominus legifer noster, Dominus 22.
rex noster, ipse veniet et salvabit nos.
Quod ad litteram dictum est de Christo
Filio Dei. Quamvis enim sit omnium rex,
tamen specialiter appellatur Rex Israel :
Primo, quoniam ex semine regum Israel
natus. Secundo, quia populo illi specia-
liter promissus ac missus, quemadmodum
ait : Non sum missus nisi ad oves perdi- Matth. XV,
tas domus Israel. Ideo in Zacharia habe- 24.
tur : Exsulta satis, filia Sion, ecce Rex Zach. IX, 9.
tuus. Non ait, Rex totius mundi; sed,
Rex tuus. Et quid est, Rex tuus, nisi, Rex
Israel?

Respondit Jesus, et dixit ei : Quia dixi 50
tibi, Vidi te sub ficu : secundum sensum
jam explanatum; *credis* me Filium Dei,
et regem Israel. *Majus his,* id est signum
evidentius meæ divinitatis, *videbis,* quam
sint duo signa prædicta, videlicet, quod
te vocavi vere Israelitam dolo carentem,
et quod dixi me te vidisse sub ficu. Nam
ceteris Prophetis sæpe concessum est, Deo
illustrante, quod interiorem hominum dis-
positionem, actusque exteriores, certitudi-
naliter cognoverunt. Discipuli autem post-

Digitized by Google

ea viderunt signa divinitatis Christi multo A majora, ut erat suscitatio mortuorum, obscuratio solis tempore passionis, ingressus Christi in conclave januis clausis, ascensio Salvatoris, et missio Spiritus Sancti. Specialiter vero subjungitur de uno signo majori.

Matth. IX, 25; *Luc.* VII, 14, 15; *Joann.* XI, 43, 44; *Matth.* XXVII, 45; *Joann.* XX, 19, 26; *Act.* I, 9; II, 3, 4.

51 *Et dicit ei* Jesus : *Amen, amen dico vobis,* videlicet tibi, Nathanael, et fratri tuo Philippo, *videbitis cœlum apertum :* non per scissuram, aut divisionem, vel aliquam corruptionem, quum corpora cœlestia sint naturaliter incorruptibilia; sed B per aliquam refulgentiam lucis, ob quam cœlum quasi apertum apparet, ut in coruscatione. Vel dicitur cœlum apertum, propter exitum civium supernorum. *Et angelos Dei ascendentes et descendentes* in corporibus assumptis, in quibus videri dicuntur, quum in propria natura incorporei invisibilesque consistant, *supra Filium hominis,* quasi ad ejus famulatum parati. Sed ubi viderunt istud discipuli? Dicendum, in ascensione, quando cum Christo multi angeli ascenderunt, quorum duo adstiterunt discipulis, dicentes : Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cœlum? *Act.* I, 10, 11. Multa quoque fecit Christus miracula, et diversæ circa ipsum visiones apparuerunt, quæ non sunt ab aliquo Evangelistarum descripta.

Circa præinducta, monemur advertere dispensationem sapientiæ Dei in electione Apostolorum : quomodo Christus sapientia Patris, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens universa suaviter, *I Cor.* I, 24; *Sap.* VIII, 1. potius elegit Petrum, Andream, Philippum, et alios idiotas in Apostolos, quam Nicodemum et Nathanael, qui erant doctores et legisperiti, ne prædicatio evangelicæ legis videretur virtute humanæ sapientiæ, seu auctoritate magnatum, invaluisse (nam teste Apostolo, Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes); *I Cor.* I, 27. item, ne propter excellentiam suam viderentur ad gratiam apostolatus promoti.

ARTICULUS VII

EXPLANATIO CAPITULI SECUNDI : ET TERTIA DIE NUPTIÆ FACTÆ SUNT.

1 SUBINDE describitur miraculum Christi quo convertit aquam in vinum. C *Et tertia die nuptiæ factæ sunt in Cana* villa *Galilææ.* Quidam exponunt hanc tertiam diem, de die sequente vocationem Philippi et Nathanaelis. Sed obviat, quod secundum Patres sanctos communiter, creditur quod Christus eodem die quo baptizatus est, convertit aquam in vinum, anno uno elapso. Vocatio autem prædictorum discipulorum, facta est statim post reditum Christi a deserto, in quod fuit ingressus statim suscepto baptismo. *Marc.* I, 9-12. Propterea alii D sic exponunt : Tertia die, id est die qui post dies prædictos tertio loco exprimitur. *Et erat Mater Jesu ibi,* videlicet invitata atque profecta ad nuptias istas. Hieronymus enim sentit quod sponsus fuit Joannes evangelista, filius sororis beatissimæ Virginis, Genitricisque Christi. Sicque Mater Jesu ivit ad nuptias sui nepotis.

2 *Vocatus est autem,* id est reverenter invitatus, *et Jesus, et discipuli ejus :* qui jam cœperant ejus magisterio adhærere, partim propter testimonium Joannis Baptistæ, et partim propter sapientiam et sanctitatem efficaciamque verborum Domini Jesu; itemque, propter signa ejus occulta, quemadmodum in præcedenti capitulo dictum est de Nathanael, quod credidit Jesum esse Christum Filium Dei, quo- *Joann.* I, 49, 50.

Digitized by Google

niam arcana sui cordis, et gesta ac verba A sua in absentia Christi patrata ac dicta, ipse Christus manifestavit ipsi Nathanael. *Ad nuptias*. Quibus Christus interesse dignatus est : Primo, ut laudabilem consuetudinem, quæ habet vim legis, qua consanguinei et vicini tendunt ad nuptias cognatorum ac vicinorum suorum, approbaret. Secundo, ut demonstraret nuptias esse licitas atque divinitus institutas : cujus contrarium Tatianus et Marcion hæretici affirmabant, dicentes quod essent malæ et a diabolo traditæ. Tertio, ut oc- B casione futuri defectus operaretur miraculum, ad propriæ majestatis declarationem, et discipulorum suorum confirmationem. Quarto, ut dicitur, quatenus nepotem suum Joannem, a statu conjugali ad statum sublimiorem vocaret. Unde et pro lege servatur, ut uterque conjugum libere possit religionem intrare, matrimonio nondum consummato, videlicet ante conjunctionem maritalem.

3 *Et deficiente vino,* vel quia totum fuerat epotatum, vel quia parum remansit, ita C quod mox vinum omnino deesset, et sponsus de inopia confundendus exsisteret, *dicit Mater Jesu ad eum : Vinum non habent* ad sufficientiam sponsus et sponsa ad erogandum, et alii ad bibendum. Compassa est enim verecundiæ sponsi ac sponsæ, atque penuriæ seu indigentiæ convescentium, piissima, affectuosissima atque dulcissima Virgo. Et si illorum corporali inopiæ condolebat et succurrebat, etiam non rogata, quanto magis nostræ spirituali indigentiæ compatietur, auxiliumque D præbebit, si fuerit fideliter invocata? quod utique facit ubertim, nondum petita. Porro, quum pudicissima ac prudentissima esset, paucissimis usa est verbis, et in voluntate Filii ac Domini sui relinquens quid agere vellet : de cujus bonitate et caritate eatenus confidebat, quod scivit desiderium suum ac precem non ab illo repelli posse. Quo docemur causam et indigentiam nostram, superioribus nostris simpliciter atque modeste insinuare, et in eorum potestate quid faciendum sit relinquere.

Et dicit ei Jesus : Quid mihi et tibi est, 4
mulier? Quoniam dura videtur ista responsio, Manichæus dixit quod Christus non fuit verus filius Mariæ, nec habens corpus verum, sed phantasticum. Quod si ita se haberet, non subderet Evangelista : Dicit Mater ejus ministris. Cur ergo loquitur ita? Numquid quoniam verba Mariæ reprehensibilia erant, quam scimus nec mortaliter nec venialiter unquam peccasse? Non utique. Denique, si reprehensibiliter est locuta, cur Filius ejus mox fecit quod ipsa petivit? Sed loquitur sic, docens nos ne habeamus affectum nimis carnalem et mollem ad carnales parentes.

Exponitur autem locus iste dupliciter : Primo, secundum Augustinum, hoc modo : *Quid mihi et tibi est, mulier?* id est, nihil commune est mihi et tibi, cujus virtute conveniat mihi miracula facere, quia istud convenit mihi ratione divinæ naturæ, quam non sumpsi ex te. Ideo quantum ad hoc, videlicet ad facienda opera supernaturalia, non teneor tibi parere. *Nondum venit hora mea,* id est tempus persecutionis et passionis, in quo agam et patiar quæ mihi conveniunt ratione naturæ ex te sumptæ, et tunc ero sollicitus de te, committendo te discipulo *Joann.* XIX, 27. prædilecto. Sed ista expositio videtur satis obscura.

Secundo ergo exponitur sic, secundum Chrysostomum : *Quid mihi et tibi est, mulier?* id est, in isto quod petis a me fieri, non convenis mecum quantum ad determinatam horam faciendi miraculum, nec est tibi mecum commune scire horam hujusmodi. *Nondum venit hora mea,* id est, adhuc non est tempus faciendi miraculum mutationis aquæ in vinum, seu alio modo supernaturaliter providendi de vino sufficienti. Virgo namque beata, secundum Chrysostomum, timens de futuro defectu vini et verecundia sponsi, optavit ut Jesus provideret de vino sufficienti, antequam vinum residuum ebiberetur.

Digitized by Google

Christus vero scivit hoc non expedire, quia tunc miraculum fuisset minus notum et gratum. Quoniam ergo voluit suam divinitatem ostendere, discipulorumque fidem roborare, exspectavit quousque nihil de vino permansit : quo facto, miraculum provisionis de vino fuit magis gratum vescentibus, magis quoque manifestum præsentibus. Hæc expositio videtur aliquid ambiguitatis continere. Maria enim absolute dixit ad Jesum : Vinum non habent. Unde dubium est si aliquid vini superfuit.

Propter quod videtur et sic exponi posse. Expositiones tamen prætactas nequaquam redarguo. *Quid mihi et tibi est, mulier?* id est, quid ad nos duos, qui pauperes sumus, et temporalium rerum sollicitudinem non habemus, in tantum pertinet providere istis de vino? *Nondum venit hora mea,* id est, necdum impletum est tempus ut manifeste ac passim agam miracula. Quamvis enim Christus ante incarcerationem Joannis Baptistæ, prædicavit, baptizavit, saltem suos Apostolos, et alios per illos, atque miracula aliqua fecit, hoc tamen non fecit ubertim, manifeste et passim, sed raro et coram paucis. Propter quod Matthæus, Marcus et Lucas talia omiserunt, incipientes ab operibus Christi et doctrinis post incarcerationem Joannis inceptis, prout manifeste patet in Matthæo, Marco et Luca. *Matth. IV, 12 et seq.; Marc. I, 14 et seq.; Luc. IV, 14 et seq.*

5 *Dicit Mater ejus ministris,* qui potum præbebant edentibus : *Quodcumque dixerit vobis* Filius meus Jesus, *facite.* Certissima equidem fuit amabilissima Virgo, se tantum amari ac honorari ab unico pignore ventris sui, a dilecto suo, a dilecto uteri sui, a dilecto votorum suorum, a quo nunquam aliquid austeritatis vel repulsæ fuit experta, quod incunctanter ageret id quod ipsa suggessit. Non enim accepit verba ejus quasi increpatorie dicta : quia et quod ait, Mulier, non sonat dure secundum idioma Hebræum, in quo omnis persona feminei sexus, mulier appellatur.

A *Erant autem ibi lapideæ hydriæ,* id est 6
urnæ seu vasa pro receptione aquæ apta, *sex positæ, secundum purificationem Judæorum,* id est secundum consuetudinem, ritum, seu observationem quam habebant Judæi in purificando seu lavando se ipsos et utensilia sua, quando aliquam immunditiam incurrebant secundum legem; vel secundum seniorum suorum traditionem. Habebant enim consuetudinem ex traditione seniorum frequenter lavandi manus, et vasa, ac cetera multa : propter quod B positæ erant ibi hydriæ, ut haberent aquam in promptu. Unde apud Marcum legitur : Pharisæi et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum; et a foro nisi baptizentur, non comedunt; et alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et æramentorum, et lectorum. *Marc. VII, 3, 4.* *Capientes singulæ,* id est, quælibet hydria capiebat, *metretas,* id est mensuras decem sextariorum, *binas vel ternas.* Secundum Isidorum, metreta C est mensura continens decem sextarios. Sextarius vero continet duas libras.

Dicit eis, puta ministris, *Jesus : Imple-* 7
te hydrias aqua. Forsitan aliquid aquæ erat in hydriis; sed non erant repletæ, quia fortassis aliquid inde fuit sublatum pro lotione vasorum vel discumbentium. *Et impleverunt eas usque ad summum* earum, ita quod plus capere non valebant.
Et dicit eis Jesus : Haurite, id est, vinum 8
de hydriis sumite, *nunc,* quoniam divina virtute, jam in instanti conversa est aqua D in vinum, *et ferte,* id est, de vino isto portate, *architriclino.* Triclinium est locus seu domus sublimata, secundum Bedam, trino discumbentium ordine distincta, videlicet in quo sunt tres ordines mensarum. Architriclinus vero nominatur principalis inter convivas, vel dispensator ac ordinator convivii. Juxta Chrysostomum, voluit Christus ut ei primo vinum istud præberetur gustandum : primo, quia unusquisque honorandus est secundum exigentiam gradus atque officii sui; se-

Digitized by Google

cundo, quoniam architriclini judicio ma- A
gis credebatur ab omnibus; tertio, quia
fortassis architriclinus propter curam su-
am in dispositione convivii, parum co-
medit ac bibit, sicque propter sobrietatem
suam aptior fuit aliis ad judicandum de
valore vini. *Et tulerunt* ministri vinum
ad architriclinum.

9 *Ut autem,* id est postquam, *gustavit*
architriclinus aquam vinum factam, id
est vinum in quod aqua fuit conversa.
Ex aqua enim fuerat factum hoc vinum,
quasi ex causa materiali, forma aquæ cor- B
rupta. *Et non sciebat* architriclinus *unde*
esset, id est, a quo adductum esset tam
nobile vinum; *ministri autem sciebant*
unde esset, *qui hauserant aquam* in hy-
drias fusam atque in vinum mutatam. *Vo-*
cat sponsum architriclinus, ut arguat eum,
10 *et dicit ei :*

Omnis homo primum bonum vinum
ponit, et quum inebriati fuerint, tunc id
quod deterius est. Distributio ista non est
intelligenda simpliciter de universis ho-
minibus, quia nec omnis homo habet vi- C
num, nec omnis homo habens vinum, po-
nit illud ante alios, nec omnis qui ponit
ante alios vinum bonum, ponit bibenti-
bus inebriatis vinum deterius. Est ergo
distributio accommoda, et sermo secun-
dum consuetudinem loquens, ut sit sen-
sus : Omnis homo ponens vinum ante
alios, primum, id est in principio pota-
tionis, et antequam aliud vinum ponat,
bonum vinum ponit, dummodo humane,
prudenter et rationabiliter agat, id est,
saporosum et clarum vinum ponit coram D
bibentibus, ne reprehendatur ab illis de
malitia vini. In principio enim epulatio-
nis, sunt homines apti ad discernendum
de vini valore. Et quum inebriati fuerint
convivantes, tunc omnis homo ponit id
quod deterius est, id est vilius vinum :
quia sensus gustus est vivacior in sobrio,
quam in ebrio. Si autem quis ponat vi-
num deterius ante inebriatos, ut inordi-
natum lucrum sectetur, ebriosque deci-
piat, sumendo tantam pecuniam pro vino
deteriori sicut pro meliori, non excusa-
retur a culpa. Si vero sic faciat ad præ-
cavendum ampliorem bibentium ebrieta-
tem, nec quærat superfluum pretium pro
vino, non facit male.

Tu autem servasti bonum vinum usque
adhuc, hoc est, contra laudabilem con-
suetudinem hoc fecisti, et meruisti redar-
gui. Sic enim putavit architriclinus. Unde
perpenditur quod vinum istud peropti-
mum fuit. Opera quippe Christi erant per- *Deut.* XXXII, 4.
fecta. Nam quos sanavit corporaliter, sa-
navit et spiritualiter; et in ceteris actibus
Christi fuit eminentia quædam, ita quod
terminabantur ad aliquid perfectius quam
possit natura producere. Propterea hæc
supernaturalis mutatio aquæ, terminaba-
tur ad vinum prævalidum.

Hoc fecit initium signorum Jesus, id 11
est, prædicta mutatio aquæ in vinum fuit
primum miraculum Christi quod fecit in
carne; factumque est *in Cana,* quæ est vil-
la *Galilææ; et manifestavit,* id est, aliis
notificavit, *gloriam suam,* id est excellen-
tiam, vel omnipotentiam, seu divinitatem
suam in carne latentem.

Quæritur, an mutatio aquæ in vinum
fuit primum miraculum factum a Salva-
tore. Et apparet primo, quod non, per ea
quæ in evangelio Nazaræorum, et in libro
de Infantia Salvatoris scribuntur. Secun-
do : nam Christus miraculose exivit de
utero Virginis. Dicitur quoque apparuisse *Matth.* II, 12.
tribus Magis in somnis, admonuisseque
eos ut per aliam viam reverterentur in
terram suam. Denique in præcedenti ca-
pitulo patuit, quod prædixit Petro pro-
phetice : Tu vocaberis Cephas. Philippum *Joann.* I, 42.
quoque supernaturaliter intus attraxit, ut *Ibid.* 43, 45.
sequeretur se. Et Nathanael confessus est *Ibid.* 49.
Jesum esse Filium Dei, propter duo si-
gna : primo, quoniam secreta cordis sui *Ibid.* 47.
cognovit; secundo, quoniam absentis ver-
ba cognovit, et dixit, Antequam Philippus *Ibid.* 48.
vocaret te, quum esses sub arbore fici,
vidi te; eique prophetando prædixit, Vi- *Ibid.* 51.
debitis angelos Dei ascendentes et descen-
dentes supra Filium hominis. Quæ omnia

Digitized by Google

erant super naturam. Et secundum Apo- A
1 Cor. xiv, 22. stolum, prophetiæ in signum sunt † infi-
Matth. iv, 2; Luc. iv, 2. delibus. Jejunavit quoque Salvator quadraginta diebus et noctibus, nihil prorsus
manducans. Sed et in Luca habetur quod
Luc. ii, 42, 46. Jesus, quum esset annorum duodecim, sedit in medio doctorum, interrogans illos
Joann. vii, 15. et audiens, quum tamen litteras non didicerit. Et tam sapienter respondit, ut as-
Luc. ii, 47. serat Evangelista : Stupebant omnes super
prudentia et responsis ejus.

Ad hanc quæstionem dicendum, quod potestas faciendi miracula inerat Christo B a principio suæ incarnationis. Quum autem asserit evangelista Joannes, prædictum opus fuisse initium signorum Domini Jesu, non est sic intelligendum quod Christus non habuit nec egit aliquem actum supernaturalem ante hoc signum ; sed quod non fecit in aliis rebus opera supernaturalia per se ipsum immediate, quibus ratio miraculi proprie sumpti conveniat, videlicet prout miraculum dicit quid manifestativum. Miraculum quippe sic debet esse opus evidens, valens ad C fidei confirmationem. Propter quod patet ad argumenta solutio. Liber autem de Infantia Salvatoris reprobatur in decreto Gelasii Papæ, tanquam ab hæreticis editus et confictus. Similiter evangelium Nazaræorum inter falsa a doctoribus computatur.

Postremo, post descriptionem miraculi præinducti, subdit Evangelista : *Et crediderunt in eum,* puta in Jesum, *discipuli ejus,* qui secum fuerunt vocati ad nuptias. Sed quoniam, teste Philosopho, addi- D scentem oportet credere, et Isaias testatur,
Is. vii, 9, juxta LXX. Nisi credideritis non intelligetis : constat quod isti discipuli crediderunt Christo; sed non tam perfecte ut postea, viso tanto miraculo. Firmiter namque tunc crediderunt quod missus esset a Deo, et veram doctrinam ac salutarem proponeret, atque divina virtute operaretur in omnibus. An tamen credebant explicite quod esset Deus verus Unigenitus Patris, certum non arbitror.

Circa moralizationem evangelii hujus, Expositio moralis.
multa pulcherrima posuit Augustinus. Nec tanta dicta sunt, quin plura dici possint. Fit enim mentio in Scripturis de multiplicibus nuptiis, scilicet : carnalibus, quæ dum legitime fiunt, sacramentales dicuntur, et in ecclesia celebrantur. Secundo, de nuptiis spiritualibus, quæ duplices sunt, videlicet : Verbi cum humana natura, quæ dicuntur nuptiæ incarnationis, celebratæ in utero Virginis (unde
et dicitur : Ipse tanquam sponsus pro- Ps. xviii, 6.
cedens de thalamo suo); et item, Christi cum militanti Ecclesia, quæ secundum
Apostolum, est Christi sponsa : quæ di- Ephes. v, 23-28.
cuntur nuptiæ spiritualis conjunctionis, celebranturque in cubili conscientiæ purioris. Tertio, de nuptiis beatificæ fruitionis : quæ dicuntur æternales, et celebrantur in palatio majestatis. Unde habetur in
Apocalypsi : Beati qui ad cœnam nupti- Apoc. xix, 9.
arum Agni vocati sunt.

Celebremus ergo spirituales nuptias in conscientia nostra, uniendo et intime copulando animas nostras Verbo seu Filio Dei, sponso animarum sanctarum, qui ait
per Osee, Sponsabo te mihi in fide, ut Osee ii, 20.
animæ nostræ fecundentur et impragnentur cœlesti semine, id est lumine gratiæ copiosæ, quatenus indesinenter producant fructus spirituales, seu actus virtuosos.

Si hoc facimus, celebramus nuptias in Cana Galilææ, hoc est in zelo transmigrationis, seu desiderio eundi ac perveniendi ad nuptias æternales. Cana enim, zelus, Galilæa autem, transmigratio interpretatur. Debemus igitur zelum ferventem habere transmigrandi de via ad patriam, de exsilio isto ad paradisum cœlestem. Porro, celebrando has nuptias, aderit Mater Jesu, dulcis et mitis Maria. Tunc vocabimus magno fervore potius quam oris clamore, Jesum : non quasi absentem, quum ipse sit sponsus, sed quasi nondum perfecte præsentem, atque per speciem apparentem. Rogabimus itaque eum, ut de his nuptiis imperfectis, interruptis et suspiriosis, perducat nos ad nuptias

consummatas, continuas, gaudio plenas, A ubi non est desiderium boni futuri quoad præmium essentiale, sed perfectissimus amor præsentis. O quam libenter et quam superlibenter celebrat Christus modo in anima devota nuptias spirituales ! Ipse nempe est qui ait per Salomonem in Proverbiis : (Prov. VIII, 31.) Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum ; et in Apocalypsi : (Apoc. III, 20.) Ego sto ad ostium, et pulso ; si quis aperuerit mihi, intrabo et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Dicat ergo anima nostra Christo sponso cœlesti, illud Canticorum : (Cant. V, 1.) Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum ; (Ibid.) et illud, Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi. Poma ista, sunt sancta desideria patriæ, fervidi motus in Deum, contemplationes sinceræ cœlestium : quibus certum est Christum præcipue delectari.

Quemadmodum autem in nuptiis illis corporalibus, deficiente vino, dixit Mater Jesu ad eum, Vinum non habent ; sic in præmemoratis animæ nuptiis, deficiente vino, hoc est spirituali consolatione, devotionis sapore, mystico intellectu, perfectionisque gratia, advocata ac domina nostra intercedet pro nobis ad Christum, ut desideratam dulcedinis suæ præsentiam, consolationem internam, solidum cibum, stabilem puritatem, nobis conferre dignetur. Si autem fecerimus quod dixit Virgo beata ministris, Quodcumque (inquiens) dixerit vobis, facite; tunc Jesus faciet nobis quidquid Mater ejus pro nobis rogaverit.

Per sex quoque lapideas hydrias, intelligo sex principales animæ vires : quarum tres sunt in parte intellectiva, videlicet ratio, memoria, et voluntas ; et tres in parte sensitiva, scilicet appetitus concupiscibilis, irascibilis, et virtus cogitativa, quæ dicitur a Philosopho, intellectus passivus et ratio particularis. Istæ quippe potentiæ sunt subjecta scientiæ seu virtutum : idcirco implendæ sunt aquis scientiæ salutaris, et humore ac rore virtutum, ut omnes in suis actionibus ordinate se habeant, rationis censuram sequendo, ne passiones appetitus concupiscibilis et irascibilis rationi repugnent et prævaleant, sed sensualitas rationis imperio semper subjaceat. Tunc Christus convertet has aquas in vinum, infundendo animæ septem dona Spiritus Sancti, cum exuberantia quadam, ita ut ratio et voluntas, quæ sunt subjecta septem donorum, sint prompte ac delectabiliter mobiles a Spiritu Sancto, præsertim in actibus theologicarum virtutum, in ordine ad ultimum finem, qui est beatitudo supernatu- B ralis. Tunc per donum sapientiæ, sortietur anima dulcem gustum in contemplatione divinorum, et impellente eam amoris sancti fervore, faciet corde promptissimo quidquid noverit Creatori placere, et pro ejus reverentia esse. Sic animalis homo fit spiritualis, introductus in cellam vinariam, (Cant. II, 4.) atque inebriatus vino Spiritus Sancti, ita ut memoriam abundantiæ suavitatis Dei eructet, (Ps. CXLIV, 7.) dicens : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine ! (Ps. XXX, 20.)

C *Post hæc,* videlicet post nuptiarum in Cana factarum, et prædicti miraculi perpetrationem, *descendit Capharnaum,* urbem Galilææ metropolim atque maritimam, *ipse, et Mater ejus, et fratres ejus,* hoc est consanguinei et affines ex parte virgineæ Genitricis. Non enim fuerunt filii Mariæ, ut dixit infelicissimus ille Helvidius hæreticus, asserens Christo nato, Matrem ejus cognitam esse a Joseph. Aliqui vero dixerunt, quod erant filii Joseph ex alia conjuge. Sed probabilius est quod D etiam Joseph virgo fuit : quia non decuit tantam virginem, nisi a sponso virgine, a pudicissimo atque castissimo viro custodiri. Et item, quum Christus in cruce erectus, non commendavit Matrem suam jam provectæ ætatis, nisi discipulo virgini, (Joann. XIX, 27.) verisimile est quod juvenculam non commisit custodiendam, nisi virgineo viro. Dicuntur itaque *fratres,* juxta consuetudinem sacræ Scripturæ, quæ sæpissime homines ejusdem genealogiæ nominat fratres : sicut in Genesi, Lot dicitur frater (Gen. XIII, 8, 11; XIV, 14.)

12

Gen. xxix, 15. Ibid. xxv, 18. Abrahæ, et Jacob dicitur frater Laban; Ismael quoque coram cunctis fratribus suis fertur obisse; et Joab dixit ad Amasam, II Reg. xx, 9. Salve, mi frater.

Et discipuli ejus. Et ibi manserunt non multis diebus. Causa hujus habitationis insinuatur in Matthæo, quo scribitur : Matth. iv, 13, 14, 16; Is. ix, 2. Relicta civitate sua Nazareth, venit et habitavit in civitate Capharnaum in finibus Zabulon et Nephthali, ut impleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, etc. Voluit quippe Salvator majestatem suam paulatim manifestare : idcirco accessit ad urbem suæ provinciæ principalem, ubi a pluribus audiretur ac nosceretur.

13 *Et prope erat Pascha,* id est paschalis solennitas, *Judæorum ; et ascendit Jerosolymam Jesus.* Non dubium quin secum ascenderunt qui cum eo Capharnaum intraverunt, videlicet Mater ejus, fratres atque discipuli. Cur ascendit Jerusalem? Primo, ut legem impleret. Fuit enim præceptum in Exodo, ut omne masculinum Exod. xxiii, 17; xxxiv, 23. Judæorum ter in anno appareret coram Deut. xii, 5, 6. Domino, in loco quo licuit sacrificia fieri, scilicet in festo Paschæ, Pentecostes, et Tabernaculorum. Et licet interdum dispensabatur cum longe habitantibus, quantum ad ultima duo festa, tamen in festivitate paschali maxime tenebantur Judæi legis præceptum servare. Secundo, ut dicit Beda, ut sacrificia offerret, et orationum vota persolveret, quemadmodum lex Ibidem; Exod. xxiii, passim. præcepit. Tertio, ut futurorum hæreticorum dicentium legem Mosaicam a diabolo traditam, errorem destrueret. Quarto, ut nobis exemplum daret cum omni vigilantia cordis et reverentia obediendi divinis præceptis.

Hoc ipsum quod Christus Filius Dei, Deus incarnatus, cum ceteris Jerosolymam tenderet in solennitate paschali, prædictum fuit per Zachariam, dicentem : Hæc Zach. viii, 20-22. dicit Dominus exercituum : Usquequo veniant populi, et vadant habitatores, unusquisque ad alterum dicentes, Eamus et

A deprecemur faciem Domini? Vadam etiam ego, et venient populi multi, ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem. Hoc quod dicitur hic, Vadam etiam ego, non dicitur in persona Zachariæ prophetæ, sed Dei per ipsum loquentis, ut patet diligenter intuenti seriem textus. Ire autem non competit Deo nisi ratione naturæ assumptæ : ideo in his verbis innuebat se Dominus exercituum incarnandum. Et quoniam scripturæ veteris Testamenti loquuntur de Deo mittente, et Christo mit-B tendo seu misso, quasi de distinctis personis, patet quod Moyses et Prophetæ insinuaverunt personalem esse distinctionem in simplici Deitate.

Et invenit Jesus *in templo,* hoc est in 14
quodam anteriori atrio templi, ubi vulgus orabat et doctores docebant, non in atrio sacerdotum continente altare holocaustorum, *vendentes boves, et oves, et columbas.* Sacerdotes enim, quum essent avari, posuerunt in templo ministros suos, vel alios, qui animalia immolaticia venderent, C ne de longe venientes possent se excusare ab immolatione animalium, propter difficultatem adducendi ea secum ob prolixitatem itineris. Invenit quoque *et nummularios,* id est campsores quosdam, *sedentes* in templo. Ne enim pauperes se excusarent per hoc quod non haberent pecuniam ad emenda animalia requisitam, posuerunt sacerdotes in templo campsores, qui egenis sub cautione accommodarent pecuniam.

Et quum fecisset quasi flagellum de fu- 15
D *niculis, omnes* venditores præfatos *ejecit de templo,* minando et expellendo eos cum tali flagello ; *oves quoque et boves* ejecit ; *et nummulariorum effudit æs,* id est pecuniam, *et mensas* super quas ponebantur pecuniæ, *subvertit. Et his qui* 16
columbas vendebant, dixit : Auferte ista animalia hinc, et nolite facere domum Patris mei cœlestis ac naturalis, *domum negotiationis,* vendendo ibi animalia ista, quæ in foro solent venundari.

Satis mirandum videtur, quomodo Chri-

Digitized by Google

sto hæc faciente, qui nondum miraculis multis coruscavit, neque fama magna innotuit, nullus Judæorum præsumpsit resistere. Et respondendum, quod Jesus divina sua virtute, potuit corda eorum terrere quos alloquebatur. Potuit quoque ex vultu et oculis suis igneum splendidumque ac deiformem fulgorem, seu radios luciformes emittere, quo omnes videntes eum, timore concussi sunt. Corpus enim suum fuit animæ suæ omnino subjectum, ita quod qualificabatur in vultu et corpore secundum imperium animæ. Sed et humanitas Christi erat instrumentum animatum, conjunctum, ac proprium deitatis unitæ, quæ operabatur per illam ut voluit. Et quid miramur, si nunc nondum capiendus et occidendus, ejecit omnes flagello, qui postmodum mox capiendus et crucifigendus, solo verbo universam cohortem armatam, et ministros furentes ac gladiis cinctos, prostravit in terram? (*Matth.* xxvi, 47; *Joann.* xviii, 6.) Nihilo minus, secundum Origenem, ejectio ista fuit magis miraculosa, quam conversio aquæ in vinum : quoniam ibi inanimata subservit materia ; hic vero tot millium compescuntur ingenia.

17 *Recordati sunt vero discipuli ejus, quia scriptum est* in Psalmo, in persona Christi : *Zelus domus tuæ,* (*Ps.* lxviii, 10.) id est magna affectio honorandi templum tuum, o Pater, *comedit,* id est, spiritualiter absorbuit *me.* Et etiam zelus iste fuit occasio occisionis Christi, et ita comedit, id est, consumpsit seu interfecit eum. Per hunc etenim zelum, bis ejecit vendentes de templo : semel in primo anno suæ prædicationis, unde nunc sermo; et in die Palmarum, ut patet in Luca. (*Luc.* xix, 45, 46. *Ibid.* 47; *Marc.* xv, 10.) Per quod maxime offendit, odiumque incurrit sacerdotum, qui eum ex invidia occiderunt.

Zelus proprie sumptus, est fervor quidam, seu intensa affectio ex amore procedens : per quem zelum homo conatur ea excludere quæ consecutionem boni optati impediunt. Quemadmodum autem amor est duplex, puta carnalis et spiritualis; sic duplex est zelus, videlicet : carnalis, de quo dicit Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis vos? (I *Cor.* iii, 3.) Et Psalmista : Neque zelaveris facientes iniquitatem. (*Ps.* xxxvi, 1.) Alter est zelus spiritualis, divinus et caritativus, quo nititur homo ea excludere quæ divino honori aut proximorum contrariantur saluti. De quo Elias : Zelo (inquit) zelatus sum pro Domino exercituum. (III *Reg.* xix, 10, 14.) Hoc zelo zelatus est Phinees, pugione perfodiens Zambri et Cozbi concumbentes : (*Num.* xxv, 7, 8, 14, 15.) pro quo meruit pactum sacerdotii sempiterni. (*Ibid.* 11-13.) Hoc zelo accendi debemus, Dei honorem, proximorum correctionem, justitiæ observationem cordialiter affectantes, atque impedimenta eorum pro viribus dissipantes. Sed omnino oportet ut incipiat homo a semetipso, totis præcordiis Deum amans, et omni posse honorans; et tunc idem optet ac procuret ab aliis fieri. Nam et zelus animarum est sacrificium acceptissimum Deo. — Præterea, secundum Glossam, zelus iste est fervor animi quo mens abjecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur. Et secundum Augustinum, ille zelo domus Dei comeditur, qui universa mala quæ videt in ea, studet corrigere : quod si non potest, tolerat et gemit.

Dum ergo discipuli viderunt Christum exercuisse hunc zelum pro honore Patris sui, et emundatione domus suæ, ac populi correctione, attenderunt præfatam Scripturam, intellexeruntque eam in hoc facto Christi impletam.

18 *Responderunt ergo Judæi* incorrigibiles et superbi, *et dixerunt ei : Quod signum,* id est quale divinum miraculum, *ostendis nobis quia hæc facis,* id est, per quod sciamus tibi licitum esse hæc facere? tanquam dicerent : Ejectio ista non spectat ad te, nec tuum est corrigere nos et facta sacerdotum, quum non habeas auctoritatem, nec sis sacerdos, neque propheta; et si dicis quod imo tuum sit hoc, ostende signum quo sciamus tibi divinitus commissam potestatem.

19 *Respondit Jesus, et dixit eis : Solvite*

Digitized by Google

templum hoc, id est, mortem violentam mihi inferendo, solvetis, occidetis, dissipabitis, et a naturalibus juncturis separabitis corpus meum, quod est templum Verbi in eo habitantis. In passione enim solutum est corpus Christi ab anima ejus, et sanguis a corpore, universaque membrorum compago præ nimia corporis distentione soluta est. Propter quod ait in Psalmo (*Ps.* XXI, 15) : Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea; et rursus (*Ibid.* 18), Dinumeraverunt omnia ossa mea. Porro, quod ait Salvator, Solvite, non dicit exhortando et licentiando quasi rem bonam ex parte facientium, quia maximum erat peccatum; sed prænuntiando, quomodo dixit ad Judam in Cœna (*Joann.* XIII, 27), Quod facis, fac citius. Dicitur autem corpus Christi et anima ejus, seu tota sua humanitas, templum Verbi et unitæ Deitatis : Primo, quoniam Verbum fuit in eis per immediatam personalemque unionem : unde secundum Apostolum (*Coloss.* II, 9), in Christo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Secundo, quoniam habitavit in eis per excellentissimam gratiam. Tertio, quoniam habitavit in anima Christi per fruitionem claram ac beatificam. Quarto, quia sicut in templo materiali orationes Domino offeruntur, et ab ipso exaudiuntur; sic preces Ecclesiæ porriguntur Deo in Christo et per Christum, per quem etiam exaudiuntur. *Et in tribus diebus,* id est intra tres dies naturales, videlicet tertia die, repente *excitabo,* id est, a morte suscitabo, *illud,* animam ei reuniendo. Divinitas enim mansit semper unita corpori et animæ Christi.

His verbis ostendit se Christus esse Deum omnipotentem, cui omnia licent. Nam se ipsum resuscitare a morte, non competit nisi Deo mortali natura induto. Merito autem perversis, induratis incredulisque Judæis, datur signum obscurum, rememorativum præteriti, sicut et regi Achaz ejusque populo datum est signum futuræ incarnationis, ut in Isaia habetur (*Is.* VII, 14) : Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium.

20 *Dixerunt ergo Judæi* irridentes et redarguere cupientes verba Christi, quæ carnaliter intellexerunt de templo illo lapideo, inanimato et manufacto : *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc* secundum, a Nehemia atque Zorobabel, prophetantibus Aggæo et Zacharia (*I Esdr.* III, 2, 8; V, 2. *Ibid.* V, 1). Templum vero primum a Salomone constructum, intra septem annos fuit completum (*III Reg.* VI, 38). Verba vero prætacta non sunt sic intelligenda, quod Judæi quadraginta et sex annis continue fabricaverunt hoc templum, sed quia a tempore quo cœperunt, usque ad templi consummationem, fluxerunt tot anni. Sed interim frequenter retardabantur, et sæpe cessabant ad tempus ab ædificatione incepta, propter gentiles vicinos et prohibitionem regis, ut patet in libro Esdræ (*I Esdr.* IV). A primo siquidem anno Cyri regis Persarum (*Ibid.* I, 1-3), qui dedit Judæis licentiam a Babylonia revertendi et templum ædificandi, usque ad sextum annum Darii regis (*Ibid.* VI, 15), quando consummatum est templum, leguntur anni quadraginta sex fluxisse. Et tamen non est magna vis verificandi hæc verba Judæorum, qui multa falsa dixerunt arguendo contra Christum. *Et tu in tribus diebus excitabis,* id est, solutum seu dissipatum reparabis, *illud?* quasi dicant : Hoc tibi impossibile esset, quum domus hæc sit tanto tempore fabrificata. Certum est, si Christus aperte dixisset, In tribus diebus resurgam, vel, Resuscitabo corpus meum, quod non credidissent, sed derisissent.

21 *Ille autem dicebat,* id est, Jesus prædicta verba intellexit, *de templo corporis sui,* id est de corpore proprio, quod fuit templum Divinitatis. Quod igitur ait Evangelista, De templo corporis sui, sumendum est intransitive, sicut ad Colossenses dicit Apostolus (*Coloss.* II, 11), In exspoliatione corporis carnis, hoc est corporis quod est caro. — Hæc verba Domini Jesu, tenuerunt Judæi memoriter, tanquam falsa prolata. Unde et in nocte passionis, surgentes duo falsi

(Matth. xxvi, 61; Marc. xiv, 58.) testes, dixerunt : Nos audivimus eum dicentem : Possum destruere templum Dei, et in tribus diebus reædificare illud. A

22 *Quum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat* Jesus de futura solutione, passione et resuscitatione corporis sui. Recordati autem sunt discipuli verborum istorum, non statim post resurrectionem, quia nec statim credebant eum resurrexisse ; sed (Luc. xxiv, 45.) postquam apparuit eis, et aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas. Unde etiam constat, quod discipuli non intellexerunt B verba Christi quæ ait, Solvite templum hoc, etc., tunc quando protulit ea, sed post resurrectionem, ut dictum est. *Et crediderunt Scripturæ* Prophetarum loquenti de Christi passione et resurrectione, *et sermoni* præmemorato *quem dixit Jesus,* videlicet : Solvite templum hoc. Quamvis discipuli ante resurrectionem non intellexerunt hæc verba, nec Prophetarum eloquia, tamen credebant ea vera esse ; sed post resurrectionem idem credebant magis perfecte, tanquam notitiam verbo- C rum sortiti.

23 *Quum autem esset Jerosolymis in Pascha,* videlicet *in die festo* paschali. Non solum die uno seu ultimo festivitatis paschalis, quæ septem duravit diebus ; sed forte toto tempore illo, vel pluribus diebus, ibi fuit. *Multi crediderunt in nomine ejus,* id est in ipso per nomen nominans designato, credentes quod esset Christus, vel saltem vir sanctus atque Propheta. Non tamen crediderunt nec suspicabantur quod esset Filius Dei naturalis, D verusque Deus, nisi forte ante agnovissent per Scripturas quod Christus in lege promissus esset Deus. Causa credulitatis subjungitur : *videntes signa ejus quæ faciebat* tempore isto : quæ non sunt in speciali descripta, nisi quod ejecit vendentes in templo, etc. Fecit tamen magna miracula. Propter quod Nicodemus dixit (Joann. iii, 2.) ad eum : Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Supernaturalis quippe doctrina, supernaturalibus argumentis seu divinis miraculis fuerat comprobanda, ut tam certa sit fidei veritas, quam certum est Deum falsitatis non esse confirmatorem, cooperatorem, vel assertorem.

Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis. 24 Hoc quoad superficiem litteræ, sonat ac si Jesus Dominus virtutum, cui (Ps. xxiii, 10.) potestatem omnis carnis dedit Pater, ti- (Joann. xvii, 2.) muisset aliquid mali sibi posse ab istis inferri. Sed certum est quod non timuit hoc, nec eos qui corpus occidunt. Augu- (Matth. x, 28.) stinus ergo et Beda exponunt hoc modo, quod ideo Jesus non se credidit eis, quoniam nondum baptizati et plena fide imbuti fuerunt, gerentes formam catechumenorum : quibus Christus dicitur se ipsum non credere, quia non datur eis Sacramentum corporis Christi. Hæc autem expositio videtur tendere ad moralitatem ; et posset aliquis ei objicere, quod discipuli Jesu necdum fuerant baptizati, ut patet in sequenti capitulo, nec plene creden- (Joann. iii, 7.) tes, saltem explicite. — Lyra vero exponit, affirmans quod Jesus non se credebat eis, quia non revelavit eis altiora mysteria fidei, eo quod essent incapaces. Verum nec discipuli capaces jam fuerant mysteriorum sublimium : quibus infra ait Salvator, Multa habeo vobis dicere, sed non (Ibid. xvi, 12.) potestis portare modo. Et tamen Jesus credebat se eis.

Apparet igitur quod possit litteraliter sic exponi : *Jesus non credebat,* id est, non committebat, *semetipsum eis,* tanquam fidelibus constantibusque amicis, nec voluit conversari inter eos quasi inter veros discipulos, quia non bene sensit de eis, nec ipsi habuerunt fidem formatam, aut stabilem. Ideo non credebat se eis, non quia verebatur circumveniri vel pati ab eis, sed quoniam scivit quod non adhærerent sibi constanter, et nec cor eorum (Ps. lxxvii, 37.) rectum fuerat cum ipso. Isti enim sic credebant in Jesum, quemadmodum illi de quibus infra habetur : Ex principibus (Joann. xii, 42, 43.) multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur. Dilexerunt

Digitized by Google

enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. Tales autem non credunt vere *Joann.* v, 44. atque salubriter : sicut ait Salvator, Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? Loquitur ergo Evangelista secundum communem modum loquendi, quo aliquis dicitur se ipsum alteri credere, quoniam fidei illius se committit, certus de fidelitate vel amicitia ejus. Si vero sumatur *credere,* prout est actus fidei quæ est virtus theologica, sic Christus non credidit, nec aliquis debet sic in purum hominem credere. Denique huic expositioni concordant sequentia, in quibus tangitur ratio quare Christus non credebat se illis.

Eo quod ipse nosset omnes, id est, certitudinaliter cognosceret omnium corda, et per consequens corda istorum, sciens
25 quanta esset eorum interna defectio ; *et quia opus,* id est necesse, *ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine* quocumque, ad manifestandum Christo aliquid prius ei ignotum. *Ipse enim sciebat,* præsertim per scientiam increatam, secundum quod Deus, et item per scientiam infusam, ut homo, vel in Verbo, *quid esset in homine,* hoc est omnia interiora secretaque hominis cujuscumque, videlicet desideria, cogitationes, intentiones. Per quod innuit Evangelista divinitatem Salvatoris, quia Scripturæ testantur Deo proprium esse, universorum cordium scire arcana. Nam licet Christus sciverit illa, etiam ut homo, per scientiam concreatam, ut dictum est, hoc tamen non fuit nisi secundum quod homo talis, utpote habens humanitatem Verbo hypostatica unione conjunctam. Hinc in libris Regum Salo-
III *Reg.* viii, 39. mon loquitur : Tu, Domine, solus nosti corda omnium hominum. Et in Apocalypsi
Apoc. ii, 23. Dominus protestatur : Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda et renes.

Expositio moralis. NUNC aliquid de moralitate hujus evangelicæ lectionis tractandum est. Instante festo paschali Judæorum, ascendit Jesus A Jerosolymam. Sic et nos, appropinquanto Pascha Christianorum, qui sunt veri Judæi, non carne et littera, sed spiritu confitentes, ascendere debemus ecclesiam toto tempore quadragesimali, præparando nos ad devotam paschalis festivitatis celebrationem, per opera pœnitentiæ et exercitia devotionis atque compunctionis internæ.

Quotidie quoque visitat Christus Ecclesiam, quæ per Jerusalem designatur ; et invenit ibi vendentes oves et boves, id est B clericos temporalibus negotiis implicatos, sacerdotes, religiosos atque prælatos avaritiæ deditos, propria lucra, non Christi I *Petr.* v, 2. honorem et gregis dominici salutem, quærentes. Quocontra dicit Apostolus : Nemo II *Tim.* ii, 4. militans Deo, implicat se sæcularibus negotiis. Demum columbas vendunt, qui spiritualia bona pro temporalibus exhibent ; qui non excutiunt manus suas ab omni *Is.* xxxiii, 15. munere. Contra quos ait Salvator : Gratis *Matth.* x, 8. accepistis, gratis date.

Omnes tales ejicit Christus de templo, C id est, a corpore suo mystico, a consortio electorum separat eos nunc voto ac merito ; postea vero separabit istos ab illis, *Ibid.* xxv, 32. loco et præmio, sicut segregat pastor oves ab hœdis, quando hi ibunt in ignem æter- *Ibid.* 46. num, illi vero in paradisum cœlestem. Ejicit autem, flagellat et punit eos Christus, flagello facto de funiculis, id est pœna quam merentur propriis vitiis, quæ sunt funes seu vincula quibus impius irretitur, ligatur, atque constringitur, ne Deum sequatur, ne in viam vitæ profi- D ciscatur, sed dæmonis potestati, jugo et obsequio subditus maneat, prout ad Timotheum ait Apostolus : Resipiscant a la- II *Tim.* ii, 26. queis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. De talibus nempe funiculis Salomon loquitur in Proverbiis : Iniquitates suæ capiunt impium, et funi- *Prov.* v, 22. bus peccatorum suorum constringitur. Talibus funiculis se constringunt, et restem infernalis suspensionis sibimet texunt, quicumque in vitiis perseverant ; qui adji- *Eccli.* iii, 29. ciunt ad peccandum ; quorum iniquitates *Ps.* lxxiv, 5.

Digitized by Google

sicut onus grave gravantur super eos; qui A
non elevant oculos suos ut videant cœ-
Is. v, 18. lum. Quibus dictum est per Isaiam: Væ qui
trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis,
et quasi vinculum plaustri peccatum.

Possumus insuper per templum intelli-
gere animam rationalem, quæ capax est
Dei per cognitionem ac dilectionem, in
Ephes. III, 17. qua habitat Deus per fidem, caritatem et
I Cor. I, 24. gratiam. Hanc visitat Christus sapientia
Sap. VII, 27. Patris, qui in animas sanctas se transfert,
Apoc. III, 20. statque ad ostium cordis, et pulsat. Sed
dum anima concupiscentiis superatur, dum B
Ps. XLVIII, 13, 21. jumentis insipientibus comparatur, besti-
ales motus sequendo, peccatis et passio-
II Petr. II, 19. nibus serviendo (a quo enim quis victus
est, hujus et servus est), tunc vendit oves
et boves, videlicet stultos ac irrationabi-
les motus, diabolo, cui talia serviendo im-
pendit, ut per hæc voluptates consequa-
tur, quas velut pretium pro fine intendit.
Sed utinam Christus faciat nunc flagellum
paternæ correctionis, omnesque hujusmo-
di motus et vitia expellat ab anima no-
stra, corripiendo nos temporaliter, ut resipi- C
scamus, nec æternaliter pereamus. Quidam
enim non corriguntur nisi flagellis seu
Luc. XIV, 23. adversitatibus, qui quodammodo compel-
Ps. CXVII, 18. luntur intrare, et dicere possunt: Casti-
gans castigavit me Dominus, et morti non
Act. IX, 3-6. tradidit me. Sic conversus est Paulus.

Præterea, non faciamus domum Dei,
puta ecclesiam materialem, nec animam
propriam, domum negotiationis, confabu-
lationis, distractionis, sæcularia in eis tra-
ctando; sed potius emundemus nos ab *II Cor.* VII,
omni inquinamento carnis et spiritus, ut 1.
mente quieta, tranquilla ac pura, Chri-
stum suscipere, retinere, et possidere me-
reamur. Ipse etenim dicit: Super quem *Cf. Is.* LXVI,
requiescet spiritus meus, nisi super quie- 1, 2.
tum et humilem?

Quemadmodum autem Judæi a Christo
correpti dixerunt, Quod signum ostendis
quia hæc facis? quasi dicant, Quis te con- *Exod.* II, 14.
stituit principem aut judicem super nos?
Sic multi impatientes et inverecundi, duri
atque rebelles et animosi, dum fraterna-
liter admonentur, vel paternaliter arguun-
tur, aut juste corriguntur, indignando seu
murmurando respondent: Quod signum
ostendis? id est, quid ad te pertinet? et,
Numquid ego tibi commissus sum? Cor-
rige temetipsum, nec ingeras te factis aut
sermonibus meis. Tales vero miserrimi
sunt obtenebrati et vitiosi. Unde in Pro-
verbiis loquitur Salomon: Viro qui cor- *Prov.* XXIX,
ripientem dura cervice contemnit, repen- 1.
tinus ei superveniet interitus; et alibi:
Qui abjicit disciplinam, despicit animam *Ibid.* XV, 32.
suam; qui autem acquiescit increpatio-
nibus, possessor est cordis.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI TERTII: ERAT AUTEM HOMO EX PHARISÆIS NICODEMUS NOMINE.

POST hæc, Evangelista plenius prose- D
quitur atque describit doctrinam et
prodigia Salvatoris, ea præsertim quæ ab
aliis Evangelistis erant omissa. Et quia in
Joann. II, 23. fine præcedentis capituli dixit multos Ju-
dæorum credidisse in nomine Jesu, nunc
specialiter tractat de uno illorum.

1 *Erat autem homo* rationabiliter agens,
dignus nomine hominis, tanquam rationis
judicium, non sensualitatis impetum, se-
quens. Optimum enim hominis est esse
secundum rationem, juxta Dionysium. *Ex
Pharisæis,* id est de secta et numero Pha-
risæorum, quorum secta fuit solennior.
Eratque homo iste, *Nicodemus nomine,*
re et nomine Pharisæus, hoc est ab aliis

Digitized by Google

divisus, tanquam veraciter religiosus in anima, sicut nomen et habitus ejus exterior prætendebant : sicut nunc aliquis dicitur veraciter monachus, qui soli Deo et sibi ipsi digne intendit atque sinceriter vacat. Ceteri vero Pharisæorum, ut communiter, erant solo nomine, habitu et apparenti sanctitate seu simulata æquitate Pharisæi : sicut nunc sunt multi claustrales solo nomine, apparatu et habitu monachi, religiosi ac spirituales. *Princeps Judæorum,* id est unus de principalibus doctoribus atque rectoribus Judaicæ plebis, quæ primo regebatur per judices, deinde per reges usque ad captivitatem Babylonicam, exinde per doctores et sacerdotes, quorum multi fuerunt Pharisæi. Non tamen fuit hic Nicodemus summus princeps vel pontifex Judæorum.

2 *Hic venit ad Jesum,* cujus jam signa vidit, et documenta audivit; et ex utroque perpendit aliquid magnæ excellentiæ esse in Jesu, cujus tantam potestatem et sapientiam, tantam demum justitiam imperterritamque constantiam fuit expertus, ita ut neminem metuens, et pro Deo zelans, omnes vendentes in templo expelleret, suamque doctrinam confirmaret miraculis. (*Joann.* II, 15, 23.) Hinc Nicodemus, zelo agnoscendæ veritatis et spiritualis profectus accensus, venit ad Jesum ut plenius doceretur ab eo. Venit autem *nocte*. Vel quia aliorum Pharisæorum ac sacerdotum offensam incurrere formidavit (quemadmodum Gedeon nocte confregit statuam Baal, timens suos concives) (*Judic.* VI, 25-27.) : et hic timor fuit imperfectionis, quem plena dilectio mittit foras. (I *Joann.* IV, 18.) Vel quia, quum esset nominatus doctor ac magister in Israel, aliqualiter erubescebat publice se submittere informationi Jesu, qui sciebatur litteras non didicisse (*Joann.* VII, 15.) : et hoc fuisset alicujus elationis. Vel, ut secrete, silenter ac libere loqueretur cum Jesu. Convenit quoque tempus cum mysterio. Nam quia in tenebris mentis quodammodo fuit, imperfecte credendo in Christum, et spiritualium mysteriorum notitiam non habendo, recte asseA ritur nocte venisse : quemadmodum Maria Magdalene venit ad monumentum quum adhuc tenebræ essent, putans Christum non resurrexisse. (*Joann.* XX, 1.)

Et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti, id est, divinitus missus es in mundum, *magister* veritatis. De quo magistro dicitur in Osee : Tempus requirendi Dominum, quum venerit qui docebit vos justitiam (*Osee* X, 12.); et per Joelem, Exsultate in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ. (*Joel* II, 23.) Per quid vero Nicodemus B id scierat, subditur. *Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo,* cooperando et gratiam miraculorum præstando. Solus quippe omnipotens Deus facit miracula proprie dicta tanquam principalis effector; servi autem ipsius faciunt ea solum ministerialiter : juxta illud in Psalmo, Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. (*Ps.* LXXI, 18.)

Porro miraculum proprie dictum, est effectus totam virtutem et legem naturæ creatæ excedens. Et talia erant aliqua C Christi miracula, ut illuminatio cæci nati, suscitatio mortuorum, eclipsis solis in plenilunio tempore passionis. (*Joann.* IX, 1, 6, 7; *Matth.* II, 25; *Luc.* VII, 14, 15; *Joann.* XI, 43, 44; *Matth.* XXVII, 45.) Et ista miracula sunt certa ac sufficientia argumenta, quod actor eorum sit vera docens, et divina virtute agens. Unde ait infra : Si opera non fecissem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent. (*Joann.* XV, 24.) — Aliqua vero miracula fieri possunt cooperatione diaboli, sicut de Antichristo dicit Apostolus : Cujus adventus est secundum operationem Satanæ, in omni seductione et D virtute, in signis et prodigiis. (II *Thess.* II, 9, 10.) Quamvis autem talia sint miracula quantum ad modum agendi, non tamen excedunt facultatem totius naturæ creatæ, sed per occultas naturalium rerum virtutes aguntur : quemadmodum magi Pharaonis, Jannes et Mambres, projecerunt virgas suas, quæ mox in dracones conversæ sunt (*Exod.* VII, 11, 12; II *Tim.* III, 8.); produxerunt etiam ranas, et maleficiis suis converterunt aquam in sanguinem, ut legitur in Exodo. (*Exod.* VIII, 7. *Ibid.* VII, 20, 22.) Talia vero miracula etiam multa fecit Christus, convertendo aquam in (*Joann.* II, 7-9.)

vinum, quod facit natura paulatim in vitibus; et illuminando cæcos, quod interdum fit arte medicinæ. Et ista non sunt sufficientia argumenta fidei et cooperationis divinæ, quum sint bonis malisque communia. Verumtamen eo modo quo a Christo et ejus ministris peracta sunt, sunt utique sufficientia fidei argumenta. Christus enim fecit ea imperialiter, et in instanti. Fideles quoque faciunt ea per invocationem nominis Dei, cum exsecratione omnis communionis diaboli. — Facit præterea Deus quandoque signa per reprobos seu injustos : quæ licet non probent quod operatores hujusmodi sint boni et Deo accepti; probant tamen quod vera sit fides qua invocant Deum, et vera doctrina ad cujus confirmationem efficit Deus talia signa. Propter quod dicit Salvator apud Matthæum : Multi dicent mihi in die illa : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos.

Matth. IX, 29, 30; XX, 34; *Marc.* VIII, 23-25; *Joann.* IX, 6, 7.

Matth. VII, 22, 23.

Et quoniam Christus novit intentionem ac desiderium Nicodemi, qui venit ut instrueretur, idcirco incipit eum Christus instruere. Et primo instruit eum de primo sacramento novæ legis maxime necessario, videlicet de Baptismo, quod est spi-
3 ritualis regeneratio, porta vitæ. *Respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi.* Repetitio, confirmationis indicium est et provocatio advertentiæ diligentis. *Nisi quis natus fuerit denuo,* id est regeneratus, videlicet per spiritualem generationem esse gratiæ, caritatis et fidei, puta esse supernaturale ac deiforme adeptus, *non potest videre* oculis cordis, clare, per speciem, *regnum Dei,* id est patriam Beatorum, seu Deum regnantem in cœlis. Quum enim ultimus finis hominis, seu ipsa felicitas, quæ est visio Dei per speciem, sit supernaturalis, nullus potest ad eam pertingere per pura naturalia, sed oportet naturam adjuvari ac perfici per fidem et gratiam, ceteraque dona Spiritus Sancti. Quemad-

A modum autem dicitur homo primo nasci, quando per generationem carnalem ac naturalem parentum producitur in esse naturali specifico, contrahendo a parentibus esse naturæ; sic dicitur nasci denuo vel renasci, quando per operationem divinam acquirit esse gratiæ, quod est esse divinum, supernaturale et meritorium : quia ut dicit Dionysius, Sicut intellectualis creatura ponitur in esse specifico per naturam, per quam est apta ac potens ad operationes naturales; sic per gratiam po-
B nitur in esse divino, per quod est idonea ad operandum opera meritoria.

Si sic accipimus, Nasci denuo, tunc nunquam potuit aliquis salvari, nisi rursus nascendo. Omnes namque nati sunt filii *Ephes.* II, 3.
iræ, contrahendo peccatum originale secundum communem legem : sicque oportebat eos intus renasci, recipiendo gratiam reformantem, et conferentem esse divinum. Verum, quia Salvator ad litteram loquitur de regeneratione Baptismatis, ut patet in subditis, idcirco, quod dicit de
C regeneratione ista, intelligendum est pro tempore novi Testamenti. Temporibus vero legis naturæ et legis scriptæ, fuerunt alia contra originale peccatum remedia, scilicet circumcisio, et fides parentum.

Dicit ad eum Nicodemus, arguens con- 4
tra verba Christi, quæ male atque carnaliter intellexit, quia in lege assuetus non fuit spiritualibus modis loquendi : *Quomodo potest homo nasci quum sit,* id est, quando est, *senex?* Christus non dixit simpliciter, Nisi quis natus fuerit, non po-
D test videre regnum Dei; sed, Nisi quis natus fuerit denuo. Sed quia renasci includit nasci, et Nicodemus non novit nisi unam nativitatem, ideo sic resumit : Quomodo potest homo nasci quum sit senex? Quod non est sic intelligendum, quasi secundum intentionem Nicodemi infans vel juvenis possit renasci; sed quoniam de se ipso sollicitus fuit, et ipse jam vetulus exstitit, idcirco sic fatur : Quomodo potest homo nasci quum sit senex? Et probat quod non possit. *Numquid potest in*

Digitized by Google

ventrem matris suæ iterato introire et renasci? præsertim quum matres communiter mortuæ sint tempore senectutis natorum.

5 *Respondit Jesus,* solvendo instantiam Nicodemi, et exponendo verba quæ dixit : *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit,* id est spiritualiter regeneratus in fonte Baptismatis, *ex aqua,* quæ est materiale elementum corpus lavans, et dispositive regenerans, *et Spiritu Sancto,* qui est invisibilis actor intus mentem purificans et efficienter regenerans, gratiam influendo, quæ est res sacramenti et causa formalis intrinseca hujus regenerationis; *non potest introire in regnum Dei,* quod est triumphans Ecclesia, vita æterna, seu patria electorum. Quod intelligendum est, dummodo adsit facultas recipiendi sacramentum Baptismi : alias sufficeret baptismus Flaminis, id est interior mundatio Sancti Spiritus, et baptismus sanguinis, puta martyrium, cum voto seu desiderio baptismi fluminis. In Baptismo quippe conformamur Christo et ei incorporamur, quemadmodum ad Romanos testatur Apostolus : Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus : consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Sed quum Baptismus detur in nomine sanctæ Trinitatis, a qua est effectus Baptismi seu gratia sacramentalis, cur potius dicit Salvator, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, quam, Ex aqua et Patre, vel, Ex aqua et Filio? Dicendum, quod Baptismus est effectus præcipuæ liberalitatis ac pietatis divinæ. Liberalitas vero et pietas appropriantur Spiritui Sancto, quemadmodum amor et bonitas.

Rom. vi, 3, 4.

Matth. xxviii, 19.

Deinde Christus ostendit ordinem spiritualis regenerationis, eamque a carnali generatione distinguit. *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Verba hæc intricata et difficilia sunt, et multipliciter intelligi possunt. 6 Primo sic : *Quod natum est ex carne,* id est corpus filii propagatum ac natum ex semine patris, *caro est; et quod natum est ex spiritu,* id est anima rationalis creata a Deo, qui spiritus appellatur, *spiritus est,* id est spiritualis substantia. Hoc tamen non est sic accipiendum, quasi corporalia non sint immediate creata a Deo; sed in homine sunt duæ partes, quarum una est caro, a patre carnali contracta, alia est spiritus, a patre spirituali producta. Juxta hunc sensum dicit Apostolus ad Hebræos : Patres carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? — Secundo sic : *Quod natum est ex carne,* id est a carnali parente, *caro est,* id est res carnalis, non habens nisi esse carnale ac naturale, virtute generationis carnalis : unde ut talis, non potest salvari; *et quod natum est ex spiritu,* id est spiritualiter regeneratum ac positum in esse spirituali vitaque gratiæ, ex aqua et Spiritu Sancto, in Baptismatis lavacro, *spiritus est,* id est, spirituale efficitur, scilicet homo invisibiliter intus renatus et Deo conjunctus, cum quo, secundum Apostolum, unus est spiritus. Ex quo patet, quod ista regeneratio non sit impossibilis, sed necessaria, et a carnali generatione distincta. De qua ait Joannes in sua Canonica : Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Hinc subdit Salvator :

Joan. iv, 24.

Hebr. xii, 9.

I Cor. vi, 17.

I Joan. v, 4.

7 *Non mireris* eo modo quo hucusque miratus es, videlicet admiratione incredulitatis, vel ex malo intellectu procedentis, vel animum opprimentis ac tædio afficientis. Sic enim mirabatur Nicodemus, quasi sermo Christi impossibilitatem contineret. Potest tamen de doctrina Christi admiratio ordinata haberi, quum dicat Psalmista : Mirabilia testimonia tua. Non ergo inordinate mireris, *quia dixi tibi : Oportet* necessitate conditionata, non absoluta, videlicet, si debeatis salvari, *vos nasci denuo :* secundum modum nunc præostensum.

Ps. cxviii, 129.

Digitized by Google

Insuper Christus ostendit ordinem spi- A
8 ritualis regenerationis per simile. *Spiri-
tus,* ut puta Spiritus Sanctus, *ubi vult
spirat,* id est, potestative ac libere gra-
tiam præstat cui placuerit, sicut fatetur
1 Cor. xii, 11. Apostolus : Omnia operatur unus atque
idem Spiritus, dividens singulis prout vult.
Deus namque operatur in creaturis, non
necessitate naturæ, sed liberrima volun-
Ephes. i, 11. tate, prout ad Ephesios ait Apostolus : Qui
omnia operatur secundum propositum vo-
luntatis suæ. *Et vocem ejus audis,* id est
verba sacræ Scripturæ divinitus revelatæ. B
Vel, Vocem ejus, id est internam allocu-
tionem, audis : eo modo quo ait Psalmo-
Ps. lxxxiv, 9. graphus, Audiam quid loquatur in me
Dominus Deus. Est enim auditus interior,
quo divinus instinctus percipitur, dum
sentit se homo interius tangi, doceri, ac-
cendi, rapi, resolvi et absorberi. Unde ait
Osee ii, 14. Dominus per Osee : Ducam eam in soli-
tudinem, et loquar ad cor ejus. Nunquam
Nicodemus salubriter venisset ad Jesum,
nisi hanc vocem Spiritus Sancti internam
audisset. *Sed non scis unde veniat* Spi- C
ritus Sanctus, id est, quomodo mentem
ejus ubi spirat et loquitur ingrediatur,
non percipis, *aut quo vadat,* id est, qua-
liter recedat ignoras. Unde per Job in-
Job ix, 11. ducitur : Si venerit ad me, non videbo
eum ; et si recesserit a me, non intelli-
gam. Imo nullus viator scit certitudinaliter
absque revelatione, an Spiritus Sanctus
sit in ipso per gratiam gratum facientem,
quia tunc sciret se dignum amore. Ideo
hoc modo Spiritus Sanctus imperceptibi-
liter venit, imperceptibiliterque recedit. D
Vel sic : Vocem ejus audis, sed non scis
unde veniat vox ista, aut quo vadat ipsa,
id est, id a quo inspirata est, scilicet
principium ejus, quod est Spiritus San-
ctus, id quoque ad quod tendit, videlicet
æterna felicitas, quæ est finis in quem
tendit seu ordinatur Scriptura, sunt tibi
ignota, quoniam sola fide tenentur, nec
possunt in hac vita secundum essentiam
sciri, quum tamen vox ista sensibiliter
percipiatur.

Sic est omnis qui natus est ex spiritu : id est, in homine spiritualiter renato, est aliquid scitum ac manifestum, videlicet ipsa persona secundum se, et aliquid ignotum, quia intus invisibiliter reformatur, et de carnali ac perdito, spiritualis et filius adoptivus efficitur imperceptibili gratiæ infusione. Quod enim aliquis in Baptismo sic melioratur, sola fide tenemus. Vel sic : Sic est omnis qui natus est ex spiritu : id est, in regeneratione hominis talis, est aliquid evidens; scilicet aqua et forma verborum ; et aliquid abditum, puta principium effectivum regenerationis, quod est Spiritus Sanctus ; et item finis ejus, quæ est beatitudo æterna.

Istæ expositiones procedunt secundum intentionem Augustini. Chrysostomus vero exponit de vento, ita quod secundum eum, Christus inducit exemplum sensibile ad intelligentiam prædictorum. *Spiritus,* id
est ventus (de quo in Psalmo : Flabit spi- Ps. cxlvii, 18.
ritus ejus, et fluent aquæ ; et rursus, Et Ps. cvi, 25.
stetit spiritus procellæ), *ubi vult,* id est, in quo inclinatur, *spirat,* id est, flat ; *et vocem,* id est sonum, *ejus audis, sed non scis unde veniat, aut quo vadat* ventus, id est certum locum ubi flare incipiat, vel desistat. Hæc expositio non videtur multum conveniens aliis : Primo et maxime, quoniam Christus hoc loco frequenter per spiritum, intellexit Spiritum Sanctum, vel spiritualem essentiam. Unde non est verisimile quod nunc in eodem loco, nomine spiritus, designet rem materialem, seu ventum. Secundo, quoniam vento non competit proprie voluntas. Tertio, quoniam vento proprie non convenit vox, quum sit res inanimata, sed sonus. Quarto, quoniam scimus quod ventus venit ab aquilone, vel austro, et recte procedat, non tendens in partem oppositam. Verumtamen ista tria argumenta solvi possent, quia Scriptura frequenter adscribit voluntatem rebus inanimatis, ut quum dicitur in Jo-
sue : Quid sibi volunt lapides isti? Simi- Josue iv, 6.
liter vocem, ut quum ad Corinthios dicit
Apostolus : Quæ sine anima sunt vocem 1 Cor. xiv, 7.

dantia. Item nescimus determinatum prin- A
cipium certumque finem, unde incipit et
ubi desinit ventus flare, quamvis scia-
mus in generali quod ab aliqua parte
plagæ australis vel alterius inchoetur.
9 *Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quo-
modo possunt hæc,* quæ de spirituali re-
generatione et Spiritus libera spiratione
disseruisti, *fieri,* id est, taliter se habere
ut asseris? Nicodemus in litterali sensu
legis ac Prophetarum instructus et usita-
tus, ad spiritualem ac mysticum intelle-
ctum erigi facile non valebat : quoniam B
usus est velut altera natura. Ideo satis
audacter sciscitatur quomodo queant hæc
fieri.

Christus vero qui corda cognoscit, cer-
nens doctorem de suo magisterio aliquali-
ter tumidum, ad humilitatem eum reducit,
quatenus instrui mereatur. Quemadmodum
enim superbia excæcationem diabolicam,
sic humilitas illuminationem divinam me-
retur. Propter quod Salomon protesta-
Prov. xi, 2. tur : Ubi fuerit humilitas, ibi et sapien-
10 tia. *Tu es magister in Israel,* id est doctor C
Judæorum, *et hæc* de Baptismo prolata
ignoras? Quæ tamen in libris Moysis et
Prophetarum figuraliter et litteraliter de-
scribuntur : ideoque, quum sis legis do-
ctor, deberes hæc scire, vel saltem facile
intelligere. Doctoris quippe est mysteria
et figuras atque difficillima loca Scriptu-
rarum sanctarum cognoscere. Baptismus
autem Christi, per transitum maris Rubri
et per ablutiones legales præfigurabatur,
I *Cor.* x, 2. dicente Apostolo : Omnes in Moyse ba-
ptizati sunt in nube et in mari. Prophe- D
tæ vero ad litteram locuti sunt de Christi
Baptismate, ut quum per Zachariam di-
Zach. xiii, 1. citur : In die illa erit fons patens domui
David et habitantibus Jerusalem, in ablu-
tionem peccatoris. De quo accipi potest
Joel iii, 18. et illud Joelis : Fons de domo Domini
egredietur, et irrigabit torrentem spina-
rum, videlicet corda vitiosa, spinis ac
tribulis spiritualibus plena. Hinc per Eze-
Ezech. xlvii, *passim.* chielem multa dicuntur de aquis redun-
dantibus templi, quæ de aquis Baptismatis

exponuntur. Quod ergo ait Salvator, Tu
es magister in Israel, et hæc ignoras?
non dicit insultando, sed potius miseren-
do, eumque humiliando, et ad meliora
provocando.

Deinceps pandit Salvator quam certa
sit sua doctrina : propter quod ei humi-
liter est credendum. *Amen, amen dico ti-* 11
bi, quia quod scimus nos rex Messias,
unigenitus Filius Dei, Dominus universo-
rum : quod, inquam, scimus, id est, clare
cognovimus ab æterno secundum quod
Deus : eadem enim est sapientia idemque
numero intellectus Patris et Filii ; *loqui-
mur* nunc vobis Judæis, de sacramentis
et documentis evangelicæ legis. *Et quod
vidimus* oculo mentis, id est, certissime
novimus, *testamur,* id est, firmiter af-
firmamus, hominibus prædicando. Potest
quoque intelligi de scientia Christi crea-
ta, per quam omnia scivit ab instanti in-
carnationis, quæ scit Deus scientia visi-
onis : sicque Christus secundum quod
homo, vidit in Verbo, et item per species
concreatas, omnia quæ prædicavit. *Et te-
stimonium nostrum non accipitis,* recte
credendo atque humiliter meis sermoni-
bus consentiendo. Quamvis enim quidam
Judæorum crediderunt illi, tamen compa-
ratione incredulorum fuerunt paucissimi.
Unde per Osee Christus prædixit : Reces- *Osee* vii, 13, 15.
serunt a me ; et ego erudivi eos, et in me
cogitaverunt malitiam.

Si terrena dixi vobis, et non creditis : 12
*quomodo si dixero vobis cœlestia, crede-
tis?* Quæ sunt ista terrena quæ Christus
dixit Nicodemo atque Judæis? Secundum
Augustinum et Bedam, ista terrena non
sunt aliqua dicta in isto capitulo, sed
quod supra in præcedenti capitulo fertur
Christus dixisse Judæis : Solvite templum *Joann.* ii, 19.
hoc, et in tribus diebus excitabo illud.
Hoc enim disseruit de proprio corpore
adhuc corruptibili, terreno ac mixto. Tan-
quam dicat : Si non creditis quod possim
proprium corpus divina virtute suscitare
a morte, quomodo credetis quod homines
valeam ex aqua et Spiritu Sancto rege-

nerare? — Alii referunt ad Baptismum, A qui dici potest terrenus, quoniam visibiliter exhibetur in terra, in aqua visibili, sub sensibili forma verborum. Est itaque sensus : *Si terrena dixi,* id est, de sensibilibus rebus locutus sum, *vobis,* videlicet de Baptismo, et suscitatione corporis mei, *et non creditis* vera esse quæ dico, eo quod sint supra naturalem rationem. Quod ait, Et non creditis, non est referendum ad Nicodemum, sed ad Judæos incredulos, quos Christus sub persona Nicodemi affatur : de quibus paulo ante locutus est, B Testimonium nostrum non accipitis. *Quomodo si dixero vobis cœlestia,* loquendo de invisibilibus Dei, de unitate Trinitatis, et trinitate unitatis, de emanatione divinarum Personarum ad intra, de immediata visione divinæ essentiæ, de hierarchiis, aliisque secretis cœlestibus, de quibus parum habetur in lege ac Prophetis, *credetis?* quasi dicat : Difficulter vel nequaquam crederetis, quum sint incomprehensibiliora et supernaturaliora prædictis terrenis. Necesse est ergo proprium intelle- C ctum auctoritati Christi subjicere, et his quæ rationem transcendunt, fidem præbere, præsertim quum Deus per sufficientissima argumenta ostenderit Jesum esse Christum Filium Dei. Propterea dicit
II Cor. x,5. Apostolus ad Corinthios : In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Verumtamen, quoniam quædam secreta atque cœlestia ad Christum pertinentia, cunctis fidelibus sunt scienda, videlicet unitas personæ Dei et hominis in Christo, D mysterium dominicæ passionis, et amor Dei ad genus humanum ; idcirco Christus de talibus consequenter instruit Nicodemum.

13 *Et nemo ascendit in cœlum* empyreum, quod est locus et mansio Beatorum, sicut ecclesia fertur locus orantium. Nihilo minus, sicut fideles orare possunt extra materialem ecclesiam, sic Beati Deum clare conspiciunt ubicumque exstiterint. *Nisi qui descendit de cœlo,* humanam naturam assumendo, videlicet *Filius hominis, qui est in cœlo.* Verba hæc aquilina sicut in stilo simplicia atque facilia sunt, sic in profunditate sensus prorsus comprobantur altissima, difficillima, nimiumque divina. Quid enim est quod ait, Nemo ascendit in cœlum, etc. ? Nonne homines sancti a pœna et culpa purgati, mox ascendunt in cœlum, dicente Apostolo ad Corinthios, Scimus quoniam si II Cor. v,1.
terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis? Certum est quod nunc quidam sanctorum hominum ascenderunt in cœlum, non solum quantum ad animam, sed etiam quantum ad corpus, ut certum est de Virgine gloriosa, et de his qui cum Christo surrexerunt, apparueruntque in Matth. xxvii,52,53.
sancta civitate quamplurimis, pie creditur a quibusdam. Sed pensemus quando Christus verba hæc protulit : utique ante passionem, quando loquebatur in Jerusalem cum Nicodemo. Quod autem nullus electorum introierit regnum cœlorum ante Christi passionem, cognoscimus. Itaque, quod ait, Nemo ascendit in cœlum, verum est pro tempore illo, sumendo verbum, Ascendit, ut est præteriti temporis sive præsentis.

Sed tunc quæstio oritur, quomodo verba sequentia verificentur. Subditur enim : Nisi Filius hominis. Ascendere quippe competit Christo ratione naturæ assumptæ, secundum quam pro tunc nondum ascendit. Non ergo excepisset se ipsum, si prædicto modo sumpsisset hoc verbum, Ascendit. Quæstio ista dupliciter solvitur : Primo, ut solus Filius hominis ascendisse dicatur, quoniam solus propria potestate, jure ac merito ascendebat ; alii vero virtute et merito Christi, cujus passione fuerunt ab originalis peccati absoluti reatu. Secundo, ut nomine Christi intelligatur non solum Christi persona, sed et mysticum corpus ipsius, puta Ecclesia patrum quæ detinebatur in limbo, ceterique electi omnino mundati, de quibus speci-

Digitized by Google

templum hoc, id est, mortem violentam A mihi inferendo, solvetis, occidetis, dissipabitis, et a naturalibus juncturis separabitis corpus meum, quod est templum Verbi in eo habitantis. In passione enim solutum est corpus Christi ab anima ejus, et sanguis a corpore, universaque membrorum compago præ nimia corporis distentione soluta est. Propter quod ait in Psal-
Ps. xxi, 15. mo : Sicut aqua effusus sum, et dispersa
Ibid. 18. sunt omnia ossa mea; et rursus, Dinumeraverunt omnia ossa mea. Porro, quod ait Salvator, Solvite, non dicit exhortando B et licentiando quasi rem bonam ex parte facientium, quia maximum erat peccatum; sed prænuntiando, quomodo dixit
Joann. xiii, 27. ad Judam in Cœna, Quod facis, fac citius. Dicitur autem corpus Christi et anima ejus, seu tota sua humanitas, templum Verbi et unitæ Deitatis : Primo, quoniam Verbum fuit in eis per immediatam personalemque unionem : unde secundum
Coloss. ii, 9. Apostolum, in Christo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Secundo, quoniam habitavit in eis per excellentis- C simam gratiam. Tertio, quoniam habitavit in anima Christi per fruitionem claram ac beatificam. Quarto, quia sicut in templo materiali orationes Domino offeruntur, et ab ipso exaudiuntur; sic preces Ecclesiæ porriguntur Deo in Christo et per Christum, per quem etiam exaudiuntur. *Et in tribus diebus,* id est intra tres dies naturales, videlicet tertia die, repente *excitabo,* id est, a morte suscitabo, *illud,* animam ei reuniendo. Divinitas enim mansit semper unita corpori et ani- D mæ Christi.

His verbis ostendit se Christus esse Deum omnipotentem, cui omnia licent. Nam se ipsum resuscitare a morte, non competit nisi Deo mortali natura induto. Merito autem perversis, induratis incredulisque Judæis, datur signum obscurum, rememorativum præteriti, sicut et regi Achaz ejusque populo datum est signum futuræ incarnationis, ut in Isaia habetur :
Is. vii, 14. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium.

Dixerunt ergo Judæi irridentes et redarguere cupientes verba Christi, quæ 20
carnaliter intellexerunt de templo illo lapideo, inanimato et manufacto : *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc* secundum, a Nehemia atque *I Esdr.* iii, 2, 8; v, 2. *Ibid.* v, 1.
Zorobabel, prophetantibus Aggæo et Zacharia. Templum vero primum a Salomone constructum, intra septem annos fuit *III Reg.* vi, 38.
completum. Verba vero prætacta non sunt sic intelligenda, quod Judæi quadraginta et sex annis continue fabricaverunt hoc templum, sed quia a tempore quo cœperunt, usque ad templi consummationem, fluxerunt tot anni. Sed interim frequenter retardabantur, et sæpe cessabant ad tempus ab ædificatione incepta, propter gentiles vicinos et prohibitionem re- *I Esdr.* iv.
gis, ut patet in libro Esdræ. A primo siqui- *Ibid.* i, 1-3.
dem anno Cyri regis Persarum, qui dedit Judæis licentiam a Babylonia revertendi et templum ædificandi, usque ad sextum *Ibid.* vi, 15.
annum Darii regis, quando consummatum est templum, leguntur anni quadraginta sex fluxisse. Et tamen non est magna vis verificandi hæc verba Judæorum, qui multa falsa dixerunt arguendo contra Christum. *Et tu in tribus diebus excitabis,* id est, solutum seu dissipatum reparabis, *illud?* quasi dicant : Hoc tibi impossibile esset, quum domus hæc sit tanto tempore fabrificata. Certum est, si Christus aperte dixisset, In tribus diebus resurgam, vel, Resuscitabo corpus meum, quod non credidissent, sed derisissent.

Ille autem dicebat, id est, Jesus præ- 21
dicta verba intellexit, *de templo corporis sui,* id est de corpore proprio, quod fuit templum Divinitatis. Quod igitur ait Evangelista, De templo corporis sui, sumendum est intransitive, sicut ad Colossenses dicit Apostolus, In exspoliatione corporis *Coloss.* ii, 11.
carnis, hoc est corporis quod est caro. — Hæc verba Domini Jesu, tenuerunt Judæi memoriter, tanquam falsa prolata. Unde et in nocte passionis, surgentes duo falsi

Digitized by Google

Matth. xxvi, 61; Marc. xiv, 58. testes, dixerunt : Nos audivimus eum dicentem : Possum destruere templum Dei, et in tribus diebus reædificare illud.

22 *Quum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat* Jesus de futura solutione, passione et resuscitatione corporis sui. Recordati autem sunt discipuli verborum istorum, non statim post resurrectionem, quia nec statim credebant eum resurrexisse ; sed Luc. xxiv, 45. postquam apparuit eis, et aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas. Unde etiam constat, quod discipuli non intellexerunt verba Christi quæ ait, Solvite templum hoc, etc., tunc quando protulit ea, sed post resurrectionem, ut dictum est. *Et crediderunt Scripturæ* Prophetarum loquenti de Christi passione et resurrectione, *et sermoni* præmemorato *quem dixit Jesus,* videlicet : Solvite templum hoc. Quamvis discipuli ante resurrectionem non intellexerunt hæc verba, nec Prophetarum eloquia, tamen credebant ea vera esse; sed post resurrectionem idem credebant magis perfecte, tanquam notitiam verborum sortiti.

23 *Quum autem esset Jerosolymis in Pascha,* videlicet *in die festo* paschali. Non solum die uno seu ultimo festivitatis paschalis, quæ septem duravit diebus ; sed forte toto tempore illo, vel pluribus diebus, ibi fuit. *Multi crediderunt in nomine ejus,* id est in ipso per nomen nominans designato, credentes quod esset Christus, vel saltem vir sanctus atque Propheta. Non tamen crediderunt nec suspicabantur quod esset Filius Dei naturalis, verusque Deus, nisi forte ante agnovissent per Scripturas quod Christus in lege promissus esset Deus. Causa credulitatis subjungitur : *videntes signa ejus quæ faciebat* tempore isto : quæ non sunt in speciali descripta, nisi quod ejecit vendentes in templo, etc. Fecit tamen magna miracula. Propter quod Nicodemus dixit Joann. iii, 2. ad eum : Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Supernaturalis quippe doctrina, superna- A turalibus argumentis seu divinis miraculis fuerat comprobanda, ut tam certa sit fidei veritas, quam certum est Deum falsitatis non esse confirmatorem, cooperatorem, vel assertorem.

Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis. 24 Hoc quoad superficiem litteræ, sonat ac si Jesus Dominus virtutum, cui Ps. xxiii, 10. potestatem omnis carnis dedit Pater, ti- Joann. xvii, 2. muisset aliquid mali sibi posse ab istis inferri. Sed certum est quod non timuit hoc, nec eos qui corpus occidunt. Augu- Matth. x, 28. B stinus ergo et Beda exponunt hoc modo, quod ideo Jesus non se credidit eis, quoniam nondum baptizati et plena fide imbuti fuerunt, gerentes formam catechumenorum : quibus Christus dicitur se ipsum non credere, quia non datur eis Sacramentum corporis Christi. Hæc autem expositio videtur tendere ad moralitatem ; et posset aliquis ei objicere, quod discipuli Jesu necdum fuerant baptizati, ut patet in sequenti capitulo, nec plene creden- Joann. iii, 7. tes, saltem explicite. — Lyra vero expo- C nit, affirmans quod Jesus non se credebat eis, quia non revelavit eis altiora mysteria fidei, eo quod essent incapaces. Verum nec discipuli capaces jam fuerant mysteriorum sublimium : quibus infra ait Salvator, Multa habeo vobis dicere, sed non Ibid. xvi, 12. potestis portare modo. Et tamen Jesus credebat se eis.

Apparet igitur quod possit litteraliter sic exponi : *Jesus non credebat,* id est, non committebat, *semetipsum eis,* tanquam fidelibus constantibusque amicis, nec vo- D luit conversari inter eos quasi inter veros discipulos, quia non bene sensit de eis, nec ipsi habuerunt fidem formatam, aut stabilem. Ideo non credebat se eis, non quia verebatur circumveniri vel pati ab eis, sed quoniam scivit quod non adhærerent sibi constanter, et nec cor eorum Ps. lxxvii, 37. rectum fuerat cum ipso. Isti enim sic credebant in Jesum, quemadmodum illi de quibus infra habetur : Ex principibus Joann. xii, 42, 43. multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur. Dilexerunt

Digitized by Google

enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. Tales autem non credunt vere
Joann. v, 44. atque salubriter : sicut ait Salvator, Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? Loquitur ergo Evangelista secundum communem modum loquendi, quo aliquis dicitur se ipsum alteri credere, quoniam fidei illius se committit, certus de fidelitate vel amicitia ejus. Si vero sumatur *credere,* prout est actus fidei quæ est virtus theologica, sic Christus non credidit, nec aliquis debet sic in purum hominem credere. Denique huic expositioni concordant sequentia, in quibus tangitur ratio quare Christus non credebat se illis.

Eo quod ipse nosset omnes, id est, certitudinaliter cognosceret omnium corda, et per consequens corda istorum, sciens
25 quanta esset eorum interna defectio ; *et quia opus,* id est necesse, *ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine* quocumque, ad manifestandum Christo aliquid prius ei ignotum. *Ipse enim sciebat,* præsertim per scientiam increatam, secundum quod Deus, et item per scientiam infusam, ut homo, vel in Verbo, *quid esset in homine,* hoc est omnia interiora secretaque hominis cujuscumque, videlicet desideria, cogitationes, intentiones. Per quod innuit Evangelista divinitatem Salvatoris, quia Scripturæ testantur Deo proprium esse, universorum cordium scire arcana. Nam licet Christus sciverit illa, etiam ut homo, per scientiam concreatam, ut dictum est, hoc tamen non fuit nisi secundum quod homo talis, utpote habens humanitatem Verbo hypostatica unione conjunctam. Hinc in libris Regum Salomon loquitur : Tu, Domine, solus nosti corda omnium hominum. Et in Apocalypsi Dominus protestatur : Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda et renes.

III Reg. VIII, 39. — Apoc. II, 23.

Expositio moralis.

NUNC aliquid de moralitate hujus evangelicæ lectionis tractandum est. Instante festo paschali Judæorum, ascendit Jesus Jerosolymam. Sic et nos, appropinquanto Pascha Christianorum, qui sunt veri Judæi, non carne et littera, sed spiritu confitentes, ascendere debemus ecclesiam toto tempore quadragesimali, præparando nos ad devotam paschalis festivitatis celebrationem, per opera pœnitentiæ et exercitia devotionis atque compunctionis internæ.

Quotidie quoque visitat Christus Ecclesiam, quæ per Jerusalem designatur ; et invenit ibi vendentes oves et boves, id est clericos temporalibus negotiis implicatos, sacerdotes, religiosos atque prælatos avaritiæ deditos, propria lucra, non Christi honorem et gregis dominici salutem, quærentes. Quocontra dicit Apostolus : Nemo militans Deo, implicat se sæcularibus negotiis. Demum columbas vendunt, qui spiritualia bona pro temporalibus exhibent ; qui non excutiunt manus suas ab omni munere. Contra quos ait Salvator : Gratis accepistis, gratis date.

I Petr. v, 2. — II Tim. II, 4. — Is. XXXIII, 15. — Matth. X, 8.

Omnes tales ejicit Christus de templo, id est, a corpore suo mystico, a consortio electorum separat eos nunc voto ac merito ; postea vero separabit istos ab illis, loco et præmio, sicut segregat pastor oves ab hœdis, quando hi ibunt in ignem æternum, illi vero in paradisum cœlestem. Ejicit autem, flagellat et punit eos Christus, flagello facto de funiculis, id est pœna quam merentur propriis vitiis, quæ sunt funes seu vincula quibus impius irretitur, ligatur, atque constringitur, ne Deum sequatur, ne in viam vitæ proficiscatur, sed dæmonis potestati, jugo et obsequio subditus maneat, prout ad Timotheum ait Apostolus : Resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. De talibus nempe funiculis Salomon loquitur in Proverbiis : Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. Talibus funiculis se constringunt, et restem infernalis suspensionis sibimet texunt, quicumque in vitiis perseverant ; qui adjiciunt ad peccandum ; quorum iniquitates

Ibid. XXV, 32. — Ibid. 46. — II Tim. II, 26. — Prov. V, 22. — Eccli. III, 28. — Ps. XXXVII, 5.

Digitized by Google

sicut onus grave gravantur super eos; qui A
non elevant oculos suos ut videant cœ-
Is. v, 18. lum. Quibus dictum est per Isaiam : Væ qui
trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis,
et quasi vinculum plaustri peccatum.

Possumus insuper per templum intelli-
gere animam rationalem, quæ capax est
Dei per cognitionem ac dilectionem, in
Ephes. III, 17. qua habitat Deus per fidem, caritatem et
I Cor. I, 24. gratiam. Hanc visitat Christus sapientia
Sap. VII, 27. Patris, qui in animas sanctas se transfert,
Apoc. III, 20. statque ad ostium cordis, et pulsat. Sed
dum anima concupiscentiis superatur, dum B
Ps. XLVIII, 13, 21. jumentis insipientibus comparatur, besti-
ales motus sequendo, peccatis et passio-
II Petr. II, 19. nibus serviendo (a quo enim quis victus
est, hujus et servus est), tunc vendit oves
et boves, videlicet stultos ac irrationabi-
les motus, diabolo, cui talia serviendo im-
pendit, ut per hæc voluptates consequa-
tur, quas velut pretium pro fine intendit.
Sed utinam Christus faciat nunc flagellum
paternæ correctionis, omnesque hujusmo-
di motus et vitia expellat ab anima no-
stra, corripiendo nos temporaliter, ut resipi- C
scamus, nec æternaliter pereamus. Quidam
enim non corriguntur nisi flagellis seu
Luc. XIV, 23. adversitatibus, qui quodammodo compel-
luntur intrare, et dicere possunt : Casti-
Ps. CXVII, 18. gans castigavit me Dominus, et morti non
Act. IX, 3-6. tradidit me. Sic conversus est Paulus.

Præterea, non faciamus domum Dei,
puta ecclesiam materialem, nec animam
propriam, domum negotiationis, confabu-
lationis, distractionis, sæcularia in eis tra-
ctando; sed potius emundemus nos ab *II Cor.* VII, 1.
omni inquinamento carnis et spiritus, ut
mente quieta, tranquilla ac pura, Chri-
stum suscipere, retinere, et possidere me-
reamur. Ipse etenim dicit : Super quem *Cf. Is.* LXVI, 1, 2.
requiescet spiritus meus, nisi super quie-
tum et humilem?

Quemadmodum autem Judæi a Christo
correpti dixerunt, Quod signum ostendis
quia hæc facis? quasi dicant, Quis te con- *Exod.* II, 14.
stituit principem aut judicem super nos?
Sic multi impatientes et inverecundi, duri
atque rebelles et animosi, dum fraterna-
liter admonentur, vel paternaliter arguun-
tur, aut juste corriguntur, indignando seu
murmurando respondent : Quod signum
ostendis? id est, quid ad te pertinet? et,
Numquid ego tibi commissus sum? Cor-
rige temetipsum, nec ingeras te factis aut
sermonibus meis. Tales vero miserrimi
sunt obtenebrati et vitiosi. Unde in Pro-
verbiis loquitur Salomon : Viro qui cor- *Prov.* XXIX, 1.
ripientem dura cervice contemnit, repen-
tinus ei superveniet interitus; et alibi :
Qui abjicit disciplinam, despicit animam *Ibid.* XV, 32.
suam; qui autem acquiescit increpatio-
nibus, possessor est cordis.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : ERAT AUTEM HOMO EX PHARISÆIS NICODEMUS NOMINE.

POST hæc, Evangelista plenius prose- D
quitur atque describit doctrinam et
prodigia Salvatoris, ea præsertim quæ ab
aliis Evangelistis erant omissa. Et quia in
Joann. II, 23. fine præcedentis capituli dixit multos Ju-
dæorum credidisse in nomine Jesu, nunc
specialiter tractat de uno illorum.

1 *Erat autem homo* rationabiliter agens,
dignus nomine hominis, tanquam rationis
judicium, non sensualitatis impetum, se-
quens. Optimum enim hominis est esse
secundum rationem, juxta Dionysium. *Ex
Pharisæis,* id est de secta et numero Pha-
risæorum, quorum secta fuit solennior.
Eratque homo iste, *Nicodemus nomine,*
re et nomine Pharisæus, hoc est ab aliis

Digitized by Google

divisus, tanquam veraciter religiosus in A anima, sicut nomen et habitus ejus exterior prætendebant : sicut nunc aliquis dicitur veraciter monachus, qui soli Deo et sibi ipsi digne intendit atque sinceriter vacat. Ceteri vero Pharisæorum, ut communiter, erant solo nomine, habitu et apparenti sanctitate seu simulata æquitate Pharisæi : sicut nunc sunt multi claustrales solo nomine, apparatu et habitu monachi, religiosi ac spirituales. *Princeps Judæorum,* id est unus de principalibus doctoribus atque rectoribus Judaicæ ple- B bis, quæ primo regebatur per judices, deinde per reges usque ad captivitatem Babylonicam, exinde per doctores et sacerdotes, quorum multi fuerunt Pharisæi. Non tamen fuit hic Nicodemus summus princeps vel pontifex Judæorum.

2 *Hic venit ad Jesum,* cujus jam signa vidit, et documenta audivit; et ex utroque perpendit aliquid magnæ excellentiæ esse in Jesu, cujus tantam potestatem et sapientiam, tantam demum justitiam imperterritamque constantiam fuit exper- C tus, ita ut neminem metuens, et pro Deo zelans, omnes vendentes in templo expelleret [*Joann.* II, 15, 22.], suamque doctrinam confirmaret miraculis. Hinc Nicodemus, zelo agnoscendæ veritatis et spiritualis profectus accensus, venit ad Jesum ut plenius doceretur ab eo. Venit autem *nocte.* Vel quia aliorum Pharisæorum ac sacerdotum offensam incurrere formidavit (quemadmodum Gedeon nocte confregit statuam Baal, timens suos concives) [*Judic.* VI, 25-27.] : et hic timor fuit imperfectionis, quem plena dilectio mit- D tit foras [I *Joann.* IV, 18.]. Vel quia, quum esset nominatus doctor ac magister in Israel, aliqualiter erubescebat publice se submittere informationi Jesu, qui sciebatur litteras non didicisse [*Joann.* VII, 15.] : et hoc fuisset alicujus elationis. Vel, ut secrete, silenter ac libere loqueretur cum Jesu. Convenit quoque tempus cum mysterio. Nam quia in tenebris mentis quodammodo fuit, imperfecte credendo in Christum, et spiritualium mysteriorum notitiam non habendo, recte asseritur nocte venisse : quemadmodum Maria Magdalene venit ad monumentum quum adhuc tenebræ essent [*Joann.* XX, 1.], putans Christum non resurrexisse.

Et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti, id est, divinitus missus es in mundum, *magister* veritatis. De quo magistro dicitur in Osee : Tempus requirendi Dominum, quum venerit qui docebit vos justitiam [*Osee* X, 12.]; et per Joelem, Exsultate in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ [*Joel* II, 23.]. Per quid vero Nicodemus id scierat, subditur. *Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo,* cooperando et gratiam miraculorum præstando. Solus quippe omnipotens Deus facit miracula proprie dicta tanquam principalis effector; servi autem ipsius faciunt ea solum ministerialiter : juxta illud in Psalmo, Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus [*Ps.* LXXI, 18.].

Porro miraculum proprie dictum, est effectus totam virtutem et legem naturæ creatæ excedens. Et talia erant aliqua Christi miracula, ut illuminatio cæci nati, suscitatio mortuorum, eclipsis solis in plenilunio tempore passionis [*Joann.* IX, 1, 6, 7; *Matth.* IX, 25; *Luc.* VII, 14, 15; *Joann.* XI, 43, 44; *Matth.* XXVII, 45.]. Et ista miracula sunt certa ac sufficientia argumenta, quod actor eorum sit vera docens, et divina virtute agens. Unde ait infra : Si opera non fecissem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent [*Joann.* XV, 24.]. — Aliqua vero miracula fieri possunt cooperatione diaboli, sicut de Antichristo dicit Apostolus : Cujus adventus est secundum operationem Satanæ, in omni seductione et virtute, in signis et prodigiis [II *Thess.* II, 9, 10.]. Quamvis autem talia sint miracula quantum ad modum agendi, non tamen excedunt facultatem totius naturæ creatæ, sed per occultas naturalium rerum virtutes aguntur : quemadmodum magi Pharaonis, Jannes et Mambres, projecerunt virgas suas, quæ mox in dracones conversæ sunt [*Exod.* VII, 11, 12; II *Tim.* III, 8.]; produxerunt etiam ranas [*Exod.* VIII, 7.], et maleficiis suis converterunt aquam in sanguinem [*Ibid.* VII, 20, 22.], ut legitur in Exodo. Talia vero miracula etiam multa fecit Christus, convertendo aquam in [*Joann.* II, 7-9.]

vinum, quod facit natura paulatim in vitibus; et illuminando cæcos, quod interdum fit arte medicinæ. *Matth.* IX, 29, 30; XX, 34; *Marc.* VIII, 23-25; *Joann.* IX, 6, 7. Et ista non sunt sufficientia argumenta fidei et cooperationis divinæ, quum sint bonis malisque communia. Verumtamen eo modo quo a Christo et ejus ministris peracta sunt, sunt utique sufficientia fidei argumenta. Christus enim fecit ea imperialiter, et in instanti. Fideles quoque faciunt ea per invocationem nominis Dei, cum exsecratione omnis communionis diaboli. — Facit præterea Deus quandoque signa per reprobos seu injustos : quæ licet non probent quod operatores hujusmodi sint boni et Deo accepti; probant tamen quod vera sit fides qua invocant Deum, et vera doctrina ad cujus confirmationem efficit Deus talia signa. Propter quod dicit Salvator apud Matthæum : *Matth.* VII, 22, 23. Multi dicent mihi in die illa : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos.

Et quoniam Christus novit intentionem ac desiderium Nicodemi, qui venit ut instrueretur, idcirco incipit eum Christus instruere. Et primo instruit eum de primo sacramento novæ legis maxime necessario, videlicet de Baptismo, quod est spi-
3 ritualis regeneratio, porta vitæ. *Respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi.* Repetitio, confirmationis indicium est et provocatio advertentiæ diligentis. *Nisi quis natus fuerit denuo,* id est regeneratus, videlicet per spiritualem generationem esse gratiæ, caritatis et fidei, puta esse supernaturale ac deiforme adeptus, *non potest videre* oculis cordis, clare, per speciem, *regnum Dei,* id est patriam Beatorum, seu Deum regnantem in cœlis. Quum enim ultimus finis hominis, seu ipsa felicitas, quæ est visio Dei per speciem, sit supernaturalis, nullus potest ad eam pertingere per pura naturalia, sed oportet naturam adjuvari ac perfici per fidem et gratiam, ceteraque dona Spiritus Sancti. Quemad-

A modum autem dicitur homo primo nasci, quando per generationem carnalem ac naturalem parentum producitur in esse naturali specifico, contrahendo a parentibus esse naturæ; sic dicitur nasci denuo vel renasci, quando per operationem divinam acquirit esse gratiæ, quod est esse divinum, supernaturale et meritorium : quia ut dicit Dionysius, Sicut intellectualis creatura ponitur in esse specifico per naturam, per quam est apta ac potens ad operationes naturales; sic per gratiam po- B nitur in esse divino, per quod est idonea ad operandum opera meritoria.

Si sic accipimus, Nasci denuo, tunc nunquam potuit aliquis salvari, nisi rursus nascendo. Omnes namque nati sunt filii *Ephes.* II, 3. iræ, contrahendo peccatum originale secundum communem legem : sicque oportebat eos intus renasci, recipiendo gratiam reformantem, et conferentem esse divinum. Verum, quia Salvator ad litteram loquitur de regeneratione Baptismatis, ut patet in subditis, idcirco, quod dicit de C regeneratione ista, intelligendum est pro tempore novi Testamenti. Temporibus vero legis naturæ et legis scriptæ, fuerunt alia contra originale peccatum remedia, scilicet circumcisio, et fides parentum.

Dicit ad eum Nicodemus, arguens contra verba Christi, quæ male atque carnaliter intellexit, quia in lege assuetus non fuit spiritualibus modis loquendi : *Quomodo potest homo nasci quum sit,* id est, quando est, *senex?* Christus non dixit simpliciter, Nisi quis natus fuerit, non po- D test videre regnum Dei; sed, Nisi quis natus fuerit denuo. Sed quia renasci includit nasci, et Nicodemus non novit nisi unam nativitatem, ideo sic resumit : Quomodo potest homo nasci quum sit senex? Quod non est sic intelligendum, quasi secundum intentionem Nicodemi infans vel juvenis possit renasci; sed quoniam de se ipso sollicitus fuit, et ipse jam vetulus exstitit, idcirco sic fatur : Quomodo potest homo nasci quum sit senex? Et probat quod non possit. *Numquid potest in*

ventrem matris suæ iterato introire et renasci? præsertim quum matres communiter mortuæ sint tempore senectutis natorum.

5 *Respondit Jesus,* solvendo instantiam Nicodemi, et exponendo verba quæ dixit : *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit,* id est spiritualiter regeneratus in fonte Baptismatis, *ex aqua,* quæ est materiale elementum corpus lavans, et dispositive regenerans, *et Spiritu Sancto,* qui est invisibilis actor intus mentem purificans et efficienter regenerans, gratiam influendo, quæ est res sacramenti et causa formalis intrinseca hujus regenerationis; *non potest introire in regnum Dei,* quod est triumphans Ecclesia, vita æterna, seu patria electorum. Quod intelligendum est, dummodo adsit facultas recipiendi sacramentum Baptismi : alias sufficeret baptismus Flaminis, id est interior mundatio Sancti Spiritus, et baptismus sanguinis, puta martyrium, cum voto seu desiderio baptismi fluminis. In Baptismo quippe conformamur Christo et ei incorporamur, quemadmodum ad Romanos testatur Apostolus : Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus : consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Sed quum Baptismus detur in nomine sanctæ Trinitatis, a qua est effectus Baptismi seu gratia sacramentalis, cur potius dicit Salvator, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, quam, Ex aqua et Patre, vel, Ex aqua et Filio? Dicendum, quod Baptismus est effectus præcipuæ liberalitatis ac pietatis divinæ. Liberalitas vero et pietas appropriantur Spiritui Sancto, quemadmodum amor et bonitas.

Rom. VI, 3, 4.

Matth. XXVIII, 19.

Deinde Christus ostendit ordinem spiritualis regenerationis, eamque a carnali generatione distinguit. *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Verba hæc intricata et difficilia sunt, et multipliciter intelligi

A possunt. Primo sic : *Quod natum est ex carne,* id est corpus filii propagatum ac natum ex semine patris, *caro est; et quod natum est ex spiritu,* id est anima rationalis creata a Deo, qui spiritus appellatur, *spiritus est,* id est spiritualis substantia. Hoc tamen non est sic accipiendum, quasi corporalia non sint immediate creata a Deo; sed in homine sunt duæ partes, quarum una est caro, a patre carnali contracta, alia est spiritus, a patre spirituali producta. Juxta hunc sensum dicit Apostolus B ad Hebræos : Patres carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? — Secundo sic : *Quod natum est ex carne,* id est a carnali parente, *caro est,* id est res carnalis, non habens nisi esse carnale ac naturale, virtute generationis carnalis : unde ut talis, non potest salvari; *et quod natum est ex spiritu,* id est spiritualiter regeneratum ac positum in esse spirituali vitaque gratiæ, ex aqua et Spiritu Sancto, in Bapti-C smatis lavacro, *spiritus est,* id est, spirituale efficitur, scilicet homo invisibiliter intus renatus et Deo conjunctus, cum quo, secundum Apostolum, unus est spiritus. Ex quo patet, quod ista regeneratio non sit impossibilis, sed necessaria, et a carnali generatione distincta. De qua ait Joannes in sua Canonica : Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Hinc subdit Salvator : 6

Joann. IV, 24. *Hebr.* XII, 9. I *Cor.* VI, 17. I *Joann.* V, 4.

Non mireris eo modo quo hucusque miratus es, videlicet admiratione incredu-D litatis, vel ex malo intellectu procedentis, vel animum opprimentis ac tædio afficientis. Sic enim mirabatur Nicodemus, quasi sermo Christi impossibilitatem contineret. Potest tamen de doctrina Christi admiratio ordinata haberi, quum dicat Psalmista : Mirabilia testimonia tua. Non ergo inordinate mireris, *quia dixi tibi : Oportet* necessitate conditionata, non absoluta, videlicet, si debeatis salvari, *vos nasci denuo :* secundum modum nunc præostensum. 7

Ps. CXVIII, 129.

Digitized by Google

Insuper Christus ostendit ordinem spi- A
8 ritualis regenerationis per simile. *Spiritus,* ut puta Spiritus Sanctus, *ubi vult spirat,* id est, potestative ac libere gratiam præstat cui placuerit, sicut fatetur
I Cor. xii, 11. Apostolus : Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Deus namque operatur in creaturis, non necessitate naturæ, sed liberrima volun-
Ephes. i, 11, 5. tate, prout ad Ephesios ait Apostolus : Qui omnia operatur secundum propositum voluntatis suæ. *Et vocem ejus audis,* id est verba sacræ Scripturæ divinitus revelatæ. B
Vel, Vocem ejus, id est internam allocutionem, audis : eo modo quo ait Psalmo-
Ps. lxxxiv, 9. graphus, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Est enim auditus interior, quo divinus instinctus percipitur, dum sentit se homo interius tangi, doceri, accendi, rapi, resolvi et absorberi. Unde ait
Osee ii, 14. Dominus per Osee : Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Nunquam Nicodemus salubriter venisset ad Jesum, nisi hanc vocem Spiritus Sancti internam audisset. *Sed non scis unde veniat* Spi- C
ritus Sanctus, id est, quomodo mentem ejus ubi spirat et loquitur ingrediatur, non percipis, *aut quo vadat,* id est, qualiter recedat ignoras. Unde per Job in-
Job ix, 11. ducitur : Si venerit ad me, non videbo eum ; et si recesserit a me, non intelligam. Imo nullus viator scit certitudinaliter absque revelatione, an Spiritus Sanctus sit in ipso per gratiam gratum facientem, quia tunc sciret se dignum amore. Ideo hoc modo Spiritus Sanctus imperceptibiliter venit, imperceptibiliterque recedit. D
Vel sic : Vocem ejus audis, sed non scis unde veniat vox ista, aut quo vadat ipsa, id est, id a quo inspirata est, scilicet principium ejus, quod est Spiritus Sanctus, id quoque ad quod tendit, videlicet æterna felicitas, quæ est finis in quem tendit seu ordinatur Scriptura, sunt tibi ignota, quoniam sola fide tenentur, nec possunt in hac vita secundum essentiam sciri, quum tamen vox ista sensibiliter percipiatur.

Sic est omnis qui natus est ex spiritu : id est, in homine spiritualiter renato, est aliquid scitum ac manifestum, videlicet ipsa persona secundum se, et aliquid ignotum, quia intus invisibiliter reformatur, et de carnali ac perdito, spiritualis et filius adoptivus efficitur imperceptibili gratiæ infusione. Quod enim aliquis in Baptismo sic melioratur, sola fide tenemus. Vel sic : Sic est omnis qui natus est ex spiritu : id est, in regeneratione hominis talis, est aliquid evidens; scilicet aqua et forma verborum ; et aliquid abditum, puta principium effectivum regenerationis, quod est Spiritus Sanctus ; et item finis ejus, quæ est beatitudo æterna.

Istæ expositiones procedunt secundum intentionem Augustini. Chrysostomus vero exponit de vento, ita quod secundum eum, Christus inducit exemplum sensibile ad intelligentiam prædictorum. *Spiritus,* id est ventus (de quo in Psalmo : Flabit spi- Ps. cxlvii, 18.
ritus ejus, et fluent aquæ ; et rursus, Et Ps. cvi, 25.
stetit spiritus procellæ), *ubi vult,* id est, in quo inclinatur, *spirat,* id est, flat ; *et vocem,* id est sonum, *ejus audis, sed non scis unde veniat, aut quo vadat* ventus, id est certum locum ubi flare incipiat, vel desistat. Hæc expositio non videtur multum conveniens aliis : Primo et maxime, quoniam Christus hoc loco frequenter per spiritum, intellexit Spiritum Sanctum, vel spiritualem essentiam. Unde non est verisimile quod nunc in eodem loco, nomine spiritus, designet rem materialem, seu ventum. Secundo, quoniam vento non competit proprie voluntas. Tertio, quoniam vento proprie non convenit vox, quum sit res inanimata, sed sonus. Quarto, quoniam scimus quod ventus venit ab aquilone, vel austro, et recte procedat, non tendens in partem oppositam. Verumtamen ista tria argumenta solvi possent, quia Scriptura frequenter adscribit voluntatem rebus inanimatis, ut quum dicitur in Josue : Quid sibi volunt lapides isti ? Simi- Josue iv, 6.
liter vocem, ut quum ad Corinthios dicit
Apostolus : Quæ sine anima sunt vocem I Cor. xiv, 7.

Digitized by Google

dantia. Item nescimus determinatum prin- A cipium certumque finem, unde incipit et ubi desinit ventus flare, quamvis sciamus in generali quod ab aliqua parte plagæ australis vel alterius inchoetur.

9 *Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quomodo possunt hæc,* quæ de spirituali regeneratione et Spiritus libera spiratione disseruisti, *fieri,* id est, taliter se habere ut asseris? Nicodemus in litterali sensu legis ac Prophetarum instructus et usitatus, ad spiritualem ac mysticum intellectum erigi facile non valebat : quoniam B usus est velut altera natura. Ideo satis audacter sciscitatur quomodo queant hæc fieri.

Christus vero qui corda cognoscit, cernens doctorem de suo magisterio aliqualiter tumidum, ad humilitatem eum reducit, quatenus instrui mereatur. Quemadmodum enim superbia excæcationem diabolicam, sic humilitas illuminationem divinam meretur. Propter quod Salomon protestatur : Ubi fuerit humilitas, ibi et sapien- *Prov.* XI, 2.
10 tia. *Tu es magister in Israel,* id est doctor C Judæorum, *et hæc* de Baptismo prolata *ignoras?* Quæ tamen in libris Moysis et Prophetarum figuraliter et litteraliter describuntur : ideoque, quum sis legis doctor, deberes hæc scire, vel saltem facile intelligere. Doctoris quippe est mysteria et figuras atque difficillima loca Scripturarum sanctarum cognoscere. Baptismus autem Christi, per transitum maris Rubri et per ablutiones legales præfigurabatur, *I Cor.* X, 2. dicente Apostolo : Omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari. Prophe- D tæ vero ad litteram locuti sunt de Christi Baptismate, ut quum per Zachariam di- *Zach.* XIII, 1. citur : In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris. De quo accipi potest *Joel* III, 18. et illud Joelis : Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum, videlicet corda vitiosa, spinis ac tribulis spiritualibus plena. Hinc per Eze- *Ezech.* XLVII, *passim.* chielem multa dicuntur de aquis redundantibus templi, quæ de aquis Baptismatis exponuntur. Quod ergo ait Salvator, Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? non dicit insultando, sed potius miserendo, eumque humiliando, et ad meliora provocando.

Deinceps pandit Salvator quam certa sit sua doctrina : propter quod ei humiliter est credendum. *Amen, amen dico ti-* 11
bi, quia quod scimus nos rex Messias, unigenitus Filius Dei, Dominus universorum : quod, inquam, scimus, id est, clare cognovimus ab æterno secundum quod Deus : eadem enim est sapientia idemque numero intellectus Patris et Filii; *loquimur* nunc vobis Judæis, de sacramentis et documentis evangelicæ legis. *Et quod vidimus* oculo mentis, id est, certissime novimus, *testamur,* id est, firmiter affirmamus, hominibus prædicando. Potest quoque intelligi de scientia Christi creata, per quam omnia scivit ab instanti incarnationis, quæ scit Deus scientia visionis : sicque Christus secundum quod homo, vidit in Verbo, et item per species concreatas, omnia quæ prædicavit. *Et testimonium nostrum non accipitis,* recte credendo atque humiliter meis sermonibus consentiendo. Quamvis enim quidam Judæorum crediderunt illi, tamen comparatione incredulorum fuerunt paucissimi. Unde per Osee Christus prædixit : Reces- *Osee* VII, 13. 15.
serunt a me; et ego erudivi eos, et in me cogitaverunt malitiam.

Si terrena dixi vobis, et non creditis : 12
quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? Quæ sunt ista terrena quæ Christus dixit Nicodemo atque Judæis? Secundum Augustinum et Bedam, ista terrena non sunt aliqua dicta in isto capitulo, sed quod supra in præcedenti capitulo fertur Christus dixisse Judæis : Solvite templum *Joan.* II, 19.
hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc enim disseruit de proprio corpore adhuc corruptibili, terreno ac mixto. Tanquam dicat : Si non creditis quod possim proprium corpus divina virtute suscitare a morte, quomodo credetis quod homines valeam ex aqua et Spiritu Sancto rege-

Digitized by Google

nerare? — Alii referunt ad Baptismum, qui dici potest terrenus, quoniam visibiliter exhibetur in terra, in aqua visibili, sub sensibili forma verborum. Est itaque sensus : *Si terrena dixi,* id est, de sensibilibus rebus locutus sum, *vobis,* videlicet de Baptismo, et suscitatione corporis mei, *et non creditis* vera esse quæ dico, eo quod sint supra naturalem rationem. Quod ait, Et non creditis, non est referendum ad Nicodemum, sed ad Judæos incredulos, quos Christus sub persona Nicodemi affatur : de quibus paulo ante locutus est, Testimonium nostrum non accipitis. *Quomodo si dixero vobis cœlestia,* loquendo de invisibilibus Dei, de unitate Trinitatis, et trinitate unitatis, de emanatione divinarum Personarum ad intra, de immediata visione divinæ essentiæ, de hierarchiis, aliisque secretis cœlestibus, de quibus parum habetur in lege ac Prophetis, *credetis?* quasi dicat : Difficulter vel nequaquam crederetis, quum sint incomprehensibiliora et supernaturaliora prædictis terrenis. Necesse est ergo proprium intellectum auctoritati Christi subjicere, et his quæ rationem transcendunt, fidem præbere, præsertim quum Deus per sufficientissima argumenta ostenderit Jesum esse Christum Filium Dei. Propterea dicit Apostolus ad Corinthios : In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. (II *Cor.* x.5.)

Verumtamen, quoniam quædam secreta atque cœlestia ad Christum pertinentia, cunctis fidelibus sunt scienda, videlicet unitas personæ Dei et hominis in Christo, mysterium dominicæ passionis, et amor Dei ad genus humanum ; idcirco Christus de talibus consequenter instruit Nicodemum.

13 *Et nemo ascendit in cœlum* empyreum, quod est locus et mansio Beatorum, sicut ecclesia fertur locus orantium. Nihilo minus, sicut fideles orare possunt extra materialem ecclesiam, sic Beati Deum clare conspiciunt ubicumque exstiterint. *Nisi qui descendit de cœlo,* humanam naturam assumendo, videlicet *Filius hominis, qui est in cœlo.* Verba hæc aquilina sicut in stilo simplicia atque facilia sunt, sic in profunditate sensus prorsus comprobantur altissima, difficillima, nimiumque divina. Quid enim est quod ait, Nemo ascendit in cœlum, etc.? Nonne homines sancti a pœna et culpa purgati, mox ascendunt in cœlum, dicente Apostolo ad Corinthios, Scimus quoniam si (II *Cor.* v,1.) terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis? Certum est quod nunc quidam sanctorum hominum ascenderunt in cœlum, non solum quantum ad animam, sed etiam quantum ad corpus, ut certum est de Virgine gloriosa, et de his qui cum Christo surrexerunt, apparueruntque in (*Matth.* xxvii,52,53.) sancta civitate quamplurimis, pie creditur a quibusdam. Sed pensemus quando Christus verba hæc protulit : utique ante passionem, quando loquebatur in Jerusalem cum Nicodemo. Quod autem nullus electorum introierit regnum cœlorum ante Christi passionem, cognoscimus. Itaque, quod ait, Nemo ascendit in cœlum, verum est pro tempore illo, sumendo verbum, Ascendit, ut est præteriti temporis sive præsentis.

Sed tunc quæstio oritur, quomodo verba sequentia verificentur. Subditur enim : Nisi Filius hominis. Ascendere quippe competit Christo ratione naturæ assumptæ, secundum quam pro tunc nondum ascendit. Non ergo excepisset se ipsum, si prædicto modo sumpsisset hoc verbum, Ascendit. Quæstio ista dupliciter solvitur : Primo, ut solus Filius hominis ascendisse dicatur, quoniam solus propria potestate, jure ac merito ascendebat; alii vero virtute et merito Christi, cujus passione fuerunt ab originalis peccati absoluti reatu. Secundo, ut nomine Christi intelligatur non solum Christi persona, sed et mysticum corpus ipsius, puta Ecclesia patrum quæ detinebatur in limbo, ceterique electi omnino mundati, de quibus speci-

Digitized by Google

enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. Tales autem non credunt vere
Joann. v, 44. atque salubriter : sicut ait Salvator, Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? Loquitur ergo Evangelista secundum communem modum loquendi, quo aliquis dicitur se ipsum alteri credere, quoniam fidei illius se committit, certus de fidelitate vel amicitia ejus. Si vero sumatur *credere,* prout est actus fidei quæ est virtus theologica, sic Christus non credidit, nec aliquis debet sic in purum hominem credere. Denique huic expositioni concordant sequentia, in quibus tangitur ratio quare Christus non credebat se illis.

Eo quod ipse nosset omnes, id est, certitudinaliter cognosceret omnium corda, et per consequens corda istorum, sciens
25 quanta esset eorum interna defectio ; *et quia opus,* id est necesse, *ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine* quocumque, ad manifestandum Christo aliquid prius ei ignotum. *Ipse enim sciebat,* præsertim per scientiam increatam, secundum quod Deus, et item per scientiam infusam, ut homo, vel in Verbo, *quid esset in homine,* hoc est omnia interiora secretaque hominis cujuscumque, videlicet desideria, cogitationes, intentiones. Per quod innuit Evangelista divinitatem Salvatoris, quia Scripturæ testantur Deo proprium esse, universorum cordium scire arcana. Nam licet Christus sciverit illa, etiam ut homo, per scientiam concreatam, ut dictum est, hoc tamen non fuit nisi secundum quod homo talis, utpote habens humanitatem Verbo hypostatica unione conjunctam. Hinc in libris Regum Salo-
III Reg. viii, 39. mon loquitur : Tu, Domine, solus nosti corda omnium hominum. Et in Apocalypsi
Apoc. ii, 23. Dominus protestatur : Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda et renes.

Expositio moralis. NUNC aliquid de moralitate hujus evangelicæ lectionis tractandum est. Instante festo paschali Judæorum, ascendit Jesus

A Jerosolymam. Sic et nos, appropinquante Pascha Christianorum, qui sunt veri Judæi, non carne et littera, sed spiritu confitentes, ascendere debemus ecclesiam toto tempore quadragesimali, præparando nos ad devotam paschalis festivitatis celebrationem, per opera pœnitentiæ et exercitia devotionis atque compunctionis internæ.

Quotidie quoque visitat Christus Ecclesiam, quæ per Jerusalem designatur ; et invenit ibi vendentes oves et boves, id est
B clericos temporalibus negotiis implicatos, sacerdotes, religiosos atque prælatos avaritiæ deditos, propria lucra, non Christi I Petr. v, 2.
honorem et gregis dominici salutem, quærentes. Quocontra dicit Apostolus : Nemo II Tim. ii, 4.
militans Deo, implicat se sæcularibus negotiis. Demum columbas vendunt, qui spiritualia bona pro temporalibus exhibent ; qui non excutiunt manus suas ab omni Is. xxxiii, 15.
munere. Contra quos ait Salvator : Gratis Matth. x, 8.
accepistis, gratis date.

Omnes tales ejicit Christus de templo,
C id est, a corpore suo mystico, a consortio electorum separat eos nunc voto ac merito ; postea vero separabit istos ab illis, Ibid. xxv, 32.
loco et præmio, sicut segregat pastor oves ab hœdis, quando hi ibunt in ignem æter- Ibid. 46.
num, illi vero in paradisum cœlestem. Ejicit autem, flagellat et punit eos Christus, flagello facto de funiculis, id est pœna quam merentur propriis vitiis, quæ sunt funes seu vincula quibus impius irretitur, ligatur, atque constringitur, ne Deum sequatur, ne in viam vitæ profi-
D ciscatur, sed dæmonis potestati, jugo et obsequio subditus maneat, prout ad Timotheum ait Apostolus : Resipiscant a la- II Tim. ii, 26.
queis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. De talibus nempe funiculis Salomon loquitur in Proverbiis : Iniquitates suæ capiunt impium, et funi- Prov. v, 22.
bus peccatorum suorum constringitur. Talibus funiculis se constringunt, et restem infernalis suspensionis sibimet texunt, quicumque in vitiis perseverant ; qui adji- Eccli. iii, 29.
ciunt ad peccandum ; quorum iniquitates Ps. xxxvii, 5.

Digitized by Google

sicut onus grave gravantur super eos; qui A
non elevant oculos suos ut videant cœ-
Is. v, 18. lum. Quibus dictum est per Isaiam: Væ qui
trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis,
et quasi vinculum plaustri peccatum.

Possumus insuper per templum intelli-
gere animam rationalem, quæ capax est
Dei per cognitionem ac dilectionem, in
Ephes. III, 17. qua habitat Deus per fidem, caritatem et
I *Cor.* I, 24. gratiam. Hanc visitat Christus sapientia
Sap. VII, 27. Patris, qui in animas sanctas se transfert,
Apoc. III, 20. statque ad ostium cordis, et pulsat. Sed
dum anima concupiscentiis superatur, dum B
Ps. XLVIII, 13, 21. jumentis insipientibus comparatur, besti-
ales motus sequendo, peccatis et passio-
II *Petr.* II, 19. nibus serviendo (a quo enim quis victus
est, hujus et servus est), tunc vendit oves
et boves, videlicet stultos ac irrationabi-
les motus, diabolo, cui talia serviendo im-
pendit, ut per hæc voluptates consequa-
tur, quas velut pretium pro fine intendit.
Sed utinam Christus faciat nunc flagellum
paternæ correctionis, omnesque hujusmo-
di motus et vitia expellat ab anima no-
stra, corripiendo nos temporaliter, ut resipi- C
scamus, nec æternaliter pereamus. Quidam
enim non corriguntur nisi flagellis seu
Luc. XIV, 23. adversitatibus, qui quodammodo compel-
Ps. CXVII, 18. luntur intrare, et dicere possunt: Casti-
gans castigavit me Dominus, et morti non
Act. IX, 3-6. tradidit me. Sic conversus est Paulus.

Præterea, non faciamus domum Dei,
puta ecclesiam materialem, nec animam
propriam, domum negotiationis, confabu-
lationis, distractionis, sæcularia in eis tra-
ctando; sed potius emundemus nos ab II *Cor.* VII, 1.
omni inquinamento carnis et spiritus, ut
mente quieta, tranquilla ac pura, Chri-
stum suscipere, retinere, et possidere me-
reamur. Ipse etenim dicit: Super quem Cf. *Is.* LXVI, 1, 2.
requiescet spiritus meus, nisi super quie-
tum et humilem?

Quemadmodum autem Judæi a Christo
correpti dixerunt, Quod signum ostendis
quia hæc facis? quasi dicant, Quis te con- *Exod.* II, 14.
stituit principem aut judicem super nos?
Sic multi impatientes et inverecundi, duri
atque rebelles et animosi, dum fraterna-
liter admonentur, vel paternaliter arguun-
tur, aut juste corriguntur, indignando seu
murmurando respondent: Quod signum
ostendis? id est, quid ad te pertinet? et,
Numquid ego tibi commissus sum? Cor-
rige temetipsum, nec ingeras te factis aut
sermonibus meis. Tales vero miserrimi
sunt obtenebrati et vitiosi. Unde in Pro-
verbiis loquitur Salomon: Viro qui cor- *Prov.* XXIX, 1.
ripientem dura cervice contemnit, repen-
tinus ei superveniet interitus; et alibi:
Qui abjicit disciplinam, despicit animam *Ibid.* XV, 32.
suam; qui autem acquiescit increpatio-
nibus, possessor est cordis.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : ERAT AUTEM HOMO EX PHARISÆIS NICODEMUS NOMINE.

POST hæc, Evangelista plenius prose- D
quitur atque describit doctrinam et
prodigia Salvatoris, ea præsertim quæ ab
aliis Evangelistis erant omissa. Et quia in
Joann. II, 23. fine præcedentis capituli dixit multos Ju-
dæorum credidisse in nomine Jesu, nunc
specialiter tractat de uno illorum.

1 *Erat autem homo* rationabiliter agens,
dignus nomine hominis, tanquam rationis
judicium, non sensualitatis impetum, se-
quens. Optimum enim hominis est esse
secundum rationem, juxta Dionysium. *Ex
Pharisæis,* id est de secta et numero Pha-
risæorum, quorum secta fuit solennior.
Eratque homo iste, *Nicodemus nomine,*
re et nomine Pharisæus, hoc est ab aliis

divisus, tanquam veraciter religiosus in A
anima, sicut nomen et habitus ejus exterior prætendebant : sicut nunc aliquis dicitur veraciter monachus, qui soli Deo et sibi ipsi digne intendit atque sinceriter vacat. Ceteri vero Pharisæorum, ut communiter, erant solo nomine, habitu et apparenti sanctitate seu simulata æquitate Pharisæi : sicut nunc sunt multi claustrales solo nomine, apparatu et habitu monachi, religiosi ac spirituales. *Princeps Judæorum,* id est unus de principalibus doctoribus atque rectoribus Judaicæ ple- B
bis, quæ primo regebatur per judices, deinde per reges usque ad captivitatem Babylonicam, exinde per doctores et sacerdotes, quorum multi fuerunt Pharisæi. Non tamen fuit hic Nicodemus summus princeps vel pontifex Judæorum.

2 *Hic venit ad Jesum,* cujus jam signa vidit, et documenta audivit; et ex utroque perpendit aliquid magnæ excellentiæ esse in Jesu, cujus tantam potestatem et sapientiam, tantam demum justitiam imperterritamque constantiam fuit exper- C
tus, ita ut neminem metuens, et pro Deo
Joann. II, 15, 22. zelans, omnes vendentes in templo expelleret, suamque doctrinam confirmaret miraculis. Hinc Nicodemus, zelo agnoscendæ veritatis et spiritualis profectus accensus, venit ad Jesum ut plenius doceretur ab eo. Venit autem *nocte.* Vel quia aliorum Pharisæorum ac sacerdotum offensam incurrere formidavit (quemadmo-
Judic. VI, 25-27. dum Gedeon nocte confregit statuam Baal, timens suos concives) : et hic timor fuit
I Joann. IV, 18. imperfectionis, quem plena dilectio mit- D
tit foras. Vel quia, quum esset nominatus doctor ac magister in Israel, aliqualiter erubescebat publice se submittere infor-
Joann. VII, 15. mationi Jesu, qui sciebatur litteras non didicisse : et hoc fuisset alicujus elationis. Vel, ut secrete, silenter ac libere loqueretur cum Jesu. Convenit quoque tempus cum mysterio. Nam quia in tenebris mentis quodammodo fuit, imperfecte credendo in Christum, et spiritualium mysteriorum notitiam non habendo, recte asseritur nocte venisse : quemadmodum Maria
Magdalene venit ad monumentum quum *Joann.* XX, 1.
adhuc tenebræ essent, putans Christum non resurrexisse.

Et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti, id est, divinitus missus es in mundum, *magister* veritatis. De quo magistro dicitur in Osee : Tempus requirendi Do- *Osee* X, 12.
minum, quum venerit qui docebit vos justitiam ; et per Joelem, Exsultate in Do- *Joel* II, 23.
mino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ. Per quid vero Nicodemus id scierat, subditur. *Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo,* cooperando et gratiam miraculorum præstando. Solus quippe omnipotens Deus facit miracula proprie dicta tanquam principalis effector ; servi autem ipsius faciunt ea solum ministerialiter : juxta illud in Psalmo, Benedictus Domi- *Ps.* LXXI, 18.
nus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.

Porro miraculum proprie dictum, est effectus totam virtutem et legem naturæ creatæ excedens. Et talia erant aliqua Christi miracula, ut illuminatio cæci nati, sus- *Joann.* IX, 1, 6, 7; *Matth.* IX, 25; *Luc.* VII, 14, 15; *Joann.* XI, 43, 44; *Matth.* XXVII, 45. *Joann.* XV, 24.
citatio mortuorum, eclipsis solis in plenilunio tempore passionis. Et ista miracula sunt certa ac sufficientia argumenta, quod actor eorum sit vera docens, et divina virtute agens. Unde ait infra : Si opera non fecissem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent. — Aliqua vero miracula fieri possunt cooperatione diaboli, sicut de Antichristo dicit Apostolus : Cujus adventus est secundum ope- *II Thess.* II, 9, 10.
rationem Satanæ, in omni seductione et virtute, in signis et prodigiis. Quamvis autem talia sint miracula quantum ad modum agendi, non tamen excedunt facultatem totius naturæ creatæ, sed per occultas naturalium rerum virtutes aguntur : quemadmodum magi Pharaonis, Jannes et *Exod.* VII, 11, 12; *II Tim.* III, 8.
Mambres, projecerunt virgas suas, quæ mox in dracones conversæ sunt ; produ- *Exod.* VIII, 7.
xerunt etiam ranas, et maleficiis suis con- *Ibid.* VII, 20, 22.
verterunt aquam in sanguinem, ut legitur in Exodo. Talia vero miracula etiam multa fecit Christus, convertendo aquam in *Joann.* II, 7-9.

Digitized by Google

vinum, quod facit natura paulatim in vitibus; et illuminando cæcos, quod interdum fit arte medicinæ. Et ista non sunt sufficientia argumenta fidei et cooperationis divinæ, quum sint bonis malisque communia. (*Matth.* ix, 29, 30; xx, 34; *Marc.* viii, 23-25; *Joann.* ix, 6, 7.) Verumtamen eo modo quo a Christo et ejus ministris peracta sunt, sunt utique sufficientia fidei argumenta. Christus enim fecit ea imperialiter, et in instanti. Fideles quoque faciunt ea per invocationem nominis Dei, cum exsecratione omnis communionis diaboli. — Facit præterea Deus quandoque signa per reprobos seu injustos : quæ licet non probent quod operatores hujusmodi sint boni et Deo accepti; probant tamen quod vera sit fides qua invocant Deum, et vera doctrina ad cujus confirmationem efficit Deus talia signa. Propter quod dicit Salvator apud Matthæum : (*Matth.* vii, 22, 23.) Multi dicent mihi in die illa : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos.

Et quoniam Christus novit intentionem ac desiderium Nicodemi, qui venit ut instrueretur, idcirco incipit eum Christus instruere. Et primo instruit eum de primo sacramento novæ legis maxime necessario, videlicet de Baptismo, quod est spi-
3 ritualis regeneratio, porta vitæ. *Respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi.* Repetitio, confirmationis indicium est et provocatio advertentiæ diligentis. *Nisi quis natus fuerit denuo,* id est regeneratus, videlicet per spiritualem generationem esse gratiæ, caritatis et fidei, puta esse supernaturale ac deiforme adeptus, *non potest videre* oculis cordis, clare, per speciem, *regnum Dei,* id est patriam Beatorum, seu Deum regnantem in cœlis. Quum enim ultimus finis hominis, seu ipsa felicitas, quæ est visio Dei per speciem, sit supernaturalis, nullus potest ad eam pertingere per pura naturalia, sed oportet naturam adjuvari ac perfici per fidem et gratiam, ceteraque dona Spiritus Sancti. Quemad-

A modum autem dicitur homo primo nasci, quando per generationem carnalem ac naturalem parentum producitur in esse naturali specifico, contrahendo a parentibus esse naturæ; sic dicitur nasci denuo vel renasci, quando per operationem divinam acquirit esse gratiæ, quod est esse divinum, supernaturale et meritorium : quia ut dicit Dionysius, Sicut intellectualis creatura ponitur in esse specifico per naturam, per quam est apta ac potens ad operationes naturales; sic per gratiam po-
B nitur in esse divino, per quod est idonea ad operandum opera meritoria.

Si sic accipimus, Nasci denuo, tunc nunquam potuit aliquis salvari, nisi rursus nascendo. Omnes namque nati sunt filii iræ, (*Ephes.* ii, 3.) contrahendo peccatum originale secundum communem legem : sicque oportebat eos intus renasci, recipiendo gratiam reformantem, et conferentem esse divinum. Verum, quia Salvator ad litteram loquitur de regeneratione Baptismatis, ut patet in subditis, idcirco, quod dicit de
C regeneratione ista, intelligendum est pro tempore novi Testamenti. Temporibus vero legis naturæ et legis scriptæ, fuerunt alia contra originale peccatum remedia, scilicet circumcisio, et fides parentum.

Dicit ad eum Nicodemus, arguens con- 4
tra verba Christi, quæ male atque carnaliter intellexit, quia in lege assuetus non fuit spiritualibus modis loquendi : *Quomodo potest homo nasci quum sit,* id est, quando est, *senex?* Christus non dixit simpliciter, Nisi quis natus fuerit, non po-
D test videre regnum Dei; sed, Nisi quis natus fuerit denuo. Sed quia renasci includit nasci, et Nicodemus non novit nisi unam nativitatem, ideo sic resumit : Quomodo potest homo nasci quum sit senex? Quod non est sic intelligendum, quasi secundum intentionem Nicodemi infans vel juvenis possit renasci; sed quoniam de se ipso sollicitus fuit, et ipse jam vetulus exstitit, idcirco sic fatur : Quomodo potest homo nasci quum sit senex? Et probat quod non possit. *Numquid potest in*

Digitized by Google

ventrem matris suæ iterato introire et renasci? præsertim quum matres communiter mortuæ sint tempore senectutis natorum.

5 *Respondit Jesus,* solvendo instantiam Nicodemi, et exponendo verba quæ dixit : *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit,* id est spiritualiter regeneratus in fonte Baptismatis, *ex aqua,* quæ est materiale elementum corpus lavans, et dispositive regenerans, *et Spiritu Sancto,* qui est invisibilis actor intus mentem purificans et efficienter regenerans, gratiam influendo, quæ est res sacramenti et causa formalis intrinseca hujus regenerationis; *non potest introire in regnum Dei,* quod est triumphans Ecclesia, vita æterna, seu patria electorum. Quod intelligendum est, dummodo adsit facultas recipiendi sacramentum Baptismi : alias sufficeret baptismus Flaminis, id est interior mundatio Sancti Spiritus, et baptismus sanguinis, puta martyrium, cum voto seu desiderio baptismi fluminis. In Baptismo quippe conformamur Christo et ei incorporamur, quemadmodum ad Romanos testatur Apostolus : Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus : consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. (*Rom.* vi, 3, 4.) Sed quum Baptismus detur in nomine sanctæ Trinitatis, (*Matth.* xxviii, 19.) a qua est effectus Baptismi seu gratia sacramentalis, cur potius dicit Salvator, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, quam, Ex aqua et Patre, vel, Ex aqua et Filio? Dicendum, quod Baptismus est effectus præcipuæ liberalitatis ac pietatis divinæ. Liberalitas vero et pietas appropriantur Spiritui Sancto, quemadmodum amor et bonitas.

Deinde Christus ostendit ordinem spiritualis regenerationis, eamque a carnali generatione distinguit. *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Verba hæc intricata et difficilia sunt, et multipliciter intelligi possunt. Primo sic : *Quod natum est ex* 6
carne, id est corpus filii propagatum ac natum ex semine patris, *caro est; et quod natum est ex spiritu,* id est anima rationalis creata a Deo, qui spiritus appellatur, *spiritus est,* (*Joann.* iv, 24.) id est spiritualis substantia. Hoc tamen non est sic accipiendum, quasi corporalia non sint immediate creata a Deo; sed in homine sunt duæ partes, quarum una est caro, a patre carnali contracta, alia est spiritus, a patre spirituali producta. Juxta hunc sensum dicit Apostolus ad Hebræos : Patres carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? (*Hebr.* xii, 9.) — Secundo sic : *Quod natum est ex carne,* id est a carnali parente, *caro est,* id est res carnalis, non habens nisi esse carnale ac naturale, virtute generationis carnalis : unde ut talis, non potest salvari; *et quod natum est ex spiritu,* id est spiritualiter regeneratum ac positum in esse spirituali vitaque gratiæ, ex aqua et Spiritu Sancto, in Baptismatis lavacro, *spiritus est,* id est, spirituale efficitur, scilicet homo invisibiliter intus renatus et Deo conjunctus, cum quo, secundum Apostolum, unus est spiritus. (I *Cor.* vi, 17.) Ex quo patet, quod ista regeneratio non sit impossibilis, sed necessaria, et a carnali generatione distincta. De qua ait Joannes in sua Canonica : Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. (I *Joann.* v, 4.) Hinc subdit Salvator :

7 *Non mireris* eo modo quo hucusque miratus es, videlicet admiratione incredulitatis, vel ex malo intellectu procedentis, vel animum opprimentis ac tædio afficientis. Sic enim mirabatur Nicodemus, quasi sermo Christi impossibilitatem contineret. Potest tamen de doctrina Christi admiratio ordinata haberi, quum dicat Psalmista : Mirabilia testimonia tua. (*Ps.* cxviii, 129.) Non ergo inordinate mireris, *quia dixi tibi : Oportet* necessitate conditionata, non absoluta, videlicet, si debeatis salvari, *vos nasci denuo :* secundum modum nunc præostensum.

Digitized by Google

Insuper Christus ostendit ordinem spi-
8 ritualis regenerationis per simile. *Spiri-
tus,* ut puta Spiritus Sanctus, *ubi vult
spirat,* id est, potestative ac libere gra-
tiam præstat cui placuerit, sicut fatetur
I Cor. XII, 11. Apostolus : Omnia operatur unus atque
idem Spiritus, dividens singulis prout vult.
Deus namque operatur in creaturis, non
necessitate naturæ, sed liberrima volun-
Ephes. I, 11, 5. tate, prout ad Ephesios ait Apostolus : Qui
omnia operatur secundum propositum vo-
luntatis suæ. *Et vocem ejus audis,* id est
verba sacræ Scripturæ divinitus revelatæ.
Vel, Vocem ejus, id est internam allocu-
tionem, audis : eo modo quo ait Psalmo-
Ps. LXXXIV, 9. graphus, Audiam quid loquatur in me
Dominus Deus. Est enim auditus interior,
quo divinus instinctus percipitur, dum
sentit se homo interius tangi, doceri, ac-
cendi, rapi, resolvi et absorberi. Unde ait
Osee II, 14. Dominus per Osee : Ducam eam in soli-
tudinem, et loquar ad cor ejus. Nunquam
Nicodemus salubriter venisset ad Jesum,
nisi hanc vocem Spiritus Sancti internam
audisset. *Sed non scis unde veniat* Spi-
ritus Sanctus, id est, quomodo mentem
ejus ubi spirat et loquitur ingrediatur,
non percipis, *aut quo vadat,* id est, qua-
liter recedat ignoras. Unde per Job in-
Job IX, 11. ducitur : Si venerit ad me, non videbo
eum ; et si recesserit a me, non intelli-
gam. Imo nullus viator scit certitudinaliter
absque revelatione, an Spiritus Sanctus
sit in ipso per gratiam gratum facientem,
quia tunc sciret se dignum amore. Ideo
hoc modo Spiritus Sanctus imperceptibi-
liter venit, imperceptibiliterque recedit.
Vel sic : Vocem ejus audis, sed non scis
unde veniat vox ista, aut quo vadat ipsa,
id est, id a quo inspirata est, scilicet
principium ejus, quod est Spiritus San-
ctus, id quoque ad quod tendit, videlicet
æterna felicitas, quæ est finis in quem
tendit seu ordinatur Scriptura, sunt tibi
ignota, quoniam sola fide tenentur, nec
possunt in hac vita secundum essentiam
sciri, quum tamen vox ista sensibiliter
percipiatur.

A *Sic est omnis qui natus est ex spiritu :*
id est, in homine spiritualiter renato, est
aliquid scitum ac manifestum, videlicet
ipsa persona secundum se, et aliquid igno-
tum, quia intus invisibiliter reformatur, et
de carnali ac perdito, spiritualis et filius
adoptivus efficitur imperceptibili gratiæ
infusione. Quod enim aliquis in Baptismo
sic melioratur, sola fide tenemus. Vel sic :
Sic est omnis qui natus est ex spiritu :
id est, in regeneratione hominis talis, est
aliquid evidens; scilicet aqua et forma
B verborum ; et aliquid abditum, puta prin-
cipium effectivum regenerationis, quod est
Spiritus Sanctus ; et item finis ejus, quæ
est beatitudo æterna.

Istæ expositiones procedunt secundum
intentionem Augustini. Chrysostomus vero
exponit de vento, ita quod secundum eum,
Christus inducit exemplum sensibile ad
intelligentiam prædictorum. *Spiritus,* id
est ventus (de quo in Psalmo : Flabit spi- Ps. CXLVII, 18.
ritus ejus, et fluent aquæ ; et rursus, Et Ps. CVI, 25.
stetit spiritus procellæ), *ubi vult,* id est,
C in quo inclinatur, *spirat,* id est, flat ; *et
vocem,* id est sonum, *ejus audis, sed non
scis unde veniat, aut quo vadat* ventus,
id est certum locum ubi flare incipiat, vel
desistat. Hæc expositio non videtur mul-
tum conveniens aliis : Primo et maxime,
quoniam Christus hoc loco frequenter per
spiritum, intellexit Spiritum Sanctum, vel
spiritualem essentiam. Unde non est ve-
risimile quod nunc in eodem loco, nomi-
ne spiritus, designet rem materialem, seu
ventum. Secundo, quoniam vento non com-
D petit proprie voluntas. Tertio, quoniam
vento proprie non convenit vox, quum sit
res inanimata, sed sonus. Quarto, quoni-
am scimus quod ventus venit ab aquilo-
ne, vel austro, et recte procedat, non ten-
dens in partem oppositam. Verumtamen
ista tria argumenta solvi possent, quia
Scriptura frequenter adscribit voluntatem
rebus inanimatis, ut quum dicitur in Jo-
sue : Quid sibi volunt lapides isti ? Simi- Josue IV, 6.
liter vocem, ut quum ad Corinthios dicit
Apostolus : Quæ sine anima sunt vocem I Cor. XIV, 7.

Digitized by Google

dantia. Item nescimus determinatum prin-
cipium certumque finem, unde incipit et
ubi desinit ventus flare, quamvis scia-
mus in generali quod ab aliqua parte
plagæ australis vel alterius inchoetur.

9 *Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quo-
modo possunt hæc,* quæ de spirituali re-
generatione et Spiritus libera spiratione
disseruisti, *fieri,* id est, taliter se habere
ut asseris? Nicodemus in litterali sensu
legis ac Prophetarum instructus et usita-
tus, ad spiritualem ac mysticum intelle-
ctum erigi facile non valebat : quoniam
usus est velut altera natura. Ideo satis
audacter sciscitatur quomodo queant hæc
fieri.

Christus vero qui corda cognoscit, cer-
nens doctorem de suo magisterio aliquali-
ter tumidum, ad humilitatem eum reducit,
quatenus instrui mereatur. Quemadmodum
enim superbia excæcationem diabolicam,
sic humilitas illuminationem divinam me-
retur. Propter quod Salomon protesta-
Prov. xi, 2. tur : Ubi fuerit humilitas, ibi et sapien-
10 tia. *Tu es magister in Israel,* id est doctor
Judæorum, *et hæc* de Baptismo prolata
ignoras? Quæ tamen in libris Moysis et
Prophetarum figuraliter et litteraliter de-
scribuntur : ideoque, quum sis legis do-
ctor, deberes hæc scire, vel saltem facile
intelligere. Doctoris quippe est mysteria
et figuras atque difficillima loca Scriptu-
rarum sanctarum cognoscere. Baptismus
autem Christi, per transitum maris Rubri
et per ablutiones legales præfigurabatur,
1 Cor. x, 2. dicente Apostolo : Omnes in Moyse ba-
ptizati sunt in nube et in mari. Prophe-
tæ vero ad litteram locuti sunt de Christi
Baptismate, ut quum per Zachariam di-
Zach. xiii, 1. citur : In die illa erit fons patens domui
David et habitantibus Jerusalem, in ablu-
tionem peccatoris. De quo accipi potest
Joel iii, 18. et illud Joelis : Fons de domo Domini
egredietur, et irrigabit torrentem spina-
rum, videlicet corda vitiosa, spinis ac
tribulis spiritualibus plena. Hinc per Eze-
Ezech. xlvii, passim. chielem multa dicuntur de aquis redun-
dantibus templi, quæ de aquis Baptismatis
exponuntur. Quod ergo ait Salvator, Tu
es magister in Israel, et hæc ignoras?
non dicit insultando, sed potius miseren-
do, eumque humiliando, et ad meliora
provocando.

Deinceps pandit Salvator quam certa
sit sua doctrina : propter quod ei humi-
liter est credendum. *Amen, amen dico ti-* 11
bi, quia quod scimus nos rex Messias,
unigenitus Filius Dei, Dominus universo-
rum : quod, inquam, scimus, id est, clare
cognovimus ab æterno secundum quod
Deus : eadem enim est sapientia idemque
numero intellectus Patris et Filii ; *loqui-
mur* nunc vobis Judæis, de sacramentis
et documentis evangelicæ legis. *Et quod
vidimus* oculo mentis, id est, certissime
novimus, *testamur,* id est, firmiter af-
firmamus, hominibus prædicando. Potest
quoque intelligi de scientia Christi crea-
ta, per quam omnia scivit ab instanti in-
carnationis, quæ scit Deus scientia visi-
onis : sicque Christus secundum quod
homo, vidit in Verbo, et item per species
concreatas, omnia quæ prædicavit. *Et te-
stimonium nostrum non accipitis,* recte
credendo atque humiliter meis sermoni-
bus consentiendo. Quamvis enim quidam
Judæorum crediderunt illi, tamen compa-
ratione incredulorum fuerunt paucissimi.
Unde per Osee Christus prædixit : Reces- Osee vii, 13, 15.
serunt a me ; et ego erudivi eos, et in me
cogitaverunt malitiam.

12 *Si terrena dixi vobis, et non creditis :
quomodo si dixero vobis cœlestia, crede-
tis?* Quæ sunt ista terrena quæ Christus
dixit Nicodemo atque Judæis? Secundum
Augustinum et Bedam, ista terrena non
sunt aliqua dicta in isto capitulo, sed
quod supra in præcedenti capitulo fertur
Christus dixisse Judæis : Solvite templum Joann. ii, 19.
hoc, et in tribus diebus excitabo illud.
Hoc enim disseruit de proprio corpore
adhuc corruptibili, terreno ac mixto. Tan-
quam dicat : Si non creditis quod possim
proprium corpus divina virtute suscitare
a morte, quomodo credetis quod homines
valeam ex aqua et Spiritu Sancto rege-

Digitized by Google

nerare? — Alii referunt ad Baptismum, qui dici potest terrenus, quoniam visibiliter exhibetur in terra, in aqua visibili, sub sensibili forma verborum. Est itaque sensus : *Si terrena dixi,* id est, de sensibilibus rebus locutus sum, *vobis,* videlicet de Baptismo, et suscitatione corporis mei, *et non creditis* vera esse quæ dico, eo quod sint supra naturalem rationem. Quod ait, Et non creditis, non est referendum ad Nicodemum, sed ad Judæos incredulos, quos Christus sub persona Nicodemi affatur : de quibus paulo ante locutus est, Testimonium nostrum non accipitis. *Quomodo si dixero vobis cœlestia,* loquendo de invisibilibus Dei, de unitate Trinitatis, et trinitate unitatis, de emanatione divinarum Personarum ad intra, de immediata visione divinæ essentiæ, de hierarchiis, aliisque secretis cœlestibus, de quibus parum habetur in lege ac Prophetis, *credetis?* quasi dicat : Difficulter vel nequaquam crederetis, quum sint incomprehensibiliora et supernaturaliora prædictis terrenis. Necesse est ergo proprium intellectum auctoritati Christi subjicere, et his quæ rationem transcendunt, fidem præbere, præsertim quum Deus per sufficientissima argumenta ostenderit Jesum esse Christum Filium Dei. Propterea dicit Apostolus ad Corinthios : In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. (II *Cor.* x,5.)

Verumtamen, quoniam quædam secreta atque cœlestia ad Christum pertinentia, cunctis fidelibus sunt scienda, videlicet unitas personæ Dei et hominis in Christo, mysterium dominicæ passionis, et amor Dei ad genus humanum ; idcirco Christus de talibus consequenter instruit Nicodemum.

13 *Et nemo ascendit in cœlum* empyreum, quod est locus et mansio Beatorum, sicut ecclesia fertur locus orantium. Nihilo minus, sicut fideles orare possunt extra materialem ecclesiam, sic Beati Deum clare conspiciunt ubicumque exstiterint. *Nisi qui descendit de cœlo,* humanam naturam assumendo, videlicet *Filius hominis, qui est in cœlo.* Verba hæc aquilina sicut in stilo simplicia atque facilia sunt, sic in profunditate sensus prorsus comprobantur altissima, difficillima, nimiumque divina. Quid enim est quod ait, Nemo ascendit in cœlum, etc.? Nonne homines sancti a pœna et culpa purgati, mox ascendunt in cœlum, dicente Apostolo ad Corinthios, Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis? (II *Cor.* v,1.) Certum est quod nunc quidam sanctorum hominum ascenderunt in cœlum, non solum quantum ad animam, sed etiam quantum ad corpus, ut certum est de Virgine gloriosa, et de his qui cum Christo surrexerunt, apparueruntque in sancta civitate quamplurimis, pie creditur a quibusdam. (*Matth.* xxvii,52,53.) Sed pensemus quando Christus verba hæc protulit : utique ante passionem, quando loquebatur in Jerusalem cum Nicodemo. Quod autem nullus electorum introierit regnum cœlorum ante Christi passionem, cognoscimus. Itaque, quod ait, Nemo ascendit in cœlum, verum est pro tempore illo, sumendo verbum, Ascendit, ut est præteriti temporis sive præsentis.

Sed tunc quæstio oritur, quomodo verba sequentia verificentur. Subditur enim : Nisi Filius hominis. Ascendere quippe competit Christo ratione naturæ assumptæ, secundum quam pro tunc nondum ascendit. Non ergo excepisset se ipsum, si prædicto modo sumpsisset hoc verbum, Ascendit. Quæstio ista dupliciter solvitur : Primo, ut solus Filius hominis ascendisse dicatur, quoniam solus propria potestate, jure ac merito ascendebat; alii vero virtute et merito Christi, cujus passione fuerunt ab originalis peccati absoluti reatu. Secundo, ut nomine Christi intelligatur non solum Christi persona, sed et mysticum corpus ipsius, puta Ecclesia patrum quæ detinebatur in limbo, ceterique electi omnino mundati, de quibus speci-

Digitized by Google

Joann. xiv, 3. aliter ait : Veniam, et assumam vos ad A me ipsum ; et iterum : Pater, volo ut ubi Ibid. xvii, 24. ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam. Juxta hunc sensum di- Ibid. x, 7, 8. cit Salvator : Ego sum ostium ovium ; omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones. Sic igitur lucet quomodo nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. — Sed quomodo incircumscriptus et incommutabilis Filius Dei descendisse asseritur, qui locum non mutat secundum quod Deus ? Responsio plana et facilis est. Quoniam sic descendit de cœlo, quo- B modo venit in mundum, utpote non locum mutando, aut se ipsum movendo, sed nostram naturam induendo, ac visibiliter apparendo. Mansit ergo unde descendit.

Porro, quod subditur, Filius hominis, qui est in cœlo, majorem habet difficultatem. Si enim Filius hominis descendit de cœlo, videtur ante incarnationem fuisse in cœlo. Sed Filius hominis est homo : ergo homo ante incarnationem fuisset in cœlo. Item, si ita est, videtur quod Christus secum portavit corpus de cœlo. Adhuc C autem, quando Christus dixit verba hæc, erat cum Nicodemo in terra : quomodo ergo pro tunc fuit Filius hominis in cœlo, ita ut diceret de se stante in terra, Filius hominis, qui est in cœlo?

Et respondendum, quod Christus hæc dixit, ad insinuandum unitatem personæ utriusque naturæ in ipso. Tanta est enim unio divinæ naturæ seu Verbi atque humanæ in Christo, ut humana Deo, et divina homini vere conveniant. Sed pensandum quid propter quid dicatur. Dicendum D ergo, quod Christus seu Filius hominis, fuit ante incarnationem in cœlo, secundum naturam divinam; descenditque de cœlo, non corpus cœleste secum ferendo, ut dixit Valentinus hæresiarcha, sed quia eadem est persona Dei et hominis in Christo. In talibus enim locutionibus, Jesus, seu Christus, vel Filius hominis, semper supponit personam divinam, increatam hypostasim, utpote Verbum æternum. Ideo istæ sunt veræ : Jesus est æternus, immensus, omnia implens; Christus est verus Deus, immortalis, omnipotens; Deus est passus, occisus, sepultus. Causa veritatis harum atque similium locutionum, est unitas personalis præfata, et suppositio increatæ hypostasis. Idcirco de pue- Is. ix, 6. ro qui natus est nobis, et filio qui datus est nobis, Isaias prædixit, quod vocaretur Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, etc. Unde de puero Jesu exsistente in utero, jacente in præsepio, pendente ad ubera, verum fuit dicere : Iste puer creavit cœlum et terram, et ubique est per essentiam, præsentiam atque potentiam. Ad quod insinuandum dicit Apostolus : Jesus Christus Hebr. xiii, 8. heri et hodie, ipse et in sæcula. Judas quoque apostolus in sua epistola : Jesus, in- Judæ 5; Num. xiv, 36, 37. quit, populum suum salvans de Ægypto, secundo eos qui non crediderunt, perdidit.

Porro, de Christi ascensione Prophetæ sufficienter locuti sunt : ut est illud in Psalmo, Psallite Deo qui ascendit super Ps. lxvii, 33, 34. cœlum cœli ad orientem; et illud, Ascen- Ps. xlvi, 6. dit Deus in jubilo; itemque, Ascendisti in Ps. lxvii, 19. altum, cepisti captivitatem. — Prædictis consonat illud Apostoli : Qui descendit, Ephes. iv, 10. ipse est et qui ascendit super omnes cœlos.

Deinceps prædicit Salvator suam passionem, in lege per serpentem æneum præ-
figuratam. *Et sicut Moyses exaltavit*, id 14
est, in loco alto erexit ac posuit, *serpentem* æneum, id est similitudinem serpentis factam de ære, *in deserto* Ægypti. Quomodo factum sit hoc, scriptum est in libro Numerorum. Quum enim tædere cœpisset Num. xxi, 4-8. populum Israel itineris ac laboris, murmurantesque contra Dominum ac Moysen dixissent, Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo; misit Dominus in populum serpentes ignitos. A quibus quum multi occisi vel læsi fuissent, pœnituit populus; dixitque Dominus Moysi : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo; qui percussus adspexerit eum, vivet. *Ita exaltari*, id est in cruce levari, *oportet* necessitate conditionata, non absoluta. Vel, Oportet, id est, decens et utile est. Christus enim

Digitized by Google

Is. LIII, 7. oblatus est quia voluit, non quia necessitate fuit adstrictus. Oportuit tamen, quia præordinatum a Deo, et ut implerentur Scripturæ. *Filium hominis*. Sæpius nominat se Christus Filium hominis quam Filium Dei, ut humilitatis præstet exemplum.

Ratio quoque finalis exaltationis Christi
in cruce, et fructus dominicæ passionis,
15 subjungitur. *Ut omnis qui credit in eum*
fide formata ac operatoria, id est caritati unita et procedente in opus, dummodo operandi opportunitas adsit. Caritas namque est forma seu decor atque perfectio fidei : propter quod fides caritati conjuncta, vocatur formata. *Non pereat,* incurrendo mortem spiritualem, damnationemque perpetuam. Sed quia non sufficit *Ps.* XXXVI, 27. liberari a malo, sed indigemus apprehendere bonum, subjungitur : *sed habeat vitam æternam,* id est, ad beatificam Dei visionem pertingat : quæ nunc habetur in spe, et post habetur in re, a puram mentem habentibus, ut apud Matthæum pro- *Matth.* V, 8. mittitur : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. De qua infra habe- *Joann.* XVII, 3. tur : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum.

Elucescit igitur quod serpens ille fuit figura Christi : et hoc, propter causas diversas. Primo, quoniam sicut serpens ille habuit figuram serpentis, et similitudinem venenati, non autem naturam serpentis, *Rom.* VIII, 3. nec veritatem veneni : sic Christus habuit *Matth.* IX, 10. similitudinem carnis peccati, et inter pec- *II Cor.* V, 21. catores communiter vixit; non tamen habuit culpam, nec communionem peccati cum impiis. Secundo, quoniam erectio illius serpentis, figuravit suspensionem Christi in ligno. Tertio, quia quemadmodum Judæi corporaliter læsi, intuendo illum serpentem sanabantur a morsu ignitorum serpentium : sic fideles fide intuendo Christi passionem seu Christum in cruce

A expansum, sanantur ab omni ardore incentivi peccati, ab omni tentatione diaboli, ab omni pigritia; animantur quoque ad fortiter præliandum, ad patientiam veram, ad omnem virtutem, optantes sequi vestigia Christi. Unde ad Hebræos monet Apostolus : Curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. *Hebr.* XII, 1, 2. Tanto præterea dignior fructuosiorque consistit erectio Christi in B cruce quam serpentis illius, quanto melius est liberari a vulneribus animæ quam corporis, et adipisci vitam æternam quam temporalem.

Postremo passio Christi vocatur exaltatio : Primo, quia in aere elevatus est Christus in cruce. Secundo, quia per suam passionem maxime honoravit Deum Patrem, obediendo ei usque ad mortem. Propter quod ait : Ego non quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem meum. *Philipp.* II, 8. *Joann.* VIII, 50, 49. Tertio, quia per suam passionem exaltavit genus C humanum, reducendo illud ad regnum cœlorum. Quarto, quoniam sua passione meruit sibi ipsi accidentale præmium, omnis videlicet creaturæ prælationem, et corporis sui glorificationem, secundum quod dicit Apostolus ad Hebræos : Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum; *Hebr.* II, 9. et alibi : Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit ei nomen quod est super omne nomen. *Philipp.* II, 8, 9.

D In libris Regum scriptum est, quod Ezechias fregit serpentem æneum quem fecit Moyses. *IV Reg.* XVIII, 4. Quod fecit Ezechias zelo divini honoris, ad vitandam omnem speciem idololatriæ, quia ut illic subjungitur, filii Israel usque ad illud tempus adolebant ei incensum. *Ibidem.*

Digitized by Google

ARTICULUS IX

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS PRÆSENTIS CAPITULI TERTII, AB EO LOCO QUO DICITUR : SIC ENIM DEUS DILEXIT MUNDUM, UT FILIUM SUUM UNIGENITUM DARET.

HUCUSQUE descripta sunt verba Chri- A
sti ad Nicodemum. Sed an verba se-
vers. 22. quentia usque ad id, Post hæc venit Jesus
et discipuli ejus in Judæam terram, sint
verba Christi ad Nicodemum, vel potius
verba Joannis evangelistæ, exponentis et
declarantis præinducta eloquia Salvatoris,
certum non habeo. Verumtamen, quomo-
documque dicatur ad hoc, sensus est idem.
Dixit quippe Salvator in verbis immediate
præhabitis, atque in articulo præcedenti
expositis, quod exaltari oportuerit Filium
hominis, hoc est mori pro mundi salute ; B
nunc ostendit causam beneficii tanti, quæ
Ephes. II, 8-10; II *Tim.* I, 9; *Tit.* III, 5-7. non est meritum nostrum, sed gratuita
Dei dilectio.
16 *Sic enim Deus dilexit mundum,* id est,
tam ardenter Deus Pater dilexit genus hu-
manum, præsertim homines prædestina-
tos, *ut Filium suum unigenitum,* non
adoptivum, sed naturalem, consubstantia-
lem, et unicum, *daret* hominibus, in Filii
sui incarnatione ac passione. Dedit enim
eum nobis, quemadmodum cecinit Isaias :
Is. IX, 6. Puer natus est nobis, filius datus est no- C
Rom. VIII, 32. bis. Et Apostolus : Proprio (inquit) Filio
suo non pepercit, sed pro omnibus nobis
tradidit illum.

Dedit ergo eum nobis in incarnatione,
faciens eum filium nostræ sororis, vide-
licet sacratissimæ Virginis, fratrem no-
strum, mediatorem ac socium nostrum. Qui
enim ante incarnationem erat Deus et Do-
minus noster, per incarnationem factus
est frater et socius noster. Dedit quoque
eum nobis in tota conversatione ejus in
sæculo isto. Nam quidquid Christus fe- D
cit, prædicavit et pertulit, ordinavit Pater,
et etiam Filius, ad nostram salutem, et
nobis meritorium fuit, non ipsi Christo,
quantum ad præmium essentiale, quia hoc
habuit anima Christi a primo suæ crea-
tionis instanti. Dedit etiam eum nobis in
Sacramento altaris, quemadmodum infra
testatur : Pater meus dat vobis panem ve- *Joann.* VI, 32.
rum. Postremo dedit eum nobis in pas-
sione, exponens Filium suum dilectum
tantis tormentis pro nostra salute, quem-
admodum Isaias prænuntiavit : Propter *Is.* LIII, 8.
scelus populi mei percussi eum. Et Filius
tempore passionis : Calicem, ait, quem *Joann.* XVIII, 11.
dedit mihi Pater, non bibam illum? In
passione enim Creator noster factus est
salvator noster, judex noster factus est
reconciliator noster, advocatus ac media-
tor. Sed quid retribuemus Deo Patri pro *Ps.* CXV, 12.
omnibus quæ retribuit nobis? Benedic, *Ps.* CII, 2.
anima mea, Domino, et noli oblivisci om-
nes retributiones ejus. Quid enim, quale
vel quantum bonum dedit nobis? Nonne
Filium suum carissimum, sibi coæqualem
et coimmensum, quem ex proprio corde *Ps.* CX, 3.
æternaliter genuit, quem ex sua substan-
tia peperit, quem non minus diligit quam
se ipsum?

Porro, secundum Philosophum, diligere,
est alicui bonum velle. Vehementer ergo
nos amat Pater, quibus dedit hoc bonum
immensum. Quomodo etiam non omnia *Rom.* VIII, 32.
nobis cum illo donavit? Quid negabit pe-
tentibus, qui non petentibus dedit unige-
nitum Filium suum? Hinc ait Joannes in
sua epistola : In hoc apparuit caritas Dei I *Joann.* IV, 9.
in nobis, quoniam Filium suum unigeni-
tum misit in mundum, ut vivamus per
eum. Et ne putemus nos propter merita
nostra a Deo dilectos, adjecit : In hoc est *Ibid.* 10.
caritas, non quasi nos dilexerimus Deum,

Digitized by Google

sed quoniam ipse prior dilexit nos. Hinc A
Ephes. II, 4, 5. et Paulus ipse ad Ephesios disseruit : Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, quum essemus mortui peccatis, convivificavit Christo, cujus gratia estis salvati.

Non ergo contemnamus neque negligamus nos ipsos, non vilificemus animas nostras summæ Trinitatis imagine insignitas, rebus terrenis, caducis aut carnalibus inhærendo : sed intentissima mente pensemus, quanti æstimati simus a Deo nostro, quanta pro nobis fecit et passus est B Filius Dei, quanta nunc dedit, quanta se daturum nobis promisit ; et dicamus Deo corde ferventi cum illustrissimo Isaia :
Is. XXVI, 8, 9. Nomen tuum et memoriale tuum, Domine, in desiderio animæ ; anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te. Et
Ps. XVII, 2. cum Psalmista : Diligam te, Domine, fortitudo mea. Ad hoc enim Deus suam nobis dilectionem manifestavit, ut eum reamaremus, ejusque amore succensi, ampliora beneficia perciperemus.

Quadruplex nobis causa est amandi Deum : prima, quoniam in se naturaliter
I Joann. IV, 10, 19. bonus est ; secunda, quoniam prior dilexit nos ; tertia, quia jam multa nobis bona largitus est, videlicet bona naturæ et gratiæ ; quarta, quia majora promisit, præparavit, et dare paratus est. Nobilis anima, quæ suum diligit Creatorem, et tanto nobilior, quanto in ejus amore ferventior. Illustrissima creatura, quæ igne divini amoris flammescens in dilectum super
I Cor. VI, 17. omnia, in Deum transformatur, et unus D cum illo spiritus efficitur.

Convenientissime demum ait Evangelista, Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ad insinuandum quod dilectio Dei est causa fontana omnium beneficiorum nobis divinitus præstitorum. Amor namque, secundum theologos, est primum donum, in quo omnia dona gratuita gratis donantur. Propter quod donum appropriatur Spiritui Sancto, qui est amor Patris et Filii.

Quæritur, si Deus Pater sic diligit mundum, cur scriptum est in Joanne : Nolite I Joann. II, 15.
diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt ; quia si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Et Jacobus in sua fatetur Canonica : Si quis voluerit Jacob. IV, 4.
amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituetur.

Dicendum est, quod in Scripturis sacris, mundus accipitur pro hominibus in terra degentibus. Et hoc tripliciter : Primo, pro mundanis et vitiosis hominibus : de quibus Paulus ad Galatas testatur, Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Galat. I, 10.
De hoc mundo scribit Joannes in sua Canonica, dicens : Ipsi de mundo sunt, et de mundo loquuntur, et mundus eos audit. I Joann. IV, 5.
Iste est mundus pertinens ad massam perditionis. Secundo, accipitur mundus pro hominibus prædestinatis in mundo isto sensibili peregrinantibus. Hujus mundi dicitur Christus esse salvator, quemadmodum loquitur Paulus ad Corinthios : Deus erat in Christo mundum re- II Cor. V, 19.
C concilians sibi. De quo mundo promissum est Abrahæ : Benedicentur in te omnes Gen. XXII, 18.
tribus terræ. Unde secundum Apostolum ad Romanos, quarto capitulo : Abraham Rom. IV, 13.
factus est heres mundi. Tertio, sumitur mundus indifferenter pro quibuscumque hominibus in terra viventibus, electis et reprobis. Sic quoque accipi potest nunc ; et in verbis immediate sequentibus dicitur, Non misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Deus enim, ut dici- Sap. XI, 25.
tur Sapientiæ undecimo capitulo, diligit omnia quæ fecit : quanto magis rationalem creaturam ? Vult enim omnes homi- I Tim. II, 4.
nes salvos fieri, voluntate antecedente : et secundum hoc, diligit omnes, et quantum in ipso est, neminem vult perire. Sicque pro universorum salute misit Pater Filium suum, ut omnes convertantur : et pro omnibus passus est Christus, quantum ad sufficientiam ; sed quantum ad efficaciam, pro solis electis sustinuit omnia. Ideo Christus passione instante, dixit

Digitized by Google

Joann. XVII, 9. ad Patrem : Non pro mundo rogo, sed A
pro his quos dedisti mihi de mundo, quia
tui sunt. Hæc diversa acceptio mundi memoriter est tenenda, quoniam ad intelligentiam dicendorum necessaria est.

Denique ad hunc finem dedit Pater omnipotens Filium, *ut omnis qui credit in*
Galat. V, 6. *eum* fide per dilectionem operante : nam
Jacob. II, 17, 26. fides sine operibus mortua est; *non pereat,* hoc est, non damnetur, *sed habeat vitam æternam,* quæ est visio summæ Trinitatis per speciem. Unde apud Mar-
Marc. XVI, 16. cum dicit Salvator : Qui crediderit et ba- B
ptizatus fuerit, salvus erit. Et in Actibus
Act. XIII, 38. Apostolorum Paulus ait Judæis : Per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus a quibus non potuistis in lege Moysis justificari. Hinc legitur Chri-
Matth. IX, 22; Marc. X, 52; Luc. VII, 50; XVII, 19. stus in Evangelio sæpe dixisse : Fides tua te salvum fecit. Per fidem enim primo conjungitur anima Christo, et ei incorporatur ad cognoscendum et recte sentiendum de ipso, ut sit particeps meriti et gratiæ Christi. Primo siquidem unitur
homo Deo per intellectum illuminatum C
lumine fidei, deinde per voluntatem sive affectum divina caritate formatum. Propter quod Habacuc in secundo capitulo di-
Habac. II, 4. cit : Qui incredulus est, non erit anima ejus recta in semetipso; justus autem in sua fide vivet. Credimus autem in Christum secundum quod Deus est, quia objectum fidei est veritas prima et increata.

Consequenter declarat Evangelista, quod missio Filii Dei sit effectus paternæ at-
17 que divinæ dilectionis ad nos. *Non enim*
misit per incarnationem *Deus* Pater *Fi-* D
lium suum in mundum, hoc est in terram Judææ, seu inter homines. (Deus in hoc evangelio frequenter accipitur personaliter, scilicet pro certa Persona divina; quandoque vero essentialiter, ut quum
Joann. IV, 24. dicitur : Spiritus est Deus. Nunc vero sumitur personaliter.) *Ut* Filius *judicet mundum,* hoc est homines, judicio condemnationis, justitiam exercendo et pœnam infligendo; *sed ut salvetur mundus per ipsum,* videlicet merito conversationis et passionis Christi, cujus virtute et merito purgamur a culpa, et gratia adimplemur. Propter quod Petrus in Actibus Apostolorum ait : Non est aliud nomen datum Act. IV, 12.
hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri. Præterea, quum Jacobus, et Joannes, cujus est hoc evangelium, zelantes pro Christo, contra quosdam qui eum non Luc. IX, 53.
receperunt, dixissent, Vis dicimus ut de- Ibid. 54.
scendat ignis de cœlo, et consumat eos? Christus respondit : Nescitis cujus spiri- Ibid. 55, 56.
tus estis; Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.

Videtur autem huic obviare, quod infra ait Salvator : Nunc judicium est mundi; Joann. XII, 31.
et alibi, In judicium ego in hunc mun- Ibid. IX, 39.
dum veni. Isaias quoque ait : Non secun- Is. XI, 3, 4.
dum visionem oculorum judicabit; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et sicut alii Evangelistæ testantur, Christus in primo suo adventu dure et efficaciter redarguebat sacerdotes, Scribas ac Pharisæos. Talis autem redargutio non fit sine judicio, præsertim quum sæpe dixerit, Væ Matth. XXIII.
vobis; et denuo, Publicani et meretrices Ibid. XXI, 31.
præcedent vos in regno cœlorum.

Dicendum, quod duplex est Christi adventus, videlicet : Primus, quo venit occulte et in humilitate, ut judicaretur et liberaret. Secundus erit manifestus et in majestate, ut judicet atque remuneret. De quo fertur in Psalmo : Deus manifeste Ps. XLIX, 3.
veniet, Deus noster, et non silebit; ignis in conspectu ejus exardescet. Judicium quoque est duplex. Est enim judicium discretionis, quo boni a malis secernuntur, malique vituperantur, et pretiosum a vili separatur voto aut merito. De quo Job ait : Numquid qui non amat judicium Job XXXIV, 17.
sanari potest? In hoc judicio impii non Ps. I, 5.
resurgunt, quia non surgunt a ruina peccati ad gratiam, judicando hoc modo se ipsos. Istud judicium fuit et fecit Christus in primo suo adventu. Multipliciter enim discrevit inter electos et reprobos, quosdam misericorditer vocando ad suum discipulatum et gratiam, quosdam juste de-

Digitized by Google

serendo, qui non erant ex ovibus suis : A
Matth. xv, 14. de quibus et dixit, Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum. Aliud vero est judicium remunerationis et condemnationis per pœnæ illationem. Hoc Christus non fecit in primo suo adventu ; sed in die judicii faciet id communiter, et in morte singulorum facit ipsum particulariter. Per has distinctiones faciliter concordantur auctoritates quæ repugnare videntur.

18 *Qui credit in eum* perseveranter, usque ad finem fide et opere manens fidelis, *non judicatur* judicio reprobationis, sed B
approbationis, de quo dicit Apostolus :
1 Cor. iv, 4. Qui judicat me, Dominus est. Unde in Apo-
Apoc. ii, 10. calypsi legitur : Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Qui autem non credit, jam judicatus est,* hoc est divinitus reprobatus. De quo repro-
1 Cor. v, 12. bationis judicio Paulus testatur : Eos qui foris sunt Dominus judicabit.

Quæritur, quomodo infidelis jam judicatus dicatur, quum adhuc viator exsistat, necdumque oblatus sit tribunali judicis Christi. Et respondendum, quod dicitur C
jam judicatus tripliciter : Primo, quoniam pro judicato et reprobato habetur. Secundo, quoniam habet in se causam damnationis adeo evidentem, ut non sit dignum discussionem de ipso peragere. Quum enim careat fide, certum est quod nil meritorium habeat, sed mortali subjaceat culpæ, dummodo sit adultus, præ-
Rom. xiv, 23. sertim quum dicat Apostolus : Quidquid non est ex fide, peccatum est. Juxta hunc modum loquendi dicimus de homine agonizante vel veneno infecto, quod sit mor- D
tuus homo. Tertio, quia futura sunt Deo quasi præsentia, qui omnia conspicit atque præsentialiter cernit in ipso æternitatis momento. Verumtamen in hora mortis judicabitur quantum ad remunerationem seu pœnæ illationem, quantum ad animam, et in die novissimo, quantum ad corpus et animam, quando erit unus eo-
Matth. xxv, 41. rum quibus dicetur : Ite, maledicti, in ignem æternum. Judicantur insuper infideles post hanc vitam quoad hoc, quod non omnes æqualem sortiuntur miseriam, sed unusquisque juxta mensuram sui delicti, pœnis majoribus vel minoribus deputetur.

Causa autem cur judicatus jam sit infidelis, subjungitur : *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei,* hoc est in ipso Filio Dei naturali et unico : et per consequens mendacem facit Deum Patrem,
secundum quod Joannes habet : Qui non 1 Joann. v, 10.
credit in Filium, mendacem facit Deum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.

Istud si universaliter atque simpliciter intelligatur, consequens esset quod nemo unquam salvatus est sine explicita fide Christi futuri, præsentis vel missi. Cujus contrarium tenent doctores, asserentes quod ante Christi adventum, simplicibus sufficiebat implicita fides de Christo, cum observantia legis naturalis quoad gentiles, vel scriptæ quoad Judæos, qui secundum quosdam, tenebantur ad explicitam fidem de Christo in generali : ita quod sufficiebat credere esse vitam post hanc vitam, et quod Deus haberet providentiam atque judicium actuum humanorum, et saluti hominum provideret secundum modum sibi placentem et ab ipso præordinatum. Unde Cornelius centurio tali fide placuit
Deo. Erat enim vir religiosus et bonus, Act. x, 2, 22, 4.
cujus orationes et eleemosynæ commemoratæ fuerunt coram Deo : et tamen nondum scivit determinate aliquid loqui de Christo. — Et respondendum, quod si verba Evangelistæ intelligantur de explicita fide Filii Dei, non erunt de omnibus hominibus intelligenda, sed de majoribus, puta Prophetis et Patriarchis, et eruditis ab illis, pro tempore legis scriptæ. Tempore autem evangelicæ legis omnes tenentur ad explicitam fidem de Christo et Trinitate. Idcirco jam nemo valet salvari nisi explicita fide de unigenito Filio Dei.

Hoc est autem judicium, hoc est, istud 19
quod subditur, est causa meritoria judicii reprobationis infidelium omniumque per-

Digitized by Google

Joann. I, 9. versorum : *quia lux,* hoc est Christus lux vera illuminans omnem hominem qui illuminatur. De quo dicit Michæas propheta : Mich. VII, 8. Quum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Hebr. I, 3. Et Apostolus dicit : Quum sit splendor gloriæ. Imo Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, sunt una lux. Lux ergo, videlicet Verbum et Sapientia Patris, *venit in mundum* per incarnationis mysterium, et in terris visa, atque cum hominibus conversata est lux ista, Baruch III, 38. assumpta humanitate velata. Christus quoque secundum naturam assumptam, est lux Joann. IX, 5. ineffabiliter clarior Apostolis, quibus dictum est : Vos estis lux mundi. Matth. V, 14.

Et dilexerunt homines pro majori parte, non tamen omnes simpliciter, *magis tenebras,* hoc est passiones et vitia rationem obtenebrantia atque ad infernales tenebras perducentia, *quam lucem,* hoc est Christum, seu ejus doctrinam ac virtutum splendorem. De qualibus scriptum est in Job : Job XXIV, 13. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Quicumque præfert concupiscentiam rationi, carnalem voluptatem spirituali consolationi, bonum creatum, caducum et variabile, bono divino, æterno et infinito : iste diligit tenebras magis quam lucem. Et qui peccata commissa potius vult occultare et prosequi quam humiliter confiteri, præfert absconsionem tenebrarum suarum manifestationi luciflua confessionis. Ideo Salomon in Proverbiis testatur : Prov. XXVIII, 13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Et sanctus Job : Job XIII, 15, 16. Vias (inquit) meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit salvator meus. *Erant enim eorum mala opera,* hoc est vitiosa : sicque ex electione mali et habitu vitioso peccabant, gloriantes in malis, suisque iniquitatibus firmiter adhærentes. — Sed quum dicat Dionysius, Nemo respiciens ad malum operatur, et nihil appetitur nisi bonum, quomodo potest quis plus diligere tenebras quam lucem, seu vitium quam virtutem? Et respondendum, quod nemo respiciens ad

A malum, operatur illud, hoc est, non perpetrat nec appetit malum, nisi sub ratione alicujus boni apparentis, utpote delectabilis, vel utilis. Propter quod Salomon ait : Via stulti recta in oculis ejus. Prov. XII, 15.

20

Omnis enim qui male agit, non solum ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex certa malitia, seu habitu pravo, *odit lucem,* id est justitiam veramque doctrinam, et etiam Christum aliquando, quem vellet non esse, ut possit pœnas futuras evadere, *et non venit ad lucem,* hoc est ad pec-B catorum suorum salutarem ac lucidam confessionem; vel, non venit in publicum, ex verecundia aut timore pœnarum; *ut non arguantur,* id est, reprehendantur seu corrigantur a prælatis et justis hominibus, *opera ejus* tenebrosa.

Sed his contrariari videtur, quod asserit Isaias : Peccatum suum quasi Sodoma Is. III, 9. prædicaverunt, nec absconderunt. Et obstinato populo loquitur Jeremias : Frons Jer. III, 3. mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Tales utique, testante Salomo-C ne, Lætantur quum malefecerint, et sine Prov. II, 14. ullo timore perpetrant mala. Eccle. VIII, 11. Veniunt ergo ad publicum, et in præsentia hominum peccare non erubescunt. — Et respondendum, quod verba præinducta universaliter vera sunt, sed de diversis generibus male agentium, diversimode verificantur. Aliqui enim adeo mali sunt, ut respuant increpari, juxta illud Amos : Amos V, 10. Odio habuerunt corripientem. Isti publice peccant, et sæpe peccasse se jactant. Alii sunt hypocritæ, simulatores et callidi, humana vi-D tuperia magis quam divinum judicium formidantes. Isti peccant in abditis, dicente Apostolo : Ephes. V, 12. Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere. Alii sunt famuli Dei, sed imperfecti, non ambulantes timorate et satis sollicite coram Deo, sed cum observantia debitorum seu præceptorum contenti. Isti multa venialia faciunt in secreto, quæ nequaquam facerent præsentibus aliis; et interdum non veniunt ad lucem ex verecundia, ne confundantur. Unde quicumque peccat, aliquo modo odit

Digitized by Google

lucem et refugit eam, loquendo de peccatis a quibus homo merito denominatur peccator. Nihilo minus sunt aliqui viri virtuosi tam ferventes et humiles, quod semper parati sunt increpari, et cupiunt sua peccata manifestare, correctionemque pati pronissimi sunt.

21 *Qui autem facit veritatem* doctrinæ et vitæ atque justitiæ, hoc est, qui vera loquitur, et eadem operatur, justitiamque sectatur. Triplex enim est veritas, scilicet doctrinæ, vitæ, et justitiæ ; et quælibet harum est suo modo facienda. *Venit ad lucem,* hoc est, apparere non erubescit, lucem sapientiæ sequitur, et coram aliis exemplarem se exhibet, *ut manifestentur opera ejus* ad gloriam Dei ædificationemque proximi, *quia in Deo sunt facta,* id est secundum voluntatem Dei, quæ nobis in Scripturis declaratur. Istud præcipue verum est de operibus bonis ad quæ aliquis obligatur, quæ nullam singularitatem prætendunt, et sine nota vanitatis possunt
Matth. v, 16. manifestari. De his enim ait Salvator : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

Sed si omnis qui facit veritatem venit ad lucem ut manifestentur opera ejus, quid est quod aliqui de bonis actibus verecundantur? Sunt enim nonnulli, qui si a suis consortibus inveniantur orare, confiteri, vel aliquid devotionis peragere, erubescunt, cupientes latere, non tam ex humilitate, quam ex humano rubore. Denique sunt aliqui solitarii et inclusi, optimæ vitæ, qui nunquam in publicum veniunt. Et multi ex vera humilitate abscondunt bona quæ operantur. Unde et Christus jubet in cubiculo, id est in loco absconso,
Ibid. vi, 6. Ibid. 1. orare. Et rursus : Videte, ait, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis.

Dicendum, quod verba hæc evangelica verissima sunt atque pulcherrima, sed de diversis justorum generibus verificantur variis modis. Primo enim universaliter verum est, quod quicumque facit veritatem, id est, meritorie operatur, venit ad lucem, quæ Christus est, ut manifestentur
Joann. ix, 5. a Christo opera ejus in die judicii, quando laus erit unicuique a Deo, et ut Chri-
I Cor. iv, 5. stus confiteatur eum coram Patre suo cœ-
Matth. x, 32. lesti. Rursus, quicumque sic agit, venit ad lucem, id est ad rectæ rationis judicium, ut manifestentur opera ejus pro loco, causa et tempore, scilicet quando ratio dictat, et caritas exigit. Qui vero de actibus bonis non excedentibus communem devotionem verecundantur, sunt homines pusilli et imperfecti, qui apprehendunt bonum honestum sub ratione rei turpis, in quantum formidant propter bona opera derideri. Solitarii autem veniunt ad lucem interiorem, quamvis non veniunt ad humanos adspectus. Porro verba Salvatoris intelligenda sunt quantum ad intentionem, videlicet, ut non oremus nec bona agamus ad hunc finem, quatenus videamur et commendemur a proximis, sed ad gloriam Dei, propriamque salutem, et proximorum ædificationem.

Elucescit ex his, quod justitia est res audax, secura, fiducialis, jucunda et victoriosa. Injustitia vero contrario modo se habet. Propter quod scriptum est : Quum
Sap. xvii, 10. sit timida nequitia, dat testimonium condemnata; semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia. Hinc etiam Job ait:
Job xv, 21. Sonitus terroris semper in auribus impii ; et quum pax sit, ille insidias suspicatur. Nec dissonat quod Salomon Proverbiorum vicesimo octavo adstruit : Fugit impius
Prov. xxviii, 1. nemine persequente ; justus autem quasi leo confidens absque terrore erit. Ideo dicit Apostolus : Vis non timere potestatem?
Rom. xiii, 3. fac bene, et habebis laudem ex ea. Propterea quoque ait Philosophus, quod qui bene se habent in divinis, sunt melioris fiduciæ. Audiamus vocem justi venientis ad lucem, et sciemus quanta sit securæ mentis fiducia. Ecce apud Isaiam ait vir
Is. l, 8, 9. justus : Juxta est qui justificat me, quis contradicit mihi? Stemus simul, quis est adversarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est

qui condemnet me? Tales fuerunt martyres sancti, qui facientes veritatem legis et fidei christianæ, venerunt ad lucem, quoniam non erubuerunt Christum ejusque A sermones, sed confessi sunt eum coram hominibus : ideo Christus confitetur eos coram Patre suo, sicque manifestat eorum opera bona. Matth. x, 32.

ARTICULUS X

EXPLANATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI TERTII, AB EO LOCO QUO DICITUR : POST HÆC VENIT JESUS ET DISCIPULI EJUS IN TERRAM JUDÆAM.

DESCRIPTO sermone quem habuit Christus cum Nicodemo, aliquibus forsitan verbis ab Evangelista adjectis, nunc consequenter ostenditur exordium usus Baptismatis evangelicæ legis; et quid Joannes Baptista de Christo perhibuit, plenius edocetur.

22 *Post hæc,* videlicet consummato sermone præscripto quem habuit ad Nicodemum Salvator, *venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam,* hoc est ad alia loca Judææ. Postquam enim fuit in civitate Judæorum metropoli, puta Jerusalem, ubi Nicodemum instruxit, processit ad alia loca ejusdem provinciæ, ut ibi prædicaret. Sed quum Jerusalem sit principalis urbs Judææ, quidam dixerunt quod Christus venit post prædicta in Judæam, non statim et immediate, sed postquam Galilæam intravit. *Et illic demorabatur cum eis* in domibus alienis, tanquam pauper et hospes, quia non habuit ubi caput reclinaret. Matth. VIII, 20.

Et baptizabat. Secundum Chrysostomum, Christus in propria persona non baptizavit, quia sequenti capitulo scribitur : Quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus. Joann. IV, 2. Dicitur tamen baptizasse, quia discipulis suis officium baptizandi commisit : quemadmodum rex facere dicitur quod facit per suos ministros. Dicit quoque Chrysostomus, quod discipuli baptizabant, non Baptismate Christi, sed Joannis, quia secundum positionem hanc, Baptisma Christi nondum fuerat institutum. B Habet enim efficaciam a merito passionis dominicæ, quæ tunc nondum erat peracta. Et Apostolis dixit Christus post resurrectionem, quando ascendit : Joannes baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. Act. I, 5. Si autem Christus propriis manibus non baptizavit Apostolos, ergo nec aliquem alium.

Sed melius videtur ut cum Augustino dicamus, quod Christus primo per se ipsum baptizavit, præsertim Apostolos aliosque discipulos suos. Nec dubium quin C proprio Baptismate gratiam conferente baptizaverit. Instituit enim sacramenta novæ legis per se ipsum, et exercuit ea, saltem quædam eorum. Postmodum vero commisit Apostolis Baptismatis sui exercitium, et ipse altioribus intendebat, videlicet doctrinæ et prædicationis officio. Quod et Apostoli post resurrectionem sæpe fecisse leguntur, quando multos converterunt, ne per baptizandi officium, quod ab inferioribus atque indoctioribus fieri potuit, a verbo prædicationis impedirentur. D Unde ad Corinthios Paulus testatur : Neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium, et Stephanæ domum; non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. I Cor. I, 14, 16, 17. Nec obstat quod ait Salvator Apostolis : Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Matth. XXVIII, 19. Hoc quippe intelligendum est, quod baptizarent eas per se, vel per suos adjutores atque discipulos. — Postremo, quod

Digitized by Google

objicitur, de facili solvitur. Passio enim A
Christi hoc contulit futura, quod præstat
jam facta. Tota enim efficacia ac idoneitas
meriti Christi, fuit a persona Verbi præ-
sentialiter, quæ æterna est, et unius po-
testatis ante passionem et postea. Quod
vero Apostolis dictum est, Vos autem ba-
ptizabimini Spiritu Sancto, intelligitur de
interiori perfusione gratiæ Spiritus Sancti
sub signo visibili.

23 *Erat autem et Joannes baptizans in Æn-
non,* id est loco sic dicto, *juxta Salim,*
urbem sitam prope Jordanem, *quia aquæ* B
multæ erant illic, videlicet juxta Salim.
Erat enim ibi lacus, secundum Bedam, et
ideo fuit locus ad baptizandum conve-
niens. *Et veniebant* Judæi ad Joannem, *et*
24 *baptizabantur* ab eo. *Nondum enim mis-
sus fuerat Joannes in carcerem* ab Herode
Marc. VI, 17. tetrarcha, qui ad Herodiadis suggestionem
incarceravit Joannem, ut Marcus refert.
Per hoc innuit Evangelista, quod omnia a
se hucusque descripta de actibus Christi,
sunt ab aliis Evangelistis omissa, qui sic
loquuntur de Christo ac si post incarce- C
rationem Joannis incepisset prædicare et
signa peragere.

25 *Facta est ergo quæstio,* hoc est, ex quo
Christus baptizabat per se et per suos
Apostolos, idcirco mota est quæstio con-
tentiosa ex indiscreto zelo procedens, *ex
discipulis,* id est ab aliquibus de numero
discipulorum, *Joannis* Baptistæ, *cum Ju-
dæis* qui baptizabantur a Christo, *de puri-
ficatione,* hoc est de baptismo, qui est
lotio purgans. Baptismus autem Christi
vere intus purificat : unde activa purifi- D
catio appellatur. Ista quæstio fuit, cujus
baptismus esset præstantior, Christi vel
Joannis. Joannis namque discipuli volen-
tes magistrum suum præferre, dixerunt
quod ejus baptismus dignior esset. Judæi
autem baptizati a Christo, dixerunt oppo-
situm : scientes quale testimonium perhi-
Ibid. I, 8. buisset Joannes Christo, dicens, Ego ba-
ptizo vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu
Sancto ; et etiam quia Joannes venientes
ad se misit ad Jesum, ut baptizarentur ab
eo, non autem misit Christus venientes
ad se ad Joannem.

Et venerunt discipuli Joannis *ad Joan-* 26
nem, ut quæstionem hanc solveret, pro-
priique baptismi honorem defenderet ; *et
dixerunt ei,* dolentes et querulantes quod
honor magistri sui, et per consequens ho-
nor eorum, minueretur : *Rabbi, qui erat
tecum trans Jordanem* (sicut superius di-
ctum est), *cui tu testimonium perhibu-
isti,* dicendo, Ecce Agnus Dei ; *ecce hic* Joann. I,
baptizat, per se et suos discipulos, *et om-* 29, 36.
nes veniunt ad eum, hoc est tam multi,
ut pene nulli videantur qui te accedunt,
quia et tu ipse mittis tuos ad eum. Quasi
dicant : Ibi frequentia, hic paucitas ; illi
honor impenditur, tu incipis parvi pen-
di : et tu ipse es in causa, quia sic illum
verbis tuis magnificasti. Isti discipuli Jo-
annis nondum perfecti fuerunt, sed ali-
quid invidentiæ inerat eis, ægre ferenti-
bus quod Christus et ejus discipuli Joanni
et ejus discipulis præferebantur. Unde sæ-
pe conjunxerunt se Pharisæis, quos no-
verant æmulos Christi, contra Jesum, sic-
ut Matthæus habet : Accesserunt ad Jesum Matth. IX,
discipuli Joannis, dicentes : Quare nos et 14.
Pharisæi jejunamus frequenter, tui autem
discipuli non jejunant ?

Deinceps Joannes Baptista benigne docet
et corrigit suos discipulos. *Respondit Jo-* 27
*annes, et dixit : Non potest homo accipe-
re quidquam,* hoc est, nihil boni habere
vel accipere potest, *nisi fuerit ei datum
de cælo,* hoc est a Deo concessum, medi-
ate vel immediate. Omnia etenim bona,
cuncta dona naturæ, universa munera gra-
tiæ, a Deo sublimi et benedicto fontaliter
profluunt. Propter quod dicit Apostolus :
Quid habes quod non accepisti ? Et : Non I Cor. IV, 7.
sumus sufficientes cogitare aliquid a no- II Cor. III, 5.
bis, quasi ex nobis ; sed sufficientia no-
stra ex Deo est. Et apud Osee loquitur
Deus : Perditio tua ex te, in me tantum- Osee XIII, 9.
modo auxilium tuum. Quamvis homo uni-
versaliter ita sit, tamen Joannes id dicit
de semetipso, tanquam dicat : Ego quum
homo sim, potestatem baptizandi non ha-

Digitized by Google

beo nisi ex Deo; ille quum Deus sit, propria auctoritate baptizat : ideo mihi non derogatur, dum ille præ me honoratur, nec debetis hoc impatienter accipere.

28 *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis,* qui verba mea de Christo dicta audistis, *quod dixerim,* audientibus vobis, coram
Joann. I, 20. turba : *Non sum ego Christus,* id est : non sum filius naturalis et unicus, magnum mihi est esse filium adoptivum ; non sum finis, sed via et medium ad finem deducens ; non sum Salvator, sed servus,
Matth. III, 14. gratia ejus indigens, cui et dixi : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? *Sed quoniam missus sum ante ipsum* tanquam præcursor et præco, ut prædicando ac baptizando, disponerem homines ad doctri-
Art. VI, passim. nam gratiamque illius. De hoc superius multa jam dicta sunt.

Insuper ponit Joannes Baptista copiosam differentiam grandemque distantiam inter Christum et se : et quia discipuli sui minus sublimiter senserunt de Jesu, ideo Joannes ejus magnificentiam fidelissime atque clarissime pandit, non brevi versiculo, sed longo sermone.

29 *Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi qui stat et audit eum, gaudio gaudet,* id est, intime cordialiterque exsultat, *propter vocem sponsi* cui congratulatur. Hoc ad litteram in hominibus ita est ; spiritualiter quoque sic fuit inter Christum et ejus præcursorem. Per sponsum ergo Joannes intelligit Christum, cujus sponsa est Ecclesia, quam sibi in incarnatione, Baptismo et passione desponsavit, eam sibi incorporando, per gratiam fecundando, spirituales filios ex ea generando. Quum enim sponsus ex sponsa generet prolem, convenit Christo procreare in Baptismo filios spirituales per Ecclesiam, quasi per matrem fidelium, quæ virtute et gratia sui sponsi regenerat. Joanni ergo non conveniebat spiritualiter regenerare, sed ad regenerationem disponere. De hoc sponso et sponsa ait
Ephes. V, 25, 26. Apostolus ad Ephesios : Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea,

A ut illam sanctificaret. Et ideo Joannes in Apocalypsi : Venerunt (inquit) nuptiæ Apoc. XIX, 7.
Agni, et uxor ejus præparavit se ; et rursus, Vidi Jerusalem, id est Ecclesiam, a Ibid. XXI, 2.
Deo paratam quasi sponsam ornatam viro suo. De hoc sponso ac sponsa cantatur Canticum canticorum.

Habet autem Christus triplicem sponsam, videlicet : universalem, quæ est Ecclesia omnium electorum, quam sibi ab origine mundi desponsare exorsus est per fidem et caritatem ; sponsam particula- B rem, quæ est anima sancta, quam sibi quotidie desponsat, quosdam ad se convertendo per gratiam ; sponsam singularem, quæ est Virgo beatissima, quam sibi desponsavit in utero suæ Matris. Verum hæ duæ sponsæ continentur in prima, ut pars in toto. Propter quod dici potest, quod Christus non habet nisi unam sponsam in terra, sicut et unam dumtaxat Ecclesiam habere asseritur, quamvis sint multæ particulares Ecclesiæ non discordantes ab Ecclesia universali. Quum ita- C que sit Filius Dei sponsus noster seu animarum nostrarum, constat quod fornicatur adulteriumque committit, qui magis adhæret rebus terrenis, variabilibus et caducis, quam sibi. Hoc est spirituale adulterium, de quo Psalmista loquitur Deo :
Ecce qui elongant se a te peribunt ; Ps. LXXII, 27.
perdidisti omnes qui fornicantur abs te. De quo scriptum est apud Osee : Noli læta- Osee IX, 1.
ri, Israel, quia fornicatus es a Deo tuo.

Magna plane nobilitas atque ineffabilis dignitas animæ, imo totius Ecclesiæ, esse D sponsam sui Creatoris, cujus semine imprægnatur, videlicet lumine gratiæ cœliformis, ut sit fecunda in fructibus Spiritus Sancti, de quibus ad Galatas dicit
Apostolus : Fructus Spiritus est caritas, Galat. V, 22, 23.
gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, fides, modestia.

Denique, per amicum sponsi intelligit Joannes se ipsum, quem certum est in Christi amore ardentissimum exstitisse. Qui stetit corporaliter juxta Jesum circa Jordanem; spiritualiter quoque stetit, tan-

Digitized by Google

quam in omni virtute erectus, in Christi A caritate perfectus, nec ad dexteram nec ad sinistram deflectens animæ gressus, Luc. vii, 24. quia non erat arundo vento agitata. Audivitque verba Sponsi cœlestis, quæ non sunt in toto descripta : nec dubium quin in verbis Christi cordialissime delectabatur. Ideo subditur : *Hoc ergo gaudium meum impletum est,* id est, de adsistentia et audientia qua Sponso Ecclesiæ adstiti ejusque vocem audivi, jam vehementer lætatus sum, excellentiæ Christi mentaliter congaudendo. Fuit autem Joannes non B solum Sponsi hujus amicus, sed etiam paranymphus, quoniam inter Christum et homines fecit copulam spiritualem, Sponsam Sponso conjungens.

Sed si Joannes ita dilexerat Christum, nonne mirum est quod nunquam corporaliter secutus est eum sicut discipuli, præsertim quum teste divino Dionysio, amor sit virtus unitiva ? Imo istud in tantum displicuit Manichæis, ut dicerent Joannem esse damnatum. Et respondendum, quod amor Joannis fuit veraciter spiritualis, id- C circo in spirituali conjunctione quievit contentusque fuit. Per quod docemur de corporali conjunctione seu præsentia non debere curare, nisi ad spiritualem profe- Joann. vi, 64. ctum fuerit opportunum. Caro nempe, ut ait Salvator, non prodest, sed spiritus est qui vivificat. Unde Apostolis in corporali præsentia Christi minus ordinate delectationem habentibus, professus est Chri- Ibid. xvi, 7. stus : Expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad D vos. Spiritualiter ergo amandus et contrectandus est, non solum Christus, sed et quilibet proximus. Idcirco enim dicit II Cor. v, 16. Apostolus : Et si novimus secundum carnem Christum, tamen jam nunc non no- Ibidem. vimus ; itemque, Itaque nos jam neminem secundum carnem novimus. Deificata namque et spiritualizata erat affectio sancti Apostoli : cujus sectemur vestigia.

Quæritur, cur et quomodo Joannes, qui Joann. i, 27. superius dixit se esse indignum solvere calceamenta Christi, nunc appellat se ejus amicum. Dicendum, quod ibi loquebatur turbæ, quæ Christi majestatem non novit : idcirco se ibi maxime humiliavit, et Christum exaltavit. Nunc vero loquitur suis discipulis invidia tactis, et inter Jesum ac Joannem aversionem quamdam facere cupientibus : hinc Joannes dicit se amicum illius, ut et discipulos suos ad Christi provocet caritatem. Sic et nos facere par est, dum sentimus seminatorem discordiæ nos affari, dicendo verba invidiæ provocativa. Tunc ergo caritative loquamur de eo inter quem et nos nititur seminare discordiam. Uterque autem sermo Joannis est verus : quia Joannes quantum ad id quod fuit per naturam et propriam fragilitatem, dignus non fuit solvere calceamenta Christi ; quantum vero ad id quod fuit per caritatem et gratiam Salvatoris, erat præcipuus ejus amicus, non minor quam evangelista Joannes.

Illum oportet crescere, me autem minui. Quando Joannes hoc dixit, fuit Christus perfectæ quantitatis in corpore, et perfectæ sanctitatis, sapientiæ et gratiæ in anima ; secundum divinitatem vero, in se ipso omnino incommutabilis permanet. Quod ergo ait Joannes, Illum, videlicet Christum, oportet crescere, sic intelligendum est quomodo Deus dicitur magnificari et exaltari a nobis : non quod in se ipso major fiat vel altior ; sed quod ejus magnitudinem et sublimitatem agnoscimus, profitemur, laudamus. Sic Christus crevit quantum ad magnitudinem famæ et hominum æstimationem. Joannes vero minoratus est hoc modo. Populus enim putavit Joannem esse Christum, et Jesum esse prophetam, non Messiam ; sed tempore procedente, radiantibus signis documentisque Jesu, et testimonio Joannis cooperante, cœpit populus Jesum tenere pro Christo rege Messia, Joannem vero pro vate, præcursore ac nuntio Jesu Christi. Augustinus tangit alium sensum, referendo verba Joannis ad passionem utriusque, ut Christus dicatur crevisse, quia disten-

Digitized by Google

tus in cruce ; Joannes vero minutus, quo-
niam decollatus. Sed quia discipuli Joannis
conquerebantur de hoc quod multi ac-
cesserunt Jesum, et pauci Joannem, potest
ita intelligi : Illum oportet crescere, ac-
quirendo plures discipulos spiritualesque
filios in Baptismo; me autem minui, quan-
tum ad numerum discipulorum : quia
nonnulli ex discipulis Joannis adhæserunt
Christo.

Hujus incrementi et decrementi ponit
Joannes Baptista aliquas rationes. Primam
31 tangit, dicendo : *Qui desursum venit,* id
Ps. XVIII, 7. est Christus Unigenitus Dei, cujus a sum-
mo cœlo fuit egressio, quantum ad divi-
nitatem, quoniam natus a Patre æterno,
et quantum ad humanitatem, quoniam
supernaturaliter conceptus et natus ex
Luc. I, 35. Virgine, Spiritu Sancto corpus ejus for-
mante ; *super omnes est,* id est, omnibus
creaturis sublimior est, quantum ad utram-
que suam naturam. Nam quoad divinam,
cunctis præstantior est in infinitum. Hæc
ergo ratio excellentiæ Christi, sumpta est
ex parte suæ originis.

Secunda vero accipitur ex qualitate suæ
sapientiæ et doctrinæ. Unde subjungitur :
Qui est de terra, id est, ex humanis pa-
rentibus viro et femina natus est, *de terra
est,* quantum ad generationis originem,
et de terra loquitur, id est, de inferiori-
bus et terrenis tractat, quantum est ex
parte suæ terrenæ originis. Nihilo minus
loquitur de divinis atque cœlestibus, sive
per naturalem rationem, sicut philosophi,
sive per gratiæ infusionem et superna-
turalem illuminationem, quemadmodum
Prophetæ et Apostoli, ipse quoque B. Jo-
annes Baptista, quem certum est hoc loco
de cœlestibus fari, imo de supercœle-
stibus eloqui, scilicet de Patre et Filio.
Qui de cœlo venit, humanam naturam as-
sumendo, et visibiliter apparendo super-
naturalique modo nascendo, *super omnes
est,* perfectione naturæ quoad suam divi-
nitatem, et excellentia gratiæ quoad hu-
manitatem assumptam.

32 *Et quod vidit et audivit, hoc testatur ;*
A *et testimonium ejus nemo accipit.* Hoc
verbum Præcursoris alludit ei quod supra
Christus dixit ad Nicodemum : Amen dico *vers.* 11.
tibi, quia quod scimus loquimur, et quod
vidimus testamur ; et testimonium no-
strum non accipitis. Quod quomodo in-
telligendum sit, paulo ante expositum est.
Ea enim quæ Christus docuit, vidit oculo
intellectuali secundum utramque naturam,
cognoscendo videlicet omnia per scien-
tiam increatam, ut Deus, et per scienti-
am infusam, ut homo. Denique ut homo,
B audivit auribus cordis a Deo Trinitate in
primo instanti incarnationis, quidquid
Deus sibi revelavit. Sed quomodo secun-
dum naturam divinam audit aliquid a Pa-
tre, quum ipse sit sermo Patris ? Dicen-
dum, quod Filio Dei idem est generari a
Patre, et audire a Patre. Nascendo quip-
pe a Patre, recipit plenitudinem deitatis,
et per consequens sapientiam omnemque
perfectionem, a Patre. Idcirco dicitur au-
dire a Patre, non quasi primo subsistens,
et postea audiens, vel a Patre distans, sed
C eamdem sapientiam atque essentiam re-
cipiendo a Patre, quam habet Pater. Audit
ergo, id est, intellectualiter percipit, a
Patre, quidquid intelligit Pater.

Sed quomodo dicit Præcursor de Chri-
sto, Testimonium ejus nemo accipit? quum
in Daniele scriptum sit, Omnes populi, *Dan.* VII, 14.
tribus et linguæ servient ei ; itemque in
Psalmo, Reminiscentur et convertentur ad *Ps.* XXI, 28.
Dominum universæ familiæ gentium. Sed
et quando Joannes hæc dixit, habuit Chri-
stus nonnullos discipulos ; et ipse quo-
D que Baptista utique testimonium Christi
accepit. Et respondendum, quod Joannes
hoc asserit ad insinuandum paucitatem
Judæorum in Christum credentium. Juxta
quem modum dicit Apostolus : Omnes *Philipp.* II,
quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu 21.
Christi. Sic etiam Michæas dicit : Periit *Mich.* VII, 2.
sanctus de terra, et rectus in hominibus
non est.

Qui autem acceperit ejus testimonium, 33
verbis Christi credendo, *signavit,* id est,
consideravit et suo actu monstravit ac in-

dicavit, *quia Deus* Pater seu Trinitas *ve-* A
rax est in se ipso, in verbis suis atque
operibus, qui per diversa argumenta pro-
bavit quod Jesus sit Christus Filius Dei,
Matth. III, 16, 17. videlicet : in baptismo, per descensum
Spiritus Sancti in forma columbæ, et per
vocem qua dixit Pater, Hic est Filius meus
Joann. II, 23. dilectus; per miracula quoque in Jerusa-
lem facta, de quibus confessus est Ni-
Ibid. III, 2. codemus, Nemo potest hæc signa face-
re, nisi fuerit Deus cum eo. Verus etiam
ostenditur Deus, quia in Jesu implevit
quæcumque per Prophetas prænuntiavit
34 de Christo. *Quem enim misit Deus, verba*
Dei loquitur. Quamvis hoc verum sit de
ipso Baptista (de quo dictum est supra,
Ibid. I, 6. Fuit homo missus a Deo), atque Aposto-
lis, imo universis prædicatoribus sanctis,
qui sunt missi a Deo, et verba Dei homi-
nibus prædicant; hoc tamen de Christo
antonomastice dicitur, quum ipse sit om-
nium missorum atque divina loquentium
summus.

Præterea ostendit Baptista excellentiam
Christi ex parte gratiæ sibi concessæ. *Non* C
enim ad mensuram, id est secundum de-
terminatum gradum et particularem per-
fectionem, *dat Deus Spiritum* Sanctum,
id est gratiam ejus : supplendum est,
Christo homini, de quo Joannes nunc lo-
quitur. Ex his autem quæ dicta sunt in
expositione primi capituli, super illud,
Ibid. 14. Plenum gratiæ et veritatis, patet quomo-
do gratia Christi sit perfecta, summa et
multiplex; nec jam resumenda sunt illa.
Sed quia Præcursor jam adstruit quod si-
ne mensura Deus præstitit gratiam Chri- D
sto, oportet fateri quod gratia Christi sit
aliquo modo infinita. Gratia autem Chri-
sti habitualis non est secundum essentiam
infinita, quum sit pura creatura, quæ
non potest simpliciter esse infinita, sed
necessario est determinatæ perfectionis et
limitatæ capacitatis. Gratia vero unionis
in Christo est simpliciter infinita, quum
non sit quid creatum, sed ipsum Verbum
humanæ naturæ gratis unitum. Nihilo mi-
nus gratia habitualis in Christo est quo-
dammodo infinita : primo, quia idonea
est ad omnes gratiarum effectus; secun-
do, quoniam major gratia nulli commu-
nicari potest; tertio, quia tota capacitas
animæ Christi repleta est gratia; quarto,
quoniam plena atque sufficiens est aliis
influere incessanter. Aliis vero datur gratia
secundum aliquem gradum et determi-
natam perfectionem, prout Apostolus di-
cit : Unicuique nostrum data est gratia Ephes. IV, 7.
secundum mensuram donationis Christi.
Infinita est ergo gratia Christi, quoniam
B Verbum tantam gratiam influxit animæ
Christi, quantam capere potuit, eratque
paratum plus dare, si illa potuisset plus
capere. Unio enim Verbi cum humana
natura, non est facta per gratiam habitu-
alem intermediam; sed gratia ista conse-
cuta est hypostaticam unionem, tanquam
effectus ipsius. Et quoniam unio hypo-
statica seu personalis, est summa ac pro-
pinquissima, ideo ex ea derivata est tanta
gratia ad animam Christi, quod tota ejus
capacitas fuit repleta.

Pater enim *diligit Filium* amore im- 35
menso, omni creaturæ inexperto, super-
æstuanti ac superdulcissimo, quantum ad
Filii divinitatem. Propter quod dicit Apo-
stolus ad Colossenses : Gratias agimus Deo Coloss. I, 3, 12, 13.
et Patri, qui nos transtulit in regnum Filii
dilectionis suæ. Quum autem dicit, Pater
diligit Filium, non est simpliciter acci-
piendum, quum Deus diligat cuncta quæ Sap. XI, 25.
fecit; sed innuitur quod incomparabilis
sit dilectio Patris ad Filium, secundum
quod apud Marcum ait Pater : Hic est Fi- Marc. IX, 6.
lius meus carissimus. Diligit quoque Pater
Filium secundum naturam assumptam,
amore finito, sed singulari, et ampliori
quam totum universum, quoniam majus
bonum dedit ei soli quam omnibus simul,
videlicet personalem unionem cum Verbo.

Et omnia dedit in manu ejus, id est
in potestate Filii, secundum utramque ejus
naturam. Pater enim dedit omnia in pote-
state Filii secundum naturam ejus divi-
nam, in quantum dedit eamdem ei essen-
tiam atque potentiam quam habet Pater.

Dando equidem ipsi potentiam istam, dedit ei omnium potestatem, ita quod Filius est universorum Dominus per auctoritatem, potens creare, annihilare, et quidquid voluerit facere. Denique, secundum assumptam humanitatem dedit omnia in manu ejus, quoniam omni creaturæ præposuit Christum, prout in Matthæo ait : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. *Matth.* xxviii, 18. Ut enim Damascenus testatur, dato Christo homini quod majus est, etiam datum est ei quod minus est. Quoniam ergo datum est ei personale esse Verbi, ut sit Filius naturalis, quia humanitas Christi subsistit in increato personalique esse Verbi, imo ipsum Verbum est persona seu personalis subsistentia naturæ assumptæ; ideo datum est ei omnibus creaturis præsidere ac dominari. — Sed contra hoc videtur esse illud Apostoli ad Hebræos : Nondum videmus omnia ei subjecta. *Hebr.* ii, 8. Dicendum, quod nondum sunt omnia Christo homini subjecta, quantum ad suæ potestatis plenariam exsecutionem et universalem manifestationem; sed hoc fiet in die judicii, quando ad eum venient et confundentur omnes qui repugnant ei, ut Isaias dicit. *Is.* xlv, 25.

Per hoc itaque Pater dedit omnia in manu Filii secundum suam divinitatem, quod genuit Filium sibi æqualem, Omnipotens omnipotentem, ut qualis et quantus est Pater, talis ac tantus sit Filius, ita quod dare, aliud non fuit quam generare.

36 *Qui credit in Filium,* fide formata, perseveranti et operatoria, *habet vitam æternam,* id est beatitudinem sempiternam, nunc in spe, in merito et in radice. Non enim inaniter eam præstolatur; sed habet causam adipiscendi eam, quæ est actio bona ex caritate procedens, in adultis. In infantibus vero sufficit fides formata sine opere proprio, cum merito Christi.

Qui autem incredulus est Filio Dei, *non videbit vitam* æternam, id est, divina visione privabitur quantum ad pœnam damni, quemadmodum scriptum est : Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. *Is.* xxvi, 10, juxta LXX. Unde et in Isaia habetur : Qui incredulus est, infideliter agit. *Ibid.* xxi, 2. Sed quum vita æterna sit visio Dei, quomodo infidelis dicitur non visurus vitam æternam, quasi fideles sint eam visuri? Et respondendum, quod intellectus reflectitur super proprium actum : ideo Sancti in patria suam beatificam visionem vident, hoc est, cognoscunt. Potest quoque per vitam æternam intelligi beatitudo objectalis, quæ est Deus, quem increduli non videbunt per speciem. *Sed ira Dei,* id est justa vindicta, *manet super eum,* id est, æternam damnationem incurret quantum ad pœnam damni. Omnes quidem, teste Apostolo, nascimur filii iræ. *Ephes.* ii, 3. Sed ira Dei non manet super electos atque fideles. Super infideles vero in sua perfidia persistentes, sine fine manebit. Unde in Apocalypsi inducitur : Timidis autem, et incredulis, et exsecratis, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure. *Apoc.* xxi, 8.

Ex præinductis verbis et factis Joannis moraliter edocemur, ne indigne feramus dum alii nobis præferuntur, quibus majores æstimabamur; nec aliquid boni propriis viribus adscribamus, quia non potest homo habere vel accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. *Joann.* iii, 11. Patet quoque ex his quanta sit certitudo fidei christianæ, quæ data est ab unigenito Filio Dei, qui non alia nobis narravit quam quæ vidit in Patre et audivit ab eo. Propterea multo damnabilius est non recipere legem evangelicam, quam fuit non credere legi Mosaicæ, prout ad Hebræos plenius docet Apostolus. *Hebr.* i, ii.

Digitized by Google

ARTICULUS XI

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : UT AUTEM COGNOVIT JESUS QUIA AUDIERUNT PHARISÆI.

HOC loco describit Evangelista inæsti- A
mabilem prorsusque ineffabilem di-
gnationem Filii Dei, quæ manifestatur in
præsenti capitulo variis modis, videlicet:
quod nostræ pravitatis defectus labores-
que sustinuit ; quod mulieri peccatrici
tam pie, diffuse ac dulciter loqui digna-
tus est; quod ignorantes tam caritative
instruxit; quod pro conversione gentili-
um tanta prodigia fecit.

Dicit igitur beatissimus Evangelista :
1 *Ut autem,* id est postquam, *cognovit,* hoc
est, se cognoscere demonstravit, *Jesus,* B
qui secundum quod Deus, novit omnia
ab æterno, et ut homo talis, cognovit om-
nia quæ fuerunt, sunt vel erunt, a primo
instanti creationis animæ suæ; vel sim-
pliciter, Ut cognovit Jesus, hoc est, ex
aliorum relatu percepit; *quia audierunt*
Pharisæi a Judæis a Christo redeuntibus
suscepto ejus Baptismo, *quod Jesus plu-*
res discipulos facit et baptizat quam Jo-
annes, id est, majorem partem Judæorum
suo magisterio subdit atque baptizat, quam
fecit Joannes Baptista. Fecit enim Chri- C
stus discipulos, non per hoc dumtaxat
quod aliis foris verbum Dei proposuerit,
sed quia eis intus gratiam advertendi,
consentiendi et obediendi infudit. Idcirco
ratio magistri sibi præcipue competit, jux-
Matth. ta quod ait in Matthæo : Nolite vocari
XXIII, 8. Rabbi, unus est enim magister vester
Christus.

2 *Quanquam Jesus non baptizaret, sed di-*
scipuli ejus. Præcedenti capitulo, dixit
Joann. III, Evangelista quod Jesus baptizavit : quo-
22. modo ergo nunc dicit quod non baptiza- D
ret? Et respondendum, quod Jesus primo
ad tempus baptizavit, non quoslibet, sed
suos discipulos, propria manu : quo fa-
cto commisit eis baptizandi officium, et
ipse vacabat doctrinæ, ut dictum est su- *In Joann.*
pra. Quod ergo nunc dicitur, quod non III, 22.
baptizavit, referendum est ad tempus se-
quens. Augustinus, Beda et alii multi sic
solvunt, quod Jesus baptizavit et non ba-
ptizavit. Baptizavit nempe, intus a cul-
pa lavando; non baptizavit autem, foris
corpora aquis tingendo. Verum, quia mox
subditur, Sed discipuli ejus, constat Evan-
gelistam loqui hoc loco de exteriori Ba-
ptismo. Discipuli enim non mundabant a
culpa, nisi instrumentaliter. Ideo prima
solutio planior est : quæ tamen ab in-
tentione istorum non discrepat.

Reliquit Judæam, id est illam partem 3
terræ promissionis in qua habitaverunt
tribus Juda et Benjamin atque Levitica.
Ab eo enim tempore quo decem tribus III *Reg.* XII,
a domo David divisæ sunt, et vitulos au- 19.
reos adoraverunt, constituentes sibi sa- *Ibid.* 28-33.
cerdotes de extremis populorum, filii Le-
vi venerunt et habitaverunt in regno Juda,
ubi fuit templum et locus sacrificiorum,
et cultus Dei permansit, ut patet in libris
Regum. Tota autem provincia illa vocaba-
tur Judæa, a tribu Juda, quoniam prin-
cipalior fuit ac major, sicut et Judas inter I *Par.* V, 2.
fratres suos fortissimus exstitit, ut habe-
tur in libris Paralipomenon. Imo ante præ-
dictam divisionem, tota terra promissio-
nis nominata fuit Judæa, propter regiam
excellentiam tribus Juda, juxta illud in
Psalmo : Facta est Judæa sanctificatio ejus. *Ps.* CXIII, 2.

Cur Christus reliquit Judæam? Num-
quid timore Pharisæorum, quos solo nutu
destruere potuit? Non utique, sed propter
alias rationes. Primo, cedens perversitati
et rancori eorum, ex compassione, ne
eum persequendo gravius peccarent. Se-

Digitized by Google

cundo, dans exemplum fugiendi perse- A
quentes pro loco, causa et tempore, quan-
do videlicet potius expedit fugere quam
Matth. x, 23. manere. Unde et alibi loquitur : Quum
persecuti vos fuerint in una civitate, fu-
gite in aliam. Tertio, ad insinuandum
quod ingratis sæpe subtrahendum est ver-
bum Dei, propter indignitatem illorum
et reverentiam verbi divini, ne vilipen-
Prov. IX, 7. datur. Propter quod Salomon dixit : Qui
erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit.
Eccli. XXXII, 6. Et denuo ait Scriptura : Ubi non est au-
ditus, non effundas sermonem. Propter B
similem causam, Paulus et Barnabas re-
liquerunt Judæos, ut in Actibus Aposto-
Act. XIII, 46. lorum habetur : Vobis oportebat primo
loqui verbum Dei ; sed quia repulistis
illud, convertimur ad gentes.

Et abiit iterum in Galilæam, de qua
natus fuit, et a qua abiit primo in Jeru-
4 salem. *Oportebat autem eum transire per*
mediam Samariam, id est per terram
Luc. XVII, 11. Samariæ, quæ inter Judæam et Galilæam
sita fuit : sicque ex congruentia viæ, opor-
tuit, id est conveniens fuit, Jesum ire C
per terram illam ; sed quod non opor-
tebat ex necessitate, palam est. Poterat
quippe Dominus Jesus ductu angelico fer-
ri de loco ad locum. Sed nec tali famu-
latu indiguit, quoniam poterat dotem agi-
litatis assumere, et per eam in brevissima
horula longissima spatia pertransire : imo,
præter hos modos potuit propria pote-
state, puta virtute Verbi, velocius moveri
quam corpora glorificata per dotem agi-
litatis. Porro in Scripturis, per Samariam
quandoque designatur principalis urbs ter- D
ræ illius, a qua tota provincia appellatur
Samaria. Tamen urbs illa, quum destru-
cta fuisset et reparata, dicta fuit Sebaste.
Quandoque autem per Samariam signatur
provincia illa, ut nunc.

5 *Venit ergo* Jesus cum discipulis suis
in civitatem Samariæ quæ dicitur Si-
Gen. XII, 6; XXXV, 4; XXXVII, 12, 14. *char,* quæ in Genesi dicitur Sichem. Istud
dicit Evangelista per anticipationem, quia
ut infra habetur, Jesus nondum introiit
vers. 40. civitatem, sed foris permansit, et postmo-
dum est ingressus. Propter quod subditur:
juxta prædium, id est agrum, qui fuit ex-
tra et prope hanc urbem, *quod* prædium
dedit Jacob moriens *Joseph filio suo.* Unde
in Genesi ait ad Joseph : Do tibi partem Gen. XLVIII, 22.
unam extra fratres tuos, quam tuli de ma-
nu Amorrhæi in gladio et arcu meo. Urbs
ista cecidit tribui Manassæ filii Joseph. Josue XVII, 7.
Erat autem ibi, juxta prædium istud, *fons* 6
Jacob, id est puteus quem habuit Jacob,
quando habitavit juxta hunc locum, quan-
do videlicet a Mesopotamia fuit regressus. Gen. XXXIII, 18-20.

Jesus autem fatigatus ex itinere, id est
laboriosa viæ ambulatione. Et secundum
Augustinum in epistola ad Dioscorum, tan-
ta fuit ab exordio incarnationis beatitudo
animæ Christi, quod nisi divina dispen-
satione dilatum fuisset, prædictæ beatitu-
dinis redundantia tanta fuisset in corpore
Christi, quod ipsum ab omni pœna et
morte præservasset. Omnis ergo corporalis
defectus et passio corporis Christi, fuit
dispensationis divinæ, non necessitatis hu-
manæ. Esuriit igitur, sitivit, æstuavit et
fatigatus est Jesus, non ex necessitate, sed
propter multiplices causas : Primo, ut sus-
ceptæ carnis atque indutæ a se humani-
tatis veritatem demonstraret. Assumpsit
enim humanam naturam, et indetrahibiles
ejus defectus, videlicet naturales motus
passionum, iram, timorem, tristitiam, se-
cundum Damascenum. Secundo, ut sua
fatigatione nobis requiem mereretur æter-
nam, gratiam quoque copiosam in sæculo
isto. Tertio, ut nos ad fortem atque æqua-
nimem sanctorum laborum et fatigationum
tolerantiam animaret, sicut et alibi loqui-
tur : Venite ad me, omnes qui laboratis et Matth. XI, 28.
onerati estis, et ego reficiam vos. Neque
enim pigritantibus et dormientibus, sed
laborantibus, et in divino obsequio cor-
poraliter fatigatis, corde tamen infatigabi-
libus, provenit beatitudo cœlestis. Sic ergo
fatigatus est Jesus ex itinere, quomodo di-
cit in Psalmo : Genua mea infirmata sunt Ps. CVIII, 24.
a jejunio.

Sedebat sic super fontem, id est, juxta
puteum repausavit. Propter diversas cau-

Digitized by Google

sas quievit juxta puteum : Primo, quoniam sitiebat, et bibere voluit. Secundo, quia per fontem et aquam designantur fluenta sapientiæ Christi, quam ipse suis propinat
Is. XII, 3. electis, juxta illud Isaiæ : Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Tertio, ut ex occasione loci mulierem instrueret, imo sub persona mulieris Samaritanæ, totam Ecclesiam ex gentilitate conversam.

Hora erat quasi sexta. Ex quo sequi videtur quod Jesus cœpit mane ambulare, ut et nos diluculo consurgamus ad Dominum, quemadmodum in Ecclesiastico
Eccli. XXXIX, 6. habetur : Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit il-
Is. XXVI, 9. lum. Et Isaias : De mane, inquit, vigilabo ad te. Verum, ut Salomon in Proverbiis
Prov. XXVI, 14. testatur, Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo.

7 *Venit mulier de Samaria,* id est de provincia illa, non de civitate sic dicta : venit enim de civitate Sichar; *haurire aquam. Dicit ei Jesus : Da mihi bibere* ex urna tua. Christus enim ad litteram corporaliter sitiebat; spiritualiter vero conversionem feminæ hujus omniumque animarum sitiebat errantium. Et utique ante adventum mulieris, potuit Christus aquæ præcipere ut usque ad os putei levaretur, sicque potaret; sed noluit semper supernaturaliter agere, voluitque ad tempus se ipsum siti affligere propter commodum nostrum. Petiit autem potum a femina, ut daret ei oc-
8 casionem meriti copiosi. *Discipuli autem ejus abierant in civitatem* Sichar, *ut cibos emerent.* Et sic Dominus majestatis remansit, solusque sedit ad fontem : in quo ejus humilitas commendatur. Et forte pro tunc pauci discipuli ibant cum eo, quia non apparet quod multi simul intrassent propter escas emendas, præsertim quum certum sit quod non emerunt cibaria delicata aut pretiosa.

9 *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana,* admirans quod homo Judæus petisset potum ab ea : *Quomodo tu Judæus quum sis* (hoc enim perpendit ex habitu Christi, quoniam vestis ejus fimbrias habuit ad modum Judæorum, et etiam ex dispositione vultus et sermone : unde Matthæus, Quotquot, inquit, tangebant fimbriam ve- *Matth.* XIV, 36.
stimenti ejus, salvi fiebant), *bibere a me poscis quæ sum mulier Samaritana?* Causam vero cur hoc non licuit Christo secundum æstimationem mulieris, Evangelista subjecit : *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis,* id est, communionem cum illis in cibis et potibus seu utensilibus habere contemnunt. Jussit quippe Dominus filiis Israel vitare familiaritatem et *Exod.* XXIII, 32, 33; XXXIV, 15, 16; *Deut.* VII, 2, 3.
societatem cum alienigenis. Judæi vero maxime abhorrebant Samaritanos, quoniam terram eorum occupabant, multasque eis intulerunt molestias post reditum a Babylone, ut patet in libris Esdræ. — I *Esdr.* IV; II *Esdr.* IV, VI.
Sed cur Christus, qui venit legem implere, non solvere, petiit potum a femina infideli? Dicendum, quod Christus non erat sub lege, sed Dominus legis : ideo potestatem habuit dispensandi. Venit autem legem implere, id est perficere, non tamen semper servavit cærimonialia legis ad litteram.

Respondit Jesus et dixit ei : Si scires 10
donum Dei, id est gratiam et misericordiam Dei, quæ tibi nunc offertur per hoc quod Filius Dei petit potum a te. Nempe qui Christo aliquid dat, potius recipit beneficium quam impendat : quemadmodum magnum esset pauperi, si rex peteret quidquam parvum ab eo. *Et* si scires *quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere,* id est, si me agnosceres, si me esse Deum et hominem scires; *tu forsitan petisses ab eo* spiritualem refectionem. Forsitan dicit, ad insinuandum quod omne opus meritorium ex libertate procedit. Vel ideo dicit, Forsitan, ut det nobis formam sobrie non cervicose loquendi, præsertim quum loquimur de actibus aliorum. *Et dedisset tibi aquam vivam,* id est gratiam Spiritus Sancti, seu ipsum Spiritum Sanctum, qui dari tunc dicitur, quum ejus gratia gratum faciens menti infunditur : sicque redit in idem, sive per aquam intelligatur Spiritus Sanctus, seu gratia ejus. Quod autem per

aquam intelligatur Spiritus Sanctus, con-
Joann. vii, 38. stat ex eo sicut habetur infra : Qui credit
in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ
Ibid. 39. vivæ. Quod Evangelista exponens : Hoc
(inquit) dicebat de Spiritu quem acceptu-
ri erant credentes in eum.

Dicitur itaque Spiritus Sanctus seu gra-
tia ejus, aqua, et aqua viva, ad similitu-
dinem aquæ materialis : quemadmodum
etiam dicitur ignis, juxta illud Apostoli :
Hebr. xii, 29. Deus noster ignis consumens est. Et alibi
Luc. xii, 49. dicit Salvator : Ignem veni mittere in ter-
ram. Primo dicitur aqua, quoniam purgat
a maculis culpæ, et mundat atque ornificat
animam. De qua aqua accipi potest illud
Ezech. xxxvi, 25. Ezechielis : Effundam super vos aquam
mundam, et mundabimini ab omnibus in-
quinamentis vestris. Secundo, quia refri-
gerat ab æstu tentationis; tertio, quia ex-
stinguit ignem libidinis ; quarto, quia
Ps. i, 3. fecundat animam, ut sit velut lignum quod
plantatum est secus decursus aquarum.
Denique aqua viva vocatur, quæ fluit et
scaturit, atque principio suæ emanationis
continuatur : sic gratia Spiritus Sancti
agilis est, et fonti suæ emanationis, vide-
licet Spiritui Sancto, semper conjungitur
tanquam rivus ac radius ejus.

Dedisset itaque tibi aquam vivam spiri-
Matth. vii, 8. tualiter vivificantem. Omnis enim qui pe-
tit, accipit. De tali aqua in Ecclesiastico
Eccli. xv, 3. legitur : Aqua sapientiæ salutaris potabit
Is. lv, 1. illum. Et in Isaia scriptum est : Omnes
sitientes, venite ad aquas. In Apocalypsi
Apoc. xxii, 17. quoque : Qui sitit veniat, et accipiat aquam
vitæ gratis.

11 *Dicit ei mulier*, quæ verba Christi in-
tellexit de aqua materiali : *Domine*. Vidit
enim in vultu et habitu Christi, quod esset
valde veneranda persona, omni maturitate
et probitate morum refulgens : ideo nomi-
nat eum Dominum. Nondum tamen puta-
vit eum esse prophetam, vel Christum,
aut Deum. *Neque in quo haurias habes*, id
est, instrumentum hauriendi non habes
ut ego, *et puteus altus est*, id est profun-
dus : propter quod opus est hauritorio,
quia cum manu nequit aqua educi. Fre-

A quenter in Scripturis ponitur altum pro
profundo : ut Sapiens ait, Ab altitudine Sap. x, 19.
inferorum eduxit eos; et in Ecclesiastico,
De altitudine ventris inferi liberasti me. Eccli. li, 4, 7.
Unde ergo habes aquam vivam, quam pos-
sis mihi præstare, si postularem? Et pro-
bat quod non possit, quia alium puteum
vel fontem non possideret meliorem puteo
isto. Quod probat per hoc, quod non est
major patriarcha Jacob. *Numquid tu major* 12
es patre nostro Jacob? Reputabant enim
Judæi et Samaritani, Abraham, Isaac et
B Jacob valde præcipuos exstitisse. Unde in-
fra dicunt Judæi ad Christum : Numquid Joann. viii, 53.
tu major es patre nostro Abraham? *Qui
dedit*, id est, fossum reliquit, *nobis puteum
istum*. Ex quo patet, quod fons de quo
fuit jam sermo, puteus erat. *Et ipse* Jacob vers. 6.
ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus.

Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis qui 13
bibit ex aqua hac, et simili, *sitiet iterum*,
si diu vixerit, et ad tempus competens a
potu cessaverit. *Qui autem biberit*, id est,
spiritualiter sumpserit, et mente gustave-
C rit, *ex aqua quam ego dabo ei*, id est
gratiam Spiritus Sancti, *non sitiet in æter-
num*. Hoc dupliciter intelligi potest. Pri-
mo sic : Non sitiet in æternum : id est,
licet ad tempus sitim spiritualem susti-
neat, suspirando ad patriam, cupiendoque
gratiam perfectiorem atque aliorum salu-
tem; non tamen semper sic sitiet, sed
veniet hora in qua replebitur bonis desi- Ps. cii, 5.
derium ejus, quia in die judicii in anima
et corpore glorificabitur, et tunc non de-
erit quod affectet hoc modo, ut scriptum
D est in Matthæo : Beati qui esuriunt et si- Matth. v, 6.
tiunt justitiam, quoniam ipsi saturabun-
tur. Quando? Audi Psalmistam : Satiabor, Ps. xvi, 15.
ait, quum apparuerit gloria tua. — Secundo
sic : Non sitiet in æternum, hoc est, nun-
quam sitiet appetendo rem omnino absen-
tem nequaquam adeptam. Habet enim vir-
tualiter omne bonum, quoniam gratiam
habendo, habet Deum gratiæ fontem, et
felicitatem æternam per inchoationem et
continentiam virtualem. Nam gratia est
inchoatio gloriæ, et virtualiter continet

Digitized by Google

eam, sicut semen continet arborem. Juxta A
Ps. xxxiii, 10. quem sensum ait Psalmista : Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum.

Sed his obviare videtur, quod in Ecclesiastico Christus Dei sapientia loquitur : Eccli. xxiv, 29. Qui edunt me, adhuc esurient ; et qui bibunt me, adhuc sitient. Dicendum, quod secundum primam expositionem, istud nequaquam dissonat a prædictis ; sed quantum ad secundam expositionem, videtur repugnantia quædam. Sciendum ergo, quod sitis in Scripturis tripliciter sumi- B
tur : Primo, pro desiderio rei nequaquam adeptæ : sicque acquisitio temporalium rerum generat sitim aliarum et plurium divitiarum, augendo cupiditatem. Secundo, pro desiderio rei adeptæ, ut habeatur magis perfecte : sicque sitit qui gratiam recipit, quoniam Deum et dona ejus quæ habet imperfecte, desiderat perfectius possidere, pertingendo de fide et
I Cor. xii, 31. via ad speciem et patriam, æmulando quoque charismata meliora in præsenti, secundum doctrinam Apostoli. Tertio, pro C
amore rei præsentis, cum exclusione fastidii : sic Sancti in patria sitiunt Deum,
I Petr. i, 12. quemadmodum Petrus ait de Christo : In quem desiderant angeli prospicere.

14 *Sed aqua,* id est gratia gratum faciens, *quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ,* id est origo, formale principium atque meritoria ratio virtuosæ actionis, sanctæ contemplationis, ardentis desiderii, *salientis,* id est, animam ista terrena transilire facientis, pertingendo *in vitam æternam.* Quemadmodum enim natura est in nobis D
principium omnium naturalium operationum, sic gratia gratum faciens est fons intrinsecus atque principium omnium actionum meritoriarum, faciens ipsam essentiam rationalis creaturæ Deo acceptam, deiformem, Deo supernaturaliter copulatam, et ad promerendum supernaturalem felicitatem idoneam.

15 *Dicit ad eum mulier,* verba hæc mystica carnaliter intelligens (non enim erat solita audire hujusmodi) : *Domine, da mihi hanc aquam* quæ omnem sitim æternaliter aufert, videlicet aquam corporalem, de qua te loqui existimo, *ut non sitiam* corporaliter, *neque veniam huc haurire.* Propter duplex commodum petiit femina aquam talem : primo, ut a pœna sitis libera esset ; secundo, ut a labore hauriendi eriperetur. Sic et nos spiritualem hanc aquam a Christo cordialiter jugiterque petamus, ut non sitiamus ista terrena, quæ appetitum nequeunt satiare, sed quo eorum amore et occupatione homo magis involvitur, eo a divinorum contemplatione, dilectione, et vera quiete ac libertate amplius impeditur ac elongatur ; neque veniamus huc haurire, id est in exterioribus atque carnalibus consolationes viles requirere, sed in Domino sit tota delectatio nostra, et cum Jeremia dicere mereamur : Diem hominis non con- Jer. xvii, 16.
cupivi, tu scis. Qui enim cor suum ad exteriora effundit, qui humanas et sæculares delectationes admittit, nequaquam dignus est gustare quam dulcis est Domi- Ps. xxxiii, 9.
nus. Talis enim nunquam efficitur vere spiritualis, internus, et Deo suo familiaris atque carissimus.

Denique, quoniam mulier ista verba Christi capere non valebat, incipit Christus eam inducere ad cognoscendum se ipsum, ut cognito ipso loquente, verba ejus sciantur esse spiritualia ac divina.
Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, 16
et veni huc simul cum illo. Quomodo dicit hoc Christus, qui est infallibilis veritas Joann. xiv, 6.
et sapientia Patris ? Noverat enim quod I Cor. i, 24.
mulier ista virum proprie dictum, id est virum legitimum, non haberet. Sed hoc facile solvitur, ut sit sensus : Voca virum tuum, id est eum qui putatur esse maritus tuus legitimus, quamvis sit adulter. Sed numquid intentio Christi fuit ut mulier ista virum suum adduceret ? Quid enim ille fecisset adductus ? Si autem dicatur quod voluit Christus virum adduci, quatenus eum instrueret atque converteret, non infideliter dicitur. Si vero dicatur quod hoc non fuit intentio Chri-

Digitized by Google

sti, sed ut ex occasione hujus verbi et ex A
responsione mulieris, Christus eam con-
venientius argueret, respondebo quod sic
ait ad feminam hanc, Voca virum tuum,
Gen. xxii, 2. quomodo ait in Genesi Abrahæ, Tolle fi-
lium tuum unigenitum Isaac, et offer il-
lum mihi in holocaustum : quod Dominus
dixit, non ut sic fieret, sed ut tentaret;
non quatenus ipse veritatem agnosceret,
sed alii. Sic ergo nunc ait mulieri, Voca
virum tuum.

17 *Respondit mulier, et dixit : Non habeo
virum. Respondit ei Jesus : Bene,* id est B
vere, *dixisti, Quia non habeo virum,* id
18 est maritum legitimum. *Quinque enim vi-
ros* legitimos *habuisti* successive, *et nunc
quem habes* modo, id est, qui jam puta-
tur esse vir tuus legitimus, *non est tuus
vir. Hoc,* videlicet, Non habeo virum, *vere
dixisti.* Posset hic disputatio longa indu-
ci, quomodo intelligenda sint hæc. Mulier
equidem ista fuit cum adultero : quem
tamen ipsa dixit esse suum maritum; et
alii sic credebant, fuitque notorium in ci-
vitate Sichar, quod mulier hæc fuit cum C
viro isto, ut communiter asserunt expo-
sitores. Dum ergo mulier dixit Christo,
Non habeo virum, si per virum intellexit
virum legitimum, publicavit proprium cri-
men quod intendebat abscondere; si ve-
ro per virum intellexit quemlibet mascu-
lum, negavit quod erat notorium. Non
ergo Christus dixisset : Bene dixisti, Non
habeo virum. Ad hoc respondendum vi-
detur, quod mulier more adulterarum lo-
quebatur sophistice, dicens, Non habeo
virum, nomine viri intelligens virum le- D
gitimum : et ergo verum dicebat mate-
rialiter. Sed nomine viri voluit Jesum
intelligere quemlibet masculum, ut ipsa
continens crederetur : sicque mentieba-
tur formaliter, quoniam fallere satagebat,
nec verebatur alieno veritatem absconde-
re, quem putavit secreta sua latere, mox-
que recedere.

19 *Dicit ei mulier : Domine, video,* hoc
est, ex revelatione secretorum meorum
considero, *quia propheta es tu.* Sed quum
prophetia sit de futuris contingentibus,
quomodo sequebatur Christum esse pro-
phetam, quia præterita et præsentia occul-
ta cognovit? Dicendum, quod licet prophe-
tia propriissime sumpta respiciat futurum
contingens, est tamen, secundum Grego-
rium, etiam de præteritis et præsentibus
divina revelatione patefactis.

Mulier ista nunc cœpit cognoscere ex-
cellentiam Christi, videlicet, quod esset
propheta; sed nondum sciebat quod esset
finis, impletor ac Dominus Prophetarum.
Quoniam itaque vidit eum in divinis illu-
minatum, proponit sibi quæstionem, vel
potius objicit sibi argumentum ad pro-
bandum errare Judæos, qui dixerunt quod
in Jerusalem adorare oportet. *Patres no-* 20
stri, videlicet Jacob et filii ejus, et filii
Israel egredientes ex Ægypto, *in monte
hoc,* id est in monte Garizim huic loco
propinquo, *adoraverunt,* quando Jacob ha-
bitavit apud Sichem : quia in locis altis
seu montibus orare et sacrificare solebant
Judæi et patres eorum, templo nondum
constructo, secundum quod Dominus di-
cit ad Abraham : Tolle Isaac, et offer il- Gen. xxii, 2.
lum mihi super unum montium quem
monstravero tibi. Sed et sex tribus Israel Deut. xxvii, 12.
stabant in monte Garizim ad benedicen-
dum, et aliæ sex in monte Hebal ad male- Ibid. 13.
dicendum, quemadmodum in Deuteronomio
jusserat Dominus.

Sed quomodo mulier ista nominat san-
ctos Patriarchas patres suos, quum non
esset de semine illorum progenita? Sa-
maritani quippe fuerunt natione gentiles,
quia Salmanasar rex Assyriorum, decem IV Reg. xvii, 6.
tribubus partim occisis, partimque captis
ac translatis, posuit Medos in terra decem Ibid. 24.
tribuum. Qui quum devorarentur a leo- Ibid. 25-28.
nibus, eo quod Deum Israel non colebant,
misit eis rex Assyriorum unum de sa-
cerdotibus populi Israel, ut doceret eos
legitima Dei terræ Israel : quo facto, cœ- Ibid. 29-41.
perunt colere Dominum, recipientes dum-
taxat quinque libros Moysis, et idola sua
non relinquentes, prout in libris Regum
plenius recitatur. Dicendum, quod mulier

Digitized by Google

vocat illos suos seu Samaritanorum patres, quia Samaritani sequebantur cultum et ritum illorum in multis, et propter reverentiam Patriarcharum.

Et vos Judæi *dicitis, quia Jerosolymis est locus,* hoc est templum in monte Sion, *ubi adorare oportet,* id est, expeditius est quam in monte Garizim. Judæi autem non dixerunt quod oporteret de necessitate adorare in templo Jerusalem, quasi Deus alibi non exaudiret : nam in synagogis suis orare consueverunt. Sed asserebant convenientiorem locum orandi esse in Jerusalem : quod et verum fuit, quoniam
Deut. xii, 5, 6. Deus specialiter elegit locum illum pro cultu suo, præsertim ad sacrificandum.

21 *Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi,*
Is. vii, 9, juxta LXX. Hebr. xi, 6. quem vides esse prophetam. Nisi enim crediderítis, non intelligetis. Et accedentem ad Deum necesse est credere. *Quia veniet hora quando neque in monte hoc* Garizim, *neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.* Hoc intelligi potest dupliciter : Primo, quod conversi ad Christum non adorarent Patrem cœlestem in prædictis locis, eo modo quo ante, videlicet æstimando quod determinatio et distinctio locorum tam multum prodessent ad effectum orationis obtinendum; sed spirituales effecti, spiritualiter adorarent, scientes quod virtus et valor orationis non principaliter consistit in loco, sed animo. Secundo sic : Veniet hora, etc., quod impletum videtur tempore destructionis Jerusalem a Romanis, quia et tunc plurimi Samaritani crediderunt in Christum, atque in ecclesiis adorare curabant.

22 *Vos* Samaritani *adoratis quod nescitis.* Adorabant enim Deum omnium creatorem, quem nesciebant, id est, male et false de ipso senserunt, putantes Deum esse corporeum, circumscriptum, et lineamentis corporalibus figuratum. Adorabant quoque et idola quæ nescierunt, putantes aliquid divinitatis illis inesse, quæ plena fuerunt dæmoniis. *Nos* Judæi *adoramus quod scimus,* id est Deum, quem vere cognoscimus. Christus cognovit eum per speciem, ceteri per fidem. Notus enim Ps. lxxv, 2.
in Judæa Deus. Ceteris enim nationibus ad diversos errores ruentibus, remansit in populo Israelitico vera cognitio Dei. *Quia salus ex Judæis est,* hoc est, ex populo Judæorum Salvator mundi incarnatus et ortus est; vel, Salus ex Judæis est, hoc est, salvatio gentium ex Judæis dependet, puta a Christi passione et Apostolorum prædicatione.

Sed venit hora, et nunc est, videlicet 23
tempus evangelicæ legis, *quando veri,* hoc est fideles, sinceri atque devoti *adoratores adorabunt Patrem,* id est Deum trinum ac simplicem, cui dicimus : Pater Matth. vi, 9.
noster qui es in cœlis, *in spiritu,* hoc est corde interno, in spirituali intellectu, in Spiritu Sancto, non solum in locis determinatis, in grossa imaginatione, in proprio sensu; *et veritate,* id est fide illuminata, in vera justitia, ad Dei honorem, et propter veram beatitudinem adipiscendam. Denique, secundum Augustinum, Patrem in veritate adorat, qui Patrem æternum in nomine Filii invocat. Hoc est Deum veraciter invocare, id est intus et ex corde vocare. Quod quam salubre sit, pandit Psalmista dicendo : Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Ps. cxliv, 18.

Nam et Pater cœlestis *tales quærit,* id
est, veros adoratores requirit et approbat : vult enim nos esse tales; *qui adorent eum* in spiritu et veritate, ut dictum
est. Cujus ratio subditur : *Spiritus est* 24
Deus, id est spiritualis, incorporalis et simplex essentia, utpote actus purus. Mens separata esset tantum honoratissimus intellectus. *Et eos qui adorant eum* adoratione latriæ, quæ soli Deo debetur, *in spiritu et veritate* (secundum sensum inductum) *oportet adorare,* si debeant exaudiri. Actio quippe rationalis creaturæ per hoc complacet Deo, quod per eam assimilatur atque unitur suo Creatori. Per adorationem autem in spiritu et veritate factam, assimilatur et conjungitur Deo. Per hanc enim simplificatur, et recte ascendit

Digitized by Google

in Deum, transcendendo cuncta terrena A omnesque distractiones, et se ipsam pure elevando in Creatorem. Unde oratio dicitur ascensus mentis in Deum. Quasi dicat Salvator : Si Deus localis, corporalis materialisve esset in propria natura, adorandus esset in determinatis locis dumtaxat et rudibus phantasiis. Nunc vero, quum sit spiritus simplicissimus, in interiori adorandus est templo, ut anima redeat ad se ipsam, et collecta atque in Deum forti stabilitate erecta, invocet Deum : quem-
Eccli. XVIII, 23. admodum in Ecclesiastico legitur, Ante B orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo tentans Deum. Hinc di-
1 *Cor.* XIV, 14, 15. cit Apostolus : Si orem lingua, mens mea sine fructu est. Quid ergo? Orabo spiritu, orabo et mente.

Itaque non vaga et huc illucque discurrente mente, imploranda est gratia Dei,
Prov. IV, 23. sed omni custodia custodiat orans cor suum, occasiones evagationum vitando, et cum fervore incipiendo. Quod non est modice laboriosum, secundum quod abbas Agathon dixit : Non est labor sicut orare C Deum.

Porro Salvator dicendo, Veri adoratores, etc., innuit esse quosdam adoratores falsos, videlicet, qui vel male sentiunt de Deo, sicut hæretici; vel propter humana præconia seu carnalia commoda aut temporalia lucra orant, sicut hypocritæ; vel Deum quem orando honorare videntur, pessimis moribus inhonorant. De quibus
Is. XXIX, 13; *Marc.* VII, 6, 7. Deus ait per Isaiam : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me; propter quod in vanum colunt me. D
Prov. XXVIII, 9. Isti non exaudiuntur. Qui enim declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.

25 *Dicit ei mulier : Scio* ex communi fama vel auctoritate Scripturæ, *quia Messias venit,* id est, mox venturus est, *qui dicitur Christus.* Samaritani namque no-
Gen. XLIX, 10. verant ut in Genesi prædictum est : Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium. Quoniam ergo viderunt jam regnum a semine Judæ ablatum atque Herodi Ascalonitæ alienigenæ datum, poterant scire quod tempus adventus Messiæ instaret. Et hoc erat tunc publica fama apud Judæos. Unde miserunt ad Joannem sciscitantes *Joann.* I, 19.
an esset Christus. *Quum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia,* id est, certificabit nos de quæstionibus universis, et ceteris ad salutem spectantibus : quasi diceret mulier ista, Tunc plenius instruemur de omnibus istis. Omnes autem Judæi et ceteri de Christo aliquid loqui scientes, exspectabant eum quasi sapientissimum magistrum, summumque Prophetam.
Dicit ei Jesus, Dominus inæstimabilis di- 26
gnationis : *Ego sum* Christus *qui loquor tecum.* Quoniam enim Jesus vidit hanc feminam de cognitione divinorum sollicitam, revelavit ei se ipsum.

Et continuo venerunt discipuli ejus, re- 27
deuntes de civitate Sichar, in qua emerant escas, ut venientes, manducarent cum Jesu supra puteum, ut opinor, prout solent pauperes facere; *et mirabantur quia cum muliere loquebatur.* Nihil mali suspicabantur; sed mirabantur, vel magnitudinem dignationis Christi, quod cum muliere infideli tam familiariter conferebat, vel quia consuetudinem loquendi cum mulieribus seorsum ac privatim non habebat. *Nemo tamen* ex discipulis *dixit* Christo : *Quid quæris, aut quid loqueris cum ea.* Propter reverentiam enim magistri sui nil tale dixerunt, certi quod non sine ratione affatus fuit hanc feminam.

Reliquit ergo hydriam suam mulier ad 28
puteum. Præ admiratione enim eorum quæ audivit, et dilectione quam concepit ad Christum, qui eam tam dignanter ac dulciter fuerat allocutus, quod Judæi non fecissent, præ desiderio quoque salutis populi sui, oblita est aquam corporalem secum deferre, aqua sapientiæ degustata. *Et abiit in civitatem* Sichar, *et dicit illis*
hominibus suis concivibus : *Venite, et vi-* 29
dete hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci, hoc est opera mea præci-

Digitized by Google

pua. Vel mulier dicit hoc per hyperbolen
seu excessum, ad innuendum quod Chri-
stus dixit sibi multa occulta de suo sta-
tu. Homines enim in admiratione magna
positi et amore accensi, frequenter per
excessum loquuntur, non intendentes ali-
quid falsi asserere, sed rei magnitudinem
aperire. *Numquid ipse est Christus?* tan-
quam dicat : Videtur per tantum mira-
culum, quod sic.

Mulier ista implevit quod admonet Pe-
I Petr. iv, 10. trus, dicendo, Unusquisque sicut accepit
gratiam, in alterutrum illam administran-
tes; et talentum sibi concessum studuit
fructuose expendere. Ad litteram quoque
reliquit hydriam suam, quia intendebat
statim reverti et plenius informari. Sic
et nos dum illuminationem et gratiam
Christi experimur, hydriam nostram, id
est ventris curam, voluptatem omnemque
terrenam substantiam, parvi pendere vel
abjectare debemus, aliosque ad similem
Eccli. xvii, 12. gratiam pro posse adducere. Unicuique
enim mandavit Deus de proximo suo,
quemadmodum in Ecclesiastico legitur.
30 *Et exierunt de civitate* habitatores ejus,
novitate rei permoti, et ad credendum dis-
positi; *et venerunt ad eum.* Sic et nos sa-
lutaribus exhortationibus acquiescere par
Prov. xiii, 18. est, quoniam egestas et ignominia ei qui
deserit disciplinam, ut scribitur in Pro-
verbiis.
31 *Interea,* id est inter hæc, utpote inter
recessum mulieris et Samaritanorum ac-
cessum, *rogabant eum discipuli ejus di-
centes : Rabbi, manduca.* Compatiebantur
enim fatigationi sui magistri, et pro-
priæ fami consulere quæsierunt. Ipsi nam-
que esuriebant, et quia non præsumebant
comedere nisi magistro jubente, incipi-
ente, et escam benedicente, idcirco ro-
32 gabant ut manducaret. *Ille autem dixit
eis : Ego cibum habeo manducare,* id est
spirituali alimonia animam meam refice-
re, scilicet opere virtuoso, quod mentem
alit atque delectat, quemadmodum scri-
Eccli. xv, 3. ptum est, Cibabit illum pane vitæ et in-
tellectus; *quem vos nescitis,* qui nondum

A cognoscitis mysteria mea. *Dicebant ergo* 33
discipuli, verba magistri de materiali ci-
bo intelligentes, *ad invicem,* quia ex re-
verentia quam habebant ad magistrum
suum, non audebant faciliter alloqui eum:
Numquid aliquis attulit ei manducare?
Noverant siquidem quod nihil alimenti at-
tulit secum. Non mirum quod mulier non
intellexit verba Christi de aqua, quum
discipuli non intellexerint verba ejus de
esca.

Dicit eis Jesus, se ipsum exponens plane 34
B et cito, non per ambages atque circuitum
quo locutus fuit ad feminam. Discipulis
enim tanquam familiaribus, patefecit my-
steria; ceteris tanquam extraneis, loque-
batur obscurius. *Meus cibus* præcipuus,
id est in quo magis quam in corporali
cibo delector et recreor, *est ut faciam vo-
luntatem ejus qui misit me,* id est facere
opera Deo Patri placentia, *ut perficiam
opus ejus* singulare et maximum, id est,
hominum conversioni intendam, atque hu-
mani generis liberationem consummem.
C De quo opere ait infra Salvator : Opus Joann. xvii, 4.
consummavi quod dedisti mihi ut face-
rem. Hic docuit nos Christus suo exem-
plo, ut spiritualem refectionem aliorum
propriæ corporali refectioni præferamus,
potiusque escam cordis quam corporis re-
quiramus.

Loquitur autem Scriptura de cibo multi-
plici, utpote : de cibo seu pane Beatorum
regnantium, qui est ipsa Divinitas vel ejus
fruitio, qua dulcissime atque firmissime
sustentantur comprehensores. Unde in Lu-
D ca loquitur Christus discipulis : Ego dis- Luc. xxii, 29, 30.
pono vobis sicut disposuit mihi Pater, ut
edatis et bibatis super mensam meam in
regno. Et alibi scriptum est : Beatus qui Ibid. xiv, 15.
manducabit panem in regno Dei. Secun-
do, de cibo sacramentali, juxta illud : Ca- Joann. vi, 56.
ro mea vere est cibus. Tertio, de cibo
internæ compunctionis, ut est illud, Fu- Ps. xli, 4.
erunt mihi lacrimæ meæ panes die ac
nocte; itemque, Cibabis nos pane lacri- Ps. lxxix, 6.
marum. Quarto, de pane bonæ ac merito-
riæ operationis, ut habetur in Ecclesiasti-

Digitized by Google

Eccli. xiv, 17. co : Ante obitum tuum operare justitiam, A quoniam non est apud inferos invenire cibos. Quinto, de pane corporalis refectionis.

Deinde ostendit Christus per simile, quod jam adfuit tempus prædictæ operationis, videlicet conversionis hominum.
35 *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses* lunares, quibus utuntur Judæi in computando, *sunt,* id est, restant, *et messis venit,* id est, antequam corporalis usualisque messis seu frugum collectio impleatur? *Ecce dico vobis : Levate oculos* B *vestros, et videte regiones, quia jam albæ sunt ad messem.* Si adhuc quatuor menses restabant ad messem, palam quod verba ista non possint de corporali messe intelligi. Est igitur sensus : Levate oculos vestros mentales, id est, corda considerando erigite, et videte regiones, id est, habitatores terræ interiori visu adspicite, quia jam albæ sunt ad messem, id est, tempus est ut congregentur in horreum meum, et perducantur ad fidem : nunc enim venit tempus miserationis et gra- C tiæ. Potest autem specialiter referri ad Samaritanos Christo propinquantes, qui dispositi erant ad fidei receptionem. Quasi dicat Salvator : Istos Samaritanos cunctosque peccatores oculo compassionis adspicite, et magis curate ut eorum conversioni quam corporali comestioni intendam.

Dicitur vero collectio hominum messis, per similitudinem. Quemadmodum enim in messe colliguntur fructus terræ in aream, sic electi congregantur intra Ecclesiam. Insuper advertendum, quod Scriptura D loquitur de duplici messe spirituali : Una qua homines spiritualiter congregantur per fidem et gratiam intra Ecclesiam mili-
Matth. ix, 38. tantem. Unde in Matthæo habetur : Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam. Alia est messis qua electi colliguntur per gloriosam resurrectionem intra Ecclesiam triumphantem ac patriam : de qua ait Christus in Matthæo,
Ibid. xiii, 39. Messores sunt angeli, messis vero consummatio mundi.

Deinceps subditur de mercede messorum primæ messis, videlicet de præmio doctorum et prædicatorum. *Et qui metit,* 36
hoc est, falce seu verbo prædicationis homines ad fidem gratiamque inducit, *mercedem accipit,* utpote gloriam regni cœlestis, præmium essentiale, quod est visio Dei, atque aureolam quæ martyribus, virginibus et doctoribus est promissa ; *et congregat fructum,* hoc est spirituales filios sua prædicatione conversos, *in vitam æternam,* quia ad eam finaliter dirigit eos. Vel, Congregat fructum, hoc est meritum copiosum pertingens in vitam æternam, quæ est finis et præmium. Omnium quippe divinarum perfectionum altissima, est Dei cooperatorem exsistere in reductione hominum ad suum principium finemque ultimum, secundum Dionysium. De quorum præmio scriptum est in Daniele : Qui Dan. xii, 3.
multos erudiunt ad justitiam, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Ut et qui seminat,* id est chorus sanctorum Patriarcharum et veterum Prophetarum, qui primo cœperunt verbum Dei in cordibus hominum seminare, atque principia fidei tradere. In qualibet enim facultate seminat, qui dat prima principia, secundum Origenem. *Simul gaudeat,* id est, cum electis et a se conversis in cœlo lætetur, *et qui metit,* id est, chorus Apostolorum et prædicatorum, qui homines ad fidem dispositos, ex doctrina Patriarcharum ac Prophetarum ad fidem catholicam et Christi gratiam suis sermonibus perduxerunt, etiam cum Patriarchis in cœlo exsultent.

In hoc enim, hoc est in facto isto spi- 37
ritualis messis, *est verbum verum,* hoc est, verificatur et locum habet illud commune proverbium quo utebantur Judæi, dicendo : *quia,* hoc est quod, *alius est qui seminat, et alius est qui metit.* Hoc dicebant de messe corporali, quando alius seminavit, sed alius fructum collegit. Quod et in spirituali messe interdum contingit, ut dictum est. Non tamen semper fit ita : imo, sicut in corporali messe sæpe idem

Digitized by Google

est seminator et messor seu fructus perceptor, sic in messe spirituali frequenter idem est qui seminat, inchoando cognitionem fidei christianæ in aliquo, et qui metit, perducendo eum ad plenam conversionem. Sic enim gloriatur apostolus
Rom. xv, 20. Paulus ad Romanos, se prædicasse Christum ubi ante non fuit annuntiatus, ne super alienum fundamentum fabricare videretur. Sed quantum ad Judæos, qui Moysen et Prophetas receperunt, et quantum ad Samaritanos Moysen recipientes, tenet verbum Christi : quia in illis priores Sancti seminaverunt, Apostoli vero messuerunt.

38 *Ego misi vos metere,* hoc est ad fidem colligere, *quod vos non laborastis,* hoc est populum Judæorum, quem vestris prædicationibus, scripturis et laboribus, non disposuistis ad fidei receptionem. *Alii laboraverunt,* hoc est, prædicti seminatores, Patriarchæ ac vates, non sine labore populum Judæorum ad Christi receptionem præparaverunt, prænuntiando ejus adventum, docendo unius Dei cultum, et vitia populi exstirpando; *et vos in labores eorum introistis,* hoc est, populum ab illis Sanctis præparatum, cultum et doctum, convertistis. Quod dictum est pro toto tempore quo Apostoli in Judæa prædicaverunt. Non enim tot millia Judæorum convertissent et spiritualiter possedissent, nisi per scripturas Prophetarum ac Patriarcharum dispositi fuissent ad christianæ fidei susceptionem. Unde et Petrus
Act. II, 14-41. in die Pentecostes allegando Joelem, convertit tria millia Judæorum. Postremo, quamvis prædicatio Apostolorum fuit messio respectu prædicationis præcedentium patrum, fuit tamen semen et seminatio per comparationem ad fidem et opera meritoria auditorum, et etiam quoad propriam remunerationem in patria, secun-
II Cor. IX, 6; Galat. VI, 8. dum quod dicit Apostolus : Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam.

39 *Ex civitate autem illa,* nomine Sichar, *multi crediderunt in eum Samaritanorum,* credentes quod esset Christus, *propter verbum mulieris testimonium perhibentis : Quia dixit mihi omnia quæcumque feci :* quod non potuit fieri virtute humana. *Quum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret* in Sichar. Cupiebant enim plenius informari de fide a Christo. *Et mansit ibi duos* 40
dies. Cur Christus qui cœpit facere et Act. I, 1.
docere, ibi sic mansit inter Samaritanos tam diu, quum dixerit alibi, In civitates Matth. X, 5
Samaritanorum ne intraveritis? Dicendum, quod Christus legislator non fuit sub lege hac generali. Cœpit autem facere et docere ea quæ ad præcepta spectant moralia. Item, quod modicum est, pro nihilo reputatur. Christus vero non fuit multum cum Samaritanis.

Et multo plures ex Samaritanis *crediderunt in eum, propter sermonem ejus,* 41
tanquam ob causam persuasoriam ad fidem aliquo modo inducentem. Erat enim Ibid. VII, 29.
docens sicut potestatem habens : quia dif- Ps. XLIV, 3.
fusa est gratia in labiis ejus. Propter sapientiam igitur relucentem in verbis Christi et efficacissimam eloquentiam ejus, crediderunt in eum. Nunquam enim sic Joann. VII, 46.
locutus est homo, sicut hic loquebatur.
Et mulieri Samaritanæ *dicebant : Quia* 42
jam non propter tuam loquelam, id est testimonium oris tui, *credimus,* tanquam propter causam solam, sive præcipuam. Nihilo minus crediderunt etiam propter testimonium ejus, sed non propter hoc solum, aut principaliter. *Ipsi enim audivimus,* id est, audiendo verba ejus sapientissima consideravimus, *et scimus,* id est, certe cognoscimus. Quamvis enim major sit certitudo evidentiæ in scientia quam in fide, tamen major est certitudo adhærentiæ in fide quam in scientia. Fides quoque innititur certiori fundamento, videlicet increatæ et incommutabili veritati; scientia autem, naturali rationi, quæ frequenter decipitur. *Quia hic est vere Salvator mundi,* hoc est universalis redemptor totius generis humani. Noverant Gen. III, 23, 24.
enim Samaritani ex libris Moysis, humanum genus a paradiso expulsum propter

Digitized by Google

originale peccatum, a quo liberari indi-
gebat per Christum.
43 *Post duos autem dies* quibus mansit
cum Samaritanis in civitate Sichar, *exiit
inde,* quia jam roborati erant in fide, *et
abiit in Galilæam.* Aliqui tamen dicunt,
quod divertit a Nazareth in qua erat con-
Luc. IV, 29. ceptus, nutritus ac demoratus. Voluerunt
enim eum concives sui præcipitare, ut
44 dicit Lucas. Unde subjungitur : *Ipse enim
Jesus testimonium perhibuit, quia Pro-
pheta in sua patria honorem non habet :*
quasi dicat Evangelista, Ideo recessit a
Nazareth, quia spreverunt eum contribu-
les ipsius. Alii vero affirmant oppositum,
et quod ait, Non est Propheta sine hono-
re, referunt ad tempus præteritum, quando
habitatores Nazareth spreverant eum, quo-
niam nondum viderant signa ejus, quæ
postmodum in Jerusalem conspexerunt,
sicut patebit.

Porro, quod dicit, Non est Propheta,
etc., Marcus plenius recitat hoc modo :
Marc. VI, 4. Non est Propheta sine honore, nisi in
domo sua, et in cognatione sua, et in pa-
tria sua. Quod non est intelligendum pro
omni tempore et singulis compatriotis.
Interdum enim Propheta seu alius qui-
cumque excellens, a suis compatriotis con-
temnitur, et interdum ab eis honora-
tur : ut patet de Isaia, quem Jerosolymitæ
IV *Reg.* XIX, 1-7; 20-34; XX, 4-11; 14-19. *Ibid.* XXI, 16. tempore Ezechiæ honoraverunt, tempore
vero Manassæ spreverunt et occiderunt.
Sed hoc universaliter verum est, quod
conterranei atque concives communiter
proniores sunt ad contemnendum Prophe-
tam seu alium eminentem inter eos na-
tum et conversatum, quam extranei. Quod
certum est oriri ex superbia atque in-
vidia : quoniam homines male ferunt,
A quod compares sui eis præferantur, et
concipiunt excellentiam illorum quasi mi-
norativam propriæ dignitatis, ita quod
comparatione illorum viliores videntur et
minus reputantur : de quo dolent, et ad
detrahendum aut persequendum provo-
cantur. Compatriotæ quoque melius sci-
unt mutuam imperfectionem quam alii,
et ubertim convertunt oculum mentis ad
considerandum alios secundum id quod
erant tempore pueritiæ, vel quando eis
non excellebant. Sed vera caritas exigit
B ut de perfectione et gratia compatriota-
rum, domesticorum et vicinorum, ampli-
us gaudeamus, eosque, imo Deum in eis,
puta in donis suis, veneremur.

Quum ergo venisset Jesus *in Galilæam* 45
patriam suam, *exceperunt eum Galilæi*
cum honore. Cujus ratio subditur : *quum
omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis
in die festo,* videlicet multa et magna
miracula quæ fecit in Jerusalem in festo
paschali, ut dictum est in Joanne. Pro- *Joan.* II, 23.
pter quæ credidit Nicodemus, et dixit :
C Nemo potest hæc signa facere quæ tu fa- *Ibid.* III, 2.
cis, nisi fuerit Deus cum eo. Quomodo
autem Galilæi viderunt hæc signa, sub-
jungitur : *Et ipsi enim* Galilæi *venerant
ad diem festum* Paschæ, quando Jesus
operatus est illa. Tenebantur enim præ-
cipue in solennitate paschali oblationem
facere in templo Jerusalem.

Venit ergo Jesus *iterum in Cana* villa 46
Galilææ provinciæ, *ubi fecit aquam vi-
num,* ut dictum est secundo capitulo. Se-
cundum Augustinum et Bedam, Galilæi
D acceperunt Jesum cum honore quodam
superficiali, non ex dilectione vel fide,
sed curiositate, propter signa prædicta ;
alii tamen aliter sentiunt.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI QUARTI, AB EO LOCO QUO DICITUR : ET ERAT QUIDAM REGULUS, CUJUS FILIUS INFIRMABATUR.

E*T erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.* In hac enim civitate, quæ fuit metropolis Galilææ, habitavit regulus iste cum filio suo febricitante. Denique, secundum Bedam, regulus iste vocatur diminutive, quasi parvus rex. Chrysostomus vero dicit, quod non erat parvus rex, sed regulus nominatur, quoniam regiæ stirpis erat. Alii dicunt, quod vocatur regulus, quia officialis erat Cæsaris, deputatus ad custodiam urbis Capharnaum. Quos sequitur quidam, reprobans dictum Bedæ, per hoc quod Romani volentes frangere superbiam Judæorum, abstulerunt eis regiam dignitatem, ita quod pro tunc nullus rex fuit in Judæa. Sed istud non videtur resolutum. (*Matth.* II, 1.) Herodes enim sub quo natus est Jesus, (*Ibid.* 16.) qui occidit infantes, rex fuit, (*Ibid.* I, 3, 9.) ut dicitur in Matthæo; similiter Herodes (*Marc.* VI, 16. *Luc.* XXIII, 7-12. *Matth.* XIV, 9; *Marc.* VI, 14, 25, 26.) qui decollavit Joannem, sub quo passus est Christus, dicitur rex apud Matthæum et Marcum. Et tamen regnaverunt in Judæa. Quemadmodum ergo nominati sunt reges, sic iste regulus dici posset. Abstulerunt autem Romani regiam dignitatem a Judæis, quantum ad hoc quod nullus de semine eorum regnavit, sed alienigenæ. Romani quoque jusserunt ut sine eorum consensu nullus assumeret nomen (*Joann.* XIX, 12.) regis. Propter quod infra habetur : Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Quidquid autem horum dicatur, certum est quod regulus iste fuit excellens persona, unus de principalioribus terræ.

47 *Hic* regulus *quum audisset quod Jesus adveniret a Judæa,* per Samariam, *in Galilæam.* Jam enim famosus factus fuit Jesus propter miracula sua, et propter Baptismum quo per se et per discipulos baptizavit, itemque propter Joannis Baptistæ testificationem : ideo fama ejus præcurrebat eum. Unde in Matthæo legitur, quia abiit opinio ejus in totam Syriam : quæ utique fuit grande regnum. (*Matth.* IV, 24.) *Abiit ad eum* in Cana Galilææ, ubi reperit Christum, *et rogabat eum ut descenderet* in Capharnaum, quæ fuit in situ bassiori quam Cana, *et sanaret filium ejus,* quem putavit non posse sanari a Christo, nisi corporaliter præsente. Nondum enim agnovit Jesum esse verum Deum ubique præsentem, et quod angeli sancti ejus essent ministri, quorum ministerio potuit omnes ægros curare. (*Hebr.* I, 7; *Ps.* CIII, 4.) Quod cognovit venerabilis ille centurio qui dicebat : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus, etc. (*Matth.* VIII, 8, 9.) *Incipiebat enim mori.* Hoc dicit Evangelista : primo, ad insinuandum cur regulus tantum festinavit ad Jesum, eumque tam obnixe deprecabatur; secundo, ad ostendendum miraculi magnitudinem, quia ejusdem potentiæ est mortuum suscitare, et letali infirmitate laborantem seu agonizantem sanare.

Dixit ergo Jesus ad eum : Nisi signa, 48
id est miracula divinæ potentiæ ostensiva, *et prodigia,* hoc est miracula aliquid in longum et posterum indicantia, secundum Bedam; vel potius miracula virtutem divinam procul a sensu positam signantia; *videritis, non creditis* me esse omnipotentem Filium Dei, qui corporaliter absens, secundum divinitatem omnia impleo, et cuncta ubique facere queo. (*Jer.* XXIII, 24.) Occasione hujus verbi Augustinus dicit, quod regulus iste accessit ad Christum, non

credens, sed tentans, volens experiri quis
aut qualis esset, et quantum posset. Gre-
gorius vero dicit oppositum, puta quod
credidit, alias filio suo non peteret so-
spitatem. Cur ergo dicitur ei, Nisi signa
videritis, non creditis? Respondit Grego-
rius, quod aliquid credidit, scilicet Jesum
posse ægrum sanare; et aliquid non cre-
didit, scilicet quod absens posset hoc fa-
cere.

Porro, secundum Theophilum, regulus
iste interfuit nuptiis in quibus aquam mu-
tavit in vinum, ideo credidit Jesum posse
agonizanti succurrere. Hoc tamen non ap-
paret aliis probabile : quoniam nuptiæ
Joann. II, 3. illæ pauperum erant, nam et vinum de-
fuit ibi, et secundum Hieronymum, Joan-
nes evangelista exstitit sponsus; regulus
autem iste potens valde præcipuus fuit
in populo. Unde potius reor quod illud
miraculum factum in nuptiis percepit au-
ditu : propterea concepit fiduciam oran-
di pro salute filii sui. — Denique, quum
I *Cor.* I, 22. dicat Apostolus, Judæi signa quærunt; et
Jesus nunc ait, Nisi signa et prodigia vi-
deritis, non creditis : idcirco auctor Scho-
lasticæ historiæ dicit, quod regulus iste
creditur fuisse de plebe et semine Judæ-
orum : quod alii non concedunt.

49 *Dicit ad eum regulus : Domine, de-
scende priusquam moriatur filius meus.*
Imperfectio fidei reguli elucescit, non tan-
tum in hoc quod corporalem Christi præ-
sentiam credidit necessariam, sed etiam
quia non cogitavit vel credidit quod pos-
set suscitare defunctum. Nempe sic orat,
Descende priusquam moriatur filius meus,
quasi putet quod mortuum, etiam de-
scendendo ad eum, suscitare non posset.
50 *Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit*
vita naturali et convenienti, id est, in
hoc momento, me operante atque secun-
dum corpus absente, sanatus est. *Credi-
dit homo sermoni quem dixit ei Jesus, et
ibat* ad filium suum. Jam merito regulus
appellatur homo, id est utens ratione ac
rationabiliter agens, dum credit Christo,
et voci ejus obedit, eundo non solum

A gressibus corporis, sed et mentis profe-
ctu proficiscens, videlicet ab imperfecta
fide ad fidem perfectam.

Jam autem eo descendente, servi occur- 51
*rerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia
filius ejus viveret,* id est, incolumis esset.
Tribus de causis obviaverunt servi hi re-
gulo : Primo, ut bonum nuntium appor-
tando, eum lætificarent quem tristissi-
mum putaverunt. Servi quippe optantes
amari a dominis suis, libenter annuntiant
læta ac prospera, sicut patet de Chusi et II *Reg.* XVIII,
B Achimaas, qui exercitu David prævalen- 21-23.
te, et Absalone occiso, cupiebant regi Da-
vid hoc nuntiare. Secundo, ut veritatem
rei domino suo intimantes, eum ab iti-
neris labore relevarent. Tertio, secundum
Origenem, quoniam filio jam sanato, puta-
bant præsentiam Christi superfluam, quem
cum regulo putabant venturum. *Interro-* 52
gabat ergo regulus *horam ab eis,* videli-
cet servis sibi occurrentibus, *in qua meli-
us habuerat* filius ejus. Hoc quæsivit, ut
certior fieret de veritate miraculi, ne forte
C filius suus a casu vel naturali causa esset
sanatus. Tamen, si ante scivit quod filius
suus letaliter infirmabatur, scire potuit
quod non valuit naturaliter reparari. Id-
circo forte horam quæsivit, ut alios, præ-
sertim domesticos suos, solidaret in fide.
*Et dixerunt ei : Quia heri hora septima
reliquit eum* subito et perfecte *febris* mor-
tifera, in tantum quod postea nullum
signum pristinæ infirmitatis in ipso ap-
paruit : sicut socrus Petri febricitans, a *Matth.* VIII,
Christo sanata mox surrexit atque ad men- 14, 15.
D sam ministravit : quod in febricitantibus
sanatis naturaliter non contingit.

Cognovit ergo pater filii jam sanati, 53
videlicet regulus, cujus proprium nomen
non explicatur : regulus nempe est no-
men officii vel dignitatis, non personæ;
quia illa hora, videlicet septima, *erat in
qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit. Et
credidit ipse* Jesum esse Christum filium
Dei, *et domus,* id est familia, *ejus tota,*
seu omnes sibi cohabitantes. Ex consi-
deratione enim horæ, cognoverunt quod

Digitized by Google

Jesus, etiam corporaliter absens, supernaturaliter operari curareque possit, et non qualitercumque, sed excellentissimo modo, utpote solo verbo, nutu atque imperio : quod non convenit puræ creaturæ. Verumtamen non videtur quibusdam quod explicite credidit Jesum esse Filium Dei naturalem, Deum verum, Deum et hominem : ad talem enim credulitatem homines tunc nondum tenebantur communiter. *Matth.* XXVII, 54; *Marc.* XV, 39. Sed sicut centurio qui stetit sub cruce, viso terræ motu et his quæ fiebant, et quia Jesus sic clamans exspirasset, credebat, Vere, inquiens, hic Filius Dei erat; sic credidit regulus iste. Credebant namque quod Jesus esset sanctus homo, magnus Propheta, Salvator mundi, Filius Dei : et hoc totum sic erat; sed ultra non determinabant an esset filius naturalis vel adoptivus.

Quidam præterea putaverunt quod re-
Matth. VIII, 5-13. gulus iste fuit ille centurio cujus puerum Christus in Capharnaum curasse describitur. Sed non est sic æstimandum. Pri-
Ibid. 6. mo, quoniam puer centurionis laborabat paralysi; iste filius febribus tabescebat.
Luc. VII, 2, 10. Secundo, quoniam ille fuit servus, secundum Lucam; iste filius fuit, secundum Joannem. Tertio, quoniam centurio roga-
Matth. VIII, 5. vit Jesum in Capharnaum exsistentem, secundum Matthæum; regulus vero rogavit eum in Cana. Quarto, quia regulo tanquam defectuoso in fide, dicitur, Nisi signa videritis, non creditis ; centurionis autem fides excellentissime commendatur,
Ibid. 10. Christo dicente, Non inveni tantam fidem in Israel. Quinto, quia centurio Christi
Ibid. 8. majestatem intelligens, dixit : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Regulus econtrario ait : Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Sexto, quia ad servum centurionis ire pa-
Ibid. 7. ratus fuit Salvator, dicendo, Ego veniam et curabo eum ; ad filium vero reguli ire non acquievit.

Quoniam ergo Filius Dei venit in mundum ostendere nobis viam ascendendi in cœlum per veram humilitatem, idcirco
A obtulit se paratum proficisci ad famulum centurionis. Ad filium vero reguli ire non voluit, non utique ex contemptu personæ, sed ut doceat nos quod alia sunt judicia Dei, atque alia judicia hominum, et ut potius pensemus in hominibus naturam qua ad Dei imaginem facti sunt, quam accidentalia bona quibus in hoc mundo præfulgent, item ne dedignemur abjectas visitare personas, et ut agnoscamus quod tanto quis a Deo plus reputatur et sublimatur, quanto ab hominibus magis despi-
B citur. Hinc scriptum est : Quod hominibus *Luc.* XVI, 15.
altum est, abominatio est ante Deum. De hoc multa conscripta sunt in Canonica
Jacobi : quorum hoc unum est, Nonne Deus *Jacob.* II, 5.
elegit pauperes in hoc mundo, divites in
fide? Et illud : Si personas accipitis, pec- *Ibid.* 9.
catum operamini. Verumtamen sæcularis potestas aspernanda non est, sed hono-
randa, dicente Apostolo : Non est pote- *Rom.* XIII, 1, 2.
stas nisi a Deo, et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Unde, quantum ad exteriorem reverentiam, magis honorare
C oportet prælatos ac principes, rectores et officiales, quam personas privatas ac inopes; sed quantum ad reverentiam interiorem, ceteris paribus, possumus plus honorare, hoc est reputare ac beatificare, abjectos, egenos et simplices, quam subli-
mes, quia similiores sunt Christo, et eo- *Matth.* V, 3.
rum est regnum cœlorum.

Quod autem in fine hujus capituli sub-
ditur, *Hoc iterum secundum signum fecit* 54
Jesus, quum venisset a Judæa in Galilæam, non est intelligendum quod huc-
D usque non fecit nisi duo miracula, quia
ut dictum est, in Jerusalem multa fecit *Joann.* II, 23.
miracula, sed quod istud fuit secundum signum quantum ad miracula facta in Galilæa. Et secundum Bedam, ideo Evangelista hoc dicit, ut ostendat quod ea quæ supra descripsit, alii Evangelistæ omiserunt.

Præterea, de moralitate hujus evange- *Sensus moralis.*
licæ lectionis multa dici possent, et plurima dicta sunt; nec opus est ea quæ ab aliis plenissime dicta sunt, huic loco in-

serere atque repetere. Sed brevem tangam moralitatem quæ videtur congruenter posse aptari.

Itaque, per regulum designatur spiritus rationalis seu intellectus, qui in regno animæ præsidet, omnesque potentias dirigit et gubernat : qui potius dicitur regulus quam rex, quia in ordine intellectualium essentiarum tenet infimum locum, in tantum ut naturaliter sit unibilis corpori. Unde secundum philosophos, sicut se habet materia prima in genere entium, sic anima rationalis in ordine intellectualium substantiarum. Filius hujus reguli est speculativus intuitus divinorum, qui est velut verbum prolesque mentis : qui infirmatur in Capharnaum, id est, in sensualitate et carne mortali multipliciter obfuscatur, impeditur, interrum-
Sap. IX, 15. pitur, deficit, languescit : quoniam deprimit terrena habitatio sensum multa
Rom. VII, 23. cogitantem ; et secundum Apostolum, invenitur alia lex in membris nostris, legi mentis repugnans, in tantum quod actus interioris hominis, propter ardorem sensualis concupiscentiæ ceterasque passiones, quasi febricitet.

Accedat ergo regulus iste humili, af-
I Cor. I, 24. fectuosa jugique prece ad Christum Dei sapientiam et virtutem, ut filium suum a prædictis incommodis curet, auferendo ab anima obstacula contemplationis cœlestium, impedimenta amoris fervidi divinorum, omnemque instabilitatem, et passionum inordinationem ac impetum, quatenus revelata facie gloriam Domini speculetur. Et utique, quum intellectualitas nostra sit naturaliter tam imperfecta, obscura atque fallibilis, indigemus continuo clementissimoque divinæ bonitatis succursu, quatenus nec ad momentum derelinquamur a Deo et gratiæ ejus influxu, ab illustratione divinæ sapientiæ, ab inflammatione ignis Spiritus Sancti, a conservatione potestatis supremæ : alias intellectus noster errabit, voluntas frigescet, memoria quoque nutabit, et pleni erimus calamitate, passionibus, distractionibus et peccatis. Qui ista

A intelligit ac perpendit, nequaquam gloriatur in se ipso, non de se ipso præsumit, aliis se non præfert, pensans illud Apostoli : Qui se putat aliquid esse quum *Galat.* VI, 3.
nihil sit, ipse se seducit; et quod apud Jeremiam legitur : Scio, Domine, quia non *Jer.* X, 23.
est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos.

Petat ergo regulus iste, seu intellectus noster, ut ipsemet Christus descendat ad sanandum filium suum, videlicet actum intellectualem, quoniam peccata auferre, B gratiam dare, in voluntatem directe immediateque agere, solius est Dei. Nec curet si sibi dicatur a Christo, Nisi signa videritis, non creditis : quoniam fides quamvis sufficiens sit, tamen per experientiam divinæ miserationis et gratiæ, per evidentiam divinæ præsentiæ, roboratur atque perficitur. Non ergo sufficiat intellectui nostro præsentia angeli, imo nec sola divina præsentia Christi ; sed corporalem ejus requirat præsentiam in Sacramento, quatenus corpus et sanguinem Dei propter C se incarnati devotissime amplectatur, epuletur, contineat. Dicat igitur, non ex incredulitate, sed fervida dilectione, quæ inquieta est donec adsit dilectus : Domine, descende priusquam moriatur filius meus, hoc est, antequam actus intellectivus a sensualitate vincatur, a tentationibus superetur, et antequam amorosa contemplatio divinorum in interioribus exstinguatur. Oremus itaque Christum, ut per Sacramenti exhibitionem introeat spiritum nostrum, omnemque effectum superdignissimi D Sacramenti illuc diffundat. Denique Moyses non contentus de ducatu angelico, ipsius Dei personalem requirebat præsentiam, dicens : Si non tu ipse præcedas *Exod.*
nos, ne educas nos de loco isto : in quo XXXIII, 15, 16.
enim scire poterimus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum? Sic et Isaias clamavit : Utinam *Is.* LXIV, 1.
dirumperes cœlos et descenderes.

Porro, quum Christus viderit spiritum nostrum tam ferventer instanterque precantem, dicet per effectum : Vade, filius

Digitized by Google

tuus vivit, hoc est, exaudita est deprecatio tua. Quo facto, tota domus spiritus nostri, videlicet omnia interiora animæ, cogitationes et affectiones, credent virtuose agendo, quoniam rationis imperio omnia subjicientur, et Deo obedient.

Et sicut regulus sollicitus fuit, Christumque accessit et instanter petiit pro sui carnalis filii corporali salute; sic omnis prælatus sollicitus esse, Christum ac-
A cedere, eumque ferventer ac jugiter deprecari debet pro gregis sibi commissi spirituali sanitate. — Præterea multi usque in hodiernum diem sunt, qui licet habeant fidem informem et mortuam, non tamen credunt, loquendo de fide formata et viva seu operatoria, nisi signa et prodigia viderint, scilicet ultionem divinæ justitiæ in aliquibus impiis, vel aliquid simile.

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO QUINTI CAPITULI : POST HÆC ERAT DIES FESTUS JUDÆORUM, ET ASCENDIT JESUS JEROSOLYMAM.

NUNC rursum Evangelista commemorat signum magnificum a Christo peractum, ab aliis Evangelistis omissum, et de indiscreto zelo Judæorum, quomodo etiam Christus occasione hujus prodigii, magna et profunda ad Judæos locutus est.

1 *Post hæc* quæ in præcedenti capitulo gesta narrantur, *erat dies festus Judæorum.* Non exprimitur quæ fuit ista festivitas; sed certum est quod fuit una de festivitatibus Judæorum præcipuis : et communiter dicitur quod erat solennitas Pentecostes, videlicet festum Novorum,
Num. xxviii, 26. quando Domino offerebantur primitiæ frugum. *Et ascendit Jesus Jerosolymam,* quæ erat altior situ Galilæa : ideo Christus eundo illuc a Galilæa ascendit. Ivit igitur, ut legem Mosaicam approbaret et impleret, humilitatisque et obedientiæ exemplum nobis relinqueret, salutaribus documentis atque miraculis populum Judæorum, ad
Matth. xv, 24. quem fuerat specialiter missus, converteret. Dictum est enim, quod Judæi secundum præceptum legis, tenebantur in
Deut. xvi, 16. tribus præcipuis festis coram Domino apparere, hostiamque offerre in loco divini cultus divinitus præelecto, qui fuit Jerusalem a tempore David vel constructionis templi.

B *Est autem Jerosolymis Probatica,* id est ovinaria seu ovina, *piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida,* id est domus ovium vel pecorum. Hæc enim piscina prope templum fuit, in qua colligebantur aquæ pluviales, ut hostiæ templi, quæ communiter erant de ovibus, lavarentur in ea antequam immolarentur in templo coram Domino. Probatica autem dicitur a πρόβατον Græce, quod Latine dicitur ovis. *Quinque porticus habens* in gyro, videlicet quædam ædificia per quæ C Nathinæi accedebant ad aquam causa lavandi hostias offerendas, quæ etiam jacebant in porticibus istis, quousque essent lotæ. Circumsepta itaque fuit piscina tam multis porticibus, ut ministri per plura loca haberent accessum ad aquam, et loca illa sufficerent ad continendum hostias Domino immolandas. 2

In his porticibus *jacebat multitudo* 3
magna languentium, diversis infirmitatibus tabescentium, utpote *cæcorum, claudorum, aridorum,* seu contractorum, *exspe-*
D *ctantium aquæ motum* ab angelo fiendum,
infirmitatis curativum. *Angelus autem* 4
Domini descendebat secundum tempus, id est determinatis temporibus, tamen incertis et interruptis, *in piscinam, et moveba-*

Digitized by Google

tur aqua ab angelo, motu forti ac turbu- A
lento, ita quod certum fuit motum illum
ab angelo factum, non a vento, vel causa
naturali. Et quoniam hora angelicæ de-
scensionis fuit incerta, ideo languidi jace-
bant ibi continuo, quasi semper parati, et
optantes se invicem prævenire in ingressu
piscinæ. Cujus ratio subinfertur : *Et qui
prior descendebat in piscinam post motio-
nem aquæ :* piscina dici potest, vel ipsa
aqua, vel receptaculum aquæ; *sanus fie-
bat a quacumque detinebatur infirmitate,*
efficienter et principaliter a Deo, cui soli B
competit a qualibet invaletudine propria
virtute liberare, instrumentaliter vero ab
angelo, dispositive autem ab aqua, quæ
ex descensu motioneque angeli quamdam
sortiebatur efficaciam ad curandum.

Sed cur Dominus tantam reverentiam et
virtutem contulit huic aquæ? Ad hoc ali-
qui dicunt, quod propter lignum domini-
cæ crucis, quod in ea natasse et circa
passionem enatasse affirmant. Alii dicunt,
quod ad præfigurandum virtutem Bapti-
smatis Christi tunc propinquantis, in quo C
omnis qui descenderit, ab omni peccato
purgatur. Quidam vero dicunt, quod pro-
pter dignitatem legalium hostiarum, quæ
ibi lavabantur, et præsertim in quantum
hostiæ illæ immolationem Christi in cruce
præfigurabant, per quam totum genus hu-
manum redemptum est. Mihi videtur con-
venienter dici, quod Deus ex sua mise-
ricordia, propter prædictos infirmos ac
inopes fecit hanc gratiam.

Mystice, per piscinam intelligere pos-
sumus fontem Baptismatis, vel sacramen- D
Ps. xxxi, 5; *Prov.* xxviii, 13. tum Confessionis, in qua omnia lavantur,
vel quotidianum baptismum lacrimarum
sanctarum; per descensum vero angeli,
operationem et influentiam Christi, qui
Is. ix, 6, juxta LXX. est magni consilii angelus, et in quolibet
trium prædictorum principaliter operatur,
vimque curandi largitur. Sed figura non
adæquatur figurato. Idcirco Christus agit
in Baptismo et Confessione, non solum
sæpe, sed indesinenter quotidie; nec so-
lum curatur unus, videlicet primus, sed
omnis quicumque sacramenta ista digne
susceperit.

Erat autem quidam homo ibi triginta 5
et octo annos habens in infirmitate sua.
Species hujus infirmitatis non explicatur,
sed creditur fuisse paralysis, nam homo
iste jacebat in lecto. *Hunc quum vidisset* 6
Jesus oculo corporali, et compassionis af-
fectu,* *et cognovisset quia jam multum* * [jacentem.]
tempus haberet, id est, diu infirmatus fu-
isset : hoc enim Jesus in se ipso a prin-
cipio suæ incarnationis cognovit futu-
rum, quod nunc vidit in præsenti; *dicit
ei : Vis sanus fieri?* Certum est quod il-
la quæstio non processit ex ignorantia :
imo quicumque alius scire potuit, quod
omnes ibi jacentes et aquæ motum præ-
stolantes, cupiebant sanari. Sed quærit,
ut in ægro desiderium recipiendæ cura-
tionis provocet, sicque dignior sit ad be-
neficium sanitatis sumendum. Denique
specialiter hunc unum affatur et curat,
quia miserabilior fuit, et jam pro peccatis
suis longissima molestia fuerat castigatus.
Ideo Dominus qui vulneravit, medetur; et *Job* v, 18.
qui percussit, denuo sanat. Scriptum est *Deut.* xxxii, 39.
enim in Tobia : Quum iratus fueris, mi- *Tob.* iii, 13.
sericordiam facies. Longanimiter ergo et
patienter est sustinenda castigatio Dei, imo
omnis molestia corporis atque adversitas,
juxta quod scriptum est in Judith : Non *Judith* viii, 26, 27.
ulciscamur nos pro his quæ patimur; sed
reputantes peccatis nostris hæc ipsa sup-
plicia minora esse, flagella Domini, quasi
servi qui corripimur, ad emendationem
et non ad perditionem nostram evenisse
credamus.

Respondit ei languidus : Domine. Vo- 7
cat Jesum Dominum, quasi venerabilem
virum; sed aliud nihil scivit de eo. *Ho-
minem* servientem seu adjuvantem *non
habeo, ut quum turbata,* id est ab ange-
lo vehementer concussa et mota, *fuerit
aqua, mittat,* id est, ante alios deferat,
me in piscinam : dum venio enim ego,
qui præ languore cito ire non valeo, *alius*
languidus *ante me descendit* in aquam.
Dicit ei Jesus, cujus dicere est facere : 8

Digitized by Google

Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. A
9 *Et statim sanus factus est homo ille.* In
quo ostenditur omnipotentia Christi, tam
inveteratum languorem, in instanti imperiose curantis. Virtus nempe divina quum
sit infinita, operatur in instanti : quod
naturæ non convenit, quia in transmutationibus rerum de contrario in contrarium, agit successive. Unde, secundum Dionysium, Natura non transit a distanti in
distans, nisi per media. *Et sustulit grabatum suum, et ambulavit.*

Per languidum istum ambulare non valentem, intelligitur piger et negligens mala B
consuetudine pressus, qui in delectatione
vitiosa et usu peccati, quasi in grabato
jacet. Huic, imo et omni peccatori, dicit
Christus quotidie, per admonitionem sacræ Scripturæ : *Vis sanus fieri?* Quum
Ezech. xxxiii, 11; xviii, 23, 32. enim Dominus ait per Ezechielem, Nolo
mortem peccatoris, sed ut convertatur et
Zach. i, 3. vivat; et per Zachariam, Convertimini ad
me, et convertar ad vos; itemque per Jo-
Joel ii, 32. elem, Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit : quid aliud lo- C
quitur, nisi, Vis sanus fieri ? tanquam
dicat : Ego sum medicus animarum; fac
quod in te est, acquiesce monitis meis,
et sanabo te. *Surge* a ruina peccati, *tolle
grabatum tuum,* id est, delectationem peccati in qua quiescis, aufer et porta super
te per compunctionem et satisfactionem,
Apoc. xviii, 7. quatenus quantum glorificasti te in deliciisque fuisti, tantum imponas tibi luctum et afflictionem, exemplo Prophetæ
Ps. vi, 7. dicentis, Laboravi in gemitu meo, lavabo
per singulas noctes lectum meum; *et am-* D
bula regia via in divinis præceptis : de
Prov. iii, 17. quibus in libro Proverbiorum legitur, Viæ
ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus
Ps. cxviii, 32. pacificæ. Imo viam mandatorum Dei per-
Josue xxiv, 14. curre, implens illud Josue : Servite Domino corde perfecto atque verissimo. Quanto enim animo promptiori ac ferventiori
fecerimus opera Dei, tanto amplius promeremur.

Erat autem sabbatum, id est quies et
cessatio ab operibus servilibus, *in die illo.* Imo hæc dies fuit sabbatum, id est
dies septima ac festiva. *Dicebant ergo Ju-* 10
*dæi illi qui sanus fuerat factus : Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum
tuum.* Si Judæi putaverunt eum lectum
suum portare sine speciali Dei commissione, et necessitate seu dispensatione, excusabiles erant. Tamen ad minus materialiter falsum locuti sunt. Labor enim
exterior ad divinum honorem directe ordinatus seu pertinens, licebat in sabbato,
quemadmodum sacerdotes sabbatis templum ornabant, hostias aptabant ac im- Num. xxviii, 9.
molabant. Bajulatio autem lecti ab isto
sanato, fuit ad ostensionem divinæ potentiæ et gloriam Christi : velut si quis die
dominica miraculose liberatus a carcere,
deferat ad ecclesiam vincula sua ad glorificandum Deum. Fuit quoque ex dispensatione summi dispensatoris, qui legem
dedit, et ad spiritualem legis intelligentiam introduxit. Unde subjungitur : *Re-* 11
spondit eis iste sanatus : *Qui me salvum** * sanum
fecit a paralysi, imo a labe peccati : quoniam Christus, cujus perfecta sunt ope- Deut. xxxii, 4.
ra, sanavit in anima quos curavit in corpore; *ille mihi dixit : Tolle grabatum
tuum, et ambula,* id est, ea potestate qua
me miraculose curavit, eadem auctoritate
mihi præcepit quod facio.

Interrogaverunt ergo eum : Quis est il- 12
*le homo qui dixit tibi, Tolle grabatum
tuum, et ambula?* tanquam dicant : Ostende nobis talem tam malum et legis
contemptorem, ut culpam tuam puniamus
in eo. Isti qui curatorem hujus paralytici purum hominem æstimabant, homines
erant, eo modo quo dicit Apostolus : Quum I Cor. iii, 3.
sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?

Is autem qui sanus fuerat effectus, ne- 13
sciebat quis esset, id est, nomen et famam
Christi ignoravit, nec quidquam audivit
de eo : et forte oblitus fuit dispositionis
Christi in vultu ac habitu, ita quod neque
per circumlocutionem et signa indicare
potuit quisnam esset : quo modo Ocho-

IV Reg. i, 8. zias rex Israel cognovit Eliam, audito quod
homo pilosus et zonam pelliceam circa
renes habens, famulis suis obviasset, ut
legitur in libris Regum. Jesus enim statim
recessit ab homine isto, sicut subjungitur :
Jesus autem declinavit a turba constituta in loco ubi paralyticum istum sanavit,
vel ubi turba eum de grabati bajulatione
redarguit. Declinavit autem a turba, erudiens nos ut post perpetrationem excellentium operum, fugiamus humanum honorem hominumque applausum, amantes
nesciri ; secundo, quia interdum ad tempus divertendum est a calumniatoribus, et
ingratis cedendum ; item, ut quietum locum quæramus ad vacandum Deo : in
turba enim plurima occurrunt devotionis
ac puritatis obstacula. Et forte ad litteram
Christus recessit a turba, habens aliud
salutare opus alibi expedire.

14 *Postea invenit eum Jesus in templo,* ad
quod sanatus iste convenit ut Deo ageret
gratias. Sic et nos, si Jesum invenire et
ab eo inveniri optamus, intremus templum ejus materiale ac spirituale, visitando ecclesiam, et redeundo ad propriam
mentem per contemplationem et vitæ nostræ discussionem, atque internam in om-
Ps. x, 5. ni virtute exercitationem. Dominus enim
in templo sancto suo. *Et dixit illi : Ecce
sanus factus es* mente et corpore ; *jam
noli peccare,* id est, propositum habe cavendi omne peccatum pro posse, *ne deterius tibi aliquid contingat,* id est, ne
major pœna tibi in præsenti, vel æterna
damnatio infligatur : quoniam recidivantes atque ingrati graviorem pœnam merentur. Ex quibus elicitur, quod æger iste propter peccata sua incidit languorem
præfatum. Quomodo autem Deus diversis
de causis homines nunc flagellat, infra,
Joann. ix, 3. Deo præstante, dicetur, ubi de cæco nato
agetur.

15 *Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis
quia Jesus esset qui fecit eum sanum.* Dicunt aliqui, quod malitiose hoc fecit, tanquam ingratus. Et hoc videtur ex eo quod
Judæi eum increpabant de lecti sui por-
A tatione, et quum se excusasset per commissionem sui sanatoris, Judæi dixerunt :
Ubi est ille ? Ex quibus conjicere potuit
quod Judæi volebant culpam retorquere
in illum. Propter quod publicando Jesum,
exposuit eum calumniatorum persecutioni. Alii dicunt oppositum, scilicet, quod
simplici animo hoc egit, ne esset ingratus, et ut Christum glorificaret. Et probant per hoc quod Jesus sanavit istum
in mente sicut in corpore : ideo non fuit
tam improbus. Sed quidquid sit de veri-
B tate rei, istud argumentum facile solvetur per evangelicam veritatem : quia ut
legitur in Luca, quum Jesus decem le- Luc. xvii, 12-14.
prosos curasset, unus dumtaxat reversus Ibid. 15, 16.
est gratias agens, et alii facti fuerunt
ingrati. Propter quod Christus dicebat :
Nonne decem mundati sunt ? Et novem Ibid. 17, 18.
ubi sunt ? Non est inventus qui rediret
et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.
Nihilo minus omnes illi etiam mente sanati fuerunt ; sed rursus in culpam prolapsi sunt, et forte a sacerdotibus subver-
C si. Sic dici posset de isto. Potius tamen
arbitror, quod non malitiose, sed bona
intentione fecit quod dictum est, putans Judæos agnito actore miraculi meliorandos.

Propterea persequebantur Judæi Jesum, 16
detrahendo et comminando, *quia hæc faciebat in sabbato,* scilicet, quod hominem
curavit, et ei lectum ferre præcepit.

Jesus autem respondit eis, ostendens se 17
non esse legis vel sabbati transgressorem,
sed Patri æterno conformem in operando.
D Quemadmodum enim apud Matthæum ex- Matth. xii, 1-4.
cusat discipulos sabbato spicas evellentes
et confricantes, a transgressione sabbati,
per hoc quod David simile fecit ; sic nunc
excusat se a transgressione sabbati, per
hoc quod Pater eodem modo operatur ut
ipse. *Pater meus* cœlestis et naturalis,
usque modo operatur : id est, a principio
mundi usque in præsens, imo et usque
in sempiternum, indesinenter agit in rebus, totum universum in esse conservando, gubernando, corrupta restaurando ;

Digitized by Google

agit quoque animas rationales quotidie creando, impios justificando, purgatos ab omni reatu in cœlis beatificando, panem et vinum in corpus et sanguinem Christi transsubstantiando; et alia ineffabilia jugiter operatur, præsertim in Ecclesia triumphanti, quæ ignoramus.
Eccli. XLIII, 36. Pauca quippe videmus operum ejus, ut dicitur in Ecclesiastico, ubi et scribitur :
Ibidem. Multa sunt abscondita majora his. Quod vero in Genesi legitur,
Gen. II, 2. Requievit Deus ab omni opere quod patrarat, intelligendum est quantum ad productionem novarum specierum entis. *Et ego operor,* sicut et Pater, imo eadem quæ Pater, quia indivisus ab illo in natura et opere. Quemadmodum ergo Deus Pater prædicta omnia operans etiam sabbato, non arguitur quasi sabbati violator; ita nec ego argui debeo, qui confractum restauravi, et ad demonstrationem divinæ virtutis, eidem præcepi grabatum bajulare.

Ad intelligendum hæc verba sublimia, oportet advertere quod aliquid est causa alterius dupliciter : Primo, quantum ad illius inceptionem, et quoad esse ipsius, sed non quoad permanentiam ejus : quemadmodum homo generans est causa filii sui, et artifex causa ædificii. Unde, si pater vel artifex moriatur, nihilo minus filius et ædificium permanent atque subsistunt. In talibus ergo causatum non dependet a sua causa, quantum ad permanentiam. — Secundo, unum est causa alterius, quantum ad inceptionem et permanentiam ejus : quemadmodum sol est causa luminis et diei. Unde, si ad momentum sol deesset, dies deficeret. Et hoc modo est Deus causa rerum : creaturæ enim plus dependent a Creatore, quam aliquid creatum a causa creata. Propterea, si Deus relinqueret ens creatum sibi ipsi, suæ omnipotentiæ manutenentiam in ictu oculi subtrahendo seu suspendendo, mox universa mundanæ machinæ fabrica in nihil decideret, atque in se ipsa annihilata deficeret, sicut ex nihilo in esse surrexit. Et hoc ipsum, si non fallitur Albertus, scripsit et docuit Aristoteles in epistola de Principio universi. Hinc quoque, non solum secundum Platonem et Proclum, sed etiam teste principe theologorum sacratissimo Dionysio, Deus est causa rerum, non solum quasi nunc causans, sed quasi incessabiliter eas producens, propter incessantem suæ conservationis influentiam indesinentemque illarum dependentiam.

Hinc igitur asserit Filius Dei : Pater meus usque modo operatur. Non enim minoris potentiæ est creata manutenere in esse, et totum universum conservare in nihilo (quia nihil est extra universum fulciens ipsum, nisi Deus), quam eadem produxisse atque in nihilo collocasse. Hinc Proclus subtilissimus Platonicus scripsit in Elementatione sua theologica : Totus mundus ab intellectu substantiam habet; etsi perpetuus sit, non propter hoc non procedit ab intellectu, sed et procedit semper, et conversus est semper, et perpetuus secundum essentiam, et insolubilis secundum ordinem.

Judæi ergo ex verbis Christi jam præinductis intelligentes quod Jesus comparasset se Deo in virtute et operatione, dixissetque se esse naturalem Filium Dei, Patri æqualem, putaverunt eum blasphemum,
et fecerunt quod subditur. *Propterea er-* 18
go, videlicet, quia æquavit se Patri, *magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum,* secundum eorum falsam opinionem, *sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens,* id est esse dicens, *Deo* Patri. Sæpe in Scripturis, et etiam in communi modo loquendi, sumitur Facere pro Dicere vel Cogitare. Quoniam ergo secundum legem, gravior graviusque punienda fuit blasphemia, quam transgressio sabbati, ideo Judæi quærebant Jesum quasi blasphemum occidere.

Sed quia Judæis visum fuit quod Jesus derogavit honori divino æquando se Patri æterno, idcirco Christus ostendit quod per hoc non derogavit Patri. *Respondit*

Digitized by Google

19 *itaque Jesus, et dixit eis : Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Sed ex hoc Arius et Eunomius arguerunt quod Filius esset ex se infirmus, et per consequens minor Patre, et pura creatura : et satis difficile apparet quomodo sit verus Deus atque omnipotens, quia a se non potest quidquam. Sed non est impossibile ista dissolvere. Ut enim ostenderet Christus se a Patre esse recepisse, et habere quidquid est et habet, ita dicit, Non potest Filius a se facere quidquam : tanquam dicat, A me ipso non sum, sed esse et potestatem accepi a Patre. Itaque, Non potest a se, id est virtute non accepta, ut in eo est, facere quidquam, quia Filius non habet nisi virtutem acceptam, hoc est a Patre sibi communicatam. Denique, secundum Hilarium et Thomam in Summa contra gentiles, quamvis Filius non potest a se quidquam facere, potest tamen per se omnia facere, utpote propria virtute, quæ quum sit una numero in Patre et Filio ac Spiritu Sancto, est causa quod quælibet divina Persona est causa omnium rerum principalis atque omnipotens, et nulla est instrumentalis respectu alterius. — Quod vero adjecit, Nisi quod viderit Patrem facientem, non est sic intelligendum quasi alia sit visio seu intellectualis cognitio Filii, et alia Patris : imo sicut in Patre et Filio est unus numero intellectus, ita et visio una. Nihilo minus Pater videt Filium ejusque opera, et econtra : quoniam in utroque est plenitudo Divinitatis, quæ omnem perfectionem et actualitatem supersimplicissime prorsusque incomprehensibiliter comprehendit. Neque enim sic Filius videt Patrem et opera ejus, quasi aliquid aliud sit visio illa quam Filii deitas atque essentia. Quemadmodum ergo per eamdem essentiam Pater Filiusque subsistunt et Deus sunt, sic eadem visione Filius videt Patrem et opera ejus, Pater quoque Filium et opera ejus.

Hæc est una interpretatio hujus loci. Potest autem et ita exponi : Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Tanquam diceret : Hoc quod Filius videt facere Patrem, hoc etiam potest ipse Filius facere a se, id est per se propriaque quamvis collata virtute; alia vero non potest facere Filius. Et sic Christus per verba hæc probat se non posse peccare : quod ei imposuerunt Judæi. Si enim Filius nihil potest facere nisi quod viderit Patrem facientem, tunc procul dubio, sicut Pater non potest peccare, ita nec Filius. — Postremo, verba ista intelligi possent de Christo secundum assumptam naturam, secundum quam certum est quod non potest facere quidquam a se.

Insuper Christus testatur, quod Pater non est factor principalior nec universalior Filio, et quod opera amborum sunt indivisa, ita quod Pater et Filius sunt unus factor, Creator et gubernator, non duo factores : per quod hæresim Arianorum confundit. *Quæcumque enim ille,* videlicet Pater, *fecerit, hæc* eadem opera *et Filius* secundum naturam divinam *similiter facit,* id est æque principaliter et auctoritative, non instrumentaliter et ministrative. Per hoc ergo quod ait, Quæcumque, ostenditur quod operatio Patris non extenditur ultra operationem Filii. Propterea Filius est prima et universalis causa, prout in Apocalypsi loquitur : Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis. (*Apoc.* I, 8; XXI, 6; XXII, 13.) Unde in Michæa habetur : Et tu, turris Gregis nebulosa, (*Mich.* IV, 8.) ad te veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Ubi per potestatem primam, ad litteram intelligitur Christus, qui teste Apostolo, est virtus et sapientia Patris, (I *Cor.* I, 24.) portans omnia verbo virtutis suæ. (*Hebr.* I, 3.) Hoc quoque in Proverbiis manifeste ostenditur, ubi Sapientia de Deo effatur : Quando (*Prov.* VIII, 27, 29, 30.) præparabat cœlos aderam; quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Per hoc autem quod ait, Hæc, docet quod eadem numero sunt opera Patris et Filii. Quumque natura sit

Digitized by Google

operationis principium, sequitur quod Patris et Filii sit una natura : una utique numero, non genere vel specie, quia divina natura multiplicari non potest. Per hoc vero quod subditur, Similiter facit, patet quod Pater operatur per Verbum seu Filium, non sicut artifex per ministrum vel instrumentum, sed sicut amicus per amicum, rex per regem, judex per judicem, non subalternatum, sed comparem.

20 *Pater enim diligit Filium,* hoc supra
Joann. III, 35. scriptum atque expositum est. Et nunc addi potest, quod dilectio non est principium emanationis Filii a Patre, quia non procedit a Patre per voluntatem, aut libere libertate contingentiæ vel ad utrumlibet, sed naturali emanatione. Nihilo minus Pater diligit Filium vere et intensive, infinite, sumendo dilectionem absolute, ita quod habet se quasi concomitanter ad emanationem.

Denique multæ sunt rationes dilectionis, quæ maxime et superexcellenter inveniuntur inter Patrem et Filium, imo inter tres supersublimes, æternas, increatas Personas, hoc est in ipsa Trinitate, una, superessentiali, simplicissima Deitate. Interdum enim dicimus, quod agnitio est causa dilectionis, videlicet ut via ad dilectionem; interdum, quod bonum est causa dilectionis tanquam objectum; interdum vero similitudo appellatur causa amoris; sed et communicatio est causa amoris; sæpeque dicimus, quod nihil sic accendat amorem, quomodo si quis sciat se amari ab alio. Quum ergo Pater et Filius se invicem perfectissime comprehendant, et Filius Patri omnino simillimus sit, uterque quoque infinitæ bonitatis et sanctitatis exsistat, Paterque dederit Filio totum quod suum est, puta divinam essentiam, quam transfundit in eum, et Filius tantum bonum a Patre susceperit, Pater etiam sciat se amari a Filio immenso amore, et econtra; hinc constat, quod in divinis Personis sit quomodolibet omniformiterque plenissima ratio mutuæ dilectionis. Quæ quum sit infiniti ardoris, et rei summæ, præ-

A sentis, perfectissime quoque conjunctæ, palam quod dilectio trium Personarum ad invicem sit vere immensæ dulcedinis infinitæque pacis. Et dulce, sanctum ac deiforme est, hoc nunc fideliter contemplari, sincere adspicere, atque in contemplatione tam alta cordialiter affici, divinæ beatitudini congratulari, a sensibus rapi, in divitias gloriæ absorberi. Beatus qui sic gustat quam dulcis et felix est *Ps.* XXXIII, 9. Deus; beati mundi corde, studiosi et af- *Matth.* V, 8. fectuosi in obsequio Dei, ferventes atque B solliciti quomodo Creatorem suum honorent, eumque ab aliis honorari conspiciant. Maledictus vero qui facit opus Dei *Jer.* XLVIII, 10. negligenter, qui intimorate ambulat coram *Mich.* VI, 8. Altissimo.

Et omnia demonstrat ei quæ ipse facit, id est, Deus Pater dat Filio notitiam omnium operum suorum : generando enim Filium, dat ei divinam essentiam, et per consequens æternam et infinitam sapientiam omnium intuitivam. Sic ergo Pater demonstrat Filio, non quasi ignoranti, aut C præexsistenti et demum instructo, sed quasi totum suum esse, posse ac nosse a Patre suscipienti. Quidquid enim Patris est, communicatum est Filio, et resplendet in eo sicut in naturali et plena imagine Patris. Et quoniam Filius propter nos instruendos ac redimendos homo factus *Joann.* I, 14; fuit, et inter homines socialiter vixit, id- *Baruch* III, 38. circo altitudinem sapientiæ suæ aptavit et proportionavit capacitati intelligentiæ nostræ, loquendo nobis de rebus incomprehensibilibus ac divinis humano modo, D quatenus sic ea aliqualiter caperemus. Unde de æternis loquitur nobis per verba temporalia secundum omnes differentias temporis, quia et ipsa æternitas comprehendit ac continet omne tempus. Sicque loquendo nunc subditur :

Et majora his demonstrabit ei opera, id est mirabilia excellentiora signis quæ hucusque in Jerusalem feci : nam illuminatio cæci nati et suscitatio Lazari, major fuit quam curatio paralytici. Convenientius tamen opera ista majora intelliguntur

Digitized by Google

spiritualia miracula Christi in conversione hominum facta, secundum quod majus dicitur impium justificare, quam mundum creare. Christus enim quosdam omnino mirabiliter convertit et sibi attraxit. Sed et miracula facta in passione, in resurrectione, ascensione, et Spiritus Sancti missione, magna nimis fuerunt. Itaque, per hoc quod ait, Demonstrabit, non datur intelligi quod Filius secundum divinam naturam aliquid accipiat in futuro : imo nec secundum humanam naturam hoc ei proprie competebat, præsertim quum anima B Christi, a suæ conditionis exordio, plena fuerit sapientia, virtute et gratia. Sed loquitur sic propter duo : Primo, quia ut dictum est, æterna emanatio Verbi seu receptio Filii a Patre, omne tempus includit. Secundo, quoniam in Scripturis dicitur aliquid fieri, quum aliis innotescit. Quoniam ergo postea innotuerunt Judæis majora opera Christi, quam hucusque, propterea dixit Filius, quod Pater demonstraturus esset sibi opera præclariora. Ut sit sensus : Majora his demonstrabit, id est, C se ei demonstrasse ostendet, opera, quando videlicet talia fient.

Ut vos miremini. Si admiratio accipiatur secundum se, sistendo in ea, tunc non fuit finis hujuscemodi demonstrationis miraculorumque Christi, sed assecuta est ad opera Christi : sicque, Ut, ponitur A concomitanter, non causaliter. Juxta quem sensum dicit Apostolus : Mittet illis Deus spiritum erroris, ut credant mendacio ; et Psalmista, Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis. (II Thess. II, 10. — Ps. L, 6.) Si autem sumatur miratio prout inducit ad fidem, videlicet, ut est via ad conversionem, sic potest dici finis mirabilium operum Christi : sic tamen, ut ista miratio conversionem mirantis includat. Ad hoc quippe fecit Christus miracula, ut Judæi videndo admirandoque crederent.

Advertendum quoque, quod licet ea quæ dicta sunt ab illo loco, Pater diligit Filium, accipi possint de Filio etiam secundum humanitatem assumptam, secundum quam Pater notificavit seu demonstravit Filio omnia opera sua, quoniam quidquid Deus cognoscit scientia visionis, videlicet omnia quæ unquam fuerunt, sunt, vel erunt, cognoscit et anima Christi ; illud tamen, Quæcumque ille fecerit, scilicet Pater, hæc et Filius similiter facit, non convenit Christo, nisi ut vero Deo. Imo per illud verbum aperte confunditur hæresis Arii dicentis, quod Filius sit pura creatura. Sic enim Pater fecisset Filium. Si ergo quæcumque facit Pater, facit et Filius, sequitur quod Filius fecisset se ipsum, loquendo semper de Filio secundum naturam suam superiorem.

ARTICULUS XIV

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS HUJUS CAPITULI QUINTI, AB EO LOCO QUO DICITUR : SICUT ENIM PATER SUSCITAT MORTUOS ET VIVIFICAT.

DIXIT jam Christus paulo ante, quia quæcumque facit Pater, facit similiter Filius, et quod majora Pater opera demonstraret Filio, quam hucusque fecit Filius coram Judæis. Nunc Christus declarat hoc quasi exemplificando.

D *Sicut enim Pater suscitat mortuos* mor- 21
te naturæ, et morte culpæ, hoc est mortuos corporaliter per discessum animæ, et mortuos spiritualiter per amissionem caritatis et gratiæ, *et vivificat* eos. Mortuos namque corporaliter, suscitat atque vivi-

Digitized by Google

ficat Pater, animam corpori reuniendo, ut A
totum compositum habeat vitam naturæ,
sicut et ante mortem habebat. Unde in
1 *Reg.* II, 6. libris Regum inducitur : Dominus mortifi-
cat et vivificat, deducit ad inferos et redu-
Sap. XVI, 13. cit. Deus enim habet imperium vitæ et
mortis. Mortuos vero spiritualiter (de qui-
Matth. VIII, 22. bus ait Salvator apud Matthæum, Dimitte
mortuos sepelire mortuos suos), suscitat,
itemque vivificat Pater, culpam delendo
et gratiam restituendo, prout ad Ephesios
Ephes. II, 5. Apostolus dicit : Quum essemus mortui
peccatis, convivificavit nos Christo. *Sic et* B
Filius, quos vult vivificat : non utique
alios aut pauciores quam Pater, sed eos-
dem et æque multos, quoniam operatio
Patris et Filii ad extra, est penitus indi-
visa. Et idem dicendum est de Spiritu
1 *Cor.* XII, 11. Sancto, de quo fatur Apostolus : Hæc om-
nia operatur unus atque idem Spiritus,
dividens singulis prout vult. Unde de Filio
nunc dicitur, Quos vult vivificat, ad in-
sinuandum quod Filius agit sponte, im-
perialiter et propria auctoritate, tanquam
verus Deus, secundum quod dicit Aposto- C
Ephes. I, 11, 5. lus : Omnia operatur secundum propositum
voluntatis suæ. Quod autem Filius spiri-
tualiter suscitet, claret ex verbo Apostoli :
Ibid. V, 14. Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis,
et illuminabit te Christus. Sed quum de
Patre dictum est, Sicut Pater suscitat mor-
tuos et vivificat : quare de Filio non sub-
ditur, Sic et Filius, quos vult suscitat et
vivificat, nisi quia suscitatio in vivifica-
tione includitur ?

22 *Neque enim Pater judicat quemquam,*
sed omne judicium dedit Filio. Quomodo D
verum est hoc ? Si enim indivisa sunt ope-
ra Patris ac Filii, quemcumque judicat
Filius, judicat Pater. Iterum, quomodo Pa-
ter non judicat, sed Filius, quum infra
Joann. VIII, 15, 50. Filius dicat, Ego non judico quemquam,
est qui quærat et judicet, scilicet Pater ?
Et si Pater non judicat quemquam, quo-
Job XXXIV, 10, 11. modo verum est illud in Job, Absit a Deo
impietas et ab Omnipotente iniquitas, opus
enim hominis reddet ei, et juxta vias sin-
gulorum restituet ? Denique, quod conve-
nit Deo absolute, secundum naturam Divi-
nitatis, convenit cuilibet divinæ Personæ.
Judicare autem homines universos conve-
nit Deo, secundum quod Deus, videlicet
secundum propriam naturam. Aliter vane *Ps.* LXXXVIII, 48.
constituisset filios hominum : quod pro
inconvenienti habet Psalmista ; et contra-
riatur his quæ in libro Job continentur,
videlicet : Universorum finem ipse con- *Job* XXVIII, 3.
siderat ; rursusque, Omnipotens causas *Ibid.* XXXV, 13.
singulorum intuebitur. Hinc quoque per
Jeremiam asseritur : Domine Deus, fortis- *Jer.* XXXII, 18, 19.
sime, magnus consilio et incomprehen-
sibilis cogitatu, cujus oculi aperti sunt
super omnes filios Adam, ut reddas uni-
cuique secundum vias suas et secundum
fructum adinventionum suarum.

Verum omnia ista atque similia, una so-
lutione solvuntur et concordantur. Oportet
ergo advertere, quod in judicio quatuor
considerantur : primo, auctoritas judican-
di seu judiciaria potestas ; secundo, ipsa
discretio boni a malo, videlicet interior
approbatio boni, atque interior detestatio
mali. Quantum ad hæc duo, judicium con-
venit toti Trinitati singulisque Personis.
Tertio, ipsa prolatio sententiæ sensibilis
atque exterior : et quoad hoc, Pater non
judicat quemquam, sed solus Filius se-
cundum naturam assumptam. Imo hoc
modo Deus Trinitas judicabit auctorita-
tive, per Christum hominem exsecutive,
juxta illud Actuum : Deus statuit diem *Act.* XVII, 31.
in quo judicaturus est orbem terræ in
æquitate, in viro quem statuit. Tunc enim
manifeste veniet Deus noster, et non si- *Ps.* XLIX, 3.
lebit, quando in die judicii videbunt in *Joann.* XIX, 37.
quem transfixerunt. Quarto, consideratur
in judicio ipsa retributio pœnæ vel glo-
riæ : et sic quoque soli Deo principaliter
secundum divinam naturam judicium con-
venit, præsertim quantum ad gloriæ col-
lationem. Porro, quod Filius ait, Ego non
judico quemquam, intelligendum est de
judicio retributionis, quantum ad pri-
mum Christi adventum, in quo non ve-
nit judicare, sed judicari. Sic ergo, Pater
non judicat quemquam, id est, non pro-

fert judicialem sententiam, modo prætacto, sed omne judicium, id est universalem exsecutionem judicii, dedit Filio secundum naturam quam induit, sicut infra plenius ostendetur. Unde habetur in
Ps. LXXI, 2. Psalmo : Deus, judicium tuum regi da. Et
II Cor. V, 10. juxta Apostolum, Omnes nos stare oportet ante tribunal Christi.

Hunc autem honorem Pater impendit
23 Filio incarnato, *ut omnes* intellectuales creaturæ *honorificent Filium,* exhibendo ei cultum et adorationem latriæ soli Deo debitam, *sicut honorificant Patrem,* impendendo ei latriæ cultum. Sed honoratio ista non convenit Filio secundum illam naturam qua convenit ei prædicta exsecutio judicii, sed secundum naturam qua consubstantialis et coæqualis est Patri. Nihilo minus Pater dedit Filio secundum naturam assumptam hoc judicium, ut per hoc innotescat omnibus quod homo ille est verus Deus, sicque honorificetur sicut et Pater. Unde verbum istud consonat dicto Apostoli ad Philippenses, loquentis de Filio secundum naturam
Philipp. II, 8-10. humanam : Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem : propter quod et Deus exaltavit illum, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.

Quæritur, si Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio,
Job XXXIV, 13. quomodo verum est illud in Job : Quem constituit alium super terram ? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ? Et respondendum, quod Pater non sic constituit Christum judicem ac principem mundi, quasi ipse desierit habere providentiam rerum : sed Pater seu Deus Trinitas, est principalis provisor, judex et rex universi ; Christus vero secundum quod homo, prælatus est omni creaturæ quasi minister Dei et exsecutor.

Qui non honorificat Filium per latriæ cultum : est autem latria, virtus quæ Deo cultum et cærimoniam affert ; *non honorificat Patrem qui misit illum,* quum utriusque sit una majestas, et tanta di-
A lectio, concordia, atque justitiæ ac sanctitatis conformitas, vel potius unitas et identitas, quod qui unum offendit, offendit et alium, præsertim quum sit amborum una voluntas. Præterea, qui non cre- I Joann. V, 10.
dit in Filium, mendacem facit Patrem, et Spiritui gratiæ ingerit contumeliam, quia non credit in testimonium quod testificati sunt Pater et Spiritus Sanctus de
Christo in baptismo et transfiguratione, Matth. III, 16, 17; XVII, 5.
in diversis miraculis et distributionibus gratiarum, in Scripturis utriusque Testa-
B menti, et in omni sanctitate et excellentia Christi.

Honorificandus est ergo Filius interiori exteriorique latriæ cultu, videlicet reverentia cordiali, oratione et laude, præceptorumque observatione. Omnes itaque qui Patrem Filio asseruerunt majorem, non honorificaverunt Patrem, cujus Filio dilecto ac unico derogaverunt : cujus contumelia redundat in Patrem, præsertim quum hoc maxime ad commendationem bonitatis, potestatis et sapientiæ Dei per-
C tineat, quod Filium sibi prorsus æqualem producere et voluit, et novit, et potuit, quamvis (ut dixi) voluntas non præcessit generationem Verbi quasi origo ipsius, sed potius concomitanter se habet ad eam. Imo Spiritus Sanctus, qui est amor et emanatio voluntatis, non sic procedit a voluntate, quasi libere ad utrumlibet effluat atque spiretur : sic enim posset non procedere, haberetque esse contingens. Sed procedit per modum naturalis emanationis, secundum quod voluntas Patris
D ac Filii est quædam natura.

Deinde Filius Dei ostendit quomodo spiritualis vivificatio fiat. *Amen, amen dico* 24
vobis, quia qui verbum meum audit, non auribus corporis tantum, sed etiam cordis, de quibus dicitur alibi : Qui habet Matth. XIII, 9.
aures audiendi, audiat. Itaque, Qui verbum meum audit, id est, sermonibus meis consentit, *et credit ei qui misit me,* id est Patri cœlesti, recipiendo testimonium quod ipse perhibet mihi, vel credendo ei fide formata, hoc est credendo in ipsum,

Digitized by Google

habet vitam æternam jam in spe et in A
merito, atque in dispositione propinqua,
et cito sortiturus ac possessurus est eam
in re, in mercede, in actu. Hoc enim modo
viatores dicuntur beati, quamvis variis
persecutionibus concutiantur, prout scri-
Matth. v, 3, 5, 10. ptum est in Matthæo : Beati pauperes spiritu,
beati qui lugent, beati qui persecu-
tionem patiuntur propter justitiam. *Et in
judicium non venit,* id est, judicium dam-
nationis non incurret, de quo fatetur Apo-
I Cor. xi, 31. stolus ad Corinthios : Si nos ipsos dijudi-
caremus, non utique judicaremur. Omnes B
tamen judicabimur judicio retributionis.
Sed transiet a morte corporali, quam om-
nes quasi debitum solvunt propter ori-
ginale peccatum, *in vitam* gloriæ sempi-
ternæ, quum fuerit liber ab omni reatu, de
Coloss. iii, 3. qua dicit Apostolus : Vita vestra abscon-
dita est cum Christo in Deo. Talis etiam
in præsenti transit per cordis salutarem
immutationem, a morte culpæ ad vitam
Rom. viii, 6. virtutis et gratiæ. Nam et prudentia car-
Ibid. 13. nis, mors est, et si secundum carnem
vixerimus, moriemur. Qui ergo carnalem C
prudentiam deserit, et veram sapientiam
recipit, transit a morte in vitam.
25 *Amen, amen dico vobis, quia venit ho-
ra, et nunc est,* utpote tempus gratiæ, de
Galat. iv, 4. quo dicit Apostolus : Quum venit ple-
nitudo temporis; et Petrus in Actibus,
Act. iii, 24. Omnes (inquit) Prophetæ annuntiaverunt
dies istos. *Quando mortui,* id est pecca-
tores vita gratiæ destituti : de qua morte
I Tim. v, 6. Paulus testatur, Vidua quæ in deliciis vi-
vit, vivens mortua est; *audient* exteriori
et interiori auditu, *vocem,* id est prædica- D
tionem, *Filii Dei.* Multi enim Judæorum
per verba Christi correcti atque conversi
fuerunt, præsertim post ejus passionem
et ascensionem. Quotidie quoque mortui
seu injusti, audiendo verbum Christi ab
ejus vicariis ac ministris, spiritualiter re-
viviscunt, sicut subjungitur : *et qui au-
dierint* verbum Christi modo jam dicto,
vivent vita gratiæ in via, et vita gloriæ
Matth. xxiv, 13. in patria, dummodo perseverent usque in
finem, quoniam sola perseverantia coro-
natur. Et hoc sciendum, quod nemo au-
dit salubriter verbum Dei, nisi Christus
per inspirationem Spiritus Sancti cor ejus
tetigerit, et erudierit mentem ejus, fun-
dendo radium sapientiæ in intellectum
ipsius. Propter quod in Isaia scribitur :
Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut Is. l, 4, 5.
audiam quasi magistrum; Dominus Deus
aperuit mihi aurem, ego autem non con-
tradico.

Secundo exponi potest hic locus de
particulari corporum resurrectione, secun-
dum quam Christus suscitavit filium vi- Luc. vii, 14, 15.
duæ, filiam archisynagogi, et Lazarum. Matth. ix, 25.
Sed tunc quæstio est, quomodo corpora-
liter mortui dicantur audire vocem Filii Joann. xi, 43, 44.
Dei. Quod enim non vivit, non utique
audit. Et respondendum, quod dicuntur
audire vocem Christi metaphorice, quo-
niam ad imperium Christi sic corpus ex-
stinctum et anima separata quasi obedi-
endo reassociantur et componuntur, sicut
obediunt qui realiter imperantis eloquium
audiunt, et tanquam jussionem Christi ve-
re audissent. Sic quippe dicimus quod
mare cognovit Christum, quando sub pe- Matth. xiv, 25.
dibus ejus mansit indivisum. Sic quoque
ait Psalmista : Mare vidit, et fugit; et, Ps. cxiii, 3.
Sol cognovit occasum suum. Ps. ciii, 19.

Insuper declaratur, quod Christus ad
utramque hanc vivificationem idoneus sit
tanquam fons vitæ. *Sicut enim Pater* 26
habet vitam intellectualem, non vegeta-
tivam, sensitivam, vel secundum locum
motivam, *in semetipso; sic dedit,* id est,
generando communicavit naturali diffusi-
one seu originatione, non libera ad utrum-
libet, *et Filio vitam,* non solum similem,
sed numero eamdem, *habere in semetipso.*
Pater nempe sic habet vitam in se, quod
ipse est hæc vita. Quæ etiam vita est
in se ipsa omnino perfecta, omnem nobi-
litatem beatitudinemque vivendi cum in-
comprehensibili simplicitate complectens:
ita quod est vita superessentialis, fonta-
na, superjucunda et superbeatissima; vita
vere purissima, vivacissima, prorsusque
superplenissima, omnis vitæ fontale prin-

Digitized by Google

cipium, in quo est omnium bonorum at- A
que pulchrorum ac desiderabilium super-
dives possessio. Simili modo habet Filius
secundum divinam naturam, vitam in se-
metipso, quoniam ipsa est vita hæc. Sunt-
que Pater et Filius una vita, quæ divina
est essentia prout est actus purus : Pater
ergo generando communicans Filio divi-
nam essentiam, communicavit et dedit ei
vitam et sapientiam. Quum ergo sit Filius
tam superexuberans fons vitæ, palam quod
possit vivificare quoscumque voluerit.

27 *Et potestatem dedit ei, et judicium fa-* B
cere. Quum Filius a Patre habeat quid-
quid habet, constat quod Filius, etiam ut
Deus, habet a Patre judiciariam potesta-
tem. Sed de hujus potestatis datione non
est nunc sermo. Subditur enim : *quia
Filius hominis est*. Ergo intelligendum
de potestate subauctoritatis in judicando,
videlicet de potestate exsequendi judici-
um pro prolatione sententiæ : quæ potestas
data est a tota Trinitate Christo homini,
quia Filius hominis est. Quod dupliciter
intelligi potest. Primo sic : Quia Filius C
hominis est, id est merito suæ humilia-
tionis, incarnationis, humanæ conversa-
tionis, ac passionis. Christus enim per ista
meruit sibi ipsi judiciariam potestatem in
exsequendo. Nec obstat quod habuit eam
ab instanti suæ incarnationis propter hy-
postaticam unionem cum Verbo. Non enim
est inconveniens aliquid alicui deberi et
convenire ob causas diversas : quemad-
modum etiam corpori Christi debebatur
vel competebat glorificatio, ratione beati-
tudinis animæ suæ ; nihilo minus per D
suam passionem promeruit eam, et sæpe
oravit pro ea. — Secundo sic : Quia Filius
hominis est, id est propter convenientiam
quam habet ad exercendum judicium ex
parte humanitatis assumptæ. Decet enim
judicem ab omnibus judicandis manifeste
videri, ut stent coram eo, et loquantur
pro se, si potuerint. Nulla autem divina
Exod. Persona secundum propriam naturam ap-
xxxiii, 20 ; *I Joann.* iv, ta est judicare hoc modo. Non enim vi-
12. deri potest manifeste nisi a Beatis. Imo,
a quocumque manifeste videtur, beatus
est. Quum ergo persona Filii sit secun-
dum humanam naturam a bonis malisque
visibilis, ideo datum est ei judicium fa-
cere, quia Filius hominis est. Ideo Petrus
loquitur in Actibus Apostolorum : Ipse *Act.* x, 42.
est qui constitutus est a Deo judex vivo-
rum et mortuorum. Et David ait de Chri-
sto : Judicabit in nationibus, implebit rui- *Ps.* cix, 6.
nas. Hoc sanctus Job cognovit adfuturum,
quum dixit : Credo quod Redemptor meus *Job* xix, 25,
vivit, et in novissimo die de terra surre- 26.
cturus sum, et in carne mea videbo Deum
salvatorem meum. Videre enim in carne
propria ipsum Deum, non videtur proprie
posse intelligi nisi de Deo incarnato at-
que visibili : præsertim quum sanctus
Job subjecerit, Quem visurus sum ego *Ibid.* 27.
ipse, et oculi mei conspecturi sunt : quod
de corporalibus oculis dictum videtur,
quoniam Job loquitur de vera corporum
resuscitatione atque perfecta membrorum
reparatione.

Et ne Judæi verbis istis præ admira-
tione discrederent, addit Filius Dei aliud
mirabilius, quatenus mirabilia reddantur
credibilia per facta mirabiliora. *Nolite mi-* 28
rari admiratione inordinata, dejectiva, in-
credula, *hoc* quod dixi, mihi datam po-
testatem judicandi, quum majora acturus
sim ; *quia veniet hora,* videlicet dies ju-
dicii : de qua alibi legitur, De die illa *Matth.*
et hora nemo scit ; *in qua omnes qui in* xxiv, 36.
monumentis sunt, id est omnes defuncti
quantum ad corpus in sepulcris locati,
quantum vero ad animam in inferno, in
limbo, purgatorio, vel in cœlo exsisten-
tes (unde dicuntur esse in monumentis
ratione partis, per synecdochen : quem-
admodum Abraham dicitur sepultus in *Gen.* xxv, 9.
spelunca duplici ; et Maria Magdalene, *Joann.* xx,
Tulerunt, inquit, Dominum, id est corpus 13.
Domini de monumento), *audient vocem
Filii Dei,* id est, ad imperium Christi re-
surgent, quemadmodum per Danielem præ-
nuntiatum est : Qui dormiunt in pulvere *Dan.* xii, 2.
terræ, evigilabunt. Isaias quoque prædi-
xit : Vivent mortui tui, interfectique mei *Is.* xxvi, 19.

Digitized by Google

resurgent. Ista est vox Christi de qua dicit A
1 *Thess.* IV, 15. Apostolus : Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli et in tuba Dei, descendet de cœlo. De qua apud Matthæum
Matth. XXV, 6. prædixit Salvator : Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Qualiter vero quamque celeriter fiet resuscitatio corporum, pandit
1 *Cor.* XV, 52. Apostolus : In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti. Quomodo autem mortui dicantur audire, jam patuit.

29 *Et procedent qui bona fecerunt,* id est B finaliter consummati atque inventi in operibus meritoriis, *in resurrectionem vitæ,* id est, felicem immutationem consequun-
Ibid. 51. tur. Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur. Nam immutabuntur qui mutabuntur in melius, adipiscentes resurrectionem pertingentem in vitam gloriosam atque cœlestem. *Qui vero mala egerunt,* id est in iniquitatibus deprehensi, et in vitiis mortalibus hinc sublati, qui sibi finem ultimum constituerunt in re-
Rom. I, 25. bus caducis, adhærentes creaturæ potius C quam Creatori, procedent *in resurrectionem judicii,* id est, resurrectionem habebunt damnosam ac miseram, pertingentem ad reprobationis judicium de quo
I *Cor.* V, 13. dixit Apostolus : Eos qui foris sunt Deus judicabit. In quali enim dispositione seu affectione anima recedit a corpore, in tali æternaliter permanet, et secundum eam judicatur præmiumque æternum sortitur a Deo : sicut angeli apostatantes inconvertibiliter manent in dispositione illa mentali ac vitiosa in qua erant quum D dejicerentur a cœlo. Propter quod asserit Damascenus : Quod in angelis est casus, hoc in hominibus est mors ; et Salomon in Ecclesiaste, Si ceciderit lignum ad au- *Eccle.* XI, 3.
strum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

Postremo, per hoc quod ait Evangelista, vel potius Christus per eum, Qui bona fecerunt, et qui mala egerunt, etc.; patet insania æstimantium fidem sine operibus posse salvare. Nec tamen putandum, quod illi dumtaxat salvabuntur qui opera caritatis vel saltem interiorem ejus actum habuerunt : salvabuntur enim infantes baptizati, et naturaliter stolidi Baptismatis fonte renati. His vero quæ de distinctione resurgentium dicta sunt, consonat illud Danielis : Evigilabunt, alii in vitam *Dan.* XII, 2.
æternam, alii in opprobrium, ut videant semper.

Quoniam ergo Filius Dei qui factus est caro et frater noster, advocatus, propiti- *Joann.* I, 14; *Matth.* XXVIII, 10; *Hebr.* II, 11, 12; I *Joann.* II, 1, 2.
ator et proximus noster, habet vitam fontalem, supereffluentem et indefectibilem in semetipso, accedamus semper ad eum cum plena fiducia, ut gloriose vivificet nos, et de plenitudine torrentis suæ dulcissimæ vitæ corda nostra saltem perfundat, etsi nondum inebriet. Denique vox ejus terribilis, quam omnes mortui audient, qua totus tinniet mundus, et tartarea claustra patebunt, jugiter insonet auribus nostræ mentis; et cogitemus quam horrendum sit incidere in manus Dei vi- *Hebr.* X, 31.
ventis, quam metuendum erit illud judicium, quam inæstimabilis angustia impiorum.

Digitized by Google

ARTICULUS XV

EXPLANATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI QUINTI : NON POSSUM EGO A ME IPSO FACERE QUIDQUAM.

MODO multa magnifica perhibuit Christus de semetipso, videlicet, quod Pater non judicat quemquam, sed Filius omnes, et quod quos vult, vivificat, omnesque in sepulcris repositos suscitabit. Ne ergo videatur inaniter loqui, vel Patri derogare, vel secundum personarum acceptionem et inordinatam aliquam affectionem judicare, refert omne bonum suum ad Deum Patrem, quasi ad fontem derivantem, non derivatum, et dicit se omnia agere prout a Patre accepit, cujus in omnibus quærit gloriam, promovetque honorem.

30 Itaque ait : *Non possum ego a me ipso facere quidquam.* Hoc est quod jam in vers. 19. isto capitulo paulo ante locutus est : Non potest Filius a se facere quidquam. Et quod nunc adjicit, Sed sicut audio, judico, aliud nihil est quam quod ibi subjecit, Nisi quod viderit Patrem facientem. Quæ verba jam ante satis prolixe tractata sunt, et nunc breviter perstringam. *Non possum a me ipso facere quidquam,* id est, nil valeo virtute non accepta, secundum quod est in me : quia quum sim a Patre, non habeo potestatem nisi ab eo, ideo nihil possum nisi virtute communicata a Patre. *Sed sicut audio, judico,* id est, secundum sapientiam infallibilem mihi a Patre per generationem æternam collatam, in judicando procedo, idcirco errare non valeo. Unde subjungitur : *et judici-* Ps. x, 8. *um meum justum est.* Justus enim Dominus, et justitias dilexit; æquitatem vidit vultus ejus. Itaque Filio Dei, secundum naturam divinam, idem est videre opera Patris, et audire a Patre. Per hoc enim quod Pater generando transfundit in Fi- A lium totam sapientiam suam, Filius videt Patrem et opera ejus; audireque dicitur a Deo Patre, quum tamen totum sit ibi supersimplicissimo et superineffabili modo.

Possunt quoque ista magis proprie, quamvis non magis litteraliter, exponi de Filio secundum naturam assumptam. Sic enim palam est, quod non potest facere quidquam a se ipso, sicut nec ceteri homines. Sola equidem gratia differt humanitas Christi ab aliis, secundum quod dicit Augustinus : Tolle gratiam, quid est ille B homo, nisi quod tu? Sicque judicat per exsecutionem, sicut audivit, id est, sicut per scientiam infusam interiori auditu divinitus didicit.

Ait ergo : Judicium meum justum est, quoniam do unicuique sicut meretur, *quia* Jer. xvii, 10. *non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Nonne juxta præinducta, Patris et Filii est una voluntas? Quomodo ergo Filius quærit voluntatem Patris, non suam? Et respondendum, quod sicut in Christo est duplex natura, puta C divina et humana, sic voluntas duplex in eo consistit. Quod ergo nunc asserit de voluntate sua, intelligendum est de voluntate sua humana. Et quia humana natura constat ex intellectivo ac sensitivo, seu anima rationali et parte sensitiva, propterea ponitur duplex voluntas hominis : Una superior, utpote appetitus intellectivus, qui proprie appellatur voluntas : et de hac intelligi potest, quod Filius non quærit voluntatem suam, quoniam istam voluntatem immobiliter a principio suæ D creationis subjecit voluntati divinæ, et quoniam ordinavit eam omnemque actum ejus, ad voluntatem divinam et ejus ho-

Digitized by Google

norem sicut ad ultimum finem. Alia est A
voluntas hominis inferior, quæ dicitur ap-
Matth. petitus naturalis et sensitivus, quo Chri-
xxvi, 37-39, 42, 44. stus abhorruit mortem : de qua volun-
tate accipi solet quod ait in passione,
Luc. xxii, 42. Non mea voluntas fiat, sed tua. Et de ista
magis proprie accipi potest quod dictum
est : Non quæro voluntatem meam, id est
aliquid privati amoris et ad se reflexæ
affectionis, sed voluntatem Patris, id est
ea quæ placita ei sunt. Unde Apostolus
Rom. xv, 3. dicit, quod Christus non placuit sibi, id
est, in sui ipsius complacentia non qui- B
evit, secundum quod homo, nec quæsivit
beneplacitum suæ voluntatis humanæ, in
quantum humanæ, sed ut Deo subjectæ
et in omnibus ei conformatæ : quod non
est aliud nisi quærere voluntatem Dei.
Imo, sic et nos quærere et implere pos-
sumus propriam voluntatem, non in quan-
tum est nostra, et ad se conversa, sed
ut est divina caritate et lege evangelica
informata. Neque enim opus est merito-
rium nisi fuerit voluntarium, et quanto
opus bonum fit promptiori voluntate, tan- C
to est Deo acceptius et præmii amplioris,
eo quod Deus respiciat affectum potius
quam effectum.

31 *Si ego testimonium perhibeo de me ip-*
so, testimonium meum non est verum. In-
fra ait Salvator, quum sibi dixissent Ju-
Joann. viii, 13. dæi, Tu de te ipso testimonium perhibes,
Ibid. 14. testimonium tuum non est verum : Et
si ego testimonium perhibeo de me ipso,
testimonium meum verum est. Quomodo
ergo nunc ait, Si ego testimonium perhi-
beo de me ipso, testimonium meum non D
Ibid. xiv, 6. est verum ? Et nonne ipse est veritas, quæ
nec fallit nec fallitur ? Secundum assum-
ptam quoque humanitatem confirmatus
fuit in bono, ita quod mentiri non potuit,
nec peccare. Denique tempore passionis
perhibuit de se ipso testimonium coram
Matth. xxvi, 64. Caipha et Pilato, quum dixit : Amodo vi-
debitis Filium hominis venientem in nu-
Joann. xviii, 37. bibus cœli ; itemque, Ego in hoc natus
sum, et ad hoc veni in mundum, ut testi-
monium perhibeam veritati.

Ad hoc quidam respondent, quod Chri-
stus dixit interdum testimonium suum de
se ipso non esse verum, ad ostendendum
assumptæ carnis humanitatem ; interdum
vero dixit illud esse verum, ad insinuan-
dum sui cum Patre æqualitatem : ita quod
testimonium Christi de se ipso fuit ve-
rum, et non verum, verum quidem secun-
dum divinitatem, sed nondum verum se-
cundum humanitatem. Quomodo autem
hoc stare possit, non video, nisi intelli-
gatur quod testimonium Christi de se ip-
so secundum humanitatem prolatum non
est verum, loquendo de humanitate ejus
seorsum, seclusa de divinitate et gratia.
Sic enim fortasse potuisset esse erroneum
atque inefficax. Facilior ergo et aptior vi-
detur esse expositio Chrysostomi sic ex-
ponentis : Si ego testimonium perhibeo
de me ipso, testimonium meum non est
verum, secundum vestram æstimationem,
quamvis secundum exsistentiam sit veris-
simum ac sufficientissimum.

Alius est qui testimonium perhibet de 32
me, et scio quia verum est testimonium
quod perhibet de me. Per hunc alium, in-
telligi potest Pater, qui in baptismo te-
status est, Hic est Filius meus dilectus ; *Matth.* iii, 17.
qui etiam per miracula Christi in nomine
Patris facta, testimonium præstitit Filio.
De testimonio etenim Patris scriptum est
in epistola Petri : Accepit a Deo Patre II *Petr.* i, 17.
honorem et gloriam, voce ad eum dela-
psa a magnifica gloria : Hic est Filius
meus dilectus in quo mihi complacui ;
ipsum audite. Sed et Spiritus Sanctus te-
stimonium Christo perhibuit, juxta illud
Joannis : Spiritus est qui testificatur quo- I *Joann.* v, 6.
niam Christus est veritas. Potest quoque
per hunc alium intelligi Joannes Baptista,
qui fuit verus testis Christi, secundum
quod pater ejus Zacharias plenus Spiritu
Sancto prædixit : Tu, puer, Propheta Al- *Luc.* i, 76.
tissimi vocaberis, etc. De cujus testimoniis
Christo exhibitis, jam multa præclara, pul-
cherrima atque sublimia dicta sunt pri- *Joann.* i, 26-36; iii, 27-36.
mo tertioque capitulis.

Vos misistis ad Joannem Baptistam sa- 33

Digitized by Google

cerdotes et Levitas, ut interrogarent an A
esset Christus; *et testimonium perhibuit*
Joann. xiv, 6. *veritati,* videlicet mihi, qui sum via, ve-
Ibid. i, 20. ritas et vita, dicens : Non sum ego Chri-
Ibid. 26, 27. stus; et, Medius vestrum stetit, cujus ego
non sum dignus ut solvam corrigiam cal-
ceamenti ejus : ut dictum est. Vel, Te-
stimonium perhibuit veritati, id est ei
quod verum fuit; vel veritati proportio-
Ibid. 23. nali, videlicet, se esse vocem clamantis
in deserto, et Christi præconem, me vero
Ibid. 34, 33. esse Christum, in Spiritu Sancto baptizan-
34 tem. *Ego autem ab homine testimonium* B
non accipio, id est, testimonium huma-
num non requiro, quasi indigens illo, vel
ut ex hoc mihi aliquid accrescat, majoris-
que auctoritatis exsistam quantum ad me,
sicut homo indiget testimonio Dei. *Sed*
hæc dico, videlicet, quod Deus Pater et
Joannes mihi testimonium præbuerunt, *ut*
vos salvi sitis, credendo in me per testi-
ficationem illorum. Non enim ob suam
indigentiam vel profectum, sed propter
nostram salutem, voluit Christus testes ha-
bere, ut sic crederemus in eum. C

Insuper Christus ostendit quod testimo-
nium Joannis fuit idoneum, propter ipsius
35 magnam perfectionem. *Ille erat,* per si-
militudinem quamdam, *lucerna ardens et*
lucens. Primo enim fuit similis lucernæ,
quoniam sicut lucerna non est essentia-
liter lux, nec lucet per se, sed per lumen
Ibid. 8. constitutum in ea, sic Joannes non erat
lux per essentiam, nec splendebat ex se,
sed ex participatione lucis divinæ, videli-
cet per gratiam Christi sibi infusam, quæ
fulsit per corpus Joannis in verbo et ope- D
re, sicut lumen lucernæ fulget per cor-
nua ejus. Et sicut lucerna cum lumine
suo obfuscatur superveniente luce diei,
sic Christo verbis atque miraculis radian-
te, cœpit obfuscari Joannes, secundum
Ibid. iii, 30. quod ipse prædixit : Illum oportet cre-
scere, me autem minui. Fuit quoque Jo-
annes lucerna ardens igne divini amoris,
ex quo congratulatus est excellentiæ Chri-
Ibid. 29. sti, sicut ait : Amicus sponsi qui stat et
audit eum, gaudio gaudet propter vocem
sponsi. Arsit etiam Joannes zelo justitiæ,
quo increpavit Herodem, et flamma dile- Matth. xiv, 4.
ctionis proximorum. Habuitque verba ve-
hementer ignita, dicendo : Genimina vi- Luc. iii, 7, 8.
perarum, quis ostendit vobis fugere a
ventura ira? facite ergo dignos fructus
pœnitentiæ. Fuit insuper lucens radiis sa-
pientiæ, exemplari et optima conversati-
one prædicationeque splendida.

Sic et quilibet niti debet ad hoc, ut sit
lucerna ardens et lucens, quatenus et lu-
men gratiæ aptum in eo locum inveniat,
et ipse in se ipso divina caritate ferve-
scat, atque in contemplatione sapientiæ
fulgeat, proximos quoque ad Dei amorem
et veritatis notitiam conetur inducere :
sicque gratia animæ suæ redundet, ma-
nifestetur ac emicet in vultus gravitate, in
morum probitate, in totius corporis gres-
su, omnique actu. Beati qui tales sunt :
a quibus plus disto quam oriens ab oc-
casu.

Vos autem voluistis exsultare spiritua-
liter *ad horam,* id est ad tempus modicum,
in luce ejus, id est in perfectione, et
gratia, et sanctitate, et doctrina Joannis,
gaudendo de hoc quod habuistis tam sa-
pientem Prophetam. Sed non diu duravit
exsultatio illa, quia quum cœpit increpa-
re vitia vestra, dixistis, Dæmonium ha- Matth. xi, 18.
bet; noluistisque credere verbis ejus qui-
bus mihi testimonium reddidit. Et ut multi
affirmant, Herodes etiam ad suggestionem
Judæorum, clausit ac decollavit Joannem. Ibid. xiv, 3, 10.
Vel ideo dicit Salvator, quod Judæi vo-
luerunt ad horam exsultare in luce Joan-
nis, quia parati fuerunt eum pro Christo
recipere, et in principio multi eorum obe-
dierunt Joanni.

Ego autem habeo testimonium majus 36
Joanne, id est dignius testificatione Joan-
nis facta de me. Et quod sit testimonium
istud majus subjungitur. *Opera enim quæ*
dedit mihi Pater ut perficiam ea, id est
miraculosi effectus totam potestatem na-
turæ excedentes, quos Pater facit per me,
et vult eos perfici, id est perfecte et ex-
cellentissimo modo fieri, a me; *ipsa opera*

Digitized by Google

quæ ego facio propria virtute, secundum A
quod Deus, et in quantum homo facio
ea virtute Patris, imo totius Trinitatis, cu-
jus est una potestas, *testimonium perhi-
bent de me, quia,* id est quod, *Pater me
misit,* videlicet, quod a Deo veni, et recta
ago et prædico. Sicut enim veritas natu-
ralis scientiæ probatur per rationis discur-
sum, ex principiis per se notis, sic super-
naturalis veritas fidei demonstratur per
opera soli Deo possibilia, qui quum sit
veritas, nunquam facit opera talia ad con-
firmationem erroris. Quoniam ergo talia B
multa fecit Jesus, certum est quod a Deo
missus sit, verusque doctor consistat.

37 *Et qui misit me Pater*. Duplex est mis-
sio Filii Dei : Una invisibilis, qua Pater
a principio mundi misit æternam Sapi-
entiam ad mentes electorum, per hoc quod
illuminavit eas gratia suæ Sapientiæ in-
creatæ ac genitæ. Quum enim in Patre
sit auctoritas quoad Filium, atque in Filio
subauctoritas quantum ad Patrem, conve-
nit Patrem mittere Filium, etiam secun-
dum divinam naturam. Simili ratione Pa- C
ter et Filius mittunt Spiritum Sanctum,
quia in ipsis est auctoritas quoad Spiritum
Sanctum, et in Spiritu Sancto subaucto-
ritas ad Patrem et Filium, quasi ad unum
principium unumque spiratorem ac fon-
tem. De hac nempe spirituali et invisibili
missione Verbi, habetur in libro Sapien-
Sap. IX, 10. tiæ : Mitte illam de cœlis sanctis tuis et
a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit
Galat. IV, 4. et mecum laboret. Alia est missio Filii
Dei temporalis atque visibilis, quæ dici-
tur incarnatio ejus. Nec dubium quin Chri- D
stus in mundo conversans, mittebatur a
Patre ad omnia loca et opera quæcumque
accessit aut fecit. Imo Christus secundum
quod Deus, misit se ipsum secundum quod
homo.

Ipse testimonium perhibuit de me. Hoc
specialiter accipi potest de testimonio Pa-
Matth. III, 17. tris quo in baptismo locutus est : Hic
est Filius meus dilectus. Nihilo minus a
principio mundi perhibuit Pater testimo-
nium Christo per oracula Patriarcharum,
per vaticinia Prophetarum, per diversa
sacramenta et gesta figuralia. Unde, se-
cundum Augustinum, Nulla ætas vacavit
a prophetia de Christo. Propter quod apud
Lucam Zacharias disseruit : Erexit cornu Luc. I, 69, 70.
salutis nobis, sicut locutus est per os san-
ctorum qui a sæculo sunt Prophetarum
ejus. Videtur autem Christus ad litteram
loqui de testimonio vocis paternæ præ-
fato. Loquitur enim nunc distinctim de
triplici testimonio sibi perhibito, utpote
Joannis, et operum, ac Patris.

Neque vocem ejus unquam audistis.
Quæritur, quomodo Salvator dicat Judæos
nunquam audisse vocem Patris. Supra
enim, capitulo tertio, dixit ad Nicodemum,
Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus Joann III, 8.
audis : quod melius intelligitur de Spiri-
tu Sancto quam de vento. Sicut ergo Ju-
dæi audierunt vocem Spiritus Sancti, sic
et Patris. Denique Joannes ait, Ego vox Ibid. I, 23.
clamantis in deserto : ergo audiendo Jo-
annem, audierunt vocem Patris. Sed et
Christus est verbum et sermo Patris : de
quo ad Hebræos dicit Apostolus, Vivus est Hebr. IV, 12.
sermo Dei, et efficax, et penetrabilior om-
ni gladio ancipiti. Quod enim id de in-
creato Dei Verbo dicatur, elucescit ex eo
quod subditur : Et non est ulla creatura Ibid. 13.
invisibilis in conspectu ejus; omnia au-
tem nuda et aperta sunt oculis ejus ad
quem nobis sermo. Itaque audiendo Chri-
stum, audierunt verbum sermonemque Pa-
tris, et per consequens vocem ipsius. Præ-
terea sacra Scriptura nonne vox Dei est,
dicente Apostolo, Omnis Scriptura divinitus II Tim. III, 16.
inspirata ? Judæi ergo audiendo eloquia
Prophetarum ac Moysis, audierunt vocem
Dei. Moyses quoque ait in Deuteronomio :
Probavimus hodie quod loquente Deo cum Deut. V, 24.
homine, vixerit homo; vocem ejus audi-
vimus de medio ignis.

Quidam expositores faciliter transeuntes
dicunt, quod ideo Christus dixit istis per-
versis incredulisque Judæis, quod nun-
quam audierunt vocem Patris, quia non
audierunt præinductum testimonium vo-
cis paternæ de Filio in baptismo : Hic est Matth. III, 17.

Digitized by Google

Filius meus dilectus. Alii dicunt, quod ideo Christus ait, Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis, ut insinuet Deum Patrem esse omnino incorporalem ac insensibilem, ita quod neque audiri potest neque videri sensu corporeo, quum non habeat os, linguam, et cetera instrumenta loquendi. Et quamvis per subjectam creaturam loquatur, tamen non auditur vox ejus, quasi ipse sit immediatus propriusque formator hujuscemodi vocis. — Sed quia Salvator duris et perfidis loquebatur Judæis, qui verba divina tradita in Scripturis non vere et spiritualiter intellexerunt, videtur sic exponendum : *Neque vocem ejus,* id est Scripturas sacras mihi testimonium perhibentes, a Patre revelatas, *unquam audistis* auribus cordis ; sed grosse atque carna-
II Cor. III, 6. liter, id est secundum litteram, quæ occidit, intellexistis eas. Juxta hunc modum Moyses locutus est Judæis in Deuterono-
Deut. XXIX, 2-4. mio : Vos vidistis universa magnalia Dei, et non dedit vobis Dominus cor intelligens et aures quæ possint audire, usque in præsentem diem. Huic expositioni sequentia quoque consonant, ut patebit.

Neque speciem ejus vidistis. Hoc uno modo intelligi potest, quod non viderunt Deum per speciem, id est divinam essentiam, quomodo vident eum Beati in patria. Secundo, quod nec fide sincera pu-
I Joann. II, 4. raque mente contemplati sunt Deum. Qui enim ait se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. — Quomodo ergo patres et vates veteris Testamenti speciem Dei vidisse scribuntur ? dicente
Gen. XXXII, 30. patriarcha Jacob : Vidi Dominum facie ad
Is. VI, 1. faciem. Et Isaias : Vidi (inquit) Dominum sedentem super solium excelsum. Daniel
Dan. VII, 9. etiam perhibet se vidisse Antiquum dierum, et cujus capilli erant sicut lana alba. Et respondendum, quod non viderunt Deum in specie propria, sed aliena, in imaginatione formata, vel ab angelo in persona Dei apparente assumpta, vel alio modo consimili.

38 *Et verbum ejus,* scilicet Dei Patris, *non habetis in vobis manens.* Quod primo accipi potest de unico Filio Patris, de quo dictum est : In principio erat Verbum. Joann. I, 1. Hoc isti increduli non habuerunt manens, id est fixum ac habitans, in cordibus suis per fidem et caritatem. Unde Apostolus asserit Christum habitare per fidem in Ephes. III, 17. cordibus nostris. Propter quod dictum fuit superius : Et sui eum non receperunt. Joann. I, 11. Secundo exponitur sic : Et verbum ejus non habetis in vobis manens, hoc est, divinis sermonibus et Scripturis non obeditis, sed vacui estis a cognitione formata et salutari memoria divinorum verborum. Quocontra ait Psalmista : In corde meo Ps. CXVIII, 11. abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Quemadmodum enim impii, quamvis subtiles, dicuntur non cognoscere Deum, quoniam non honorant eum ut Deum, sed factis negant ; Tit. I, 16. sic perversi et perfidi, quamvis in Scripturis promptissimi, dicuntur tamen non habere in se verbum Dei, quoniam eo abutuntur. Tertio sic : Et verbum ejus non habetis in vobis manens, id est, internam Dei inspirationem non percipitis, neque per revelationem occultam Filium Dei cognoscitis. Omnibus enim expositionibus istis concordant sequentia : *quia quem misit ille,* id est mihi Filio Dei misso a Patre cœlesti, *huic vos non creditis.*

Et quia Salvator jam tetigit quod vocem Patris, id est Scripturas de Christo loquentes, non recte ac spiritualiter intellexerunt, sed superficialiter ac ruditer
nimis, idcirco subjungit ac hortatur : *Scru-* 39
tamini, id est, solerter discutite, investigate, advertite, *Scripturas* legis ac Prophetarum. Est ergo quædam scrutatio divinorum bona, discreta ac salutaris, non ex curiositate, præsumptione vel infidelitate quadam procedens, sed ex aviditate agnoscendæ veritatis propter Dei amorem atque honorem. De qua in Actibus Apostolorum Lucas testatur, de Thessalonicensibus loquens : Nobiliores ex eis susceperunt verbum Dei cum omni aviditate, Act. XVII, 11. quotidie scrutantes Scripturas, si hæc se

Digitized by Google

Ps. cxviii, 129. ita haberent; et Psalmista, Mirabilia te- A
stimonia tua, ideo scrutata est ea anima
mea. Alia est scrutatio curiosa et immo-
derata, qua quis difficilia ultra propriam
capacitatem nititur discutere, incompre-
hensibilia capere, Scripturas sacras pro-
prio ingenio mensurare ac judicare. De
Prov. xxv, 27. qua Salomon fassus est : Scrutator ma-
jestatis opprimetur a gloria; et in Eccle-
Eccli. iii, 22. siastico; Fortiora te ne scrutatus fueris.
Quia vos putatis in ipsis, id est in no-
titia Scripturarum, *vitam æternam habere,*
id est æternam beatitudinem promereri B
ac adipisci : quod et ita fuisset, si eas
vere et efficaciter intellexissetis. Sed quia
oppositum contigit propter Judæorum du-
ritiam, aptissime dixit Christus, Quia pu-
tatis, id est, inaniter æstimatis : defrau-
dati namque estis spe vestra.

Et illæ Scripturæ *sunt quæ testimonium*
perhibent de me. In libris etenim Moysis
et Prophetarum, non solum prænuntiatur
Christi adventus et incarnatio Verbi, sed
etiam determinatur tempus adventus, lo-
cus nativitatis, modus conversationis et C
qualitas passionis : sed et resurrectio et
ascensio Christi illic prænuntiatur. De ejus
Is. ix, 6. enim adventu, cecinit Isaias : Puer natus
est nobis, et filius datus est nobis. De
tempore vero adventus Christi, locutus est
Gen. xlix, 10. Jacob in Genesi : Non auferetur sceptrum
de Juda, donec veniat qui mittendus est;
Dan. ix, 24. et Daniel, Septuaginta hebdomades (vide-
licet hebdomades annorum lunarium) ab-
breviatæ sunt super populum tuum, ut
deleatur iniquitas, et impleatur visio et
prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. D
Modus quoque adventus istius, videlicet,
quod Christus venit et conversatus est
cum hominibus in maxima paupertate et
humilitate, descriptus fuit per Jeremiam :
Jer. xiv, 8. Quare quasi colonus venturus es in ter-
ra, et quasi viator declinans ad manen-
Zach. ix, 9; dum? Et per Zachariam : Ecce Rex tuus
Matth. xxi, 5. veniet tibi mansuetus; ipse pauper. Item-
Ps. lxxxvii, 16. que Psalmista : Pauper sum ego, et in
laboribus a juventute mea. Præterea, de
Mich. v, 2. loco nativitatis, per Michæam : Et tu, Beth-
lehem Ephrata, ex te mihi egredietur qui
sit dominator in Israel. Modum quoque
conceptionis Isaias deprompsit : Ecce vir- *Is.* vii, 14.
go concipiet et pariet filium; rursusque,
Ascendet, inquit, quasi virgultum coram *Ibid.* liii, 2.
eo, et quasi radix de terra sitienti. Hoc
est quod prophetavit Psalmista : Descen- *Ps.* lxxi, 6.
det sicut pluvia in vellus, et sicut stilli-
cidia stillantia super terram. De passione
vero et tempore passionis, Daniel dixit :
Post hebdomades sexaginta duas occidetur *Dan.* ix, 26.
Christus; et Isaias, Ipse vulneratus est *Is.* liii, 5, 7.
propter iniquitates nostras, attritus est
propter scelera nostra, et sicut ovis ad oc-
cisionem ducetur. Et summatim stringen-
do, vix aliquid in Evangelio continetur,
quod non in veteri Testamento inveniatur
prædictum. Propter quod ait Apostolus,
se segregatum in Evangelium, quod ante *Rom.* i, 1-3.
promisit Deus per Prophetas suos in Scri-
pturis sanctis de Filio suo.

Et non vultis venire ad me per fidem 40
et obedientiam : secundum quod Psalmi-
sta hortatur, Accedite ad eum, et illumi- *Ps.* xxxiii, 6.
namini. Propriæ ergo voluntatis obstinatio,
est causa perfidiæ Judæorum. *Ut vitam*
spiritualem *habeatis,* in præsenti per gra-
tiam, et in futuro per gloriam.

Et quia Christus jam multa de propria
excellentia retulit, ne Judæi eum de ja-
ctantia increparent, subintulit : *Clarita-* 41
tem ab hominibus non accipio, id est, hu-
manam gloriam et laudem non requiro.
Sed nonne Christus præcipit sibi a nobis
serviri? Nonne jubet se adorari omnibus-
que præferri? Quomodo ergo non quæ-
rit claritatem ab homine? Et responden-
dum, quia secundum quod homo, non
quæsivit nec quærit ista propter se, vel
ex privato amore; sed ut Deus, exigit is-
ta, tanquam Creator et princeps altissi-
mus. Imo, ut homo, vult honorari, non ex
vanitate, sed zelo justitiæ, secundum or-
dinationem voluntatis divinæ : sicut etiam
justus prælatus, quamvis humilis, vult ze-
lo justitiæ propter honorem Dei, cujus vi-
ces gerit, ut debita sibi a subditis reve-
rentia impendatur. Omnis autem rationalis

Digitized by Google

creatura bene disposita, finaliter quærit honorare Deum per laudem et obedientiam, ex sincero amore, et honorari a Deo per unionem cum ipso et collocationem in suo cœlesti palatio. — Si ergo Christus, Apoc. xix, 16. qui habet in vestimento et in femore suo scriptum, Rex regum et Dominus dominantium, non accepit ab hominibus claritatem : cur nos miseri, vitiis tabidi, ad omne malum proclives, vanitate seducimur, quærentes sciri, reputari, honorari, Eccli. x, 7. præesse? Odibilis coram Deo et hominibus est ista superbia. Hinc ad Hebræos Hebr. xii, 2. ait Apostolus : Christus proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.

42 *Sed cognovi vos* cognitione reprobationis, *quia dilectionem Dei* gratuitam ac meritoriam, quæ est virtus theologica et I Tim. i, 5. infusa : de qua dicit Apostolus, Finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta; *non habetis in vobis,* videlicet appetitu intellectivo seu voluntate, quæ est caritatis subjectum. Nihilo minus naturalem Dei dilectionem impii aliqui habent; non tamen damnati. Sine dilectione autem Dei gratuita, nihil est meritorium, prout Paulus I Cor. xiii, 1, 2. testatur : Si linguis angelorum loquar et hominum, caritatem autem non habeam, nihil sum. Caritas est enim propria vita animæ, sicut in prima sua Canonica docet I Joann. iii, 14. Joannes : Qui non diligit, manet in morte.

43 *Ego veni in nomine Patris mei,* id est in Patre meo, hoc est secundum voluntatem et ordinationem Patris æterni, ad honorem ipsius, cujus in omnibus dictis meis atque operibus beneplacitum impleo gloriamque requiro; *et non accepistis me* per fidem, dilectionem et obedientiam. *Si alius venerit,* id est, quia et quum Antichristus venerit, *in nomine suo,* hoc est, proprium honorem et gloriam quærens, non missus a Deo, sed se ipsum in- II Thess. ii, 4. æstimabili mentis tumore extollens supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, *illum accipietis,* credendo quod ipse sit Messias in lege promissus. In hunc enim A errorem cadere meruistis, verum Filium Dei spernendo. Itaque quod ait, Si alius venerit, non dicitur dubitative; et quod addit, Illum accipietis, non dicitur ad Judæos quos Christus tunc præsentialiter alloquebatur, qui jam diu occubuerunt, nisi sub persona illorum intelligendo communiter genus Judaici populi, quod primo et maxime adhærebit Antichristo, donec per Enoch et Eliam convertantur, et Antichristi falsitas detegatur.

Quomodo potestis vos credere fide for- 44 B mata, viva et operatoria, *qui gloriam ab invicem accipitis* cum affectu, et humanum favorem, terrenum honorem, propriam laudem optatis, quæritis et acceptatis, *et gloriam quæ a solo Deo est,* id est veram atque æternam felicitatem, *non quæritis,* virtuose vivendo? Constituistis enim vobis finem in rebus caducis et vanis, non in Deo benedicto. Videmus enim multos ambitiosos et arrogantes, fidem habere, et contra infideles armari : non ergo loquitur Christus de fide informi et C vacua, sed formata.

Elucescit autem ex his, quod vana gloria omne spirituale bonum impediat, et pestiferum valdeque grave crimen consistat. Propter quod dicit Psalmista : Quoniam Ps. lii, 6. Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, id est, placere desiderant; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Et Apostolus : Si hominibus placerem, Chri- Galat. i, 10. sti servus non essem. Omnis ambitiosus et animosus similis est viro stulto qui ædi- Matth. vii, 26. ficat domum suam supra arenam. Spe- D cialiter autem ambitiositas ista impedit Judæos a fide Christi. Quoniam enim scripturas Prophetarum solum litteraliter intelligunt, putant quod Christus in primo suo adventu, omnia regna mundi eis subjiciet : sicque temporalem principatum, terrenum honorem, humanam exaltationem sperant et cupiunt. Unde in Jesum paupertatis et humilitatis magistrum, omniumque temporalium contemptorem, credere noluerunt et nolunt. Itaque soli Deo placere, et ei dumtaxat displicere formi-

Digitized by Google

demus, et in solo Deo sit gloriatio nostra. A

45 *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem.* Hoc ait Salvator, non quod ipse nequaquam accusabit Judæos, quum ipse sit judex et testis, qui alibi Luc. IX, 26. loquitur : Qui me erubuerit, hunc Filius hominis erubescet coram Patre et angelis. Jer. XVIII, 19, 20. Unde per Jeremiam ait : Attende, Domine, et audi vocem adversariorum meorum. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Nonne Christus accusavit Judæos, quum dixit pas- Joann. XV, 22, 24. sione instante, Nunc autem excusationem B non habent de peccato suo, et oderunt me et Patrem meum gratis? Per hoc quippe Christus eos accusat, quod propriis verbis et actibus, imo et vulnerum suorum cicatricibus, quas servavit in testimonium contra ingratos, ostendit eos damnatione dignissimos. Sed idcirco dicit quod non accusabit eos, quia non ipse solus hoc faciet. Propter quod subditur : *Est qui accusat vos,* id est, damnatione dignos affirmat in suis scripturis, *Moyses in quo vos speratis,* hoc est, per cujus legem sal- C vari confiditis sine meritis Christi. Putant enim Judæi observationem legis sufficere ad salutem. Multa autem sunt verba in libris Moysis, quibus probantur Judæi damnationem mereri. Quod vero Moyses accusaturus est eos, Christus subjunxit.

46 *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.* Si interrogaremus Judæos, an credant Moysi, constantissime responderent quod imo : et tamen Veritas hoc loco dicit contrarium. Simili modo, si interrogaremus hæreticos, an credant D Christo, firmissime dicerent, Credimus : et tamen ita non est. Numquid Arius, Eunomius, Photinus, Sabellius, et similes eis, veram in Deo trinitatem Personarum negantes, crediderunt sermonibus Christi? Et tamen Judæi atque hæretici putant se credere istis. Sed dicendum breviter, quod Judæi credunt Moysi, secundum eum intellectum quo verba ejus exponunt. Et quoniam verba ejus male intelligunt, ideo non credunt ei secundum veritatem, sed secundum ipsorum deceptoriam opinionem : quemadmodum aliquis putat se videre colorem rubeum, quum videt album per nigrum. Quod vero Christus ait, Forsitan, non dicit dubitando, sed humanam libertatem insinuando, et sobrium modum loquendi docendo.

De me enim ille scripsit. Multa namque scripsit Moyses de Christo, quædam verba aliorum narrando, quædam in propria persona prophetando, quædam figuraliter et occulte de mysteriis Christi et passione ejus, per sacramenta et cærimonialia legis insinuando. Primo modo scripsit de Christo in Genesi, quum recitat Deum dixisse ad Abraham, In semine tuo benedicentur Gen. XXII, 18. omnes gentes; et quando Jacob dixit, Non Ibid. XLIX, 10. auferetur sceptrum de Juda, etc.; itemque, Salutare tuum exspectabo, Domine; Ibid. 18. et in libro Numerorum, recitando vaticinia Balaam. Num. XXIII, XXIV. Secundo modo scripsit de Christo in Deuteronomio : Prophetam suscitabit vobis Dominus, etc. Deut. XVIII, 15. Accusat quoque Judæos, adjungens : Omnis qui non Ibid. 19; Act. III, 23. audierit Prophetam illum, peribit de populo suo. Tertio modo scripsit de Christo in Exodo atque Levitico, loquens de ritu Exod. XII; Lev. I, III-VII, XVI. agni paschalis et ceteris sacrificiis : per quæ passio Christi præfigurabatur.

Si autem illius litteris, id est scripturis, *non creditis,* quia nec intelligitis eas 47 veraciter, *quomodo verbis meis credetis?* Et hoc rursus, sicut et cetera Christi eloquia, indiget sano intellectu, quia sic sonat quasi scripta seu testimonia Moysis essent magis credibilia atque authentica quam verba Christi. Est igitur sensus : Si illius litteris non creditis, quem æstimatis majoris auctoritatis esse quam me, et ad quem majorem affectum habetis, quomodo verbis meis credetis? quasi dicat : Quia illi non creditis, mihi credere non potestis. Potest etiam absolute intelligi, ut dicat verba Moysis credibiliora quam sua, quoniam erant minus incomprehensibilia, difficilia et supernaturalia, quam verba Christi, quæ omnem penitus rationem transcendunt.

Digitized by Google

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO CAPITULI SEXTI : POST HÆC ABIIT JESUS TRANS MARE GALILÆÆ.

POST hæc narrat Evangelista grande miraculum, quo omnipotentia Christi magnifice noscitur demonstrata, ejusque supernaturalis doctrina efficaciter roborata, ut supernaturalis assertio supernaturali firmaretur argumento.

1 *Post hæc* quæ in præcedenti capitulo dicta gestaque feruntur, *abiit Jesus* a Jerusalem et Judæa. Abiit autem et navigavit *trans mare Galilææ, quod est* mare *Tiberiadis,* id est, mare istud, quod dicitur mare Galilææ, a provincia in qua situm est, dicitur etiam mare Tiberiadis, ab urbe nomine Tiberias, quæ sita est in littore hujus maris. Abiit autem Jesus diversis ex causis. Primo, secundum quod hic insinuatur, cedens persecutioni Judæorum, ne ante tempus præfixum ab eis occideretur. Secundo, cedens furori Herodis. (*Matth.* xiv, 13.) Ut enim in Matthæo legitur, Jesus audita decollatione Joannis, fecit quæ jam refert Evangelista. Tertio, ut discipuli sui post laborem paululum repausarent : quia (*Marc.* vi, 31.) ut scribitur in Marco, Erant qui ibant et redibant, et nec spatium manducandi habebant. (*Ibidem.*) Unde Christus ait discipulis : Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.

2 *Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa,* hoc est miraculosas curationes, *quæ faciebat super his,* id est in eis hominibus, *qui infirmabantur.* Hæc fuit una ratio ob quam sequebantur eum. Diversi tamen diversis de causis Christum corporaliter sequebantur : quidam, (*Matth.* xxii, 15 *et seq.*; *Luc.* xi, 53, 54.) ut aliquid reprehensionis in verbis aut actibus ejus invenirent, quemadmodum Pharisæi et Scribæ invidiosi ; quidam, ut (*Matth.* xix, 16.) instruerentur et vitam suam corrigerent, ut studiosi ac pœnitentes ; quidam, ut signa viderent et nova audirent, ut curiosi (*Matth.* xii, 38; xvi, 1.); quidam, ut curarentur ; quidam, ut suis sanitatem acquirerent, sicut de regulo dictum est (*Joan.* iv, 46 *et seq.*); quidam, ut corporaliter alerentur. Et quoniam Dominus Jesus etiam secundum corpus speciosus valde et eloquentissimus fuit, et optimæ habitudinis, verisimile est quod multi sequebantur eum delectati specie et eloquentia ejus. Denique, secundum Matthæum, prædicta multitudo de civitatibus secuta est Christum pedestris (*Matth.* xiv, 13.). Ex quo elicitur quod egeni fuerunt pro majori parte. Et ut Marcus testatur, quum cognovissent quod Jesus esset (*Marc.* vi, 33.), de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et prævenerunt discipulos Christi. In quo patet fervens eorum ad Christum affectio, ac prompta devotio, saltem quorumdam.

3 *Subiit ergo in montem Jesus,* ut locus corresponderet locato. Christus enim propter sanctissimæ vitæ excellentiam, propter miraculorum eminentiam, propter contemplationis celsitudinem, propter caritatis omniumque virtutum incomparabilem sublimitatem, mons appellatur. De quo per Danielem asseritur, quod lapis abscissus sine manibus (*Dan.* ii, 34, 35.), crevit in montem magnum, implevitque universam superficiem terræ. Mons ergo ascendit in montem, implens ad litteram illud quod dicitur per Isaiam : Super montem excelsum (*Is.* xl, 9.) ascende, tu qui evangelizas Sion. Ascendit ergo in montem, qui est locus orationi, contemplationi instructionique aptus, ut et nos similiter faciamus tempore opportuno. Opportunitas equidem loci plurimum confert ad devotionem. Ascendit quoque in montem, docens nos suo exemplo terrena ista atque carnalia abjectare, et cœ-

Digitized by Google

lestia ac divina toto affectu requirere : A
Coloss. III, 1, 2. quatenus cum Apostolo quæ sursum sunt
quæramus ac sapiamus, non quæ super
Philipp. III, 13. terram ; et quæ retro sunt obliti, in anteriora extendamus nos ipsos, omnia sen-
Ibid. 8. sibilia vana atque caduca arbitrantes ut
stercora, ut superinvisibili Deo ardenti desiderio uniamur. *Et ibi sedebat cum discipulis suis,* docens eos, et latitudinem terræ quam condidit circumspiciens, magis autem habitatoribus terræ compatiens, eisque auxiliari proponens.
4 *Erat autem proximum Pascha, dies* B
festus Judæorum, id est, de propinquo jam imminebat. Porro, ut Beda ait, inter decollationem Joannis et Christi passionem, unius anni exstitit spatium. Et sic istud fuit Pascha secundum, circa quod decollatus est Joannes : in quo Christus
Matth. XIV, 13. non fuit in Jerusalem, cedens adversariis suis. Nam, sicut sæpe observavit legalia,
Galat. IV, 4. ostendendo se hominem verum factum sub lege ; sic interdum prætermisit ea, ostendens se verum Deum ac legislatorem supra legem. Quia hic dicitur, Erat C
proximum Pascha, evangelium istud legitur in medio Quadragesimæ, propinquante paschali solennitate.
5 *Quum sublevasset ergo oculos Jesus,* qui oculis vagus non fuit, sed summe compositus ; nec sine ingenti causa circumspexit, sed in omnibus universæ maturitatis et probitatis dedit exemplum ; *et vidisset quia multitudo maxima,* videlicet quinque millia virorum, præter mulieres et pueros, *venit ad eum, dixit ad*
Joann. I, 43. *Philippum,* qui primo omnium dicitur D
a Christo ad apostolatum vocatus. Unde nunc forte propter familiaritatem et caritatis ostensionem, specialiter dirigit sermonem ad eum. Aliqui tamen affirmant quod Philippus ceteris discipulis rudior fuit, ideo magis indiguit informari : et hinc Christus eum interrogat, non quasi ignorans, sed informare intendens. *Unde ememus panes ut manducent hi?* Noverat Christus non adesse pecuniam ad emendum tot panes sufficientem, quoniam pauper fuit, et parum vel nihil secum detulit de argento et auro.

Hoc autem dicebat tentans eum, tenta- 6
tione piæ probationis ordinatæ ad instructionem, qua tentavit et Abraham : non Gen. XXII, 1.
tentatione seductionis ordinatæ ad confusionem, de qua Jacobus ait in sua Canonica : Nemo quum tentatur, dicat quia Jacob. I, 13.
a Deo tentatur ; Deus enim intentator malorum est. De prima tentatione scriptum est in libro Sapientiæ : Deus tentavit ju- Sap. III, 5.
stos, et invenit illos dignos se ; in Deuteronomio quoque dicitur, Recordaberis Deut. VIII, 2.
cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus, ut affligeret te atque tentaret. De secunda oramus : Et ne nos Matth. VI, 13.
inducas in tentationem. — Sed quum tentare sit experimentum de tentato accipere, quomodo Deus aliquem tentat, qui de nullo accipit experimentum, quippe quum ei omnia antequam fiant, patescant? Et respondendum, quod etiam in Scripturis dicitur Deus experiri, seu aliqua facere ad experiendum, juxta illud Judicum : Dimisit Dominus Chananæos, ut in ipsis Judic. III, 4.
experiretur Israelem, utrum custodiret mandata Domini, an non. Dicitur itaque Deus sumere experimentum, non ut ei aliquid innotescat, sed ut tentatus agnoscat se ipsum, vel alii ad ejus notitiam perducantur. Sic ergo tentavit Philippum, ejus ignorantiam demonstrando, non solum ad instructionem Philippi, sed omnium discipulorum, quatenus miraculum magis ostenderetur, et virtus Christi agnosceretur. Perfectos autem tentat Deus, ut eorum perfectio aliis pateat ad exemplum, ut Job et Tobiam ; imperfectos vero, ut Tob. II, 12.
eorum imperfectio eis clareat ad propriam humiliationem. — *Ipse enim sciebat quid esset facturus :* ideo non sciscitabatur consilium vel auxilium postulando.

Respondit ei Philippus : Ducentorum 7
denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat, id est, parvum frustum manducet. Tanquam diceret : Non habemus pretium ad emendum, nec possumus eis providere : id-

Digitized by Google

circo remitte eos ad loca habitabilia, ut
sibi ipsis provideant. Quanti valoris fue-
rint isti denarii, non exprimitur.

8 *Dicit ei unus ex discipulis ejus, An-
dreas frater Simonis Petri.* Ad laudem
Andreæ hoc pertinet, quod principis Apo-
stolorum exstitit frater. Unde et Judas in
Judæ 1. sua Canonica vocat se fratrem Jacobi, tan-
quam dignioris, non ad jactantiam, sed
ut a fidelibus quibus scripsit diligentius
9 audiretur. *Est puer unus hic :* qui puer
vocatur, non tam propter ætatis parvita-
tem, quam propter puritatem et inno-
centiam : ad quam pueritiam obligamur,
Matth. xviii, 3. Christo dicente, Nisi conversi fueritis, et
efficiamini sicut parvuli, non intrabitis
in regnum cœlorum. Unde hortatur Apo-
I Cor. xiv, 20. stolus : Nolite pueri effici sensibus, sed
malitia parvuli estote. Denique in Scri-
pturis dicitur aliquis puer tripliciter :
Primo, propter stoliditatem et inconstan-
Is. lxv, 20. tiam, Isaia teste : Puer centum annorum
morietur, hoc est senex fatuus. Secundo,
propter puritatem et innocentiam, ut ibi :
Ps. cxii, 1. Laudate, pueri, Dominum. Tertio, propter
ætatem permodicam, secundum quod Lu-
Luc. i, 80. cas ait : Puer Jesus crescebat. *Qui ha-
bet quinque panes hordeaceos.* Ecce quali
cibo uti solebat Christus cum suis disci-
pulis. Condemnata est ergo deliciositas,
gulositas atque carnalitas nostra. *Et duos
pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos ?*
id est, parum vel nihil proderunt mul-
titudini tantæ. Joannes, qui ultimo scri-
psit evangelium atque historiam istam,
in aliquibus videtur ab aliis Evangelistis
discordare. Sed illa facillime solvuntur,
quia Joannes magis determinate et pe-
culiariter recitat factum istud, quam alii :
ideo dicit dictum ab uno discipulo, puta
Matth. xiv, 17; Marc. vi, 38; Luc. ix, 13. Philippo vel Andrea, quod alii Evange-
listæ scribunt a discipulis communiter di-
ctum. Tota enim societas fertur facere,
pati vel dicere, quod facit, sustinet vel
dicit pars ejus.

10 *Dixit ergo Jesus : Facite homines dis-
cumbere,* id est ad manducandum ordi-
nate sedere. Unde in Marco habetur, quod
præcepit ut facerent eos accumbere se- Marc. vi, 39.
cundum contubernia sua. *Erat autem fœ-
num multum in loco :* et sic locus mol-
lior et aptior fuit ad sedendum atque
vescendum. Fuitque viride fœnum, se- Ibidem.
cundum Marcum. Unde per fœnum in-
telligitur recens herba, seu gramen terræ
quale solet esse circa Pascha.

Discubuerunt ergo viri, per quinqua- Ibid. 40.
genos et centenos, ut dicitur in Marco,
numero quasi quinque millia. Hoc dicit
Joannes, quia fortassis erant paulo plures
vel pauciores. Alii tamen Evangelistæ sim-
pliciter asserunt quod erant quinque mil- Matth. xiv, 21; Marc. vi, 44.
lia, non curantes de tali excessu, vel de-
fectu tantillo. Consuetudo enim Scripturæ
est, ut ponendo notabilem quantitatem in
magnitudine vel multitudine, non curet
de modico quod forte superfuit aut defuit.
Sic enim in veteri Testamento dicuntur
homines tot vel tot annis vixisse, et raro
vel nunquam fit mentio nisi de annis,
quum tamen non sit verisimile quod om-
nes illi vixerunt tot annis præcise, quasi
eodem die morientes quo nati fuerunt.
Præterea dicuntur viri, omnes masculini Num. i.
sexus, a viginti annis et supra, valentes
ad bella procedere. De mulieribus vero et
parvulis, qui forsitan numerum virorum
vicerunt, non fit mentio, quia secundum
consuetudinem legis, soli viri numerari Ibidem.
consueverunt.

Accepit ergo Jesus panes quinque in 11
sanctas et venerabiles manus suas, orga-
na unitæ Deitatis ; *et quum gratias egis-
set* secundum quod homo, Deo Patri, vel
summæ Trinitati, a qua omne bonum ex
tempore sibi collatum accepit, *distribuit
discumbentibus,* id est, per discipulos an-
teponi præcepit turbis illuc sedentibus,
non jam dumtaxat quinque panes, sed et
illud quod et ipse sua divina potestate, vel
creando, vel multiplicando adjecit. *Simi-
liter et ex piscibus* duobus, jam multipli-
catis usque ad quantitatem quasi innume-
rabilium piscium, distribuit per manum
discipulorum discumbentibus, *quantum
volebant,* id est optabant, discumbentes,

Digitized by Google

videlicet sufficienter, usque ad satietatem A
ipsorum.

12 *Ut autem impleti sunt,* id est, discumbentibus copiose refectis ac saturatis, *dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta,* id est, famem seu appetitum comedentium vicerunt, ita quod amplius manducare non poterant ; vel, Quæ superaverunt, id est, superfluxerunt edentibus ; *ne pereant,* sed pauperibus remeantibus pro viatico conferantur. Unde Christus docuit hoc exemplo reliquias alimentorum prudenter servari, utiliterque B
expendi.

13 *Collegerunt ergo,* Apostoli præcipue, *et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum,* videlicet quilibet Apostolus cophinum suum, si tamen soli Apostoli collegerunt : quod non apparet, quia propter multitudinem manducantium diu occupati fuissent in circumeundo et congregando.
— Sed numquid increata Dei sapientia
Sap. VIII, 1. Christus, attingens a fine usque ad finem,
Ibid. XI, 21. et in numero, mensura ac pondere cuncta constituens, sine alto mysterio ordi- C
navit ut duodecim cophini fragmentorum secundum duodenum numerum Apostolorum remanerent? Cur ergo sic contigit? Non plane a casu, sed eo moderante, quo operante facta est multiplicatio præmemorata. Palam est enim quod per panem designetur salutaris doctrina, ad cujus gu-
Prov. IX, 5. stum invitat Sapientia dicens : Venite, comedite panem meum. Per fragmenta autem panum, signantur participationes imperfectæ ipsius doctrinæ perfectæ. Perfecta vero doctrina convenit Christo. Apo- D
stoli vero participando doctrinam Christi, quasi fragmenta et partes perfectæ doctrinæ a fonte sapientiæ collegerunt. Horum fragmentorum vasa seu cophini, erant corda Apostolorum, in quibus per totum mundum fragmenta sapientiæ Christi tulerunt, disperserunt et communicaverunt. Unde ad præfigurandum tantum mysterium, impleti sunt duodecim cophini fragmentorum, juxta numerum beatissimorum Apostolorum.

Collegerunt ergo tantas reliquias, *ex quinque panibus hordeaceis,* id est ex panibus in quos multiplicati fuerunt quinque panes prædicti, qui erant quasi semina omnium panum antepositorum edentibus. Quinque etenim panes non habuerunt immediate tanta fragmenta. Apud Marcum
adjungitur : Et de piscibus. Ex quo per- Marc. VI,
penditur quod etiam ex duobus piscibus 43.
tanti cibi piscium processerunt, quod discipuli Christi congregaverunt reliquias inde, quamvis non fiat plena narratio de hoc.

Sed quid biberunt hæ turbæ? Certum videtur quod si non habuerunt aliunde potum, Christus dedit cibariis istis virtutem agendi quod efficit potus, ita quod sitim perpessi non sunt. Opera nempe
Christi summi opificis, perfecta fuerunt : Deut. XXXII,
quos ergo refecit, perfecte refecit. 4.

Illi ergo homines, quum vidissent, imo 14
et manducando experti fuissent, *quod Jesus fecerat signum, dicebant : Quia hic tanti miraculi factor, est vere Propheta,* non qualiscumque, sed *qui venturus est,* id est, venturus esse prænuntiatus est per alios Prophetas, *in mundum* hunc inferiorem, ad salvandum eum, id est ad homines redimendos. Non ergo solum confessi sunt Jesum esse prophetam, sed veraciter esse summum illum Prophetam de cujus adventu alii cecinerunt : de quo
et Moyses dixit, Prophetam suscitabit vo- Ibid. XVIII,
bis Dominus. 15; Act. III, 22.

Quæritur, an Christus fuit propheta. Videtur quod non, quia ut homo, erat præ universis electis excellentissimus comprehensor : comprehensoribus autem seu Beatis in patria, non convenit ratio prophetiæ, propter perfectionem eorum. Prophetia enim, ut Thomas et multi secum testantur, imperfectionem notitiæ comprehendit. Et respondendum, quod Christus fuit vere et verus propheta, quia secundum aliquid fuit viator et hominum conversator, prædicens eis cum quibus conversabatur, futura contingentia atque præsentia eis ignota. Propheta enim dicitur

Digitized by Google

quasi procul videns, id est, ea agnoscens
atque annuntians his inter quos habet vitam communem, quæ procul sunt ab aliorum notitia, puta futura, vel præsentia quæ in absentia horum quibus loquitur fiunt : ut si quis in episcopatu Leodiensi consistens, dicat illic præsentibus quæ fiunt in Asia, Domino revelante. Quamvis autem Deus et Beati talia sciant atque denuntient, non tamen prophetæ dicendi sunt, quoniam cum hominibus communem non habent conversationem. Quamvis vero intellectualis cognitio Christi fuit perfecta, non proprie prophetalis, tamen secundum notitiam imaginativæ potentiæ, habuit convenientiam cum Prophetis, quia in imaginatione animæ Christi formari poterant formæ sensibiles, per quas occulta atque futura repræsentabantur animæ suæ, ut viatrici, secundum partem suam inferiorem.

Expositio moralis. Postremo, de moralitate hujus evangelicæ lectionis tanta ab expositoribus dicta sunt, ut non videatur opus aliquid addere, nec illa repetere. Sed quoniam Scriptura est velut infinita abyssus atque inexhausibile pelagus, ita quod de ejus expositione, præsertim morali, tanta dici non possint quin in infinitum plura dici prævaleant, nunc aliquid moralitatis tangendum est.

In primis ergo, quod Jesus facto ad
Judæos sermone, et illis non credentibus,
1 abiit trans mare Galilææ, hoc figuraliter
signat, quod Judæis in sua pravitate atque perfidia obstinatis, transiit Jesus ad gentes, illas per Apostolorum prædicationem vocando ad fidem (*Marc.* VI, 32). Per locum enim desertum quem Jesus ingressus est per mare, significatur gentilitas, olim a Deo relicta, sterilis et vitiosa. De qua Isaias prædixit : Lætabitur deserta et invia (*Is.* XXXV, 1); et rursus, Multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum (*Ibid.* LIV, 1). Porro, per mare figuratur abundantia persecutionum atque amaritudo passionis Christi. Unde ait in Psalmo : Omnes fluctus tuos induxisti super me (*Ps.* LXXXVII, 8); itemque, Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam (*Ps.* LXVIII, 2). Per mare ergo, hoc est per passionem, Christus transivit ad gentes : et convenienter per mare Galilææ, quæ interpretatur transmigratio, quia per passionem migravit a Synagoga, desponsando sibi Ecclesiam ex gentilitate conversam. Nam ante passionem jussit Christus Apostolis : In viam gentium ne abieritis; sed ite ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* X, 5, 6). Ad has quippe et ipse primo ac specialiter missus fuit, secundum quod profitetur : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Ibid.* XV, 24). Post passionem autem mandavit discipulis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15); et, Docete omnes gentes (*Matth.* XXVIII, 19).

Quum itaque Jesus hoc modo ad gen-
tes processisset, secuta est eum maxima 2
multitudo, quia innumerabiles gentes ad fidem conversæ sunt, Christi vestigia imitantes, atque per fidem, dilectionem et opera bona, post ipsum euntes, tendendo de via ad patriam, de exsilio ad paradisum, de terra ad cœlum : et hoc, quia viderunt signa quæ fecit Dominus Jesus per suos Apostolos ceterosque discipulos, in his qui infirmabantur, quos spiritualiter corporaliterque curavit. Innumerabilia namque miracula fecerunt prædicatores Christi inter gentes. Nam et per contactum sudariorum Pauli, sanabantur ægri (*Act.* XIX, 12); per superpositionem baculi Petri ac vestium evangelistæ Joannis, suscitabantur defuncti. Propter quod dicitur in Marco : Illi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* XVI, 20).

Subiit ergo in montem Jesus : hoc est, 3
in die ascensionis, dato Apostolis præcepto prædicandi gentibus, Eritis (inquiens) mihi testes usque ad ultimum terræ (*Act.* I, 8), tunc ascendit super omnes cœlos, quemadmodum in Actibus plenius edocetur (*Ibid.* 9). Et Psalmista prædixit : Ascendisti in altum, cepisti captivitatem (*Ps.* LXVII, 19); et, Psallite Domino qui (*Ibid.* 33, 34)

Digitized by Google

ascendit super cœlum cœli ad orientem. A
Ps. XVIII, 7. A summo etenim cœlo egressio ejus, et
occursus ejus usque ad summum ejus.
Et ibi sedebat ad dexteram Patris, cum
discipulis suis, id est universis beatis
angelis animabusque glorificatis. Omnes
namque cives regni cœlestis, tam angeli
quam animæ gloriosæ, purgantur, illuminantur,
et perficiuntur a Christo, etiam
secundum naturam assumptam, secundum
divinum Dionysium : merito ergo nuncupantur
discipuli ejus.

5 Tunc denique sublevavit Jesus oculos B
suæ inexcogitabilis pietatis, et vidit quia
multitudo maxima venit ad eum : quia
in omnibus finibus terræ, innumerabiles
gentes convertebantur ad ipsum. Unde et
Paulus in epistola ad Colossenses, testatur
Coloss. I, 23. Evangelium suo tempore esse prædicatum
in omni creatura quæ sub cœlo est.

Quumque vidisset eos spirituali alimo-
11 nia indigentes, et justitiam esurientes, dedit
atque proposuit eis quinque panes,
animam viatricem dulciter atque fortissime
reficientes. — Primus panis, est ipsa C
superbenedicta Divinitas, quæ sicut comprehensores
alit per speciem, reficitque
indesinenter per sui ipsius suavissimam
fruitionem, sic alit viatores per fidem, et
roborat per contemplationem ac futurorum
gaudiorum piissimam prælibationem.
— Secundus panis, est corpus Salvatoris
sub speciebus sacramentalibus tectum, pa-
vers. 32 *et seq.* nis vivus, verusque cibus, de quo infra
plenissimus erit sermo : de quo ait Apo-
I *Cor.* X, 16. stolus, Panis quem sumimus, nonne communicatio
corporis Domini est? Hunc ita- D
que panem, qui est viaticum nostrum,
Christiani tanto ardentius cupiunt, quanto
devotiores ac sanctiores exstiterunt. —
Tertius panis, est divina Scriptura canonica
utriusque Testamenti. De quo in Ec-
Eccli. XV, 3. clesiastico legitur : Cibabit illum pane vitæ
Ibid. XXXIX, 1. et intellectus ; et alio loco, Sapientiam
omnium antiquorum exquiret sapiens, et
in Prophetis vacabit. Hic panis adeo dulcis
est, ut hominem studiosum faciat omnem
corporalem cibum atque carnales
delicias fastidire ac aspernari. Quamobrem
dicit Hieronymus : Ama studia Scripturarum,
et ventris delicias non amabis. Et
Apostolus : Quæcumque (inquit) scripta *Rom.* XV, 4.
sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt,
ut per patientiam et consolationem Scripturarum,
spem habeamus. Hinc nempe
in libris Machabæorum Jonathas fassus est :
Nos nullo horum indigemus, habentes so- I *Mach.* XII, 9.
latio sanctos libros qui in manibus nostris
sunt.

Quartus panis, est gratia gratum faciens,
cum spiritualibus bonis sibi inseparabiliter
annexis, quæ sunt tres virtutes
theologicæ, septem dona Spiritus Sancti,
ceteræque virtutes infusæ, et fructus Spiritus
: quibus anima spiritualiter impinguatur,
armatur, fecundatur, invincibilisque
efficitur. Unde, secundum Apostolum : Op- *Hebr.* XIII, 9.
timum est gratia stabiliri cor. Et pœnitens
ait : Percussus sum ut fœnum, et *Ps.* CI, 5.
aruit cor meum, quia oblitus sum comedere
panem meum. Hic panis gratiæ in
anima nostra spiritualem vitam initiat,
deiformem similitudinem præstat, atque
ad omne bonum facit idoneum. Ideo incessanter
orare debemus Dominum pro
gratiæ incremento, quia quo illa magis in
mente perficitur, tanto ad omnes operationes
meritorias reddimur fortiores atque
proniores, ita ut laborem vix sentiamus.

Quintus panis, est promissio futurorum
bonorum, qui facit nos agiles et animo
infatigabiles in cultu divino, scientes quod
non sunt condignæ passiones ad merce- *Rom.* VIII, 18.
dem nobis promissam, paratam, mox dandam.
De hoc pane dicit Archiapostolus
in sua Canonica : Videntes Jesum exsul- I *Petr.* I, 8, 9.
tabitis lætitia inenarrabili et glorificata,
reportantes fructum fidei vestræ, salutem
animarum vestrarum ; et ipse Salvator,
Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris *Matth.* XIII, 43.
eorum. Joannes quoque in sua epistola :
Carissimi, nunc filii Dei sumus, et non- I *Joann.* III, 2.
dum apparuit quid erimus ; scimus quia
quum apparuerit, similes ei erimus, quia
videbimus eum sicuti est. Quicumque manducat
hunc panem, considerando futura

Digitized by Google

atque cœlestia præmia mente pervigili ac A
profunda, non succumbit laboribus; non
deficit in adversis, non frangitur prospe-
ris, nec quærit laudes humanas; non pi-
Ps. cxviii, 32. grescit, sed viam mandatorum, non solum
ambulat, sed percurrit.

Præterea, prædictis quinque panibus
adduntur duo pisces, suavem gustum præ-
stantes. Primus piscis, est actualis expe-
rientia divinæ dulcedinis, qua gustata,
desipit omnis caro. Ad quam hortatur
Ps. xxxiii, 9. Propheta : Gustate, et videte quoniam su-
avis est Dominus. Unde et Paulus testatur B
II Cor. i, 5. ad Corinthios : Sicut abundant passiones
Christi in nobis, ita per Christum abun-
Ps. xciii, 19. dat consolatio nostra; et Psalmista, Secun-
dum multitudinem dolorum meorum in
corde meo, consolationes tuæ lætificave-
runt animam meam. Secundus piscis, est
absorptio, resolutio seu salutaris illa de-
fectio mentis in Deo, de qua loquitur Je-
Jer. xx, 9. remias : Factus est sermo Domini in corde
meo quasi ignis exæstuans, et defeci, fer-
re non sustinens; itemque Psalmographus,
Ps. lxxii, 26. Defecit caro mea et cor meum, Deus cor- C
dis mei et pars mea Deus in æternum;
Sponsa quoque in Canticis, Anima mea Cant. v, 6.
liquefacta est ut dilectus locutus est. Hunc
piscem gustamus, dum anima nostra su-
pra se rapta, atque in divitias Creatoris
expansa ac dilatata, reverberatur, præ af-
fectu dissolvitur, a se ipsa omnibusque
creatis alienatur, et in solo Deo sensifi-
catur.

Dum ergo fideles his panibus ac piscibus
fuerint satiati a Christo supra fœnum,
hoc est in carne ista mortali, de qua Isaias
effatur, Omnis caro fœnum; dicunt : Quia Is. xl, 6.
hic est vere Propheta, impletor et finis 14
ac Dominus Prophetarum, qui venturus
est in mundum, Ecclesiam suam usque
ad finem sæculi spiritualiter visitando, et
in fine sæculorum visibiliter descenden-
do et vivos ac mortuos judicando. Ex
hujuscemodi enim refectione interna, cer-
tissime noscunt, laudant, ac diligunt cle-
mentiam atque potentiam Salvatoris, quem-
admodum dicit Propheta: Duo hæc audivi: Ps. lxi, 12, 13.
quia potestas Dei est, et tibi, Domine,
misericordia.

ARTICULUS XVII

PROSECUTIO EXPLANATIONIS HUJUS CAPITULI SEXTI, AB EO LOCO QUO DICITUR : JESUS ERGO QUUM COGNOVISSET QUIA VENTURI ESSENT UT RAPERENT ET FACERENT EUM REGEM.

PANDIT deinceps gloriosissimus Evan-
gelista effectum præinducti miraculi D
quinque panum duorumque piscium, et
cetera signa ac documenta Christi de-
scribit.
15 *Jesus ergo quum cognovisset,* id est, se
cognoscere demonstrasset. Omnia quippe
ut Deus cognovit a principio æternitatis.
Omnia quoque ut homo cognovit ab exor-
dio incarnationis. Sed dicitur aliquid qua-
si de novo cognovisse, quando per effe-
ctum aliquem demonstravit se hoc ipsum
agnoscere. *Quia venturi essent* illi quos
tam miraculose pavit de quinque panibus
piscibusque duobus, *ut raperent et face-
rent eum regem.*

Cur ait, Ut raperent, quasi violentiam
illaturi? Puto quod ideo, quoniam Jesum
præsumebant, quem noverant humilita-
tem ac paupertatem docere, non debere
acquiescere eis in accipiendo dominium.
Propterea decreverunt eum, quamvis no-
lentem ac renitentem, facere regem. Vel
ideo dicit, Ut raperent, quoniam cum in-
genti tumultu, affectu et gaudio, volu-
erunt eum sibi in regem præficere. Sed

Digitized by Google

quomodo hoc audebant? quum Romani, A quibus erant subjecti, jam sub periculo mortis prohibuissent ne aliqua plebs assumeret sibi regem præter imperatorem, vel sine Romanorum consensu; et etiam quia Judæi isti Jesum regem facere volentes, sciebant quod principes sacerdotum, Scribæ ac Pharisæi, oderint jam Christum, et ægre acciperent quod aliqua pars Judæorum præficeret eum sibi in principem. Dicendum, quod isti viso præscripto miraculo multiplicationis panum ac piscium, confessi fuerunt Jesum esse B præcipuum illum Prophetam ab aliis prænuntiatum quod esset Salvator mundi. Sicque considerabant quod esset Christus in lege promissus, et per consequens regnaturus, atque hereditarius rex Israel: quemadmodum per Jeremiam fuit prædictum, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit Rex, et sapiens erit; et per Isaiam, Super solium David et super regnum ejus sedebit. Voluerunt ergo scripturas illas implere, et Jesum super se temporaliter C corporaliterque regnare: errantes in hoc, quod putabant scripturas illas de temporali carnalique regno intelligendas, quasi primus adventus Messiæ promissus esset in majestate et gloria, ut dominaretur, et non potius in omnimoda abjectione, paupertate et humilitate, ut occideretur.

Joann. XIX, 12. — *Jer.* XXIII, 5. — *Is.* IX, 7.

Quæritur, quum Christus etiam secundum naturam assumptam fuerit rex et sacerdos a principio incarnationis, tanquam omni creaturæ prælatus atque inter Deum et homines mediator constitutus, D incipiens ex utero virgineæ Genitricis se ipsum offerre pro nobis, quomodo voluerunt eum facere regem. Dicendum, quod a principio fuit rex auctoritate ac potestate; sed voluerunt eum facere regem, quantum ad usum seu exsecutionem potestatis. Denique voluerunt eum facere regem, specialiter propter tria quæ consideraverunt in ipso, et specialiter spectant ac requiruntur ad regem: primo, quia viderunt eum pium, compassivum ac liberalem, sicut in satiatione sua fuerunt experti; secundo, quia viderunt eum valde sapientem in omnibus; tertio, quia viderunt eum potentem supra naturam, sicque credebant se defendendos ab ipso. Idcirco nec Romanos, nec pontifices proprios attenderunt.

Fugit, id est, festinanter ascendit, *iterum in montem,* in quem primo ascendit, ut dictum est, et a quo descendit, occurrendo turbæ quam pavit; *ipse solus,* ut nemo sciret ubi esset, et ut quietius oraret: non quod multitudo potuit ejus contemplationem impedire, vel solitudo juvare, sed ut nos suo informaret exemplo, videlicet, ut post occupationem, quamvis divinam, cum aliis habitam, festinemus solitarium locum expetere, illicque nos ipsos recolligere, venialia commissa abstergere, contemplationi et orationi vacare. Ascendit etenim Christus in montem orare, secundum Matthæum et Marcum. *Matth.* XIV, 23; *Marc.* VI, 46.

Præterea, quod Christus promovendus in regem, fugit, quæsitus vero ad crucifigendum, paratum se obtulit, confundit superbiam, ambitionem, mollitiem nostram. Ipse enim idcirco hæc fecit, ut doceat nos honores prælationesque fugere, adversa autem æquanimiter sustinere. Sed, heu! pauci videntur qui non mallent præesse quam subesse, jubere quam obedire, honorari quam sperni; qui ingerunt semetipsos, non vocati a Deo tanquam Aaron. *Hebr.* V, 4. Pauci adversitatibus gaudent magis quam prosperis. In istis nondum exstinctus est amor privatus, nondum veraciter et perfecte se diligunt, nondum utuntur hoc mundo velut exsilio, hac vita ut via, præsentibus in ordine ad futura. Verumtamen scimus, teste Apostolo, quia qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. *Galat.* V, 24.

Ut autem sero factum est, descenderunt 16
discipuli ejus ad mare. Hoc quod jam hic recitatur de navigatione discipulorum, in aliquibus differre videtur a navigatione quam alii Evangelistæ describunt post miraculum panum. Hic enim habetur, quod

Digitized by Google

discipuli ejus descenderunt ad mare, quasi proprio motu hoc facientes. Sed apud (*Matth.* xiv, 22.) Matthæum legitur, quod Christus jussit eos ingredi navim; et apud Marcum, quod (*Marc.* vi, 45.) coegit eos ad hoc. Itemque hic dicitur, quod Jesus et disciputi venerunt Capharnaum; ibi vero habetur, quod venerunt (*Matth.* xiv, 34; *Marc.* vi, 53.) in terram Genesar, sive Genesareth. Rursusque hic dicitur, quod quum disciputi voluissent Jesum in navim accipere, statim fuit navis ad terram; ibi autem, quod (*Matth.* xiv, 32; *Marc.* vi, 51.) introiit navim. Ob hæc dicit Chrysostomus, quod non sit eadem res gesta de qua loquuntur Matthæus et Joannes, quamvis in multis conveniat.

Augustinus vero dicit oppositum : et hoc verius puto, ut patet ex circumstantia evangelicæ narrationis. Rationes vero Chrysostomi solverentur, dicendo ad primam, quod quamvis disciputi invite separabantur a Christo, libenter tamen secundum rationem obediebant : et ergo descenderunt ad navim secundum imperium Christi. Ad secundam dicendum, quod Genesar quandoque est nomen civitatis, et quandoque regionis in qua, vel juxta quam, est civitas Capharnaum sita : sicque veniendo Capharnaum, venerunt et Genesar, id est in illam provinciam. Vel dicendum, quod primo applicuerunt Capharnaum, postea Genesar. Ad tertiam dicendum, quod quamvis Joannes dicat navim statim fuisse ad terram, non tamen negat Jesum navim intrasse. — Secundum hanc ergo positionem exponenda est littera hæc, ut dictis Matthæi ac Marci concordet.

17 *Et quum ascendissent* discipuli *navim,* juxta præceptum Christi, *venerunt trans mare* Tiberiadis præmemoratum, *in Capharnaum.* Hoc, secundum Bedam, dicitur per anticipationem. Unde infra recitat Evangelista ordinem facti, quomodo illuc venerunt. *Et tenebræ jam factæ erant,* id est principium noctis, *et non venerat ad eos Jesus,* videlicet ad discipulos suos in (*Matth.* xiv, 23.) navim. Unde secundum Matthæum, vespere facto, fuit adhuc Jesus solus in

A monte. Et secundum Marcum, quum sero (*Marc.* vi, 47.) factum esset, fuit navicula in medio mari. Sic spiritualiter, dum Christus qui est lux vera non adest, tenebræ adsunt, ca- (*Joann.* i, 9.) ligo ignorantiæ et peccati, tribulatio atque tentatio. *Mare autem, vento magno flante,* et aquas agitante seu commovente, *exsurgebat,* intumescentibus fluctibus ejus in tantum, quod navis jactabatur in fluctibus. Pariformiter, absente auxilio atque præsentia Christi, motus vitiosi insurgunt in nobis. 18

B *Quum remigassent ergo* discipuli *quasi stadia viginti quinque aut triginta.* Causa remigationis, secundum alios Evangelistas, fuit quoniam ventus fuit eis contra- (*Matth.* xiv, 24; *Marc.* vi, 48.) rius : propterea non poterant procedere, sed nitebantur ad Christum redire. Sic viri devoti, dum tempestatibus persecutionum variisque tribulationibus agitantur, convertuntur et revertuntur ad Christum, ut ejus gratiosa præsentia consolentur, dicentes cum Psalmista : Usquequo, Domi- (*Ps.* xii, 1.) ne, oblivisceris me in finem? Usquequo C avertis faciem tuam a me? Unde et in Jona habetur : Quum angustiaretur in me (*Jonæ* ii, 8.) spiritus meus, Domini recordatus sum. Stadium dicitur octava pars milliaris. 19

Vident Jesum ambulantem super mare circa quartam vigiliam noctis, videlicet in (*Matth.* xiv, 25; *Marc.* vi, 48.) ultima noctis parte, propinquante aurora. Ex quo patet quod disciputi tota pene nocte in labore et periculo erant. Ambulavit autem Jesus super mare per dotem agilitatis, secundum Hugonem. Quod communiter non tenetur; sed quod divina D virtute sic incessit, gravitate sui corporis non agente in aquam eam dividendo, sicut divina virtute ignis interdum non agit suo calore in corpus humanum, ut patet in Daniele de tribus pueris, et aliis multis (*Dan.* iii, 50.) in novo Testamento. *Et proximum navi fieri,* id est appropinquare naviculæ. Sic utique quando in maximis tribulationibus sumus, ita ut vix de evasione speremus, si suspiramus ad Jesum, mox experimur piissimum ejus occursum, fitque proximus navi, id est Ecclesiæ adversitatibus

Digitized by Google

laboranti. Propter quod dicit Apostolus : A
I Cor. x, 13. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ultra id quod potestis. Unde orat Pro-
Ps. LXX, 9. pheta : Quum deficiet virtus mea, ne derelinquas me. Inconcussibiliter ergo speremus in eo, dicentes cum sancto Job :
Job XIII, 15. Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Imo in tribulatione Deus præcipue adest, quamvis non sentiatur, sed quasi abscondat se, adspiciens nostrum certamen. Dum ergo affligimur, impugnamur, tentamur, pensemus Deum præsentem et nostrum conflictum considerantem, sicque animemur, B viriliter militantes et de subsidio Dei certissime confidentes, scientes verum esse
Ps. XC, 15. quod ait : Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.

Et timuerunt, propter novitatem rei, et
Matth. XIV, 26; Marc. VI, 49. quia putabant esse phantasma, secundum alios Evangelistas. Timebant enim ne forte esset spiritus malignus in specie Christi, et ne læderentur aut mergerentur ab eo. Unde et præ timore exclamaverunt,
20 Deum invocando. *Ille autem dicit eis : Ego sum* qui videor esse, videlicet ma- C gister quem quæritis, quem amatis, qui possum succurrere ; *nolite timere* inordinato timore, nimis timendo propriæ pelli, et de illusione phantastica. Sed est timor divinus ac salutaris, quo timemus culpam incidere, Deum offendere, gloria
Eccli. I, 28. spoliari. De quo ait Scriptura : Qui sine
Prov. XXVIII, 14. timore est, non potest justificari ; et, Bea-
21 tus homo qui semper est pavidus. *Voluerunt ergo eum* discipuli *accipere in navim.* Amor est enim virtus unitiva : ideo magistro suo carissimo cupiebant corpo- D raliter quoque adesse.

Quum autem dixerat Christus, Ego sum, statim post hoc, non tamen immediate, jussit tempestatem cessare. Omittit hoc loco Joannes quod alii Evangelistæ scripserunt, videlicet, quod quum Jesus di-
Matth. XIV, 28-32. xisset, Ego sum, Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. Cui respondit, Veni. Quum vero Petrus tenderet super aquas, videns ventum validum timuit ; et quum mergi cœpisset, clamavit : Domine, salva me. Dixitque Jesus : Modicæ fidei, quare dubitasti ? Et apprehendens manum Petri, intravit cum eo naviculam, et protinus ventus cessavit. *Et statim fuit navis ad terram,* id est juxta Capharnaum, *ad quam ibant* navigio, non pedestres. Christo enim navim ingresso, navis divina virtute, ductu forte angelico, in brevissimo et quasi imperceptibili temporis spatio, pervenit ad littus.

Sic itaque fecit Christus quatuor magna miracula uno tempore : primum, quod ipse super undas incessit ; secundum, quod ejus virtute Petrus similiter fecit ; tertium, quod tempestatem tam subito fecit quiescere ; quartum, quod navim tam repente fecit ad littus pertingere. — Sic spiritualiter dat Christus famulis suis electis virtutem ambulandi atque calcandi super aquas tribulationum præsentium, et vincendi cuncta adversa, ita ut omne gau- Jacob. I, 2.
dium existiment, quum in diversas tentationes inciderint. Quum vero Jesus ingreditur navim, hoc est Ecclesiam, seu corda fidelium, statim cum insperata celeritate, est navis ad terram optatam : quia tunc subito consolantur, et patriam contemplantur, eamque desiderio sancto introeunt, habentes conversationem in cœ- Philipp. III, 20.
lis, qui paulo ante fluctuabant in imis. Estque hæc mutatio dexteræ Excelsi, qui Ps. LXXVI, 11.
vulnerat et medetur, et tunc, et quomodo Job V, 18.
ei placuerit.

Altera die post miraculum panum, *turba quæ stabat trans mare* Tiberiadis, hoc 22
est ex opposito urbis Capharnaum, circa locum quo die præcedenti a Christo pasta fuit : rediit enim ad illum locum, ut quæreret et regem faceret Jesum ; *vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una,* id est, die præcedenti non fuit ibi nisi una navis, in qua navigaverunt discipuli ; *et quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim* præfatam, quæ sola extitit ibi, *sed soli discipuli ejus abiissent* in illa navi. *Aliæ vero supervenerunt na-* 23
ves a Tiberiade urbe prædicta, *juxta locum,* id est usque ad locum, *ubi mandu-*

Digitized by Google

caverant panem turba quinque millium A
virorum, *gratias agentes Domino,* qui eos
tam mirabiliter pavit. Istæ naves vene-
runt postea, scilicet post recessum disci-
pulorum.

24 *Quum ergo vidisset turba quia Jesus
non esset ibi,* hoc est in loco manducati-
onis jam dictæ, *neque discipuli ejus, as-
cenderunt in naviculas* illas quæ su-
pervenerunt, *et venerunt Capharnaum,*
25 *quærentes Jesum. Et quum invenissent
eum trans mare,* in Capharnaum vel pro-
pe, *dixerunt ei* cum admiratione : *Rabbi,* B
quando huc venisti? id est, quando et
quomodo transvadasti hoc mare sine na-
vigio? vel, per quem modum venisti ad
locum hunc, quum sciamus te non intras-
se cum discipulis tuis unicam illam na-
viculam?

26 *Respondit eis Jesus,* non ad interro-
gationem eorum, vel quia indigni erant
audire tantum mysterium, vel quia non
credidissent, vel quia non fuit eis neces-
se hoc scire. Idcirco primo redarguit car-
nalitatem eorum, et deinceps moralem C
doctrinam proposuit. *Et dixit : Amen,
amen dico vobis, quæritis me, non quia
vidistis signa,* id est non propter spiritu-
alem rationem, non ex admiratione since-
ra ac vera dilectione mirabilium operum
Dei, *sed quia manducastis ex panibus, et
saturati estis,* hoc est ex affectu carnali
et aviditate alimoniæ corporalis, cupientes
frequentius satiari a me sine vestro la-
Ps. vii, 10. bore. Dominus Jesus scrutans corda et re-
Hebr. iv, 12. nes, discretor intentionum, vidit interiorem
imperfectionem istorum, qui voluerunt D
eum regem facere propter corporalia com-
moda, ut otiosam deliciosamque sub ejus
dominio agerent vitam, putantes quod
semper posset eos usque ad satietatem
nutrire, sine ipsorum sollicitudine ac la-
bore, qui semel tam mirabiliter paverat
ipsos : ideo eum quærebant, atque redar-
gui meruerunt. Non est tamen putandum
quod omnes fuerint tales, quia nonnulli
ex devotione piisque causis eum comita-
bantur.

Operamini, hoc est, operando acquirite 27
et adipisci studete, *non* solum vel prin-
cipaliter *cibum qui perit,* hoc est escam
corpoream, quæ in substantiam aliti trans-
mutatur amittendo propriam formam, sic-
que corrumpitur, *sed qui permanet in
vitam æternam,* id est, manducantem con-
fortat, in ipsoque permanet quousque per-
ducatur ad patriam; *quem* cibum spiritu-
alem animas vitaliter reficientem, *Filius
hominis dabit vobis.* Cibus iste intelligi po-
test ipsum Verbum incarnatum, vel cor-
pus dominicum, vel actio virtuosa, et
quidquid spiritualiter alit mentem, per-
ducens eam ad vitam beatam. Primo enim Matth. vi,
quærendum est regnum Dei et justitia 33.
ejus; et deinde licitum est, cum modera-
ta sollicitudine ac labore honesto quærere
sustentaculum vitæ, escam, potum, vesti-
tum et domum : præsertim quum dicat
Apostolus, Qui non laborat, nec mandu- II Thess. iii,
cet; et Psalmista, Labores manuum tua- 10. Ps. cxxvii,
rum quia manducabis, beatus es, et bene 2.
tibi erit.

Huic vero quod nunc loquitur Christus,
Operamini non cibum qui perit, concor-
dat quod ait apud Matthæum : Ne solliciti Matth. vi,
sitis animæ vestræ quid manducetis, neque 25.
corpori vestro quid induamini. Et aliud
nihil intendit per hæc, nisi ut tanto sol-
licitiores simus pro interna refectione, spi-
rituali confortatione, gratiosa pinguedine
animæ, quam corporis, quanto præstan-
tior est immortalis anima summæ Trini-
tatis imagine decorata, vili isto ac corru-
ptibili corpore, et quanto majus damnum
imminet si anima negligatur, quam si cor-
pus maceretur. Denique, sicut lecatores
non contentantur qualicumque alimento,
sed delicatissima fercula quærunt; sic
nos, si veri religiosi sumus, non debe-
mus inferiorum virtutum actionibus ani-
mas nostras tantum vel præsertim refice-
re, sed nobilissimarum virtutum epulas
degustare, insistendo præcipue actibus fi-
dei, spei et caritatis, deinde actibus latriæ
aliarumque virtutum cardinalium. Sed ad
talia nemo idoneus est, nisi per virtutes

Digitized by Google

morales fuerint in eo passiones reformatæ vitiaque exstincta.

Hunc enim cibum spiritualem, *Pater signavit Deus,* hoc est, Deus Pater præcipue requirendum ostendit. Vel : Hunc Filium hominis, Pater signavit Deus, id est, hominibus per incarnationis mysterium demonstravit, quatenus cibum spiritualem nobis conferret. Signavit quoque
Matth. III, 17. Pater Filium suum in baptismo, Hic est,
Ibid. 16. inquiens, Filius meus dilectus; et per columbam, atque per alia testimonia quibus probatur Jesus esse Christus Filius Dei.

28 *Dixerunt ergo ad eum* Judæi : *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* id est, quid agendo erimus Deo obedientes, seu opera ei placentia exsequentes, ut prædictum panem spiritualem consequi mereamur?
29 *Respondit Jesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei,* id est actio placita Deo, et donum ipsius quo panis iste acquiritur, *ut credatis in eum quem misit ille,* id est credere in me Jesum Christum, missum a Deo Patre seu Trinitate. Sumuntur itaque hoc loco Facere et Operari, multum late atque communiter, prout omnem actum interiorem et exteriorem includunt, ita quod interior fidei actus vocetur opus et factio Dei, quoniam donum ipsius est,
Is. XXVI, 12. qui fidem ipsam infundit, et omnia opera nostra operatur in nobis.

30 *Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi?* Hoc est, quod miraculum tam præclarum ac singulare operaris, ut illo conspecto, credamus tibi tanquam regi Messiæ et Christo Filio Dei? *Quid operaris?* id est, nil tale facis, propter quod dignum sit tibi sic credere. Superius dictum est, quod crediderunt in Jesum, viso miraculo quinque panum. Quomodo ergo nunc reprehenduntur de incredulitate? Et respondendum, quod loquuntur sicut homines passionati, qui secundum omnem ventum mutantur. Unde satiati, quasi blandiendo
vers. 14. dixerunt, Hic est vere Propheta qui venturus est in mundum; nunc vero increpati, dicunt, Quid operaris? Imperfecta
A ergo atque instabilis fuit fides eorum de Christo. Et forte, quæ dicta sunt de credentibus, et istis, non sunt referenda ad eosdem. In tanta enim turba erant diversi diversimode sentientes.

Quod autem Christus nil operetur, comparatione Moysis probant. *Patres nostri* 31
manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est in Psalmo, quantum ad sensum : *Panem de cœlo dedit eis manducare.* Ps. LXXVII, 24, 25; CIV, 40.
Tanquam dicerent : Tu nos semel satiasti, multiplicando panes hordeaceos :
B sed quid est hoc, respectu cibationis patrum nostrorum egredientium de Ægypto, qui quadraginta annis refecti sunt pane cœlesti sub Moysis principatu? secundum quod Exodi sextodecimo Dominus dixit : Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. Exod. XVI, 4.

Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico 32
vobis, non Moyses dedit vobis, hoc est patribus vestris, *panem de cœlo.* Hoc tripliciter verum est : primo, quoniam Moyses non dedit eis hunc panem, sed Deus omnipotens ministerio angelorum forma-
C vit, dedit ac pluit manna; secundo, quoniam panis ille non descendit de cœlo proprie dicto, videlicet de cœlo empyreo, sidereo, seu aliquo orbe cœlesti altioris naturæ præ elementis, sed de cœlo aerio; tertio, quoniam manna non fuit panis verus, sed figuralis ac typicus. Sed sciendum, quod verum quandoque distinguitur contra fictum seu falsum, et sic fuit verus panis; quandoque autem contra figurativum, et sic non erat verus panis, sed typicus, præfigurans panem cœlestem
D ac spiritualem, qui datur nobis in Sacramento. De quo subditur : *sed Pater meus dat vobis,* quantum in se est, hoc est, paratum ad dandum se exhibet, *panem de cœlo verum,* non figuralem tantum. Et quis sit panis ille subjungitur.

Panis enim Dei, hoc est a Deo Patre 33
datus, *est* ille *qui descendit de cœlo,* id est unigenitus Filius Dei, seu Verbum incarnatum, *et dat vitam* gratiæ *mundo,* hoc est hominibus in ipsum credentibus. Ipse igitur Christus est verus panis mentem

reficiens, tam ratione suæ divinitatis, per quam reficit angelos, et gratiam causat in nobis, quam ratione suæ humanitatis, cujus virtute et merito omne spirituale bonum consequimur, quasi per causam
Joann. I, 16. mediatam ac instrumentalem, quia de plenitudine ejus omnes accipimus, gratiam pro gratia, ut dictum est primo capitulo. Denique panis iste descendit de cœlo empyreo, in quo Deus specialiter habitare censetur, non locum mutando, sed nostram naturam induendo, seque hominibus visibiliter ostendendo. Et quoniam anima Christi fuit creata a Deo, et corpus ejus immediate formatum a Spiritu Sancto, potest dici quod etiam secundum assumptam humanitatem descendit de cœlo, secundum sensum expositum.

34 *Dixerunt ergo ad eum* carnales Judæi : *Domine, semper da nobis panem hunc*. Non petierunt panem cœlestem, de quo Christus loquebatur, sed corporalem, de quo eum loqui putabant. Optabant enim corporaliter refici pane meliori quam fuerat manna. Et sicut mulier Samaritana non intellexit Christum loquentem de
Ibid. IV, 15. aqua spirituali, sed dixit, Domine, da mihi hanc aquam, ut non veniam huc haurire, nec sitiam; sic isti non intellexerunt Christum loquentem de pane spirituali, sed dixerunt, Semper da nobis panem hunc, videlicet, ut sine labore et cura tam optimo pane vescerentur.

35 *Dixit autem eis Jesus : Ego sum panis vitæ,* hoc est conferens vitam gratiæ in via, et vitam gloriæ in patria. Nec solum conservo ac roboro vitam istam, sicut cibus corporeus conservat atque fortificat vitam naturæ præsentem; sed etiam causo vitam hanc spiritualem, quum deest : quod cibus corporalis non valet efficere quantum ad vitam naturæ. *Qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet in æternum*. Huic simile est quod
Ibid. 13. supra dixit Salvator, Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; quod illic prolixe diversisque modis expositum est, quibus perlectis, patet intel- A lectus loci præsentis. Qui enim venit ad Christum per caritatem et gratiam, non esuriet post hanc vitam, quoniam satia- Ps. XVI, 15.
bitur satietate æterna, quum viderit Deum per speciem. Nec sitiet in æternum, quamvis ad tempus sitiat durante vita præsenti, in qua beati sunt qui esuriunt et si- Matth. V, 6.
tiunt justitiam. In futuro etenim sæculo incessanter potabitur* torrente voluptatis Ps. XXXV, 9.
Dei, ubi fluminis impetus lætificat civi- Ps. XLV, 5.
tatem Dei. Quomodo autem intelligi possit quantum ad vitam præsentem, quod B scilicet veniens ad Christum et credens in ipsum, non sitiat neque esuriat in præsenti, et quomodo hoc non discordet ab eo quod in Ecclesiastico inducitur, Qui Eccli. XXIV, 29.
edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient, elucescit ex dictis in In Joann. IV, 13.
expositione quarti capituli.

Deinde Christus ostendit, quod quantum in se fuit, ipse obtulit panem vitæ Judæis, sed ipsi propter suam incredulitatem, eum non gustaverunt. *Sed dixi vo-* 36
bis, quia, id est quod, *et vidistis me* oculo C corporali, secundum quod homo sum, *et non credidistis* verbis meis, nec in me, quod sim unigenitus Filius Dei et Christus vobis promissus. Obtuli ergo vobis hunc panem, ostendendo vobis me ipsum; sed non manducastis, quia non credidistis : qui enim credit, manducat.

Sed ne putaremus omnes Judæos deserendos, vel propter illorum incredulitatem misericordiam Dei evacuandam, declarat quibus dandus sit panis iste vitalis atque vivificus. *Omne* genus hominum 37
D *quod dat mihi Pater,* id est, quos Pater per inspirationem internam inclinat ad me, vel quos ab æterno elegit ac præ- Rom. VIII, 29.
destinavit in me, utpote quos decrevit per meam incarnationem ac passionem salvare, *ad me veniet,* nunc per fidem et gratiam, in futuro autem per beatificam visionem, imo et per localem sui exaltationem usque ad cœlum empyreum. De his nempe dicit Apostolus ad Ephesios : Deus ele- Ephes. I, 4.
git nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati

Digitized by Google

in conspectu ejus; et in Psalmo ait Pater A ad Filium, Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, etc. *Et eum qui venit ad me,* per mentis suæ conversionem, fidem et caritatem, vel qui facit quod in se est, quamvis nondum gratiam habeat, *non ejiciam foras,* id est, non separabo eum a grege electorum meorum, nec a pietate mea eum excludam, sed incorporabitur mihi, et si Pater meus dederit eum mihi (modo prætacto), finaliter salvus erit. Non enim est Christus personarum acceptor, sed in omni gente, qui timet eum B et operatur justitiam, acceptus est illi. Ecce quanta est misericordia Salvatoris. Nullum quantumcumque abjectum vel impium, despicit aut relinquet, si convertatur ad ipsum, faciendo quod in se est. Cujus ratio subditur :

Ps. II, 8.

Act. X, 34, 35.

38 *Quia descendi de cœlo,* humanam naturam assumendo (ut dictum est plenius), *non ut faciam voluntatem meam,* id est proprium beneplacitum, *sed voluntatem ejus qui misit me,* puta Patris cœlestis. Quomodo intelligendum est hoc? Nonne C Patris et Filii, secundum naturam divinam, est una numero voluntas, sicut et una essentia? Quod enim dicitur absolute in tribus Personis, non numeratur. Sed voluntas Christi humana, fuit divinæ voluntati inflexibiliter subjecta, unita et conformata, non solum propter beatificam fruitionem animæ Christi, sed insuper propter hypostaticam humanæ naturæ unionem cum Verbo. Et respondendum, quod Christus loquitur de voluntate humana, quæ licet fuerit Deo semper conformis, D non tamen Christus fecit eam in quantum fuit sua, sed in quantum erat voluntati paternæ subjecta. Idcirco formaliter dicitur voluntatem Patris fecisse, quoniam illa fuit ratio ob quam fecit quod suæ voluntati humanæ complacuit. Unde Christus loqui videtur secundum generalem modum loquendi, secundum quem aliquis subditus vel amicus dicit de suo prælato vel dilecto, Non facio quod mihi placet, sed quod illi; quamvis quidquid placuerit illi, sibi quoque summe complaceat.

Quæritur, quum Deus sit sua voluntas, quomodo potest quis facere voluntatem Dei, quum nullus possit facere Deum. Et respondendum, quod voluntatem Dei dicimur facere, dum ejus præceptis paremus, vel consiliis acquiescimus. Frequenter enim sumitur voluntas pro signo voluntatis, videlicet pro præcepto vel consilio, vel pro re volita.

Denique verbis istis incomparabilis nobis commendatur humilitas Christi, qui quum sit verus Deus, Patri æqualis, tam humiliter asserit se venisse, non ut propriam impleat voluntatem, sed Patris. Confunditur ergo et condemnatur superbia nostra, rebellio nostra, duritia nostra, qui ad murmurandum, repugnandum et intumescendum, tam proni consistimus. Contemplemur igitur efficaciterque sectemur Caput nostrum, propriam voluntatem penitus abnegantes, secundum quod ipse alibi docet : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Quo enim sincere propter Deum propriam voluntatem magis relinquimus, frangimus, abnegamus, eo amplius Deus se ipsum ingerit nobis, ita quod eum possidere incipimus, et nostris desideriis acquiescit, offerens se copiosissime mentibus nostris. Unde Isaias inducit : Si glorificaveris Dominum dum non invenitur voluntas tua, tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudinem terræ, ait Dominus. Hanc abnegationem efficit vera caritas Dei, quoniam amor, secundum Dionysium, non sinit amantem esse sui ipsius, sed amati.

Luc. IX, 23.

Is. LVIII, 13, 14.

Hæc est autem voluntas, hoc est res placens ac volita, *ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi* (modo jam explanato) *non perdam ex eo,* hoc est, nullum electorum perire permittam, quia etsi ad tempus erraverit, finaliter perire non valet. Propter quod fertur in Psalmo : Quum ciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam; rursusque, 39

Ps. XXXVI, 24.

Digitized by Google

[*Ps.* cxvii, 13.] Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. *Sed resuscitem illud in novissimo die,* hoc est in die judicii
[*Job* xix, 25.] universalis : de quo sanctus Job ait, In novissimo die de terra surrecturus sum.
[I *Cor.* xv, 51, 52.] Omnes quippe resurgemus (nec dubium quin per omnipotentiam Christi) in momento, in ictu oculi, in novissima tuba, secundum Apostolum. Dies autem judicii appellatur novissimus, quia ex tunc motus cœli cessabit, et per consequens tempus, quod est mensura motus cœlestis. Tempore autem cessante, cessabunt dies et nox proprie sumpti.

40 *Hæc est enim voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium* per contemplationem fidelem,*et credit in eum* per fidem formatam. Loquitur autem de visione ænigmatica, non de visione clara per speciem. Visio enim Dei per speciem, fidem excludit. De visione vero ista ob-
[*Ibid.* xiii, 12.] scura dicit Apostolus : Videmus nunc per
[*Ibidem.*] speculum in ænigmate; et, Nunc cognosco ex parte. *Habeat vitam æternam* pro mercede in patria, id est claram notitiam Dei. Visio enim per speciem, est tota merces. Patet ergo quod voluntas Patris est salus, conservatio atque redemptio nostra. Unde
[I *Thess.* iv, 3.] etiam protestatur Apostolus : Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Sed quia vita ista æterna, est subjective in anima, idcirco de corporis glorificatione adjecit : *et ego resuscitabo eum* [*in novissimo die*], hoc est, de morte naturæ seu somno mortis ipsum excitabo, corpus resolutum in cineresque redactum redintegrando, eique animam copulando, ut beatitudo animæ mox redundet in corpus, et utrumque pariter glorificetur.

41 *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset : Ego sum panis vivus, qui de*
42 *cœlo descendi. Et dicebant : Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic, Quia de cœlo descendi?* Isti Judæi increduli multipliciter erraverunt. Primo, quia murmurabant. In quo imitati sunt patres suos, qui Deum gravissime offendisse leguntur, murmurando contra eum in solitudine. [*Exod.* xvi, 2, 7, 8; *Num.* xi, 1; xiv, 1, 11, 27, 29, 35; xx, 13.] Verba enim quæ isti intelligere propria subtilitate non poterant, debebant humiliter investigasse ac didicisse, nec debuerunt ambigere de veritate loquentis, cujus in tantis miraculis experti erant sanctitatem atque potentiam, adsistentiamque divinam. Secundo, quia putabant Jesum naturali ordine ex commixtione viri ac feminæ natum. Et ergo putabant quod Joseph esset pater ejus carnalis; Mariam quoque a viro cognitam reputabant. Tertio, quoniam æstimabant Jesum esse purum hominem, idcirco non descendisse de cœlo, quia natus in terra ex homine.

Respondit ergo Jesus, et dixit eis : Nolite 43
murmurare in invicem, quoniam grande peccatum est. Itaque, nolite murmurare, quasi aliquid falsi dixerim. Nec tamen mirum si murmuratis. Et utriusque ratio subditur, scilicet, quod verba Christi nullam falsitatem continebant, et quod mirum non fuit murmurare Judæos.

Nemo potest venire ad me, id est, non 44
solum non venit, sed nec potest venire ad me interiori accessu per fidem et caritatem, *nisi Pater qui misit me, traxerit eum,* hoc est, per suam caritatem et pietatem inclinaverit atque perduxerit mentem ejus ad me, infundendo ei fidem et gratiam, quibus mihi spiritualiter uniatur
et incorporetur. Non est enim volentis ne- [*Rom.* ix, 16.]
que currentis, sed Dei miserentis, cu-
jus donum est omne bonum quod inest [*Jacob* i, 17.]
nobis.

Tractus iste interior est, non violentus neque coactus, sed amorosus atque spontaneus, ex divina caritate procedens. Deus namque movet unumquodque secundum propriam suam naturam. Rationalem ergo creaturam convertit et movet ad Christum intellectualiter, sponte ac libere. Denique tractus iste, inter caritatem trahentis et unionem tracti cum ipso, est medius. Sine quo tractu nihil possumus : quia quum Christus sit finis noster, seu terminus supernaturalis, non possumus ad ipsum mo-

Digitized by Google

veri sive pertingere, nisi aliunde traha- A
mur, puta a Patre cœlesti, imo a tota
Trinitate, cujus indivisa sunt opera : sic-
ut nec terra potest ascendere, nisi ab alio
elevetur. Et quum homo sit gravis, quia
Sap. IX, 15. corpus quod corrumpitur aggravat ani-
II Cor. III, 5. mam ; et potestas ejus infirma, quia non
sumus sufficientes cogitare aliquid a no-
bis quasi ex nobis ; via quoque longa,
Matth. VII, 14. periculosa atque difficilis, nam et arcta
est via angustaque porta quæ ducit ad
vitam : patet quod maxime indigemus hoc
tractu. Ideo semper dicamus cum Spon- B
Cant. I, 3. sa : Trahe me post te.

Præterea tractus iste ex divina (ut di-
ctum est) caritate procedit, juxta illud
Jer. XXXI, 3. Jeremiæ : In caritate perpetua dilexi te ;
ideo attraxi te miserans. Quod tripliciter
fit. Quosdam etenim trahit Deus flagel-
lis : quæ tamen ex dilectione infliguntur,
Apoc. III, 19. Domino contestante, Ego quos amo, ar-
Osee XI, 4. guo et castigo. Propter quod ait Osee : In
funiculis Adam traham eos, in vinculis ca-
ritatis. Isti funiculi, sunt pœnalitates ori-
ginale peccatum sequentes, quibus affli- C
gimur, et ad Deum converti monemur.
Quosdam vero trahit Deus beneficiis, ut
Ps. XII, 6. eum qui dixit : Cantabo Domino qui tri-
Ps. CXV, 12. buit mihi bona ; et, Quid retribuam Do-
mino pro omnibus quæ retribuit mihi ?
Is. LXIII, 7. Isaiam quoque audi dicentem : Miseratio-
num Domini recordabor ; laudem Domini
super omnibus quæ reddidit nobis Domi-
nus, et quæ largitus est nobis secundum
indulgentiam suam. Quosdam vero trahit
promissis, ut qui contemplatione præmi-
orum cœlestium convertuntur : quemad- D
modum de Moyse dicit Apostolus ad He-
Hebr. XI, 26. bræos, quod adspexit in remunerationem ;
Ps. CXVIII, 112. et Psalmista, Inclinavi (inquit) cor meum
ad faciendas justificationes tuas in æter-
num, propter retributionem. — Aliqui in-
super trahuntur solo amore dilecti.

A quibusdam additur quintus modus
trahendi, qui est per occultam virtutem
Spiritus Sancti et inspirationem internam.
Sed iste modus generalis est omnibus præ-
inductis, quoniam sine occulto influxu
sive instinctu Spiritus Sancti, nec flagel-
lis, nec donis, neque promissis, nec ali-
quo alio modo traheremur ad Christum.
Illa autem tractio qua trahimur ad Deum
solo ejus amore, præstantior est atque di-
vinior, imo omnino deifica est : quia per
eam ad Deum convertimur, eumque di-
ligimus, honoramus, exquirimus, quoniam
est in se ipso naturaliter atque totaliter
bonus, sanctus, summus, perfectus. Unde
hoc ipsum ad filios spectat carissimos.

*Et ego resuscitabo eum in novissimo
die.* Quid est hoc ? Nonne et eos quos Pa-
ter non trahit, suscitaturus est Filius ? Cur
ergo quasi pro præmio spondet tracto,
quod suscitabit eum in die novissimo ?
Et respondendum, juxta Apostolum, quod
omnes utique resurgemus, sed non om- I Cor. XV, 51.
nes immutabimur. Nunc ergo loquitur
Christus de suscitatione beatæ immutati-
onis, hoc est glorificationis in carne, quo-
niam anima propter naturalem inclinati-
onem ad corpus, non est perfecte beata
donec corpori glorificando reuniatur, vel
potius glorificato fuerit copulata.

Insuper probat Christus testimonio Pro-
phetarum, quod multi sint, Patre trahen-
te, convertendi ad ipsum. *Est scriptum in* 45
Prophetis, id est in libris eorum : *Et erunt*
temporé gratiæ *omnes* homines *docibiles
Dei,* id est apti doceri vel docti a Deo. Sic
tamen ut sit distributio pro generibus
singulorum, non pro singulis generum :
quomodo alibi dicitur, Et benedicentur Ps. LXXI, 17.
in ipso omnes tribus terræ ; et item in
Daniele, Omnes gentes, tribus et linguæ Dan. VII, 14.
servient ei : quum tamen comparatione
aliorum, pauci sint qui Christo veraciter
serviunt, sicut sunt pauci electi. Unde ad Matth. XX, 16; XXII, 14.
insinuandum quod post incarnationem Fi-
lii Dei, per prædicationem Evangelii es-
sent incomparabiliter plures divinitus il-
lustrandi atque ad Christum convertendi,
quam ante, dicta sunt verba præallegata, et
quod nunc Christus allegat : Erunt om-
nes docibiles Dei. Quocirca sciendum quod
Christus, Apostoli et Evangelistæ frequen-
ter allegant Scripturas veteris Testamenti

Digitized by Google

potius quantum ad sensum, quam quo-
ad formam verborum. Unde quod dicitur
nunc, Erunt omnes docibiles Dei, inve-
nitur non solum in uno Propheta, sed in
multis, quantum ad sensum, quamvis in
nullo inveniatur quoad formam sermonis.
Is. XI, 9. Scriptum est enim in Isaia : Repleta est
terra scientia Domini, quasi aquæ maris
Ibid. LIV, 13. operientes ; et rursus, Ponam omnes fi-
lios tuos doctos a Domino. Jeremias quo-
Jer. XXXI, 34. que : Omnes a majore eorum usque ad
minorem, cognoscent me.

Omnis homo viator *qui audivit* auribus
cordis *a Patre* intus loquente, id est, di-
vinum instinctum advertit, *et didicit* per
inspirationem internam, id est, quem Pa-
ter docuit de his quæ spectant ad fidem :
Ps. LXXXIV, 9. qualis fuit qui ait, Audiam quid loquatur
in me Dominus Deus ; *venit ad me* per
fidem et operationem, per caritatem et
Ps. XCIII, 12. obedientiam. Ideo dicit Propheta : Beatus
homo quem tu erudieris, Domine, et de
lege tua docueris eum. Non ergo ad con-
versionem hominis sufficit vox prædica-
toris, nisi fuerit Deus interius instruens.

Denique Thomas in Summa contra gen-
tiles, redarguit Origenem dicentem, quod
Deus dicitur causa bonorum nostrorum,
solum quia est causa habituum infusorum
per quos meritorie operamur, videlicet
gratiæ habitualis, fidei, spei et caritatis.
Dicit itaque Thomas, quod etiam quan-
doque Deus est proxima causa actionum
nostrarum interiorum, Isaia testante, qui
Is. XXVI, 12. ait : Domine, dabis pacem nobis, omnia
enim opera nostra operatus es in nobis ;
Philipp. II, 13. et item Apostolus : Deus est qui operatur
in vobis et velle et perficere, pro bona
voluntate, hoc est ex sua pietate volun-
taria voluntateque pia, non meritis ve-
stris. Dicit insuper Thomas, quod semper
acquiescimus actuali inspirationi quæ no-
bis a Deo infunditur. Et fundatur hoc
verbum Thomæ in auctoritate Augustini,
dicentis : Gratia quæ occulte humanis cor-
dibus divina largitate tribuitur, a nullo
corde duro respuitur, quoniam ideo da-
tur ut duritia cordis penitus auferatur.

A Ad propositum igitur : Omnis qui audivit
didicitque a Patre, hoc est, actualem il-
lustrationem immediate a Deo percepit,
venit per consensum ad Christum, quo-
niam omnis talis veraciter acquiescit. Non
tamen omnis talis salvatur, sed qui præ-
destinatus est, finaliter perseverans.

Sed ne ex verbis inductis aliquis æs-
timaret Deum Patrem esse oculo carnis
visibilem, vel intellectu comprehensibi-
lem, addidit Christus : *Non quia Patrem* 46
æternum *vidit quisquam* hominum oculo
B corporali, vel etiam intellectuali, loquen-
do de visione comprehensionis perfectæ :
quia sic solus Deus comprehendit se ip-
sum, immensus immensum. Loquendo au-
tem de visione Dei per speciem quam
habent Sancti in patria, sic nullus purus
viator vidit Deum visione fixa ac cœli-
formi, quamvis Moyses et Paulus credantur
Deum in hac vita vidisse per speciem, in
raptu quodam non diu durante. De hoc
dictum est plenius primo capitulo, super
illud : Deum nemo vidit unquam. Sed quo- *Joann.* I, 18.
C niam Christus hæc proferens homo fuit,
ne Judæi putarent eum non vidisse Pa-
trem, subjecit : *nisi is qui est a Deo,* hoc
est Filius natus a Patre, vel missus a Deo
Trinitate. Filius enim in quantum homo,
missus ac originatus est a se ipso secun-
dum quod Deus. *Hic vidit Patrem* visio-
ne perfectæ comprehensionis, in quantum
est Deus, et item visione beatificæ frui-
tionis, secundum quod homo, ab incar-
nationis exordio. Ex hoc sequi videtur,
quod Christus non loquitur de visione
D corporali, quia sic nec ipse videt Patrem.
Porro, per hoc quod ait, Nisi is qui est
a Patre, non excluditur Spiritus Sanctus
quin et ipse comprehendat Patrem, quum
dicat Apostolus, quod Spiritus scrutatur *I Cor.* II, 10.
profunda Dei, et quæ Dei sunt nemo novit, *Ibid.* 11.
nisi Spiritus ejus.

Amen, amen dico vobis, qui credit in 47
me fide caritate ornata, *habet* nunc *vitam*
æternam in spe, in merito, in radice, in
dispositione propinqua. Habet enim cau-
sam meritoriam spemque idoneam ingre-

diendi vitam æternam, seu obtinendi beatificam divinæ essentiæ visionem. Vel, habet vitam gratiæ realiter in præsenti. Qui enim credit in Christum, habet Christum. Et utique Christus est vita æterna, quem-
Joann. xiv, 6. admodum contestatur : Ego sum via, veritas et vita. Joannes quoque in prima
I *Joann.* v, 20. sua ait Canonica : Hic est verus Deus et
48 vita æterna. *Ego sum panis vitæ* substantialiter atque causaliter. Panis sum omnia pascens : non tamen in quemquam convertor, aut mutor, sed fideliter manducantem converto in me. Sum etiam panis vitæ, quia sumentibus digne do vitam gratiæ in præsenti, et vitam gloriæ in fu-
vers. 35. turo. De hoc verbo superius dicta sunt plura.

Deinde inanem gloriationem Judæorum de manna præsumentium, Christus eva-
49 cuat. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.* Palam est quod mortui sunt morte naturæ. Sed quia mox subditur, Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis manducaverit ex ipso non moriatur, certum est quod loquitur de morte culpæ. Hoc enim Christus adjecit, distinguendo inter panem vitæ quem ipse dat, et manna. Sed numquid omnes patres Judæorum qui manna edebant, mortui sunt morte culpæ ? Non utique, quia nec Moyses, nec Aaron, nec Josue, nec ceteri justi illius exercitus. Loquitur ergo Salvator de patribus Judæorum quorum vestigia isti sectabantur, puta incredulis

A seu perversis, qui dixerunt : Anima no- *Num.* xxi, 5.
stra nauseat super cibo isto levissimo. Illis quippe fuit panis ille insipidus. Justis vero optime sapiebat, quemadmodum in libro Sapientiæ scribitur : Panem de cœ- *Sap.* xvi, 20, 21.
lo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem : ad quod enim quisque volebat, convertebatur. De illis vero carnalibus tantum, non carnalibus simul et spiritualibus patribus, loquitur Christus Judæis alio loco : Murmuratores, filii murmuratorum, im- *Matth.* xxiii, 32.
B plete mensuram patrum vestrorum.

Subditur ergo de pane vero vitali, non figurali dumtaxat, quamvis et panis vitæ quem dat Christus, sit aliquo modo figurativus illius panis cœlestis in patria de quo in Luca habetur : Beatus qui man- *Luc.* xiv, 15.
ducabit panem in regno Dei. *Hic* panis 50
vitæ de quo dictum est, utpote Verbum incarnatum, vel corpus dominicum, *est panis de cœlo descendens.* Verbum enim descendit per incarnationem, et novi effectus productionem. Corpus autem descen-
C dit, quia virtute Spiritus Sancti formatum, non quia de cœlo allatum. Descendens, inquam, ad hoc, *ut si quis ex ipso manducaverit,* manducatione sacramentali et spirituali simul, vel spiritualiter dumtaxat (de quibus in sequenti articulo plenius dicam, Deo præstante), *non moriatur* morte culpæ in præsenti, vel morte damnationis æternæ in futuro, quæ est mors *Apoc* ii, 11; xx, 6, 14; xxi, 8.
secunda.

ARTICULUS XVIII

ELUCIDATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI SEXTI, AB EO LOCO QUO DICITUR : EGO SUM PANIS VIVUS, QUI DE CŒLO DESCENDI.

SACRAMENTUM Eucharistiæ instituit Christus dupliciter : primo, verbo seu assertione ; secundo, facto seu consecratione. De prima autem institutione nunc agitur. Et quoniam sacramentum istud

D incomprehensibilissimum utilissimumque consistit, idcirco ad excludendum omnem errorem ac dubitationem, Christus apertissime tractat de sacramento hoc ipso.

Ego sum panis vivus : quia secundum 51

Digitized by Google

naturam divinam essentialiter vita sum, A vivens in me ipso, et vitam gratiæ vitamque gloriæ causo in aliis, omnes electos reficiens et confortans. Porro, secundum naturam assumptam sum panis vivus, quoniam propter unionem cum Verbo, habeo plenitudinem omnium gratiarum et gloriam perfectissimæ fruitionis in Deo, atque per corpus et sanguinem meum, fidelium animas alo ac poto, gratiam illis præstando per modum causæ instrumentalis ac meritoriæ. Humanitas etenim Christi est instrumentum animatum, conjun- B ctum ac proprium Verbi, per quod et cujus virtute ac merito, omnia divina nobis præstantur gratiarum charismata : sicut et corpus nostrum est instrumentum animatum, unitum et proprium animæ rationalis, per quod anima agit et effluit. *Qui de cœlo descendi* per incarnationis mysterium et novi effectus productionem, non per localem descensum, ut dictum est sæpius.

52 *Si quis manducaverit,* non sacramentaliter tantum, sed sacramentaliter et spiritu- C aliter, vel ad minus spiritualiter cum proposito manducandi sacramentaliter quum fuerit opportunum, *ex hoc pane, vivet in æternum* vita spirituali, quæ nunc in ipso inchoatur, et virtute sacramenti perficitur, atque in patria consummatur. Nunc enim vivit, bene agendo per gratiam ; et in futuro vivet, Deum videndo per gloriæ lumen, dummodo finaliter perseveret in hujus manducationis effectu. Vivet itaque in æternum, quantum est ex parte sacramenti, quod tantæ efficaciæ est, ut possit D vitam æternam influere. — Quum quilibet communicans recipiat panem istum totum ac integrum, non partem dumtaxat, cur ait, Si quis manducaverit ex hoc pane, et non potius, Si quis manducaverit hunc panem? Dicendum, quod ad insinuandum quod panis iste inconsumptibilis est, nunquam deficiens.

Præterea, ad intelligendum omnia quæ de isto sacramento jam asseruntur, oportet scire quod in Sacramento altaris sunt tria : Primum est sacramentum tantum, videlicet species panis et vini post consecrationem. Secundum est res et sacramentum, videlicet corpus et sanguis Christi. Tertium est res tantum, utpote gratia sacramentalis, vel unitas corporis mystici. Species itaque panis et vini dicuntur sacramentum, quoniam rei sacræ sunt signum, videlicet corporis et sanguinis Christi. Corpus vero est sacramentum respectu sui effectus, qui est gratia, vel respectu sui signati, quod est corpus mysticum, puta Ecclesia. Quum igitur aliquis accipit corpus et sanguinem sub speciebus sacramentalibus, et non participat sacramenti hujus effectum, scilicet gratiam atque Ecclesiæ incorporationem, propter suam incapacitatem, indignitatem et pravitatem, qua ponit obicem gratiæ, dicitur manducare sacramentaliter tantum. Quum vero sumendo sacramentum, recipit ejus salutarem effectum, manducat sacramentaliter et spiritualiter. Dum autem sortitur effectum præfatum, nec tamen suscipit sacramentum, manducat spiritualiter solum.

Et panis quem ego dabo, per me ipsum in Cœna, hoc sacramentum instituendo discipulisque tradendo, et in ara crucis panem hunc Patri offerendo, et deinceps per meos ministros, videlicet sacerdotes, quibus convenit sacramentum istud consecrare atque porrigere aliis ; *caro mea est,* quæ alit mentem fidelium : tum quia Verbo unita, tum quoniam gratiis plena per redundantiam, et quia Divinitatis gratiam creantis est instrumentum, itemque merito suæ actionis ac passionis ; *pro mundi vita,* id est pro spirituali vivificatione hominum viatorum in mundo degentium. Ad hunc enim finem, ut a morte culpæ ac miseriæ eriperemur, vitamque gratiæ et gloriæ consequeremur, dedit Christus corpus suum in cruce in pretium, et in sacramento in edulium atque remedium. Quotidie quoque dat panem istum pro vita nostra, hoc est, ad hoc ut in vita gratiæ roboremur ac perficiamur.

Digitized by Google

Verumtamen non est sic intelligendum quod ait, Pro mundi vita, quod per receptionem hujus sacramenti, vita gratiæ in homine inchoetur : imo, qui sine vita gratiæ ad hoc sacramentum accederet, amplius moreretur in anima, reusque fieret corporis Domini. 1 Cor. xi, 27. Quum enim sacramentum istud sit cibus spiritualis, ideo, sicut cibus corporalis non datur nec prodest nisi viventi vita naturæ, sic cibus hic spiritualis non convenit nec proficit nisi viventi vita gratiæ.

53 *Litigabant ergo,* id est, verbis contendebant, *Judæi,* hæc ab ore Christi audientes, et carnaliter ac ruditer capientes, *ad invicem dicentes* ex infidelitate et inordinata admiratione : *Quomodo potest hic,* quem tenemus pro puro homine et filio Joseph, *nobis carnem suam dare ad manducandum?* quasi dicant : Hoc impossibile est atque inutile. Christus vero testatur hoc esse, non solum non inutile, sed insuper necessarium ad salutem ipsorum.

54 *Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* in Sacramento, sacramentaliter et spiritualiter, vel spiritualiter ad minus, per fidem et votum accedendo gratiamque Christi participando, *et biberitis ejus sanguinem* modo prædicto, *non habebitis vitam* spiritualem *in vobis,* sed carebitis gratia in præsenti et gloria in futuro. Quemadmodum enim membra corporis naturalis moriuntur ac pereunt, nisi capiti connectantur, et ab eo motum sensumque participent; sic homines, ex quibus quasi ex membris constituitur mysticum corpus Christi, vita gratiæ destituuntur, nisi capiti, quod est Christus, per sacram communionem nectantur, recipiendo ab illo vitam spiritualem et motum meritorium. Coloss. i, 18. Præterea, sicut corpus sine corporeo cibo non sustentatur, nec permanet in vita naturali, sic anima sine hoc cibo vivifico non persistit in vita gratiæ spirituali.

Sed verba inducta intelligenda non sunt quasi sanguis Christi seorsum sumendus sit a vulgo communicante. In primitiva tamen Ecclesia hoc fiebat; sed nunc ordinatum est aliter, propter effusionis periculum. Sanguinem ergo Christi accipit populus spiritualiter, et etiam aliquo modo realiter, quia in Sacramento corporis continetur et sanguis, sicut econtra. Licet enim transsubstantiatio panis directe terminetur ad carnem Salvatoris, et conversio vini ad sanguinem ejus, ex naturali tamen concomitantia, sub utraque specie sunt quatuor : quia sub specie panis est corpus Christi, vi conversionis; anima vero, sanguis et Verbum, sunt ibi ex naturali sequela, quum non sint separata ab invicem. Pariformiter sub specie vini, est sanguis directe, puta ex vi conversionis; caro autem, anima et Verbum concomitantur.

Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, non sacramentaliter tantum, sicut jam dictum est, *habet vitam æternam,* quoniam habet me ipsum, et habet vitam gratiæ, quæ virtute hujus sacramenti continuatur, donec ad vitam gloriæ sempiternæ pertingat. Futuram quoque beatitudinem jam habet in spe, virtute et gratia hujus sacramenti. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die,* ut me Deum et hominem videat oculis carnis et cordis per propriam speciem, quem nunc cernit per fidem. Carnalibus enim oculis videbimus Christum in humanitate, mentalibus vero in divinitate. 55

Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Hoc ait Salvator, ne putaretur parabolice loqui more consueto, ita quod carnem suam diceret panem, quia signaretur per panem, et esset sub forma panis solum sicut in signo, vel propter aliquam proprietatem cum pane cibus diceretur : quomodo dicit Apostolus, Petra erat Christus, quoniam figuravit Christum; 1 Cor. x, 4. et Isaias, Vere fœnum est populus, propter convenientiam quamdam; Is. xl, 7. et infra ait de se ipso Salvator, Ego sum vitis vera. Joann. xv, 1. Ad insinuandum ergo quod caro sua sit vere et substantialiter sub spe- 56

cie panis, veraciterque sumatur a communicante, sanguis quoque ipsius vere sub specie vini contineatur et recipiatur, adjecit : *Caro mea,* id est corpus : sumitur enim nunc caro, non prout ossa excludit, sed pro toto corpore nervos, venas ac ossa habente; *vere est cibus* animæ, non corporis, quia non visibiliter nec corporaliter sumitur, quamvis verum corpus sumatur. Et potius dicit, Caro, quam Corpus, quia nunc loquitur de corpore suo in quantum est alimonia spiritus : caro autem magis dicit quid comestibile, quam corpus. *Et sanguis meus vere est potus* refrigerans, rigans, inebrians mentem, non ventrem. Omnia quippe sacramenta novæ legis ordinantur ad spiritualem vitam. Spiritualis autem vita per Baptismum acquiritur, quia Baptismus est regeneratio spiritualis; et per Confirmationem augetur. Oportet ergo ut per aliquod sacramentum nutriatur : et hoc est Eucharistia, quæ est spirituale alimentum hujusmodi vitæ. Cibum autem oportet realiter addi atque uniri cibato : idcirco in sacramento hoc Christus realiter continetur, substantialiterque communicanti unitur. Et simile est de sanguine, qui est potus.

Præterea, quoniam sacramentum istud est cibus, ideo quidquid operatur cibus materialis in corpore manducantis, hoc agit hic cibus spiritualis in anima digne recipientis. Quemadmodum ergo cibus corporeus naturalem vitam sustentat, confortat, ad perfectionem deducit, deperditum reparat, delectat, impinguat; sic cibus iste vivificus vitam spiritualem ac deiformem in anima fulcit, roborat, perficit, amissa bona restaurat, exhilarat et impinguat, divitias gratiæ accumulando in anima. Unde effectus sacramenti istius, sunt collatio gratiæ, adeptio gloriæ, remissio peccati mortalis obliti ac venialium, diminutio pœnæ, mitigatio fomitis, præservatio a malis futuris, secundum quod dicit Chrysostomus : Sicut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles facti diabolo.

A Voluit quoque Christus in hoc sacramento veraciter contineri ac suscipi, ad ostendendum perfectum fervorem suæ incomprehensibilis caritatis ad nos, et propter nostram utilitatem, quia ex reali præsentia atque immediata unione Christi nobiscum, consequimur maxima bona, sicut subjungitur.

57 *Qui manducat meam carnem* sacramentaliter et spiritualiter, *et bibit meum sanguinem* eodem modo, *in me manet* per caritatem et gratiam, et mihi incorporatur. B Talis utique habitat in adjutorio Altissimi, (Ps. xc. 1.) et in protectione Dei cœli commoratur. *Et ego in illo* permaneo, per salutares hujus sacramenti effectus, per gratiosam custodiam, per inhabitationem benignam. Nam et per eadem dona quibus Deus ad nos converti et in nobis esse ac habitare quasi in templo asseritur, in quantum ea infundit atque conservat, nos quoque ad eum redimus, et in ipso subsistimus ac manemus. Palam est quod speciebus sacramentalibus jam consum- C ptis, desinat Christus esse in communicante per præsentiam carnis et sanguinis; permanet tamen in eo per præsentiam suæ divinitatis, et per effectus sacramenti prætactos. Communicans ergo manet in Christo, sicut membrum in capite, recipiendo influentiam ejus; et Christus manet in illo, sicut caput in membro, influendo in illud.

Ecce quanta beatitudo, dignitas et gloria devotorum, qui tam præstantissimo alimento vescuntur, et Christo tam intime co- D pulantur, tantisque gratiæ donis deificis adimplentur ; quanta denique est dilectio, dignatio, liberalitas et misericordia Christi veri Dei, qui nobis pauperculis et indignis sic præstat, sic unit, sic ingerit semetipsum. Nonne veraciter monstrat quod deliciæ ejus sunt esse cum filiis (Prov. viii, 31.) hominum, et quam paratus est dare nobis omnem gratiam suam, quibus tam ineffabiliter præstat se ipsum ?

Non ergo simus ingrati tanto benefactori et tam incomprehensibilibus beneficiis

Digitized by Google

ejus; sed fervido animo, sollicita men- A
te reverentique corde ei ministremus, ad
ejus mensam nos præparemus, ad ejus
mansionem in nobis nos dignificemus, ve-
nialia cuncta pro posse vitando, mentem
ad Christum frequenter erigendo, cordis
custodiæ jugiter insistendo. Tunc enim
poterimus fructum multiplicem hujus sa-
cramenti percipere, ejusque dulcedinem
mirabiliter degustare : quod aliter non
contingit. Quamvis enim venialia et dis-
tractio improvisa, sacramenti hujus prin-
cipales effectus non impediant, impediunt B
tamen experimentalem gustum suavitatis
ipsius. Dicamus ergo mente intenta ac
Ps. ci, 2. grata cum Propheta, Benedic, anima mea,
Domino, et noli oblivisci omnes retribu-
tiones ejus : imo, totum psalmum in quo
continetur iste versiculus, quia præcipue
applicabilis est ad regratiandum Christo
pro beneficiis istis.

58 *Sicut misit me vivens Pater,* id est Pa-
ter æternus omnis vitæ fontale principi-
um, qui est substantialiter sua vita, *et ego
vivo propter Patrem.* Hoc præcipue in- C
telligendum est de Christo secundum na-
turam assumptam, ut sit sensus : Et ego
vivo propter Patrem, id est, vitam meam
refero ad Patrem, videlicet ad honorem
et gloriam ejus, sicut ad superiorem et
ultimum finem. Imo, sic Christus retulit
vitam suam ad totam Trinitatem, quæ est
omnis creatæ naturæ ultimus finis. Potest
quoque exponi de Christo secundum na-
turam divinam, hoc modo : Vivo propter
Patrem, id est, a Patre vitam accepi, non
aliam, sed eamdem quam possidet ipse. D
Et qui manducat me sacramentaliter ac
spiritualiter, *et ipse vivet* per caritatem
et gratiam, *propter me,* id est, ad hono-
rem et gloriam meam ordinabit vitam su-
Coloss. III, 17; I Cor. X, 31. am : quemadmodum ait Apostolus, Omne
quodcumque facitis in verbo vel opere,
in gloriam Dei facite. Vel, Vivet propter
me, id est, a me spiritualis vitæ aug-
mentum recipiet, et vivificabitur quotidie
magis perfecte. In hoc enim sacramento
continetur fons gratiæ, qui communican-
tem perfundit atque vivificat, nisi obi-
cem ponat.

Hic est panis supersubstantialis, *qui de* 59
cœlo summo *descendit :* in quo patet no-
bilitas ac desiderabilitas ejus. Quomodo
autem Christo secundum utramque natu-
ram conveniat esse panem, et descendisse
de cœlo, jam dictum est sæpius. *Non sic-
ut manducaverunt patres vestri manna :*
id est, panis iste præstantior et efficacior
est quam manna, quum sit verus cibus,
non figurativus, gratiam conferens, non
promittens. Manna autem fuit figura hu-
jus panis; nec contulit gratiam, sed præ-
signavit. Per hoc enim quod omne de- Sap. XVI, 20.
lectamentum continebat, figuravit quod
sacramentum Eucharistiæ omnem spiritu-
alem dulcedinem, virtutem et gratiam con-
tineret. *Et mortui sunt.* Omnes enim illi
qui manna comederunt, mortui sunt mor-
te naturali ac corporali; sed quidam eo-
rum, quibus isti increduli Judæi similes
erant, mortui sunt morte culpæ.

Qui manducat hunc panem digne, cum
debita reverentia et devotione, in memo-
riam dominicæ passionis atque eximiæ ca-
ritatis Christi, dijudicans corpus Domini. I Cor. XI, 29.
Instituit enim Christus hoc sacramentum
in memoriam suæ amarissimæ passionis
et ardentissimæ dilectionis, quatenus to-
ties suæ dilectionis nos flamma accende-
ret, et ad ejus sectanda vestigia pronos
efficeret, quoties sacramentum istud su-
perdignissimum, angelis adorandum, sus-
ciperemus. *Vivet in æternum,* in ani-
ma per spiritualem virtutem et gratiam
hujus panis, imo et tandem vivet vita
beata ac immortali in corpore et ani-
ma, suscitatus atque feliciter immutatus
a Christo.

Hæc verba præinducta *dixit* Jesus *in* 60
synagoga docens, in Capharnaum metro-
poli Galilææ. Potest autem per synago-
gam intelligi vel congregatio Judæorum,
vel domus in qua ad audiendum atque
orandum confluxerant. Quamvis enim Ju-
dæi non poterant immolare nisi in templo
Jerusalem, in singulis tamen urbibus ha-

Digitized by Google

bebant domum vel synagogam, in qua A
convenerunt ad audiendum verbum Dei
et lectionem legis ac Prophetarum, et ad
deprecandum Dominum. Docuit ergo Christus in civitate præcipua, in loco patenti,
in populo magno, quasi non timens reprehendi, nec falsa annuntians. Unde in
Joann. XVIII, 20. passione respondit : Ego palam locutus
sum mundo, ego semper docui in syna-
Ibid. III, 21. gogis, etc. Omnis enim qui facit veritatem, venit ad lucem.

61 *Multi ergo audientes ex discipulis ejus*,
id est, multi discipulorum Christi audien- B
tes Christum tam alta et incomprehensibilia de se ipso, et corporis sui edulio
ac sanguinis poculo prædicantem, *dixerunt : Durus*, id est ad intelligendum
difficilis, et rationi vel veritati contrarius,
est hic sermo, ille præcipuus quo dixit :
Panis quem ego dabo, caro mea est, etc.
Quis potest eum audire, quum sonet tam
male ? quasi dicant : Blasphemare videtur, et obturandæ sunt aures. Verba siquidem Christi de comestione suæ carnis
potuque sanguinis, carnaliter intelligebant, C
putantes quod sic promitteret se daturum
suum corpus ad manducandum sanguinemque ad potandum, quomodo alii cibi
ac potus apponuntur.

62 *Sciens autem Jesus apud semetipsum*,
id est in luce propriæ notitiæ, absque exteriori perceptione, *quia murmurarent de
hoc* quod dixit se panem vivum descendentem de cœlo, vel de hoc quod dixit
se præstiturum carnem suam ad manducandum, *discipuli ejus*, non veri ac humiles, sed superbi, *dixit eis : Hoc vos* D
scandalizat, hoc est, ad ruinam peccati,
ad murmurationem perfidiamque inducit,
non ex parte mei, sed ex vestra imperfectione ? Fuit ergo ibi scandalum pas-
63 sivum, non activum. *Si ergo videritis
Filium hominis ascendentem* in corpore
glorificato *ubi erat prius*, id est ad cœlum, in quo fuit ante incarnationem, non
secundum naturam humanam, sed divinam ? Unde ad insinuandum unitatem personæ utriusque naturæ in Christo, dicitur
Filius hominis fuisse in cœlo, antequam
descendit in Virginem.

His verbis Christus evacuavit atque dissolvit scandalum discipulorum. Per hoc
enim quod prædixit se in conspectu ipsorum, si secum manerent, ascensurum
in cœlum, patere potuit quod descendit
de cœlo, et quod non daret corpus suum
ad manducandum carnaliter, eo modo quo
aliæ carnes eduntur, non sine earum divisione, laceratione et consumptione : quoniam naturale est unumquodque redire
ad locum suæ originis ; imo, secundum
philosophos, unumquodque convertitur ad
id a quo processit. Caro quoque sic comesta, non potuisset ascendere.

Spiritus, id est spiritualis intellectus 64
verborum quæ dixi de manducatione corporis mei, *est qui vivificat* animam vita
gratiæ ; *caro* autem carnaliter intellecta,
et per se, *non prodest quidquam* communicanti. Imo, qui verba inducta carnaliter
accipit, et carnem non nisi sacramentaliter edit, non solum non vivificatur, sed
animæ mortem illabitur. Verumtamen verba prætacta, ad litteram, non mystice,
intelligenda sunt de vero corpore Christi ;
sed ipsum verum corpus spiritualiter contemplandum est atque sumendum, quoniam modus quo est in sacramento, est
supernaturalis et incorporalis. Hinc quoque dicit Apostolus : Littera occidit, spi- II Cor. III, 6.
ritus autem vivificat. Quemadmodum ergo
scientia sine caritate non prodest, sed ob- I Cor. VIII, 1.
est, quum inflet, non quia in se mala,
sed propter abusum habentis, et sicut
corpus naturale sine anima mortuum est ;
sic caro sine spiritu non prodest quidquam, etiam nec caro Christi, quia sine
gratia Spiritus Sancti et spirituali intellectu, non confert quidquam, sed communicantem damnationi facit obnoxium,
eo quod carnem tam sanctam sumat indigne, non spiritualiter ac discrete. Verum,
sicut scientia maxime prodest, si adsit
dilectio, sic caro Christi, adjuncto spiritu. Sic etiam caro Apostolorum prædicando et discurrendo profuit nobis, operante

Digitized by Google

Spiritu Sancto. Unde quod ait, Spiritus est A
qui vivificat, accipi potest de Spiritu San-
cto seu gratia ejus.

Verba quæ ego locutus sum vobis, de
corpore et sanguine meo, *spiritus et vita*
sunt, id est, spiritualem intellectum requi-
runt, quantum ad modum intelligendi,
sicque vivificant mentem per gratiam et
sapientiæ lucem. Corpus quippe Christi
est in sacramento per modum incorpora-
lem ac indivisibilem : quoniam non est
ibi sicut in loco, vel per propriam di-
mensionem, sed per dimensionem panis, B
quamvis propriæ dimensiones ejus sint
ibi concomitanter, sicut et cetera quædam
accidentia Christi, quia non minus splen-
det in manibus sacerdotis, quam in thro-
65 no majestatis. *Sed sunt quidam ex vobis*
discipulis meis, *qui non credunt* verbis
quæ dixi, quum tamen tot tantisque te-
stimoniis scire possint me esse Christum,
et per consequens falsa docere non posse.
Et quia non credunt, non sunt veri di-
scipuli : addiscentem enim oportet crede-
re. Nec valent verba prædicta spiritualiter C
Is. vii, 9, juxta LXX. intelligere, quum Isaias testetur : Nisi cre-
dideritis, non intelligetis.

Sciebat enim ab initio æternitatis, et
a principio incarnationis, *Jesus, qui essent*
credentes futuri, *et quis traditurus esset*
eum. Jesus, secundum quod Deus, novit
ab æterno per scientiam increatam omnia
occulta, contingentiaque futura ; secun-
dum naturam vero assumptam, scivit hu-
jusmodi per scientiam infusam, ab exor-
dio incarnationis. Ista sunt verba Joannis
evangelistæ, qui consequenter recitat ver- D
ba Christi.

66 *Et dicebat* Jesus auditoribus suis : *Pro-*
pterea, id est, quia futura agnosco, et quos-
dam vestros non credere prævidebam, *dixi*
vobis, quia nemo potest venire, id est per
fidem converti *ad me, nisi fuerit ei da-*
II *Thess.* iii, 2. *tum a Patre meo.* Non enim omnium est
II *Tim.* ii, 19. fides, et novit Dominus qui sunt ejus.
Atque ut Lucas profitetur in Actibus :
Act. xiii, 48. Crediderunt quotquot præordinati erant
ad vitam æternam. Hoc enim dixit Chri-
stus superius quantum ad sensum : Ne- *vers.* 44.
mo, inquiens, potest venire ad me, nisi
Pater qui misit me, traxerit eum. Omne *Jacob.* i, 17.
etenim datum optimum, et omne donum
perfectum, est descendens a Patre lumi-
num. — Sed dicet aliquis : Si nemo po-
test venire nisi Deus dederit, ergo qui
non venit, per impotentiam excusatur :
Deus namque ultra vires nil exigit. Et
respondendum, quod a nobis ipsis nil pos-
sumus, et tamen possumus quidquid Deus
præcipit nobis : quia secundum Philoso-
phum, id dicimur posse per nos, quod
possumus per amicos. Quoniam ergo Deus,
quantum in se est, paratus est opem im-
pendere, imo et gratiam influit, dummo-
do fecerit homo quod in se est; ideo per
impotentiam non excusamur, sed possu-
mus quod jubemur.

Ex hoc, id est istis auditis, præsertim 67
ob id quod dixerat Christus, Nisi mandu- *vers.* 54.
caveritis carnem Filii hominis, etc.; *multi*
discipulorum ejus, non duodecim Aposto-
li, nec septuaginta duo discipuli, *abierunt*
mente, per infidelitatem et apostasiam, et
corpore, per localem recessum, *retro* post
Satanam, non post Jesum, nolentes intel-
lectum suum subjicere incomprehensibili-
bus testimoniis Christi ac fidei. Quocontra
dicit Apostolus : In captivitatem redigen- II *Cor.* x, 5.
tes omnem intellectum in obsequium Chri-
sti. *Et jam non cum eo ambulabant. Di-* 68
xit ergo Jesus ad duodecim Apostolos :
Numquid et vos vultis abire? Non quasi
ignorans sciscitatur; sed ut illorum fides
manifestaretur, nobisque imitanda propo-
neretur, et ut ostendat quod coacta obse-
quia non acceptat.

Respondit ergo ei Simon Petrus pro 69
omnibus, quia ferventior ac principalior
ceteris, unde et solito fervore nunc re-
spondit pro sociis : *Domine, ad quem ibi-*
mus? hoc est, si te relinquimus, alium
tibi similem verumque Salvatorem inve-
nire nequaquam valebimus; tu sufficis
nobis, propter quem cuncta reliquimus. *Matth.* xix, 27.
Verba vitæ æternæ habes : id est, doctri-
na tua cœlestis est, et obedientes tibi ad

Digitized by Google

vitam æternam perducit : non enim tem-
poralia bona, ut Moyses et Prophetæ, sed
æterna promittis. In his verbis ostenditur
vera et fervida caritas Petri ad Christum,
a quo nullatenus voluit separari. Amor
nempe neetit amantem amato tanto inse-
parabilius, validius atque intimius, quo
fuerit major. Propter quod ait Paulus :
Rom. VIII, 35. Quis nos separabit a caritate Christi? *Et*
70 *nos credimus* fide formata, quamvis non-
dum perfecta et stabilita, *et cognovimus*
per donum intellectus, quod inest omni-
bus fidem formatam habentibus, et per
illud perspicit anima quæ fidei sunt, vi-
dens per aliquam rationem qua fides os-
tenditur esse a Deo, quod vera sint quæ
asserit fides. Et congrue ait, Credimus et
cognovimus, quoniam credere præcedit in-
telligere. *Quia tu es Christus,* spirituali
oleo, id est gratiarum plenitudine, unctus,
quantum ad naturam assumptam, in re-
gem et sacerdotem altissimum, *Filius Dei,*
non adoptivus, sed naturalis. Hoc frequen-
ter confessus est Petrus : et in verbis istis
tangitur duplex natura unitasque personæ
in Christo.

Verum, quia responsio Petri quantum
ad Judam claudicavit, de quo tamen Pe-
trus nil mali præsumpsit, ideo subditur :
71 *Respondit eis Jesus : Nonne ego vos duo-
decim elegi,* id est, præ ceteris ad gratiam
apostolatus vocavi, *et unus ex vobis dia-
bolus est?* non per essentiam, sed muta-
tionem, hoc est diabolicus propter mali-
Matth. XI, 10. tiam, sicut Joannes Baptista dictus est
angelus, et alio loco Salvator vocat diabo-
Ibid. XIII, 28. lum hominem, dicens : Inimicus homo
hoc fecit.

72 *Dicebat autem de Juda Simonis Isca-
riotæ.* Fuit enim oriundus de vico nomine
Carioth. Ista sunt verba Joannis Evange-
listæ, non Christi. Christus enim non ex-
pressit Judam, quia occultus fuit, et ne
diffamatus fieret pejor; vel potius, ut per
ejus proditionem implerentur scripturæ
Prophetarum de traditione Christi a suo
discipulo. *Hic enim erat traditurus eum,
quum esset unus ex duodecim.* Implicite
A ergo Christus admonuit Judam, qui sibi
de propria pravitate conscius fuit.

Circa hunc locum aliqua dicunt Augu-
stinus et Beda, quæ sicut non audeo re-
probare, ita nec approbare, quamvis aliqui
reprobent ea. Dicunt ergo, quod Christus
elegit Judam, ut per ejus proditionem
compleret nostram salutem. Non tamen
excusatur Judas a culpa, quia non ideo
tradidit, quia electus, sed qui traditurus
fuit, electus est. Quemadmodum enim ini-
qui male utuntur beneficiis Dei, sic Deus
B bene utitur maleficiis hominum, et sic
Christus bene usus est malitia Judæ. Ego
puto quod Christus elegit Judam ad apo-
stolatum, ut videns tantam pietatem Chri-
sti, pœniteret, et apostolicum officium di-
gne prosequeretur. Sed quoniam Christus
novit aliter esse futurum, sustinuit Judam
propter melius, scilicet, ut per eum im-
pleretur prophetia de Christi proditione.
Tanta quippe est bonitas Dei seu Christi,
quod non sustineret neque permitteret
malum, nisi posset et vellet inde elicere
C bonum.

Prædicta autem assertio Augustini et Be-
dæ fundatur in hoc, quod dicunt Judam a
principio suæ vocationis malum fuisse, et
in malitia perstitisse. Cujus oppositum te-
net et probat Lyra, quia distributio bono-
rum pertinet ad justitiam commutativam,
secundum Philosophum, utpote ut melio-
ribus major honor impendatur. Non ergo
Judas vocatus fuisset ad apostolatum, nisi
tunc dignus fuisset, vel justificatus a Chri-
sto, sicut Matthæus, ut esset dignus tanto
D honore. Quidquid autem sit de veritate
assertionis Augustini et Bedæ, tamen ratio
ista nil obtinet. Primo, quoniam apostola-
tus, sicut et prophetia, pertinet ad gratias
gratis datas, quæ sæpe impiissimis dantur.
Unde de facientibus miracula multa, et
prophetantibus in nomine Christi, dictu-
rus est Christus : Discedite a me, quoniam Matth. VII, 23.
nunquam novi vos. Et Balaam perseve-
ranti in malo datus est spiritus prophetiæ. Num. XXIII, XXIV.
Rursus, quoniam communicatio bonorum
a Deo liberrima est, sine præviis meritis :

Digitized by Google

idcirco non proprie pertinet ad justitiam A commutativam, imo nec ad justitiam.

Insuper quidam imponit Bedæ, quod dicat Judam non esse electum ad apostolatum, sed ad proditionem. Diligenter ergo inspiciens verba Bedæ super Joannem, inveni aliter. Dicit enim Beda, quod undecim erant electi ut in apostolica dignitate perseverarent, et per eos fides prædicaretur ubique. Per quod Beda dat intelligere, quod Judas non fuit electus ut in apostolica dignitate maneret; sed non negat eum ad apostolatum fuisse electum. Imo, B si Beda hoc diceret, satis male sonaret:
Matth. x, 4. quia apud Matthæum Judas Iscariotes vo-
Marc. III, 14, 15, 19. catur Apostolus; et in Marco legitur, quod Christus vocavit eum cum aliis undecim, fecitque eum Apostolum, committens ei sicut et aliis, prædicationis atque curationis officium. In Actibus quoque loquitur
Act. I, 17. Petrus de Juda: Connumeratus est (inquit) in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et post pauca leguntur Apostoli
Ibid. 24, 25. exorasse, ut Deus ostenderet quis inter Matthiam et Joseph acciperet sortem apo- C stolatus, de quo prævaricatus est Judas. Vere igitur electus fuit in Apostolum. — Chrysostomus vero dicit, quod Judas tempore suæ vocationis fuit bonus.

Quæritur, quum in Scripturis communiter electi accipiantur pro prædestinatis, juxta illud, Multi vocati, pauci vero electi, *Matth.* xx, 16; xxII, 14.
quomodo Christus dicit se elegisse duodecim, quorum unus fuit præscitus. Et respondendum, quod in Scripturis interdum electi dicuntur ad aliquam gratiam particularem gratis datam, vel etiam gratum facientem ad tempus durantem, promoti. Unde Saul vocatur electus. Et in I *Reg.* IX, 2.
Psalmo cantamus: Electos Israel impedi- *Ps.* LXXVII, 31.
vit. Et Salomon appellatus est, Amabilis II *Reg.* XII, 25.
Domino. In Isaia quoque Dominus ait de Cyro rege Persarum, viro gentili atque damnato: Elegi te, et non cognovisti me. *Is.* XLV, 3-5.
Postremo omnino certum est, quod Judas fuit malus tunc, quum Christus hæc verba de eo pronuntiavit. Et forte ex tunc permansit in malo, quousque prodito Christo, suspendit se ipsum. *Matth.* XXVII, 5.

Nos ergo cum beatissimo principe Apostolorum certissime credentes et cognoscentes quod Jesus est Christus Filius Dei, dicamus semper ad Jesum: Domine, verba vitæ æternæ habes, non me permittas abire a te. Integerrima itaque devotaque fide suscipiamus corpus et sanguinem Salvatoris, in quo est salus, vita et resurrectio nostra.

ARTICULUS XIX

DECLARATIO CAPITULI SEPTIMI : POST HÆC AUTEM AMBULABAT JESUS IN GALILÆAM.

QUID post mirabilem pastionem quin- D que millium virorum de quinque panibus duobusque piscibus, et cetera documenta Christi in præcedenti recitata capitulo, gestum sit, pandit Evangelista.

1 *Post hæc autem* quæ in capitulo præcedenti descripta sunt, *ambulabat Jesus in Galilæam,* id est per diversa loca hujus provinciæ, prædicando in synagogis Galilæorum. Sermonem quippe immediate præhabitum, fecit in synagoga Capharnaum metropolis Galilææ; et inde egrediens, perambulabat urbes et villas Galilææ, faciendo diversa miracula, plurimaque docendo: quæ iste Evangelista omisit, quia ab aliis tribus Evangelistis novit esse sufficienter conscripta.

Non enim volebat in Judæam, id est in terram duarum tribuum, scilicet Juda et Benjamin, ubi sacerdotes, Scribæ ac Pha-

Digitized by Google

risæi æmuli Christi communiter habitabant, *ambulare* passim ac publice, *quia quærebant eum Judæi interficere.* Idcirco declinavit ab eis : non quasi mortem vel
Matth. x, 28. eos qui corpus occidunt formidans, quum fuerit in omni virtute perfectus, et solo nutu omnes adversarios suos occidere potens ; sed ut daret exemplum sæpe pro causa, loco et tempore fugiendi persecutores, cedendo furori eorum, ne gravius peccent, vel bono communi inferant nocumentum. Noluit autem Christus in omnibus supernaturali modo procedere, ne putaretur incarnatio ejus phantastica, et ne viri religiosi sine magna causa quærant miraculosum effectum a Deo. Sed in aliquibus processit et habuit se modo humano, ut sciatur veraciter homo factus, et ut nos faciamus quod in nostra situm est po-
Deut. vi, 16. testate, non tentantes Deum.

2 *Erat autem in proximo,* id est, de propinquo imminebat, *dies festus Judæorum,* videlicet *Scenopegia,* id est festivitas
Lev. xxiii, 34. Tabernaculorum, quæ septem diebus duravit. Hanc celebraverunt Judæi in Jerusalem quintadecima die mensis septimi, in
Ibid. 43. memoriam quod post egressum de Ægypto habitaverunt in deserto in umbraculis, tentoriis, tabernaculis seu papilionibus, per
Deut. xvi, 13-15. annos quadraginta. De hac festivitate præcepit Moyses in Deuteronomio.

3 *Dixerunt autem ad eum fratres ejus,* id est consobrini sive affines. Non enim erant, secundum Bedam, filii Joseph ex alia conjuge : qui creditur virgo mansisse, ut purissimæ ac pudicissimæ Virginis esset custos atque minister condignus. Sed erant cognati Domini Jesu : non tamen de numero eorum quos Christus jam ad apostolatum vocavit, quia post pauca subjungitur, quod isti fratres ejus non credebant in eum; Apostoli autem credebant. *Transi hinc, et vade in Judæam,* præsertim in Jerusalem, Judææ regionis metropolim, *ut et discipuli tui,* quos habes in Judæa, vel nunc ascensuri sunt in Jerusalem, *videant opera tua,* id est miracula, *quæ tu facis.* Habuit enim Christus in diversis locis quosdam discipulos qui eum corporaliter non sequebantur : et de illis jam agitur.

Nemo quippe in occulto quid, id est ali- 4
quid magnum, seu opus miraculosum, *facit, et quærit ipse in palam esse,* id est, talia operando desiderat apparere, et in manifesto coram aliis operari. Miracula enim ordinantur ad declarationem divinæ potentiæ atque ad conversionem videntium : ideo in manifesto agenda sunt. Hæc sunt verba hominum adhuc carnalium, humanam laudem amantium, qui sic de omnibus judicant, quales ipsi intra se sunt. Vani enim et ambitiosi arbitrantur facile alios omnes eis esse conformes. Ceterum, verba istorum universaliter vera non sunt, quia non solum Christus suscitavit filiam archisynagogi occulte, multisque a se curatis præcepit ne publicarent ipsum ; sed Elias quoque et Eliseus suscitaverunt pueros defunctos in cubiculo. *Si hæc facis* quæ tibi suggerimus, eundo Jerusalem versus, illicque signa agendo in festivitate jam imminente, coram omnibus qui ibi nunc confluent, *manifestas te ipsum mundo,* id est hominibus potentiam tuam ostendis, et quod sis Christus opere monstras. Marc. v, 40, 43; Luc. viii, 51, 56. Matth. viii, 4; ix, 30; Marc. vii, 36. III Reg. xvii, 19-22; IV Reg. iv, 32-35.

Quod autem verba prædicta inordinata fuerunt innuit Evangelista, subdendo :
Neque enim fratres ejus jam dicti *crede-* 5
bant in eum : quia non est Propheta sine honore, nisi in domo sua et in cognatione sua. Unde et isti dubitabant an miracula Jesu essent vera miracula, facta virtute divina ; vel si hoc crediderunt, non tamen tenuerunt eum pro Christo Unigenito Dei, veroque Deo, sed pro homine puro et Propheta. Marc. vi, 4.

Dixit ergo eis Jesus : Tempus meum, 6
id est tempus manifestandi me ipsum eo modo quo vos desideratis, videlicet ad capiendum honorem ac gloriam ab hominibus, et ad dominandum in mundo, *nondum advenit,* quia non veni ministrari, sed ministrare. Primus enim Christi adventus usque ad passionem debuit esse occultus, et in abjectione ac humilitate, ut judica- Matth. xx, 28.

retur; non in omnimoda manifestatione, A ut quasi rex regum ab omnibus honoraretur : quoniam si sic, tunc utique nemo ausus fuisset judicare sive occidere eum. Sed post passionem fuit tempus glorificationis, manifestationis dominationisque suæ : quia ex tunc per prædicationem et signa Apostolorum aliorumque prædicatorum, cœpit Christus suam majestatem ostendere, et ubique regnare, ut omnes agnoscerent et adorarent sublimitatem ipsius. Ideo itaque dicit : Tempus meum nondum advenit. Novit enim Christus in- B tentionem fratrum suorum, quod non invitarent eum ad ascendendum Jerusalem versus et ad signa illic agenda, ex devotione, sed vanitate, ut scilicet ipse Jesus eorum cognatus, et ipsi propter eum tanquam cognati ejus, humanam laudem, favorem et commodum, ex perpetratione miraculorum consequerentur. — Potest quoque ita exponi : Tempus meum, id est hora eundi ad Judæam, et prædicandi et faciendi illic miracula, nondum advenit, quoniam a Deo præordinatum non est ut C in principio hujus festivitatis ibi sim, sed in medietate ipsius adveniam.

Tempus autem vestrum semper est paratum. Tempus dicitur bonum et malum, paratum et imparatum, propter ea quæ sunt vel fiunt in tempore. Unde ait Salvator : Sufficit diei malitia sua; et Apostolus, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Et tamen rursus dicit Apostolus : Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Et utique tempus acceptabile ac salutare non est malum : D nihilo minus unum et idem tempus dicitur malum, propter mala pœnæ et culpæ quæ sunt vel fiunt in eo, et acceptabile, propter misericordiam Dei, et cetera dona gratiæ operaque virtutum quæ fiunt in ipso. Simili modo dixit Salvator, tempus fratrum suorum esse semper paratum, quoniam quod quærebant, videlicet laus vana et favor humanus ac commodum temporale, quotidie inveniuntur, exhibentur et acquiruntur. Vel ideo dicit tempus suum nondum venisse, sed tempus illorum semper esse paratum, quoniam habuit multos insidiatores, illi vero sine periculo adversariorum ascendere poterant. Et huic consonant verba sequentia.

Matth. VI, 34. *Ephes.* V, 16. II *Cor.* VI, 2.

Non potest mundus, id est homines 7
mundani vobis similes in peccatis, *odisse vos.* Odium enim ex dissimilitudine oritur, et amor ex conformitate : ideo mali et sæculares se invicem amant carnali et cæco amore. Verumtamen similitudo est causa odii indirecte, sive per accidens, in quantum unus similium impedit alium a consecutione rei optatæ. Propter quod figuli invicem litigant, et homines ejusdem officii sibi invicem invident. Unus quoque multum eruditus, conatur deprimere alium sibi similem. Hinc inter superbos semper sunt jurgia, et inter iracundos discordiæ. Mundus ergo persequitur mundum, imo unus perversus odit atque interimit alium. Sed verum est quod Christus nunc loquitur, quoniam mundanus homo, secundum quod talis, non potest directe odio habere ac detestari similem sibi, quia affectu et opere sunt concordes; tamen indirecte et per accidens contingit oppositum, secundum quod unus sæcularis concipit alium quasi suo voto vel studio contrarium aut nocivum.

Prov. XIII, 10. *Ibid.* XV, 18; XXIX, 22.

Denique quum in divinis Scripturis dicitur, hominem malum non posse corrigi vel facere bonum, et hominem bonum non posse perverti vel facere malum, intelligendum est de hominibus bonis et malis formaliter, hoc est secundum quod tales sunt, non materialiter, quia personæ tales quum sint liberi arbitrii, possunt mutari, durante statu vitæ præsentis. In talibus quoque locutionibus frequenter accipitur impossibile pro difficili : quemadmodum peccatum in Spiritum Sanctum dicitur non posse remitti. Et Jeremias ait : Si mutare potest Æthiops pellem suam, et pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere; et Christus in Evangelio : Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos

Matth. XII, 31, 32. *Jer.* XIII, 23. *Matth.* VII, 18.

Digitized by Google

facere. Certumque est hoc de hominibus A
dici. Sic verissime dicimus : Impossibile
est superbum Deo placere, homicidam sal-
vari, iracundum a Spiritu Sancto inhabi-
tari. Sed et pœnæ quæ talibus determi-
nantur, intelligendæ sunt sub conditione,
videlicet nisi pœniteant; vel per modum
comminationis; vel quia frequenter sic
accidit. Secundum hunc itaque sensum
dicit nunc Christus fratribus istis mun-
danis : Non potest mundus odisse vos.
I Joann. III, 13. Hinc dicit Joannes in sua epistola : No-
lite mirari si odit vos mundus. Hoc dicit B
Ibid. IV, 5. de justis. De impiis vero adjecit : Ipsi de
mundo sunt, et de mundo loquuntur, et
Jacob. IV, 4. mundus eos audit. Merito ergo amicitia
hujus mundi inimica est Deo, in tantum
Ps. LII, 6. quod Deus dissipavit ossa eorum qui ho-
minibus placent.

Me autem odit mundus, id est homi-
nes vitiosi, præsertim principes sacerdo-
Sap. II, 15. tum cum suis fautoribus, quibus gravis
fuit Christus ad videndum, *quia ego te-
stimonium perhibeo de illo, quia,* id est
quod, *opera ejus mala sunt,* id est, pec- C
cata eorum aperte redarguo. Veritas au-
tem odium parit. Propter quod Salomon
Prov. XIV, 2. loquitur : Ambulans recto itinere et ti-
mens Deum, despicitur ab eo qui infami
Ibid. XV, 12. graditur via. Et denuo ait : Non amat pe-
stilens eum qui se corripit. De talibus
Amos V, 10. scribit Amos : Odio habuerunt corripi-
entem, et loquentem perfecte abominati
sunt. Hæc fuit prima atque præcipua causa
odii et persecutionis Judæorum in Chri-
stum, quia increpavit pravitates eorum.

8 *Vos ascendite ad diem festum hunc,* D
hoc est ad principium solennitatis præ-
fatæ secundum legem. *Ego autem non
ascendam ad diem festum istum,* id est
ad exordium festivitatis istius, sed postea
veniam. Itaque, Non ascendam, eundo vo-
biscum et publice veniendo, *quia tempus
meum nondum impletum est* (secundum
sensum expositum).

9 *Hæc quum dixisset, ipse mansit in Ga-*
10 *lilæa. Ut autem,* id est postquam, *ascen-
derunt fratres ejus* ad Jerusalem, *tunc et
ipse ascendit,* post paucos dies, quia ut
cito patebit, ipse venit in templum quar-
to die festivitatis prædictæ. Fratres vero
ipsius interfuerunt primo festivitatis hu-
jus diei. *Non manifeste, sed quasi in oc-
culto,* quia ut dictum est, ad hoc decli-
navit a suorum adversariorum adspectu,
ut daret exemplum aliquando fugiendi
persequentes, et ne daret illis incitamen-
tum amplioris rancoris. Venit itaque non
manifeste : vel quia sine magno comitatu
processit, vel quia per rara itinera ivit.
vel quia conspici noluit. Per quod dedit
exemplum, ut interdum humiliter latea-
mus, atque occulte agamus bona quæ agi-
mus, ne alii contra nos provocentur.

Judæi ergo quærebant eum in die festo 11
in Jerusalem, quoniam solitus fuit ibi ad-
esse in præcipuis festis; *et dicebant : Ubi
est ille* famosus, qui omnibus notus est,
quia in omnibus singularis, in pulchri-
tudine vultus, in habitudine corporis, in
rectitudine æquitatis, in doctrina, in elo-
quentia, in miraculis? Hinc ergo non ex-
primunt nomen ipsius : et forte quod qui-
dam eorum ex contemptu, ut mali, quidam
vero ex reverentia, ut credentes, hoc fe-
cerunt. *Et murmur multum,* id est ma- 12
gna contentio et ingens confabulatio, *erat
de eo in turba,* sicut de absentibus magnæ
reputationis esse solet. Cujus ratio sub-
ditur. *Quidam enim dicebant : Quia bonus
est,* id est, vera docens et juste vivens.
Nullus tamen eorum æstimavit eum es-
sentialiter bonum, tanquam verum Deum.
Alii autem dicebant : Non est bonus, *sed
seducit turbas,* per simulatam justitiam,
falsa miracula pestiferamque doctrinam.

Nemo tamen istorum *palam loquebatur* 13
de illo, aliquid definiendo de bonitate
vel pravitate ipsius in audientia publica,
propter metum Judæorum. Istud dupli-
citer potest intelligi. Si enim quod ait,
Propter metum Judæorum, intelligatur de
Judæis qui quærebant Christum occidere,
tunc id quod dictum est, Nemo palam
loquebatur de eo, intelligendum erit dum-
taxat de his qui dixerunt de Jesu, Quia

Digitized by Google

bonus est. Illi enim ne offenderent, ta-
cuerunt. Si vero quod ait, Propter metum
Judæorum, accipiatur simpliciter de Ju-
dæis, inter quos multi etiam magni atque
potentes fuerunt qui bene senserunt de
Jesu, tunc quod dictum est, Nemo palam
loquebatur de eo, intelligendum erit de
omnibus qui murmuraverunt et loque-
bantur de Jesu, dicentes : Ubi est ille?
Nam aliqui male sentientes de Jesu, non
audebant coram omnibus Judæis detra-
here ei.

14 *Jam autem die festo mediante,* id est,
prædicta festivitate Tabernaculorum sep-
tem diebus durante jam pro media parte
elapsa, videlicet quarto die ejus. Sumi-
tur ergo in isto capitulo dies festus, non
pro uno die dumtaxat, sed totalitate die-
rum solennitatis istius. *Ascendit Jesus in
templum* Jerosolymitanum, *et docebat.* Su-
perius dixit Evangelista, quod noluit Je-
sus in Judæam transire, quia quærebant
eum Judæi occidere : quomodo ergo nunc
refert eum templum coram universis in-
trasse, manentibus Judæis in voluntate
tam impia? Et respondendum, quod pro-
pter prædictam causam distulit Christus
quandoque intrare Judæam, non ex ti-
more, ut dictum est : non tamen sem-
per, ut instruat prædicatores ne gregi sibi
commisso subtrahant verbum salutis in
necessitatis articulo; itemque, ut declaret
Judæos nil posse contra ipsum, nisi quan-
tum ipse permiserit. Docuit ergo Jesus in
templo, introducendo documenta legis ac
Prophetarum; et illa perfecit per propria
documenta.

15 *Et mirabantur Judæi, dicentes : Quo-
modo hic litteras scit,* id est scripturas
legis ac Prophetarum, *quum non didicerit*
eas ab homine? Audierunt namque ex-
cellentissima documenta Christi testimo-
niis Scripturarum firmata; et patuit eis
quod Jesus non frequentavit [scholas], ne-
que ab hominibus instructus fuit : ideo
mirabantur. Admiratio quippe consurgit,
quum aliquid novi apparet cujus causa
nescitur. Istud vero novum atque inso-

A litum fuit, et nescierunt quod Jesus esset
ille de quo Isaias propheta prædixit : Re- *Is.* XI, 2.
quiescet super eum spiritus sapientiæ et
intellectus, spiritus consilii et fortitudi-
nis, etc. Latuit eos quod Jesus esset Deus
et homo, in quo sunt omnes thesauri sa- *Coloss.* II, 3.
pientiæ et scientiæ absconditi, qui secun-
dum naturam assumptam accepit a Deo
Trinitate omnium præsentium, præterito-
rum ac futurorum plenam scientiam, ab
incarnationis principio. Verumtamen ad-
miratio horum partim rudis fuit et incre-
B pabilis. Quum enim vidissent plura signa
per Jesum fieri, quam fecerunt Prophetæ,
debebant attendere quod qui Prophetas
docuit per inspirationem internam, do-
cuisset et Jesum Christum similiter. Hinc
est quod Matthæus et Marcus referunt di-
xisse Judæos : Unde huic sapientia hæc *Matth.* XIII,
et virtutes? Nonne hic est filius fabri? 54, 55; *Marc.* VI, 2,

Respondit eis Jesus, et dixit : Mea do- 3.
ctrina non est mea, sed ejus qui misit me. 16
Juxta dialecticos, nulla propositio verior est
quam in qua idem prædicatur de se ipso,
C et nulla falsior quam in qua idem de se
ipso negatur. Quomodo ergo ait, Mea do-
ctrina non est mea? Si enim sic est, ergo
doctrina Christi non fuit Christi, et con-
traria simul stabunt. Dicendum, quod do-
ctrina Christi fuit aliquo modo sua, et
aliquo modo non fuit sua. Est igitur sen-
sus : Mea doctrina, hoc est prædicatio
evangelica quæ est mea tanquam loquen-
tis ac recipientis, non est mea tanquam
a me ipso eam habentis. Christus enim
non solum secundum naturam assumptam,
D sed insuper secundum naturam divinam
accepit a Patre quidquid habet et est, pu-
ta essentiam atque scientiam. Vel sic :
Mea doctrina quæ est mea tanquam do-
centis, non est mea per studium instru-
ctionis humanæ, quia per infusionem eam
accepi.

Augustinus et Beda videntur subtilio-
rem tangere intellectum, tamen obscurum
et pia interpretatione egentem. Pro quo
sciendum, quod sicut Christus dicitur Ver-
bum et sermo Patris quo omnia loquitur,

Digitized by Google

sic dici potest doctrina Patris, quia per ipsum instruit omnes. Itaque ait : *Mea doctrina,* hoc est sapientia quæ ego sum, *non est mea,* hoc est a me ipso, *sed ejus qui misit me,* scilicet Patris, tanquam primi æternique fontis atque datoris. Sic quilibet nostrum considerans se ex se nihil habere, sed totum quod habet vel est, divinitus recepisse, dicere potest ac debet : Mea anima, mea virtus, mea scientia, non est mea, sed Creatoris mei. Unde secundum Augustinum, doctrinam appellat hic Christus, non doctrinam volubilem et sonoram, sed essentialem seu increatam scientiam. Istam expositionem non arbitror litteralem, quia secundum eam Christus non directe solvisset quæstionem Judæorum dicentium, Quomodo hic litteras scit?

17 *Si quis voluerit* voluntate efficaci, procedente in opus quum potest, *voluntatem ejus facere,* hoc est Deo Patri obedire, ejus præcepta servando, atque in me unicum Filium ejus credendo, passionesque, propriam voluntatem, ac vitia rectum judicium impedientia, abjiciendo, *cognoscet,* per donum intellectus, per experientiam quamdam, et item per admirabilem certitudinem ex divina illustratione manantem, *de doctrina,* hoc est evangelica disciplina quam doceo, *utrum ex Deo sit,* id est, an vera et mihi a Patre collata consistat, *an ego a me ipso loquar,* hoc est, ex proprio corde eam confingam, et non missus a Deo, sed me ipsum ingerens, prædicem. Per fidem enim pervenitur ad intellectum, juxta illud Isaiæ : Nisi crediderítis, non intelligetis. Et per obedientiam pervenitur ad gustum; per opera quoque, ad illuminationem. Qui ergo voluntatem Dei facit modo prætacto, meretur dono intellectus impleri ad cognoscendum ea quæ fidei sunt; meretur quoque supernaturaliter consolari ineffabiliterque delectari in Domino, et certificari ab ipso : per quæ fit in omni veritate fidei prorsus certissimus, ita ut nihil ei videatur rationabilius, certius, pulchrius, assertionibus fidei benedictæ.

Is. VII, 9, juxta LXX.

Talis quoque certissime scit, quod in christiana lege maxime condemnatur omne pactum cum dæmone, omnis operatio magicæ artis, omnis simulatio atque calliditas : sicque cognoscit miracula a Christianis uberrime facta, non esse facta ope diabolica arteque magica, aut circumventione et calliditate humana, sed potestate divina, quæ falsam doctrinam miraculis non confirmat. Denique talis scit quam sancta, perfecta, simplex et pura sit christiana Religio, in qua omnia ad privati amoris plenam exstirpationem et ad divini amoris perfectionem, per ordinatissima media ordinantur. Scit etiam quam virtuosi fuerunt patres qui fecerunt miracula, quam patientes, casti et humiles, quam caritativi, contemplativi, veraces atque pacifici. Ex quibus cognoscunt quod divina sit Christi doctrina. Hinc ergo viri interni, virtuosi et contemplativi, sunt in fide certissimi atque immobiles.

18 *Qui a semetipso loquitur,* hoc est, proprias adinventiones, non veritates desuper revelatas, docet et prædicat, *gloriam propriam quærit.* Operatur enim ex amore privato, non divino, et vanus est ac superbus. Tales fuerunt hæretici, et malarum legum doctores, ut Mahometus. Qui licet dixerint se quærere Dei honorem, tamen mentiti sunt : nam quæsierunt se ipsos, cupientes ab hominibus honorari. Vel sic : Qui a semetipso loquitur, hoc est ex proprio spiritu, non ex inspiratione divina, propriam gloriam quærit, quamvis prædicet vera ac sancta. Tales sunt modo innumerabiles, qui quærunt videri, reputari, promoveri, præesse, et ad hæc obtinenda laborant, studendo, docendo, et multa specie tenus bona agendo. Est enim qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Verumtamen tales primo et maxime fallunt se ipsos.

Eccli. XIX, 23.

Qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hoc est ego et qui mea sectantur vestigia, qui quærimus gloriam Dei Patris, *hic verax est* veritate doctrinæ et vitæ, quia Deo instruente profatur ; *et*

Digitized by Google

injustitia, hoc est mala intentio, seu peccatum reprehensione dignum, *in illo non est.* Hoc certum est quantum ad Christum. Sed quantum ad famulos ejus, non est sic intelligendum quod sint omnino a culpa immunes; sed sunt sine peccato mortali, et quantum ad hoc quod gloriam Dei
I Tim. I, 17. quærunt, injustitia carent. Soli etenim Deo debetur honor et gloria. Idcirco, qui quærit gloriam propriam, furtum committit, subripiens Deo quod ejus est. Per hæc ergo probat Christus suam doctrinam esse a Deo. Non enim quæsivit gloriam propriam inordinate, sed totius paupertatis et humilitatis præbuit se in exemplum, nemini blandiens, neminem palpans, sed
Eccli. IV, 33. usque ad mortem pro justitia certans, ita quod verissime dicere potuit illud beati
Job XXVII, 5, 6. Job : Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram.

Sed quia Judæi objecerunt Christo quod legem Moysis non servaret (dictum est
Joann. V, 16. enim quinto capitulo, quod persequebantur Christum eo quod paralyticum cu-
19 rasset in sabbato), ideo subdit : *Nonne Moyses dedit vobis legem,* tanquam minister Dei, non sicut principalis legislator, quomodo Christus dedit nobis evangelicam legem, *et nemo ex vobis facit,* hoc est observat, *legem* in omnibus? Hoc asserit Christus cordium judex et cognitor, vel quia in turba quam alloquebatur, nullus fuit justus legisque factor, vel quia tam pauci fuerunt quod comparatione aliorum quasi nulli videbantur. Per hoc innuit Christus, quod digni non erant eum arguere de sabbati transgressione, quamvis sic fuisset : quia qui in majoribus vel paribus culpis sunt, non habent faciem alios increpandi, præsertim si ex officio eis non incumbat. Caritas enim debet esse ordinata, ut unusquisque in primis corrigat semetipsum, deinde et proximum.
20 *Quid me quæritis interficere,* quod est contra legem, quæ prohibet innocentes occidi? Hoc Christus dixit, ut ostenderet se illorum machinationes cognoscere, et eos ad emendationem induceret, non tamen ut mortem imminentem evaderet.

Respondit ei turba, id est multitudo illa turbata, *et dixit : Dæmonium habes,* hoc est, quasi insensatus et malitiosus loqueris, malum suspicando de nobis. *Quis nostrum te quærit interficere?* quasi dicant, Nullus. Et utrumque mentiti sunt, imponentes Filio Dei insaniam atque mendacium. Nam in principio hujus capituli dixit Evangelista, quod Judæi quærebant Jesum occidere. Et quid tam irrationale, ut Christo qui est sapientia et veritas Patris, qui et dæmones expulit verbo, re- Matth. VIII, 16.
gnumque diaboli dissipavit idololatriam destruendo, imponere tantam dementiam et falsitatem?

Respondit Jesus, et dixit eis : Unum 21
opus feci : non unum dumtaxat, quoniam omnia facta sunt per me. Pater quoque Joann. I, 3.
meus usque modo operatur, et ego ope- Ibid. V, 17.
ror. Sed unum opus feci, cujus occasione contra me murmuratis, mihique legis transgressionem imponitis. Opus istud est curatio paralytici, cui jussit Jesus ferre Ibid. 8.
grabatum suum et ambulare : quod factum est sabbato, quemadmodum dictum Ibid. 9.
est quinto capitulo. *Et omnes miramini* admiratione turbante, ex malitia procedente : miramini, inquam, quod ego qui videor religiosus, et zelum Dei me habere ostendo, hoc feci in sabbato. Qui enim odit alium, facta illius faciliter interpretatur in pejus, et ea quæ vel in se bona sunt vel modice culpabilia, adeo magni pendit ac reprobat, ut apud se miretur quod ille talia operatur. Hoc modo Manichæus atque Montanus mirabantur quod Deus legis et Prophetarum præcepit plebi Exod. III, 22.
Israel spoliare Ægyptum.

In verbis istis commendatur nobis ineffabilis patientia, mansuetudo atque tranquillitas Christi, qui ad tantam contumeliam, tam benigne mititerque respondit. Discamus ergo Christi exemplo injurias verborum æquanimiter ferre, adversa tranquillo animo sustinere, non reddere malum pro malo, nec vinci a malo, sed vin- Rom. XII, 21.

Digitized by Google

cere malum in bono. Ideo nempe dicit Psalmista : Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me. (Ps. xxxviii, 2.) Et Salomon in Proverbiis : Non respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. (Prov. xxvi, 4.) Alibi quoque hortatur : Ne dicas, Reddam malum pro malo; exspecta Dominum, et liberabit te; (Ibid. xx, 22.) et, Ne dicas, Quomodo fecit mihi, sic faciam ei. (Ibid. xxiv, 29.) — Denique induratis istis Judæis, qui tam faciliter proruperunt in verba contumeliosa atque blasphema, assimilantur homines passionati, vitiosi et impatientes, qui licet foris aliquid boni agere videantur, intus tamen languoribus animæ pleni sunt, præcipue morbo qui dicitur, Noli me tangere. Unde quum parum pulsantur, tanguntur vel exercitantur, evomunt quo replentur. Prorumpunt enim in verba malitiæ et nequitiæ, in verba fœtida, pungitiva et inordinatissima.

22 *Propterea,* hoc est ad præfigurandum opera mea, qui spiritualiter circumcido, *Moyses,* Deo jubente, *dedit,* hoc est, in scriptis redegit atque proposuit, *vobis circumcisionem,* (Lev. xii, 3.) hoc est præceptum circumcisionis masculorum in præputio, dicens : Masculus cujus præputii caro circumcisa non est, delebitur anima illa de populo suo. (Gen. xvii, 14.) *Non quia ex Moyse est,* hoc est, circumcisio originaliter data ac jussa non est Moysi, *sed ex patribus,* hoc est, Patriarchis data est primo. Primo enim data est Abrahæ, ut patet in Genesi; (Ibid. 10-13.) deinde Isaac, Jacob et duodecim Patriarchis. Propter quod ad Romanos testatur Apostolus : Dico Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis, ad confirmandas promissiones patrum. (Rom. xv, 8.) Hoc Christus adjecit, ad declarandum magnitudinem præcepti circumcisionis. *Et in sabbato,* hoc est septima die, quæ celebris est, *circumciditis hominem* infantem. Præceptum equidem fuit, ut infans octavo die circumcideretur. (Lev. xii, 3.) Dum ergo nascebatur in sabbato, circumcidebatur sabbato subsequenti.

23 *Si circumcisionem accipit homo in sabbato,* imo quia sic est, *ut non solvatur lex Moysis,* hoc est absque transgressione præcepti de celebratione sabbati per Moysen dati, *mihi indignamini quia totum hominem,* hoc est paralyticum illum in corpore et anima, *sanum feci in sabbato?* quasi dicat : Hoc valde absurdum est, quum major atque utilior sit curatio totius hominis quam circumcisio corporis. Sed et curatio illa miraculose facta solo verbo, sine labore, magis confert ad gloriam Dei quam circumcisio. In hoc verbo Salvatoris quo dicit, Totum hominem sanum feci, fundatur illud dictum commune, quod Christus sanavit in anima quos curavit in corpore. Dei namque perfecta sunt opera; (Deut. xxxii, 4.) et iniquis potius obest sospitas carnis quam prosit, dum exhibent membra sua arma iniquitatis peccato. (Rom. vi, 13.)

Nolite judicare secundum faciem, id est superficialiter, secundum solam apparentiam, secundum signa incerta, secundum sensum exteriorem. Tale namque judicium sæpius fallit. *Sed justum judicium judicate,* hoc est, judicando discernite ac proferte, judicando secundum rationem informatam prudentia, regulatam justitia, procedentem secundum ordinem juris, et veritatem rei diligenter pensantem. Præcipit ergo Christus ut judicemus eo modo quo Isaias prædixit de ipso : Non secundum visionem (inquit) oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia. (Is. xi, 3, 4.) Quod igitur in Matthæo ait Salvator, Nolite judicare, ut non judicemini, (Matth. vii, 1.) dictum est de judicio inordinato, videlicet usurpatorio, suspicioso, perverso. 24

Denique, ad rectitudinem seu veritatem judicii multa exiguntur. Primo, ut procedat ex lumine rationis, non ex impetu passionis. De hoc multa dicuntur in libro Job : ut est illud, Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, et implebit ardore stomachum suum? (Job xv, 2.) Et illud, Quid perdis in furore animam tuam? (Ibid. xviii, 4.) Et, Respondete absque contentione. (Ibid. vi, 29.) Passiones quippe actum rationis impediunt. Secundo, ut sit sine personarum acceptione,

Digitized by Google

quemadmodum Moyses loquitur in Deute- A
Deut. I, 16, 17. ronomio : Dixi principibus et judicibus :
Quod justum est judicate, sive peregrinus
sit ille, sive civis; nulla erit distantia
personarum; ita parvum audietis ut magnum,
nec accipietis cujusquam personam.
Oportet ergo privati amoris affectionem,
amorem odiumque abjicere, ne judex
sit partialis. Tertio, ut clamori vel favori
plurimorum non cedatur, juxta illud Exo-
Exod. XXIII, 2. di : Ne sequaris turbam ad faciendum malum,
nec in judicio acquiescas sententiæ
plurimorum, ut a vero devies. Quarto, ut B
causa ignota seu dubia debite inquiratur,
Job XXIX, 16. prout Job ait : Causam quam ignorabam
diligentissime investigabam. Quinto, ne
propter timorem æquitas deseratur. Pro-
Eccli. VII, 6. pter quod scriptum est : Noli quærere fieri
judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates,
ne forte extimescas faciem potentis.
Sexto, ne in judicando plus quam
oportet vel decet judicans alicui compatiatur :
secundum quod Dominus præcipit
Exod. XXIII, 3. in Exodo, Pauperis non misereberis in ju-
Ibid. 6. dicio; et rursus, Non declinabis in judicio C
Lev. XIX, 15. pauperis; in Levitico quoque, Non consideres
personam pauperis, nec honores
vultum potentis. Septimo, ne dona acci-
Exod. XXIII, 8. piantur, juxta illud Exodi : Non accipias
munera, quæ excæcant etiam prudentes,
et subvertunt verba justorum. Octavo, ne
preces admittantur in præjudicium adversariæ
partis. Nono, ut altera pars audiatur,
et quilibet æquanimiter suam causam
proponere permittatur, juxta quod legitur
Act. XXV, 16. in Actibus Apostolorum : Non est consuetudo
Romanis damnare aliquem hominem, D
priusquam is qui accusatur præsentes habeat
accusatores, locumque defendendi accipiat
ad abluenda crimina. Decimo, ne
pœna excedat mensuram culpæ. Propter
Deut. XXV, 2. quod Moyses dicit : Juxta mensuram culpæ,
erit quantitas plagarum. Undecimo, ut
judicium ordinetur ad bonum ejus qui
judicatur. His itaque observatis, erit judicium
verum veritate justitiæ et doctrinæ,
hoc est æquum et sapientiale. De hac ma-
Matth. VII, 1. teria multa jam dixi Matthæi septimo, et
ad Romanos secundo : idcirco celerius at- *Rom.* II, 1.
que facilius transeo.

Dicebant ergo (videlicet, quoniam Jesus 25
dixit, Quid me quæritis interficere?) *quidam
ex Jerosolymis,* hoc est cives Jerusalem,
qui melius quam alii noverant machinationem
sacerdotum, Scribarum ac
Pharisæorum, qui maxime morabantur in
Jerusalem, contra Jesum : *Nonne hic est
quem quærunt interficere?* tanquam dicerent :
Utique iste est. *Ecce palam loqui-* 26
tur contra illos, dicendo : Nemo ex vobis vers. 19.
facit legem; et, Quid me quæritis interfi- vers. 20.
cere? Sicque imposuit eis gravissima crimina
in templo coram omni frequentia
plebis. *Et nihil ei dicunt :* quod videtur
procedere, vel ex timore, quasi timentes
Jesum, vel ex scientia, quasi scientes nunc
eum esse Christum. Ideo addunt : *Numquid
vere cognoverunt principes,* hoc est
principales in populo, scilicet sacerdotes,
Scribæ, Pharisæi ac seniores, præsertim
pontifices, *quia hic est Christus?* quasi
dicant : Hoc apparet ex eo quod silent.

Isti cives ignorabant Jesum esse tantæ
potentiæ, quod sine ejus virtute ac permissione
nemo loqui potest aut agere
quidquam. Idcirco, quod principes tacuerunt,
retulerunt ad eorum scientiam, quum
potius referendum fuerit ad Christi dispensationem
ac ordinationem, qui quando
voluit seu permisit, persecutionem sustinuit.
Ista tamen dixerunt dubitando, non
affirmando. Unde mox arguunt ad oppositum.

Sed et hunc scimus, hoc est cognosci- 27
mus, *unde sit,* hoc est de qua progenie
et de quo loco, videlicet a Nazareth Galilææ.
*Christus autem quum venerit, nemo
scit,* hoc est sciet, *unde sit.* Quomodo verum
est hoc, quum vulgatum fuerit apud
Judæos Christum nasciturum de tribu Juda
per David, in Bethlehem? Dicendum,
quod Judæi propter diversa loca Scripturæ,
ambigui erant de qualitate adventus
Christi : et forte quod ideo, quia non intellexerunt
ex Scripturis quod in Christo
esset duplex natura, puta divina et hu-

Digitized by Google

mana, idcirco non poterant concordare A
Scripturas. Porro, quod aiunt, Christus quum venerit, nemo scit unde sit, habere poterant ex eo quod scriptum est apud
Is. LIII, 8. Isaiam : Generationem ejus quis enarrabit? Et Malachias : Quis, inquit, poterit
Malach. III, 2. cogitare diem adventus ejus? aut quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans. Jeremias quoque ait quarto-
Jer. XIV, 9. decimo capitulo : Quare venturus es quasi
Ibid. 8. vir vagus? Et item : Quare venturus quasi colonus in terra? Verum est ergo, quod nemo scit, hoc est comprehendere potest, B
unde sit Christus, id est æternam atque divinam ejus originem. Sed nec generatio ejus de Virgine comprehendi potest a nobis, quantum ad modum ejus. Quis enim capere queat, qualiter de clauso dulcissimæ Virginis utero exiit verum corpus Christi?

28 *Clamabat ergo :* quia ex magno affectu salutis Judæorum, et voce sonora, sicut
Is. LVIII, 1. Isaias prædixit : Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam. Quod S. Hieronymus exponit de Christo ad litteram. Quomodo nunc dicitur Jesus clamasse, quum C
Ibid. XLII, 2. in Isaia sit prophetatum de eo, Non clamabit, nec audietur foris vox ejus? Et respondendum, hoc dictum esse de immoderata seu passionata vociferatione : de qua
Ephes. IV, 31. dicit Apostolus, Omnis clamor, et amaritudo, et indignatio tollatur a vobis. Porro de ordinato Christi clamore fertur in Psal-
Ps. XXI, 3. mis : Deus meus, clamabo per diem, et
Ps. LXVIII, 4. non exaudies; et, Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.

Docens in templo Jesus, et dicens : Et
Joann. VIII, 19. *me scitis.* Infra ait Christus Judæis : Neque D
Matth. XI, 27. me scitis; et in Matthæo : Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius. Quomodo ergo nunc asserit, Et me scitis? Responsio plana est, quoniam aliquo modo noverant eum, videlicet secundum sensitivam cognitionem; et quantum ex illa intellectualiter elicere poterant, noverant eum secundum suam humanitatem quodammodo, sed multum imperfecte. Putabant quippe, quod naturali ordine genitus esset, et in esse creato subsisteret. *Et unde sim scitis,* hoc est ortum et patriam meam. Hoc locutus est Christus, quantum ad id quod dixerunt Judæi, Hunc scimus unde sit. Sed quantum ad id quod dixerunt, Christus quum venerit, nemo scit unde sit, respondit : *Et a me ipso non veni,* hoc est, originem a vobis ignotam habeo, quia a Patre per generationem æternam egressus sum, et ille me misit. Denique quod ait, A me ipso non veni, si sic intelligatur, Propria voluntate non veni, verum erit de Christo secundum quod homo : quia voluntas ejus humana non fuit causa quod venit in mundum per incarnationem, sed in incarnatione voluntas illa creata est; voluntas vero Patris fuit causa hujus adventus. Christus autem ut Deus, habet eamdem numero voluntatem cum Patre. Idcirco, quod ait, A me ipso non veni, non est accipiendum de Christo secundum naturam divinam, nisi in hoc sensu : A me ipso non veni, hoc est, a Patre voluntatem et potestatem accepi per quam veni in mundum, assumendo naturam humanam. Nihilo minus Christus ut Deus, propria voluntate venit ac potestate, imo et misit se ipsum secundum quod homo est.

Sed est verus qui misit me, hoc est Deus Pater, qui est substantialiter verus veritate essentiæ in se ipso, et verax in verbis atque operibus; *quem vos nescitis.* Certum est quod Judæi non sciebant Deum Patrem per speciem, sicut Beati in patria, nec per comprehensionem plenariam, quia sic non cognoscitur Deus nisi ab intellectu infinitæ virtutis et capacitatis, videlicet a se ipso dumtaxat. Sed quæstio est, an sciebant eum per fidem. Et respondendum, quod non omnes Judæi habuerunt explicitam fidem de superbenedicta Trinitate : idcirco nec Patrem noverunt per fidem explicite. Noverunt tamen eum secundum esse absolutum, in quantum est Deus, per fidem, vel etiam per naturalem rationem. Si vero loquamur de notitia formata, non informi, sic mali Judæi non noverant eum, sicut nec ceteri impii, quan-

Digitized by Google

I Joann. II, 4. tumcumque subtiles et eruditi. Qui enim (A) se dicit nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.

29 *Ego* autem *scio eum :* quia ut Deus, comprehendo eum plenarie ; secundum naturam vero assumptam, vidi eum per speciem ab incarnationis principio, clariusque quam aliquis Beatorum. Cf. Joann. VIII, 55. *Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax :* quod impossibile est, quum Veritas non possit mentiri, nec Creator creaturis in vitiis conformari. *Sed scio eum* scientia increata seu comprehensiva, et (B) creata vel fruitiva, *quia ab ipso sum,* hoc est, ab eo accepi esse, et idem numero, non diversum, per generationem æternam; *et ipse me misit,* per incarnationis mysterium, hoc est, me incarnari, hominibus apparere mundumque salvare constituit. Scientia autem comprehensionis perfectæ competit Filio, ratione generationis divinæ. Scientia vero infusa, fruitiva, et in genere notitiæ creatæ summe perfecta, convenit Christo ratione missionis præfatæ. Quoniam enim missus est ad salvandum ge- (C) nus humanum, data est ei omnimoda plenitudo gratiæ atque scientiæ inditæ.

30 *Quærebant ergo* principes et fautores eorum *eum apprehendere,* hoc est capere ad occidendum, non amplecti ad perfruendum, de qua apprehensione loquitur Sponsa in Canticis : Cant. VIII, 1, 2. Quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te foris, et deosculer ac apprehendam te? Nos quoque, quia non possumus Jesum comprehendere, studeamus saltem apprehendere eum, hoc est per fidem et caritatem attingere (D) eum, eique intime, quantum fieri potest, uniri. Cur voluerunt apprehendere eum? Primo, quia tam dure ac juste corripuit eos; secundo, quia tam magna asseruit de se ipso.

Et nemo misit in illum manus violentas, *quia nondum venerat hora ejus,* hoc est tempus suæ passionis, in quo mori decrevit, non antea nec postea. Hoc quod nondum venit hora ejus, fuit signum non causa efficiens quod non capiebatur. Divi- (A) na vero voluntas atque potentia, erat causa efficiens quod captus non fuit, quia refrenavit malitiam Judæorum, non permittens eam in actum procedere. — Præterea, quia in Evangelio sæpius legitur, Nondum venit hora ejus, vel aliquid simile, quidam hæreticorum dicere ausi sunt, quod Jesus natus est sub certo fato, vel constellatione, cujus virtute fecit quæ fecit. Sed quam falsum sit hoc, non oportet probare, quum certum sit ipsum supernaturaliter esse conceptum ac natum. Matth. XXVI, 45; Marc. XIV, 41; Luc. XXII, 53; Joann. II, 4; VIII, 20; XII, 23; XIII, 1; XVII, 1.

31 (B) *De turba autem multi crediderunt in eum,* quod esset Messias, *et dicebant : Christus quum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?* Ex quo hi qui ita dixerunt, erant credentes in Jesum, videtur sic exponendum : Christus quum venerit, hoc est, si ponatur, secundum aliorum æstimationem, quod Christus nondum advenit, tamen quum et si venerit, prout illi exspectant, non faciet plura miracula quam efficit iste : ideo est credendum quod sit Christus, in (C) cujus adventu dixerunt Prophetæ multa signa esse fienda. Unde habetur apud Isaiam : Is. XXXV, 4-6. Ecce Deus vester veniet, et salvabit vos : tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. Nullus quippe ante adventum Christi tanta fecit miracula sicut Christus, et omnes qui post eum fecerunt vera miracula, non nisi in nomine ejus ea fecerunt. Imo, qui scire desiderat quam innumerabilia, præclara et gloriosa prodigia (D) operatus est Christus, aliorum trium Evangelistarum evangelia legat. Verum, quoniam fides istorum non fuit multum perfecta, idcirco quod aiunt, Christus quum venerit, numquid plura signa faciet? intelligi potest per modum cujusdam inquisitionis. Quantitas enim miraculorum fiendorum a Christo in ejus adventu, non fuit in Scripturis determinata : ideo inquirebant inter se, anne plura signa fierent in Christi adventu, quam quæ viderunt a Jesu produci.

Digitized by Google

32 *Audierunt Pharisæi,* præcipui æmuli Christi, *turbam* credentium *murmurantem,* hoc est, suppressa voce dicentem, A *de illo hæc* bona. Non enim audebant palam confiteri magnificentiam Jesu, timore Pharisæorum, Scribarum atque pontificum.

ARTICULUS XX

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI SEPTIMI, AB ILLO LOCO QUO DICITUR : ET MISERUNT PRINCIPES ET PHARISÆI MINISTROS, UT APPREHENDERENT EUM.

Et miserunt principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum. Pharisæi livore contra Christum accensi ac tabefacti, audito quod turbæ confiterentur glorificarentque Jesum, asserendo quod esset Christus, et plurima faceret signa, timuerunt quod reciperent Jesum pro rege Messia. Idcirco collocuti sunt cum principibus sacerdotum, vel principalioribus Judæorum, de occisione Christi ; et inito pacto, miserunt ministros, ut caperent Jesum. Aliqui dicunt, quod personaliter hoc facere non audebant, timore turbæ credentis, sed miserunt legatos viros periculis se tradentes, et quod legati isti fuerunt gentiles. Verum ex consequentibus magis apparet, moxque patebit, quod fuerunt Judæi.

33 *Dixit ergo eis,* videlicet ministris ad se capiendum missis, *Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum,* hoc est, non diu ero, nec conversabor sensibiliter inter vos, *et vado,* hoc est, tempore hoc pauco expleto, ibo per passionem, resurrectionem et ascensionem, *ad eum qui me misit,* hoc est ad Patrem cœlestem, ut sedeam ad dexteram ejus. Tanquam diceret : Jam nunc non apprehendar a vobis, quia non volo, eo quod tempus meum nondum advenerit. Sed adhuc parumper ambulabo in populo, ad docendum eum, et ad complenda opera quæ Pater dedit mihi ut faciam ea : quo facto, facietis me permittente, quod nunc facere cupitis, sed non potestis me prohibente. *Joann.* v, 30; IX, 4. B Hæc omnia, utpote modicum manere in mundo, ire ad Patrem et capi, conveniunt Christo secundum naturam assumptam. Nempe secundum divinitatem manet æternaliter in Patre, non recedens neque revertens ad eum, et totum mundum invariabiliter implet, permanens ubique et in omnibus, per essentiam, præsentiam atque potentiam.

34 *Quæretis me, et non invenietis.* Hoc a diversis, variis modis exponitur. Primo sic : *Quæretis me* post resurrectionem, C hoc est, ad me convertemini per fidem, in die Pentecostes, vel postea, quando videritis per Apostolos tanta mirabilia fieri in nomine meo. Unde in Actibus Apostolorum habetur : Compuncti sunt corde, et dixerunt : Quid faciemus, viri fratres? *Act.* II, 37. Juxta hunc sensum infra loquitur Christus : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. *Joann.* VIII, 28. *Et non invenietis* me, præsentia corporali atque sensibili, sicut modo. — Secundo sic : *Quæretis me,* hoc est, auxilium meum D implorabitis ; *et non invenietis* me ad libitum vestrum, tempore destructionis Jerusalem a Romanis. Tunc enim, ut dicitur, multi Judæorum noverunt se vastari a Tito propter occisionem Christi, et tunc Christum habere liberatorem optabant, sed non obtinuerunt. Ista expositio modici est valoris, quum sit incerta. — Beda vero exponit sic, quod quæsierunt Jesum post resurrectionem, quando viderunt tot millia converti ad Christum ; sed

Digitized by Google

non invenerunt eum spiritualiter, quo- A
niam magnitudinem sui peccati quo Chri-
stum occiderunt, pensantes, non vere pœ-
nituerunt, sed barathrum desperationis
inciderunt. — Videtur autem sic conve-
nienter posse exponi : *Quæretis me,* ante
passionem, et post hanc vicem, ad capi-
endum ; *et non invenietis* me corporali-
ter, usque ad tempus. Ut enim infra ha-
Joann. XI, 56. betur : Principes dederunt præceptum, ut
si quis sciret ubinam esset Jesus, indicaret.
Ex quo elicitur, quod sæpe quæsierunt
eum ad capiendum, sed non invenerunt. B

Et ubi ego sum nunc secundum divi-
Ibid. I, 18. nitatem, videlicet in summo cœlo, in sinu
Patris ; vel, Ubi sum, hoc est, ubi post
passionem mox ibo et ero, videlicet ad
dexteram Dei ; *vos non potestis venire,*
propter peccata vestra, vel propria po-
testate ; tamen per gratiam meam, si pœ-
nitentiam veram egeritis, venietis illuc, et
eritis mecum.

35 *Dixerunt ergo Judæi,* hoc est ministri
prædicti, et alii forte qui aderant, *ad se-
metipsos,* id est unus ad alium, non in- C
telligentes verba prædicta, sed inter se
conquirentes quomodo essent intelligen-
da : *Quo hic iturus est, quia non inve-
niemus eum?* Christus aperte dixit, Vado
ad eum qui me misit : et tamen non in-
tellexerunt quod prædixit se iturum ad
Patrem cœlestem. *Numquid in disper-
sionem gentium iturus est,* hoc est ad
gentes ubique dispersas, et per sectas ac
loca divisas ? Sic enim contemptibiliter
loquebantur de gentilibus, quos multum
spernebant, propter peccata eorum, et de- D
lectionem suam ac patrum suorum. *Et
docturus gentes,* videlicet corporaliter re-
cessurus a Judæa, et congregaturus mul-
36 tos discipulos ex gentibus. *Quis est,* hoc
est, quomodo intelligendus est, *hic ser-
mo quem dixit : Quæretis me, et non
invenietis ; et ubi sum ego, vos non po-
testis venire?* Hoc forsitan repetebant, ad
innuendum quod secundum eorum æsti-
mationem, verba Christi non erant intel-
ligenda de recessu ejus ad gentes, quo-
niam per verbum de præsenti dixit : Ubi
ego sum, vos non potestis venire. Ignora-
bant itaque quid notavit per hoc.

In novissimo autem die magno, hoc est 37
multum celebri, *festivitatis* Tabernaculo-
rum durantis septem diebus, ut dictum *Lev.* XXIII, 41.
est. Primus enim et ultimus dies hujus *Ibid.* 39 ;
festi fuerant celebriores. *Stabat Jesus,* *Num.* XXIX, 12, 35.
tanquam confirmatus in bono, erectus in
omni virtute, et paratus ferre subsidium
cunctis ad ipsum confugientibus. Potest-
que per suam stationem, divinitatis ipsius
invariabilitas designari. *Et clamabat,* af-
fectuose, eloquentissime ac secure præ-
dicando, *dicens : Si quis sitit,* hoc est,
spiritualia bona desiderat, gratiam cupit,
fluenta doctrinæ, aquam sapientiæ appetit.
De qua siti scriptum est in Ecclesiastico :
Animæ vestræ sitiunt vehementer. Apud *Eccli.* LI, 32.
Isaiam quoque ait : Omnes sitientes, venite *Is.* LV, 1.
ad aquas. *Veniat ad me :* non corporis
gressu dumtaxat, sed et mentis humili
præparatione, faciendo quod in se est ;
fide quoque non hæsitanti, et oratione
constanti. Unde scriptum est in Jacobo :
Si quis vestrum indiget sapientia, postu- *Jacob.* I, 5, 6.
let a Deo, qui dat omnibus affluenter, et
dabitur ei ; postulet autem in fide, nihil
hæsitans. Ideo subditur : *et bibat,* hoc est,
desideratam gratiam hauriat, spiritualiter
recreetur et refrigeretur a me. Omnis *Matth.* VII, 8.
quippe qui petit, accipit. Propter quod
in Apocalypsi dicitur : Qui sitit, veniat ; *Apoc.* XXII, 17.
et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.
Quicumque ergo mœstificatus indiget con-
solatione, qui fatigatus indiget conforta-
tione, qui tribulatus indiget subventione,
recurrat integra fide ac humili mente ad
Christum, non cessans sperare in eo, et
procul dubio auxilium sortietur. Ipse enim
verissime ait : Venite ad me, omnes qui la- *Matth.* XI, 28.
boratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Qui credit in me fide formata ac plena. 38
Loquitur autem Christus ad litteram de
his qui suo magisterio stabiliter adhære-
bant usque ad passionem et Pentecosten,
sicut patebit. *Sicut dicit Scriptura,* in
Proverbiis, quantum ad sensum, non quan- *Prov.* V, 15.

Digitized by Google

tum ad formam verborum. Ista allegatio refertur ad sequentia : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quomodo autem intelligendum sit hoc, Evangelista subjecit, nec debemus anticipare expositionem
39 tanti interpretis. *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Est igitur sensus : Flumina aquæ vivæ, id est dona Spiritus Sancti, fluenta doctrinæ cœlestis et gratiæ copiosæ ac multiformis, emanabunt de corde ipsius ad alios, vel de habitu et interiori actu, ad opera exteriora. Itaque per flumina designantur dona Spiritus Sancti; per aquam vivam, ipse Spiritus Sanctus (de quo dictum est : Qui biberit ex aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam); per ventrem vero, mens ipsa interna, in qua habitat Spiritus Sanctus per dona sua. De hujusmodi etenim ventre, ait Salomon in Proverbiis : Fili, suscipe sapientiam, quæ pulchra tibi erit quum servaveris eam in ventre tuo ; et Isaias, Venter (inquit) meus quasi cithara ad Moab sonabit. Ex mentibus ergo Apostolorum et aliorum qui cum eis in die Pentecostes Spiritum Sanctum receperunt, fluxerunt prædicta flumina per evangelicam prædicationem ad totum mundum, quoniam gratiam sibi divinitus communicatam, in alios administraverunt, sicut optimi dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Joann. IV, 13, 14. — *Prov.* XXII, 17, 18. — *Is.* XVI, 11. — I *Petr.* IV, 10.

Præterea, quod prædicta intelligenda sint de effusione Spiritus Sancti in signo visibili, super Apostolos et cum eis consistentes in die Pentecostes, pandit Evangelista, subdendo : *Nondum enim,* quando Christus hæc prædicavit, *erat Spiritus* Sanctus *datus* fidelibus, scilicet in tanta plenitudine tamque evidenter ut post resurrectionem, quando Christus dedit Spiritum Sanctum in signo visibili : primo, per insufflationem, ante ascensionem ; secundo, per ignearum apparitionem linguarum, in die Pentecostes. Fuit autem Spiritus Sanctus datus a principio mundi universis electis, quoniam nullus sine gratia ejus, sine donis ejus, sine fide et caritate salvatus est. Et sancti Patriarchæ atque Prophetæ in magna copia gratiam Spiritus Sancti sortiti sunt, quemadmodum Petrus dicit : Non voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Nihilo minus Apostoli primitias Spiritus Sancti receperunt, quia præ ceteris Sanctis antiquis, exuberantius evidentiusque repleti sunt Spiritu Sancto, et de mysteriis Christi excellentissime illustrati.

Joann. XX, 22. — *Act.* II, 3, 4. — II *Petr.* I, 21. — *Rom.* VIII, 23.

Porro, quod subditur advertendum est diligenter. Causam enim cur Spiritus Sanctus nondum datus fuit hoc modo assignans, adjunxit : *quia Jesus nondum fuerat glorificatus,* id est a morte resuscitatus, atque in corpore gloriosus effectus. In anima enim fuit glorificatus a principio incarnationis, præsertim quantum ad partem animæ superiorem.

Cur ergo Spiritus Sanctus datus non est plene et in signo visibili ante Christi resurrectionem ? Respondet Chrysostomus, quoniam talis communicatio non debuit fieri, nisi per Christi passionem humano genere reconciliato. Augustinus vero dicit quod ideo, ut per tam copiosam Spiritus Sancti receptionem certissime suspiremus ad patriam, ad futuram resurrectionem, ad beatam immortalitatem. Cujus Christus in se ipso monstravit exemplum, apparendo discipulis in vero corpore veraciter glorificato. Sed litteralis (ut arbitror) ratio est, quoniam ad hoc datus est Spiritus Sanctus tam copiose in signo visibili, ut Apostoli omni notitia Scripturarum omnique usu linguarum impleti, Christi Evangelium ubique et constantissime prædicarent; et item, ut per igneas linguas figuraretur quod igneam legem essent prædicaturi, omniumque linguarum nationes docturi. Hæc autem agenda non erant nisi post resurrectionem : nam ante resurrectionem dictum est eis a Christo, In viam gentium ne abieritis. Christus etiam noluit suam majestatem tam evidenter ostendere ante passionem ut postea, ne sua

Act. I, 3. — *Matth.* X, 5.

Digitized by Google

passio impediretur. Potest quoque alia ratio addi, quia non decuit membra tanta gratia decorari, nisi capite totaliter glorificato, omnique gratia accidentalis præmii adornato.

40 *Ex illa ergo turba, quum audissent hos sermones ejus,* qui erant pulcherrimi atque vehementer notabiles, *dicebant* quidam : *Hic est vere propheta.* Secundum Lyram, per prophetam intellexerunt Prophetam illum antonomastice dictum, de
Deut. xviii, 15; Act. iii, 22. quo Moyses scripsit : Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris, tanquam me. Sed quum hoc dictum sit de Christo ad litteram, et Evangelista nunc
41 subdat, *Alii dicebant, Hic est Christus,* sequitur quod illi per prophetam, non intellexerunt Christum Dominum Prophetarum, sed prophetam simpliciter, quem vocabant vere prophetam, id est divinitus illuminatum. Qui autem dixerunt, Hic est Christus, melius consideraverunt verba et opera Jesu. Qui vero dixerunt, Hic est vere propheta, erraverunt, si prophetam sumpserunt in specie, distinguendo Prophetam contra Dominum Prophetarum Christum Jesum, qui fuit propheta et comprehensor, Salvator et finis Prophetarum.

Quidam autem increduli, volentes probare testimonio Scripturarum quod Jesus non esset Christus, *dicebant : Numquid a Galilæa venit Christus?* quasi dicant : A provincia Galilææ Christus non est de-
42 scensurus, nasciturus, seu adventurus. *Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David et de Bethlehem castello,* id est modica urbe; vel, Castello, id est domo, *ubi erat,* id est habitavit et ortus est, *David, venit Christus?* Christum nasciturum esse de semine David, prænuntiatum fuit in Psal-
Ps. cxxxi, 11. mo : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam; et apud Jeremiam, Suscita-
Jer. xxiii, 5. bo David germen justum; apud Isaiam
Is. xi, 1. quoque, Egredietur virga de radice Jesse, etc. Certum est enim quod Christus non descendit de stirpe Jesse nisi per David. Præterea, quod Christus nasceretur in Bethlehem, per Michæam prædictum erat :

A Et tu, Bethlehem Ephrata, ex te mihi Mich. v, 2.
egredietur qui sit dominator in Israel. Quoniam ergo noverant Jesum nutritum in Nazareth urbe Galilææ, putabant quod ibi natus fuisset, et per consequens non esset Christus.

Dissensio itaque facta est in turba pro- 43
pter eum, diversis diversa sentientibus
atque dicentibus. *Quidam autem ex ip-* 44
sis volebant apprehendere eum, putantes quod nec propheta nec Christus esset, sed seductor. Erant enim obstinati et pessimi,
B luminique rebelles. *Sed nemo misit super* Job xxiv, 13.
illum manus, quia noluit Christus, et eorum pravitatem repressit.

Venerunt ergo ministri qui missi erant 45
ut caperent Jesum, *ad pontifices et Pharisæos,* a quibus fuerant missi, *et dixerunt eis,* id est ministris, *illi : Quare non*
adduxistis eum captum et vinctum? *Re-* 46
sponderunt ministri : Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur : id est, tanta est sapientia atque facundia oris sui, tam prompte, ordinate et doctrinali-
C ter loquitur, quod nemo ei similis fuit. Nec mirum, quum ipse sit unicum Dei Verbum, quod non laborat in verbo. Hinc
ait Psalmista : Diffusa est gratia in labiis Ps. xliv, 3.
tuis. Et in Luca legitur : Omnes miraban- Luc. iv, 22.
tur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus.

Responderunt ergo eis Pharisæi : Num- 47
quid et vos seducti estis, id est, decepti estis, putantes propter pulchritudinem verborum ejus, quod sit propheta aut Christus? Aliqui dicunt, quod isti mini-
D stri, quamvis mala intentione accesserunt ad Christum, tamen audiendo efficacissimam prædicationem ipsius, immutati fuerunt a malo proposito, incipientes aliqualiter bene sentire de eo. Unde Pharisæi hoc attendentes, voluerunt eos a fide Chri-
sti prorsus avertere, adjicientes : *Num-* 48
quid aliquis ex principibus, id est sacerdotibus et Scribis, per quos tunc regebantur Judæi, et doctores et ceteris doctiores fuerunt, *credidit in eum, aut ex Pharisæis,* qui ceteris religiosiores videbantur? Tan-

Digitized by Google

quam dicant : Nullus ex doctis et magnis A
49 atque devotis credit ei. *Sed turba hæc*
currens post eum, *quæ non novit legem,*
id est vulgus indoctum et ignobile, *ma-*
ledicti sunt, id est, miserabiliter fallitur,
facile credens propter insipientiam suam
et ruditatem.

Totum mentiuntur Pharisæi, quemad-
modum moris est invidorum, quos in tan-
tum excæcat invidia, ut sive per vera,
sive per falsa, non cessent avertere alios
ab eo quem odiunt. Nam et aliqui ex prin-
Joann. I, 49; III, 2. cipibus crediderunt in Jesum, scilicet Ni- B
codemus et Nathanael legis doctor. Infra
Ibid. XII, 42. quoque legitur, quod multi ex principi-
bus crediderunt in Jesum. Sed et devotis-
simi Judæorum jam crediderunt in Jesum.
Pharisæi quoque pleni erant hypocrisi,
avaritia, ambitione, invidia. Turba quoque
non fuit maledicta, sed præelecta, quem-
I *Cor.* I, 27. admodum fatur Apostolus : Quæ stulta
sunt mundi elegit Deus, ut confundat sa-
pientes; et infirma mundi elegit Deus, ut
confundat fortia. Hoc ipse Salvator per-
Luc. X, 21. pendens, exsultavit Spiritu Sancto, ut apud C
Lucam introducitur, et ait : Confiteor ti-
bi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abs-
condisti hæc a sapientibus et prudentibus,
et revelasti ea parvulis. Et Psalmista :
Ps. XVIII, 8. Testimonium (inquit) Domini fidele, sapi-
entiam præstans parvulis. Quanto ergo
quis minus de se ipso præsumit, quanto
minus in propria subtilitate et scientia
gloriatur, quanto minus alios vilipendit,
tanto copiosius meretur illuminari a Chri-
sto. Hinc quoque simplices et feminæ sunt
devotiores quam multum litterati et viri, D
quia quo minus habent de excellentia in
naturalibus, eo humiliores sunt, et per
consequens pleniores sunt ex intima de-
votione, vera sapientia, illa videlicet quæ
Is. XI, 2. est primum donum Spiritus Sancti. Unde
Prov. III, 32. Salomon ait : Cum simplicibus sermoci-
natio Dei.

50 *Dicit Nicodemus ad eos, ille qui venit*
Joann. III, 2. *nocte ad eum,* puta ad Jesum, ut dictum
est, *qui unus erat ex ipsis,* id est de nu-
Ibid. 1. mero principum et Pharisæorum, ut pa-
tuit : *Numquid lex nostra judicat,* hoc 51
est, judicandum per approbationem vel
condemnationem docet, *hominem, nisi au-*
dierit ab ipso prius, id est, verba de ore
ejus audierit, *et cognoverit* per certitudi-
nem *quid faciat?* Ubertim enim in lege
præceptum fuit, ut causa judicandi inve- *Lev.* XIX,
stigaretur, audiretur, discuteretur, et ut 17; *Deut.* I,
ipse qui causam habuit, staret coram se- 15, 16; XVI,
nioribus, sacerdotibus, vel judicibus, quo- 18; XIX, 15-19.
rum fuit judicare, audireturque ab eis, sic-
que opera ejus vere cognoscerent. Hocque
Nicodemus inseruit, ne incaute damna-
rent Jesum, vel aliquem ab ipso averte-
rent, et ut induceret eos ad diligentem
advertentiam atque præsentialem audien-
tiam Christi, confidens eos, si hoc face-
rent, convertendos ad Christum, sicut ipse
jam fuit conversus ad eum, cujus tan-
tam expertus fuit virtutem, sapientiam
eminentiamque in sermone.

Responderunt Pharisæi, *et dixerunt ei,* 52
utpote Nicodemo : *Numquid et tu Gali-*
læus es, id est a Jesu Galilæo deceptus,
discipulusque illius effectus? *Scrutare*
Scripturas, id est, tu qui legis doctor es,
scripturas Moysis et Prophetarum diligen-
ter inquire per actualem considerationem,
quas nosti per habitualem notitiam, *et*
vide, id est, si hoc feceris, ex Scripturis
oculo interiori videbis, *quia Propheta a*
Galilæa, id est a tam vili terra et plebe,
non surgit, id est, non nascitur, non pro-
cedit, non ascendit. Mirabilis cæcitas Pha-
risæorum, qui sic loquuntur ac si Deus
eligeret gentem propter locum, et non po-
tius locum propter gentem. Et quod as-
serunt a Galilæa non surrexisse Prophe-
tam, patet falsum de Eliseo propheta et III *Reg.* XIX,
Debora prophetissa. Tobias quoque, quem 16; *Judic.* IV, 5.
constat fuisse de Galilæa, prophetico spi- *Tob.* I, 1.
ritu fulsit. Imo Deus frequenter in vilio-
ribus locis efficit opera magis præclara.
Unde et Nazareth civitatulam Galilææ ele-
git pro loco conceptionis et educationis;
Bethlehem quoque civitatulam Judææ, pro
loco nativitatis : non Romam caput mun-
di, neque Jerusalem Judææ metropolim,

Digitized by Google

ne exaltatio Jesu ac divulgatio fidei christianæ adscriberetur potentiæ civium, vel eminentiæ loci, aut alicui causæ naturali, sed in omnibus agnoscatur operata Divinitas, cujus virtute et cooperatione scimus invaluisse fidem catholicam christianamque legem.

Et reversi sunt unusquisque in domum 53
suam. Nam propter prædictas dissensiones solutum est eorum consilium.

ARTICULUS XXI

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVI : JESUS AUTEM PERREXIT IN MONTEM OLIVETI.

QUID post facta ac documenta in præcedenti capitulo recitata, egerit atque docuerit Christus, Evangelista explanat.
1 *Jesus autem perrexit in montem Oliveti,* qui propter olivas illic nascentes et abundantes sic dictus est. Apud Lucam
Luc xxi, 37. habetur, quod Jesus exiens noctibus, morabatur in monte qui dicitur Oliveti. Apud Matthæum vero et Marcum legitur, quod
Matth. xxi, 17; *Marc.* xi, 11. egressus a Jerusalem abiit in Bethaniam cum duodecim. Quod ergo nunc dicitur perrexisse in montem Oliveti, intelligendum est, vel quia intravit domum Marthæ
Marc. xi, 1. in Bethania, quæ fuit juxta præfati montis radices, vel quia ad tempus morabatur in monte hoc, vacando orationi in loco quieto et separato : non quod indigeret hujusmodi adminiculo ; sed ut cunctis fidelibus, et præsertim prædicatoribus, daret exemplum quærendi locum solitarium, orationi contemplationique aptum, post prædicationem, ut ibi recolligerent semetipsos, et quæ in strepitu populi minus recte egissent, discuterent atque corrigerent ; idem quoque facerent ante prædicationem, quoniam ordinatus modus prædicandi consistit primo per orationem ad Deum recurrere pro illustratione sapientiæ suæ, et omnium vanitatum et imperfectionum evitatione, ut quod orando hauserunt, prædicando diffundant.
2 *Et diluculo iterum venit in templum :*
Luc. ii, 49. quia ut alibi ait, in his quæ Patris sui erant oportuit eum esse. In quo patet zelus suæ dilectionis quem habuit ad populum Judæorum, quemadmodum ait : Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas ? *Matth.* xxiii, 37. *Et omnis populus venit ad eum,* maxime vulgus. Jam enim celeberrima fuit fama Jesu in doctrina et eloquentia, in sanctitate, in signis. *Et sedens* in templo, *docebat eos.*
Adducunt autem Scribæ, qui doctiores 3
fuerunt, *et Pharisæi,* qui videbantur religiosiores. Unde et isti, quum fuerint vani, nomen scientiæ et sanctitatis affectantes, specialiter Christo inviderunt, eo quod in sapientia et sanctitate eos excederet, non solum secundum veritatem, sed et secundum populi reputationem. Amatores etenim excellentiæ ac laudis humanæ, invident jugiter his qui eis excellentiores vel pares videntur, timentes ne sibi præferantur.

Adducunt itaque *mulierem in adulterio deprehensam*. Cur non adduxerunt adulterum, quum eamdem pœnam meruerit ? Dicunt aliqui, ut facerent populo æstimationem quod fuit discipulus Jesu. Sed hoc est magis in contrarium. Quum enim studuerint Christum diffamare, si invenissent aliquem discipulorum ejus in tanto facinore, illum maxime publicassent ac produxissent in medium, quatenus crimen discipuli in magistrum redundaret. Quemadmodum enim filius sapiens est gloria patris, sic bonus discipulus est ho- *Prov.* x, 1; xv, 20.

nor magistri. Forsitan ergo adulter evasit A
manus eorum, vel muneribus eos placa-
vit. Sed potius reor quod ideo feminam
adduxerunt, non virum, quia optabant ut
Jesus parceret delinquenti, judicando ut
dimitteretur adulterans, sicque accusarent
eum de legis transgressione, quoniam lex
Lev. xx, 10. jussit hujusmodi lapidare. Consuetudina-
rium est [enim] judicibus, feminis ma-
gis compati faciliusque indulgere quam
viris, quia et ceteris paribus, minus pec-
cant in eodem genere culpæ quam viri,
quum sit in eis fragilitas major, carnalitas B
fortior, intellectus debilior. Propter quod
Gen. II, 23; *Ephes.* V, 29. mulier nomine carnis frequenter expri-
mitur in Scripturis.

Et statuerunt eam in medio templi vel
4 populi, coram Christo, *et dixerunt ei : Ma-
gister*. Blande et reverenter, fraudulento
corde loquuntur, ut Jesus minus caveat se
ab eis ; magistrumque nominant, cujus
noluerunt esse discipuli. Tales sunt multi
vulpini observatores Deo odibiles, a qui-
bus tunc magis cavendum est, dum am-
plius se humiliant, arrident et applicant. C
Eccli. XII, 10; *Prov.* XXVI, 25. Unde scriptum est : Ne credas inimico tuo
in æternum, quoniam septem doli in cor-
de ejus. *Hæc mulier modo deprehensa est
in adulterio,* id est inventa in crimine :
propter quod excusationi locus non patet.
5 *In lege autem Moyses mandavit nobis hu-
jusmodi lapidare,* id est jactibus saxorum
occidere. *Tu ergo,* qui in aliquibus legem
non servas, quasi vim dispensandi ha-
bens, et Dominus legis, *quid dicis* esse
6 agendum cum ista nefaria? *Hæc autem di-
cebant tentantes eum,* id est intentione D
fallendi, experiri volentes quid diceret, *ut
possent accusare eum*. Proposuerunt enim
sibi quæstionem, cujus responsio pro utra-
que parte increpabilis videbatur : quia si
respondisset quod dimitteretur, accusa-
rent eum de Mosaicæ legis destructione;
si vero judicasset quod occideretur, obji-
cerent ei quod contra propriam faceret
prædicationem, qua in omnibus miseri-
cordiam docuit, non rigorem justitiæ. Ma-
gis tamen optabant quod judicaret eam
dimitti, quia sic gravius videretur redar-
guendus.

*Jesus autem inclinans se deorsum, di-
gito scribebat in terra.* Per hoc designavit
quatuor : primo, quod ad mulierem pec-
catricem inclinavit suam clementiam ; se-
cundo, quod a malitiosis accusatoribus
avertit suæ pietatis respectum, quasi de-
testans eorum calliditatem ; tertio, quod
sententia non sit subito et improvise pro-
menda, sed cum deliberatione matura ;
quarto, quod judicium proferendum sit
secundum scripta, vel primo scribendum,
deinde publicandum : quod in pluribus
locis ac populis observatur. Quid autem
scripserit, non refert Evangelista. Sed ali-
qui dicunt, secundum quod tactum est,
quod scripsit id quod postea protulit. Alii
dicunt, quod scripsit eorum peccata, ut
propria peccata videntes, erubescerent.
Quidam affirmant, quod scripsit hæc ver-
ba : Terra judicat terram, id est peccator
peccatorem.

Quum autem perseverarent in studio 7
decipiendi, *interrogantes eum* quid judi-
caret, *erexit se,* non corporaliter tantum,
sed et spiritualiter, ab humili taciturnitate
ad magnæ auctoritatis sublime ac judi-
ciale eloquium. Porro, si Christus a Deo *Act.* X, 42.
judex omnium constitutus, tam morosus
fuit ad judicandum de alio, etiam in ma-
nifestis, cur nos tam proni sumus ad ju-
dicandum de aliis, etiam non commissis
et subditis, et hoc in causis incertis par-
visque rebus? *Et dixit eis : Qui sine pec-
cato* mortali *est vestrum*. Sine venialibus
enim nemo est, nisi forte ad horulam.
Propter venialia quoque non fit homo ad
judicandum seu puniendum magnos ex-
cessus indignus. *Primus in illam lapi-
dem mittat :* id est, si imo vultis ut se-
cundum legis rigorem puniatur, puniatur
secundum congruum ordinem juris. Decet
enim justitiam a justis exsecutioni manda-
ri. Si igitur aliquis vestrum est qui legem
transgressus non est, ab illo prævaricatrix
legis debitam pœnam recipiat. O ineffabilis
prudentiæ responsionem ex ore æternæ

Digitized by Google

Sapientiæ profluentem! In qua utique re- A
sponsione sic temperata est justitia per
misericordiam, et econtra, quod nullatenus potuit judicans reprehendi. Quod enim dixit, Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat, ad justitiam pertinebat; quod vero per talem sententiam peccatricem de manu illorum eripuit, misericordiæ fuit. O quam facillime Sapientia Dei, Christus Dominus, laqueos sibi expansos dissolvit! Secundum quod
Prov. xxi, 30. Salomon ait : Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Do- B
minum.

8 *Et iterum se inclinans, scribebat in terra.* Reiteratio facti, confirmationis exstat indicium seriositatisque signum. An vero secundo scripsit idem quod primo, non est penitus certum. Et aliqui dicunt quod primo scripsit sententiam, secundo Scribarum ac Pharisæorum peccata, ut considerantes propria crimina, desisterent a lapidatione adulteræ, atque se ipsos corrigerent. Dicitur quoque quod non scripsit omnia hæc quasi per singula verba, sed C
aliquem tractum seu figuram depinxit in terra, in qua illi viderunt sua peccata repræsentata quasi in signo. — Quæritur, quomodo Jesus scripsit in terra, quum fuerit in templo pavimentum habente. Et respondendum, quod terra frequenter accipitur pro quacumque re terrestri, in qua elementum terræ prædominatur : quemad-
Gen. iii, 19. modum olim homini dictum est, Terra es. Si ergo super lapides scripsit, quomodo scripsit in tam dura materia? Dici potest, quod materia cessit ei, vel quod aliquid D
humoris ac pulveris superjacuit pavimento, in quibus scripsit.

Secundum Bedam, ideo Christus se rursus inclinavit et scripsit, ut vultum ab illis sua responsione confusis divertendo, daret eis exeundi libertatem. Denique, juxta Bedam, per hoc quod Christus ante prolationem sententiæ, et statim post eam, scripsit in terra, docemur ut antequam fratrem vel proximum judicemus, et postquam eum corripuimus, ad nos ipsos mentis oculum convertamus, discutiendo conscientias proprias, ne forte in similibus vel gravioribus vitiis simus culpabiles.

Audientes autem Scribæ et Pharisæi 9
sententiam Christi, *unus post alium exibant** de templo. Nam voce Salvatoris vel- * [incipientes a senioribus]
ut telo quodam percussa, confusa et victa
erant corda eorum agnoscentium propria
scelera : ideo verecundia quadam perfusi,
quum se invicem adspexissent, dejecto
capite egrediebantur. *Et remansit solus
Jesus, et mulier in medio stans.* Quomodo solus remansit, quum nec discipuli ejus, nec populus videatur egressus, nisi cum eo vel post eum? Dicendum, quod mansit solus, id est sine prædictis insidiatoribus, et mulier in medio stans, quia incerta fuit adhuc quid Jesus judicaret de ea.

Erigens autem se Jesus : per quam ere- 10
ctionem, suæ pietatis designatur respectus;
dixit ei, interrogando non ex ignorantia,
sed ut ad verba mulieris convenientius
responderet : *Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit,* id est,
lapidandam determinavit? *Quæ dixit : Ne-* 11
mo, Domine : quia confusi abierunt qui
eam accusaverunt. *Dixit autem Jesus,* cu-
jus miserationes super omnia opera ejus, Ps. cxliv, 9.
qui venit quærere et salvum facere quod Luc. xix, 10.
perierat : *Nec ego te condemnabo,* id est,
lapidandam dictabo, et si pœnitentiam egeris, non te condemnabo in hora mortis
tuæ, nec in die judicii. *Vade,* non solum
corporaliter recedendo, sed a pristinis ma-
lis te elongando, statum immutando, de Ps. lxxxiii, 8.
virtute in virtutem eundo, *et jam amplius
noli peccare,* id est, peccato non consentias, sed firmum propositum non peccandi
habeto. Unde ait alibi Salvator : Non ve- Luc. v, 32.
ni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam. Itaque, quod dixit, Nec ego te condemnabo, misericordiæ fuit; quod vero adjecit, Amplius noli peccare, fuit justitiæ. Dimisit ergo Salvator piissimus mu-
lieri huic pœnam et culpam, sicut et la- Ibid. xxiii, 43.
troni in cruce. Verumtamen ista forma
absolvendi, non est ad imitationem tra-

henda, sed satisfactio imponenda est confitenti, secundum exigentiam culpæ. Christus autem habuit potestatem excellentiæ in sacramentis, potuitque sine exteriori satisfactione, tantæ contritionis gratiam peccatrici huic infundere, quod sufficiebat ad remissionem culpæ pœnæque. Et forte prævidit quod mulier tam efficaciter emendatura fuit vitam suam, quod non oportuit ei specialem satisfactionem imponere.

12 *Iterum ergo locutus est eis,* puta discipulis, populo, et cunctis qui aderant, *Jesus, dicens : Ego sum lux mundi.* Hoc Christus adjecit, ad ostendendum quod sua absolutio qua absolvit adulteram, fuit idonea, eo quod ipse sit lux mundi intus purgans, illuminans atque perficiens. Denique Christus secundum quod Deus, est lux increata, æterna, infinita, superessentialis, fontana, omnem mentem creatam intus illustrans lumine naturæ, gratiæ, vel gloriæ. Secundum naturam quoque assum-
Joann. I, 9. ptam, est lux mundi, id est hominum universorum : lux, inquam, participata, non
Ibid. 14. substantialiter, sed propter plenitudinem gratiæ, sapientiæ et sanctitatis sibi infusæ:
Ibid. 16. de cujus plenitudine accipiendo illuminamur ab eo. Illuminavit autem mundum docendo, conversando, miracula faciendo.
Matth. V, 14. Apostolis quoque ait Salvator : Vos estis lux mundi. Sed illi erant lumina particularia, et ministerialia seu instrumentalia, quoniam unusquisque eorum aliquam partem hominum illustravit, tanquam minister summæ lucis. Christus vero est lumen universale ac principale. Tamen ut homo, fuit lumen instrumentale, sed aliter quam ceteri Sancti : quia humanitas Christi est instrumentum Divinitatis proprium et conjunctum, quemadmodum caro est instrumentum animæ eam informantis; alii autem Sancti sunt instrumenta separata Divinitatis atque communia, sicut securis est instrumentum artificis.

Qui sequitur me per fidem, dilectionem et operum exhibitionem. Quod ad omnem
I Joann. II, 6. pertinet Christianum, juxta illud : Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Et Paulus ad Ephesios : Imitatores Dei estote, et ambu- *Ephes.* V, 1, 2.
late in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. *Non ambulat,* id est, non conversatur, nec vivit, nec oblectatur, *in tenebris* ignorantiæ et peccati. De quibus tenebris habetur in Psalmo : Fiat via illorum te- *Ps.* XXXIV, 6.
nebræ et lubricum. Hinc itaque via, id est conversatio impiorum, dicitur tenebrosa, via autem justorum, clara et luminosa, secundum quod Salomon asserit : Via im- *Prov.* IV, 19, 18.
piorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt ; justorum autem semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem. *Sed habebit* pro præmio hujus imitationis, *lumen vitæ,* id est lumen gloriæ sempiternæ in patria : de quo canit Psalmista, In lumine tuo videbimus *Ps.* XXXV, 10.
lumen. Habebit quoque in patria pro objecto et præmio objectali, lumen increatum, sanctam et superbenedictam Trinitatem, quæ est origo omnis vitæ naturalis, gratiosæ, et gloriosæ.

Insuper, qui Christum sequitur, nunc habet vitæ lumen, videlicet Christum, per fidem, spem et dilectionem, quem in patria habiturus est per speciem, id est per claram visionem, tentionem et fruitionem, quæ sunt tres dotes animæ correspondentes tribus virtutibus theologicis. His namque virtutibus et dotibus habemus, tenemus et possidemus Deum in præsenti et in futuro, quoniam Deus sublimis et benedictus, tam bonus, amorosus et liberalis consistit, quod præstando nobis dona sua, præstat se ipsum, ita ut fiducialiter veraciterque dicamus : Deus noster ; et, Deus meus.

Itaque, qui non sequitur Christum, currit et pertinget ad tenebras gehennæ; qui vero sequitur eum, currit atque perveniet ad lumen vitæ claritatemque patriæ, quemadmodum Isaias promisit : Non erit tibi *Is.* LX, 19.
sol amplius ad lucendum per diem, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. — Quoniam Christus hoc loco asseruit, Ego sum lux mundi, Manichæi

Digitized by Google

dixerunt quod Christus esset sol iste visibilis : quod quam stultum sit, non oportet probare.

Postremo sciendum, quod quum de ratione luminis sit manifestare seu clarificare, juxta illud Apostoli, *Ephes.* v, 13. Omnia quæ arguuntur, a lumine manifestantur ; idcirco lumen seu lux proprie dicitur in spiritualibus ac divinis, quoniam manifestatio maxime spectat ad intellectum, in quo est veritatis inspectio. Hinc ergo Deus dicitur lux per essentiam, quia ab ipso omnis derivatur cognitio ; et nulla creatura est lux secundum perfectam lucis proprietatem ac rationem, sed solus Deus. Omnis enim creatura habet aliquid tenebrositatis, defectibilitatis et imperfectionis admixtum, quum sit dependens, finita et indigens. Deus vero gloriosus et fortis sic lumen est, ut non sit in eo aliquid non luciditatis, seu imperfectionis vel ignobilitatis. Propter quod ait Joannes in prima sua I *Joann.* I, 5. Canonica : Deus lux est, et tenebræ non sunt in eo ullæ.

13 *Dixerunt ergo ei Pharisæi.* Jam dictum est quod Scribæ et Pharisæi qui adulteram adduxerunt, egressi sunt. Isti igitur Pharisæi de quibus nunc agitur, alii fuerunt ab illis. *Tu de te ipso testimonium perhibes,* laudando tuam personam sublimi præconio, quali nullus Propheta vel Patriarcha commendavit se ipsum ; *testimonium tuum non est verum,* id est ratum et efficax, sed increpabile et suspectum, quum homo non sit bonus judex sui ipsius, nec morale est laudare se ipsum, *Prov.* XXVII, 2. quum Salomon protestetur : Laudet te alienus, et non os tuum ; extraneus, et non II *Cor.* X, 18. labia tua. Unde Apostolus : Non qui se ipsum commendat, ille probatus est. Idcirco, quum Paulus commendasset quo- *Ibid.* XII, 11. dammodo semetipsum, subjunxit : Factus sum insipiens, vos me coegistis ; ego enim a vobis debui commendari.

Sed quum hæc ita se habeant, quomodo salvatur quod Christus, cujus omnis actio nostra est instructio, recommendavit se ipsum ? Et respondendum, quod non so-A lum Christus, sed et multi Sanctorum Christi utriusque Testamenti, testimonium perhibuerunt de se, et laudaverunt se ipsos, non propter laudem humanam et gloriam vanam, sed ad Dei honorem et aliorum instructionem. Sic namque Prophetæ scribunt revelationes sibi divinitus factas, et quomodo Deus vel angeli eis locuti sunt. Et tale testimonium efficax fuit, quia ex multis aliis patuit verum esse quod asseruerunt, videlicet ex sanctitate conversationis et miraculis, ex effectu impletio-B nis, aliisque diversis indiciis certis : et ita non ipsi dumtaxat, sed et Deus perhibuit testimonium eis. Simili modo testimonium Christi de se ipso efficacissimum fuit, quia ex eminentia suæ sapientiæ, ex magnis ac infinitis suis prodigiis, ex sanctimonia vitæ, multisque aliis, patuit eum esse virum sanctum et justum, omni fide dignissimum. Auctoritates vero præmemoratæ intelligendæ sunt secundum communem cursum, et de his quibus aliunde testimonium sive præconium non perhibetur ; C itemque, de laude ad se ipsum, non ad Dei honorem proximorumque utilitatem relata : talis etenim laus procedit ex vanitate, non ex caritate.

Præterea ratio cur testimonium et præconium a se ipso prolatum non est idoneum, hæc est, quoniam cognitio hominis de se ipso est sæpe incerta et fallax, propter inordinatum atque privatum affectum ad se. Propter quod homo in multis complacet sibi, in quibus displicet aliis. Et quamvis cognitio sui sit aliquando cer-D ta, tamen judicium ex affectu præfato frequenter pervertitur, juxta illud : Amor et odium pervertunt judicium. Illud ergo judicium firmum est, quod ex certitudine notitiæ et rectitudine affectionis emanat. Christus autem virtus et sapientia Patris, I *Cor.* I, 24. perfecte cognovit et juste amavit se ipsum in omnibus : ideo testimonium suum de se exstitit firmum. Propter quod subditur :

14 *Respondit Jesus, et dixit eis : Etsi,* id est quamvis, vel quia, *ego testimonium perhibeo,* id est do, *de me ipso, verum est*

Digitized by Google

testimonium meum : quia scio, scientia
increata comprehensive, atque creata ap-
prehensive, *unde,* id est a quo, *veni,* utpo-
te Deum Patrem, a quo natus sum ab æter-
no, et a quo sum missus in tempore ; *et*
quo vado, id est eumdem Patrem, ad
quem cito revertar ascendendo ad cœ-
lum : et per consequens cognosco me ip-
sum, nec inordinate ad me ipsum afficior,
quia cognitio ista non est informis, nuda
et defectuosa. Dum enim principium rei et
finis ejus cognoscitur, ipsa quoque cogno-
scitur. Oportet scire, quod Christus secun-
dum utramque naturam exivit et venit a
Patre, ita quod Pater, secundum utram-
que naturam est principium Christi, origo
et fons ; sed reverti ad Patrem tanquam
ad finem, non competit Christo nisi se-
cundum naturam humanam, qua minor
est Patre, et distavit ab ipso quantum ad
corporis passibilitatem, rediitque ad eum,
a quo secundum divinitatem nusquam re-
cessit. Nihilo minus unigenitus Filius, se-
cundum divinitatem quoque ad Patrem
convertitur per contemplationem ac dile-
ctionem, sed non per dependentiam : sic-
que convertitur ad Patrem, tanquam ad
objectum æquale, non tanquam ad finem
superiorem ; sed ipse et Pater ac Spiri-
tus Sanctus sunt unus finis, in quem or-
Prov. xvi, 4. dinanda sunt omnia, quoniam omnia pro-
pter se ipsum operatus est Dominus, ut
Salomon ait.

Vos autem nescitis unde venio, id est
Patrem, a quo æternaliter gignor, et per
incarnationem missus sum, imo continuo
mittor, quoniam quidquid ago, ex ejus in-
spiratione inclinationeque ago. Fuit quippe
anima Christi donis Spiritus Sancti sum-
me repleta, per quæ in omni actione mo-
vebatur a Deo. *Aut quo vado,* id est, ter-
minum ad quem tendo nescitis, videlicet
Patrem, seu corporis glorificationem, et
sessionem ad dexteram Patris regnatio-
nemque in cœlis. Idcirco non potestis be-
ne judicare de me, quum non agnoscatis
me, quem purum hominem æstimatis. Pro-
pterea sequitur :

Vos secundum carnem judicatis, id est 15
secundum ea quæ foris apparent, secun-
dum sensum carnalem et vitiosum affe-
ctum, non secundum rectam rationem et
Spiritus Sancti directionem. Unde superi-
us dixit : Nolite secundum faciem judica- Joan. vii, 24.
re. Quoniam enim viderunt Jesum homi-
nibus similem foris quantum ad corporis
veritatem, passibilitatem, ceterosque in-
detrahibiles defectus, putabant quod esset
homo purus, neque liceret sibi de se te-
stimonium ferre. *Ego non judico quem-*
quam. Quid est hoc ? Nonne dicendo, Ego Vers. 12.
sum lux mundi, judicavit se ipsum judi-
cio approbationis et discretionis ? Itemque
dicendo, Vos secundum carnem judicatis,
judicavit Pharisæos judicio reprobationis
seu redargutionis. Superius quoque dixit
Salvator : Pater non judicat quemquam, Ibid. v, 22.
sed omne judicium dedit Filio. Sed horum
solutio aliqualiter patet ex his quæ dicta
sunt super illud : Non enim misit Pater Ibid. iii, 17.
Filium suum in mundum ut judicet mun-
dum, sed ut salvetur mundus per ipsum.
In primo enim suo adventu non exercuit
Christus judicium condemnationis et re-
munerationis, sed discretionis et incre-
pationis ordinatæ ad emendationem, non
ad pœnam. Itaque ait : Ego non judico
quemquam in primo meo adventu, judi-
cio finalis reprobationis ac remunerati-
onis, quia hoc fiet in secundo adventu.
Quidam exponunt sic : Ego non judico
quemquam, eo modo quo vos, o Phari-
sæi, puta secundum carnem.

Quod autem Christus aliquo modo judi-
caverit, constat ex eo quod subditur : *Et-* 16
si, id est quamvis et quia, *judico ego,* id
est, sententiam definitivam profero de me
ipso ac aliis, id est, quamvis judicium
discretionis enuntio, inter bonos et ma-
los discernendo, *judicium meum* tale *ve-*
rum est, id est rectum et efficax, *quia non*
sum solus, id est sine teste et conjudi-
cante, *sed ego* sum testans ac judicans, *et*
qui me misit Pater, id est, Deus Pater
mecum et in me est, mihi contestans at-
que conjudicans. In Trinitate enim non

Digitized by Google

est solitudo, quoniam unaquæque Persona A
est in alia circumincessibiliter et insepa-
rabiliter, et opera Trinitatis sunt indivisa.
Omne quoque quod egit Christus secun-
dum naturam assumptam, egit virtute Dei
Patris, imo totius Trinitatis operantis per
ipsum. Sic ergo Deus Pater approbavit et
contestabatur verum esse quidquid Filius
in humanitate judicavit. Propter quod Fi-
lius in judicando non fuit solus, nec sine
teste et conjudicante.

Ex his Christus ostendit auctoritate le-
gis et per locum a majori, quod testi- B
17 monium suum fuit idoneum. *Et in lege
vestra,* id est vobis per Moysen data, *scri-
ptum est, quia duorum hominum testi-
monium verum est,* id est, verum reputa-
tur, et firmitatem sortitur. Hoc sumptum
Deut. xix, 15. est ex eo quod Moyses ait : In ore duorum
vel trium testium stabit omne verbum. In
rebus enim requirenda est certitudo se-
cundum qualitatem materiæ subjectæ, se-
cundum Aristotelem et Boetium. Unde in
actibus humanis, ubi non est certitudo
demonstrativa, sufficit ut sint duo testes. C
Quamvis enim duo mentiri possint in te-
stificando, hoc tamen non contingit de
facili et frequenter. Propterea, quod ait,
Duorum hominum testimonium verum est,
non est sic intelligendum, quod sit semper
verum, sed quia reputatur idoneum. Ne-
III Reg. xxi, 10-13. que enim verum fuit testimonium duo-
rum filiorum Belial, ad quorum testimo-
Dan. xiii, 34-40, 43. nium lapidatus est Naboth; neque duorum
senum contra Susannam ; neque duorum
Matth. xxvi, 60, 61; qui in passione contra Christum testati
Marc. xiv, 58. sunt, dicentes : Nos audivimus eum dicen- D
18 tem : Possum destruere templum Dei. *Ego
sum qui testimonium perhibeo de me ip-
so,* Ego, inquiens, sum lux mundi; *et te-
stimonium perhibet de me qui misit me
Pater :* qui in baptismo et transfiguratio-
Matth. iii, 17; xvii, 5. ne dixit de me, Hic est Filius meus dile-
ctus; et per opera miraculosa in nomine
ejus facta, testimonium perhibet mihi;
itemque per Prophetarum scripturas, et
aliis pluribus modis.
19 *Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus?*

Putabant Jesum loqui de patre carnali, ideo ex contemptu cum irrisione interrogant ubinam sit. Quasi dicant : Tu scis quod Pater tuus sit tecum, et nos non videmus eum hoc loco : ne ergo videaris mentitus, dic ubi nunc sit. Sed quoniam malitiose et infideliter quæsierunt, ideo Dominus non respondit eis directe ad interrogatum, præsertim quoniam deteriores facti fuissent ex responsione aperta, sicut infra patebit.

Respondit Jesus : Neque me scitis, id est, non vere et intellectualiter me cognoscitis, præcipue secundum divinitatem, nec etiam secundum humanitatem ut a Verbo assumptam, quia putatis me purum hominem ex carnali commixtione progenitum, et vitiis subjacentem ad instar ceterorum. Noverunt tamen Christum quantum ad physionomiam, seu facialem notitiam, sicut superius dixit : Et me scitis, et unde sim scitis. Joann. vii, 28. Sed hæc erat omnino incompleta notitia. *Neque Patrem meum.* Quamvis enim Judæi noscerent Patrem per fidem, secundum rationem deitatis, vel quoad id quod est Deus, non tamen secundum proprietatem paternitatis, hoc est sub ratione relativa. Non enim habuerunt hi expressam fidem de Trinitate. Et quoniam Pater et Filius sunt correlativa, quorum unum per aliud definitur atque cognoscitur; idcirco qui nescit Filium, nescit et Patrem, et vice versa.

Si me sciretis fideli ac interiori notitia, sentiendo de me quia sim Filius Dei ac Virginis, *forsitan et Patrem meum sciretis* eodem modo quo me. Cognitio namque unius correlativi dependet ex cognitione alterius, quoniam per se invicem definiuntur, sicut dum dicimus : Pater est res habens filium, vel qui de sua substantia genuit filium; filius quoque est res habens patrem, vel ex substantia patris genitus. Quod ait, Forsitan, non dicitur dubitative, sed ad designandum arbitrii libertatem in credendo, et ut discamus sobrie, non pertinaciter, loqui. Imo hæc dictio, Forsitan, sæpe ponitur in Scriptu-

Digitized by Google

ris increpative, non dubitative : ut quum Job xxxvii, 18. dicitur in Job, Tu forsitan cum Deo fabricatus es cœlos. Hi ergo Judæi nullam divinam Personam noverunt secundum esse relativum, sed secundum esse absolutum, quoniam noverunt Deum per fidem, qui est substantialiter quælibet divina Persona, ac Trinitas tota. Propter Ps. lxxv, 2. quod fertur in Psalmo : Notus in Judæa Deus.

20 *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio.* Gazophylacium aliquando sumitur pro arca in qua oblationes pro ministrorum templi sustentatione ac templi reformatione ponebantur; aliquando vero, pro loco vel ædificio in quo fuit repositorium tale : sic modo accipitur. *Docens in templo :* quod est aptus locus pro cultu opereque divino. *Et nemo* adversariorum *apprehendit eum,* quamvis hoc sæpe proposuissent, *quia necdum venerat hora ejus,* id est tempus passioni dominicæ præordinatum, ante quod Jesus noluit comprehendi. Sicut enim oblatus est quia voluit, Is. liii, 7. sic ante prædictum tempus captus non est, quoniam noluit.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO SEQUENTIS PARTIS HUJUS CAPITULI OCTAVI, AB EO LOCO QUO HABETUR : EGO VADO, ET QUÆRETIS ME.

21 DIXIT *ergo iterum eis Jesus : Ego vado,* id est, per passionem, resurrectionem et ascensionem revertor ad Patrem, secundum naturam assumptam, cui competit ire atque redire; *et quæretis me,* id est, sæpe ante tempus passioni præfixum quæretis me capere et occidere. Vel, Quæretis me, id est, nomen meum et fidem christianam quæretis exstinguere, secundum quod dictum est a Jeremia in persona vestra : Jer. xi, 19. Eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur ultra. Vel, Quæretis me, id est, me in membris meis persecuturi estis post passionem, tribulando Apostolos ceterosque primitivæ Ecclesiæ filios. Unde et Paulo Act. ix, 4. persequenti locutus est Jesus : Quid me persequeris? *Et in peccato vestro moriemini* formaliter, id est, peccatum vestrum contra me erit mors animæ vestræ, quia mortale fuit, et causa damnationis vestræ. Vel, In peccato vestro moriemini morte corporali, id est, usque in finem perseverabitis in peccatis tanquam indurati in malo. Vel, In peccato vestro moriemini, id est, propter peccata vestræ perfidiæ et persecutionis in me, occidemini a Romanis : quemadmodum factum est tempore Titi et Vespasiani. *Quo ego vado,* puta ad patriam Patrisque dexteram, sessurus in throno gloriæ ejus, *vos non potestis venire,* quamdiu estis tales quales nunc estis. Peccata enim vestra separant inter Deum Is. lix, 2. et vos, et ipsa prohibent bonum a vobis. Jer. v, 25.

22 *Dicebant ergo Judæi : Numquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quo ego vado, vos non potestis venire?* id est, tam stulte loquitur, ut verisimile sit quod occidet se ipsum. Ecce quanta perversitas atque insania. Quid enim consequentiæ habet, Vadit quo nos non possumus eum sequi, ergo interficiet se? Imo interficientem se poterant sequi, inferendo sibi ipsis mortem nefariam. Passionati enim et invidi omnia interpretantur in pejus.

23 *Et dicebat eis : Vos deorsum estis,* id est de massa originali peccato infecta, de semine libidinoso, de conversatione terrena, et infimis rebus inhæretis. Vel, Deorsum estis, id est ex diabolo nati, non per

Digitized by Google

creationem vel susceptionem naturæ ab A
illo, sed per imitationem suæ malitiæ. Un-
I Joann. III, 8. de in prima Joannis Canonica dicitur : Qui
peccat, ex diabolo est; et per Sapientem,
Sap. II, 25. Imitantur autem illum qui sunt ex parte
Job XLI, 25. illius. Ipse nempe est pater super omnes
filios superbiæ. *Ego de supernis sum,* id
est natus a Deo Patre, et per incarnationis
mysterium descendi a summo cœlo; cor-
pus quoque meum supernaturaliter a Spi-
ritu Sancto formatum est ex purissimis
Virginis sanctæ sanguinibus.

Vos de mundo hoc estis, id est de nu- B
mero hominum mundanorum, de genera-
tione malorum, et pertinetis ad corpus
diaboli. De quo mundo Jacobus dicit :
Jacob. IV, 4. Amicitia hujus mundi inimica est Deo; et
I Joann. V, 19. Joannes, Mundus (inquit) totus in maligno
positus est. Noverat enim Christus quod
Rom. IX, 22. hi pertinebant ad vasa iræ, non ad nume-
rum electorum, secundum quod infra te-
Joann. XIII, 18. statur : Ego scio quos elegerim. *Ego non
sum de hoc mundo,* id est, ad sæcularium
hominum societatem non pertineo, nec
aliquid mundanæ vanitatis aut pravitatis C
in me habeo. Denique Christus secundum
quod Deus, non est de mundo, sumendo
mundum pro toto universo creato, quum
non sit pars ejus, sed conditor. Sed et se-
cundum humanitatem Verbo unitam, non
est de mundo, id est aliqua naturali vir-
Matth. I, 20. tute conceptus et genitus, sed de Spiritu
Sancto. Ceteri quoque electi non sunt de
mundo, ita quod ad mundanorum ac re-
proborum non pertinent sortem, secun-
Joann. XV, 19. dum quod infra loquitur Christus : Quia
de mundo non estis, sed ego elegi vos D
de mundo, propterea odit vos mundus.

24 *Dixi ergo vobis, quia moriemini in
peccatis vestris,* id est, quia ad reprobos
pertinetis, dixi quia in peccatis finaliter
perseverabitis atque peribitis. Quod di-
ctum est quantum ad certitudinem præ-
destinationis, per quam non aufertur li-
bertas hominibus. Unde ne omnem spem
eis auferret conditionalem, adjecit : *Si
Galat. V, 6. enim non credideritis* fide per dilectio-
nem operante, *quia ego sum* qui verum
plenumque esse habeo, id est Deus ve-
rus, cujus præcipuum ac proprium no-
men est esse, vel qui est : qui olim dixi
ad Moysen : Ego sum qui sum ; hæc di- Exod. III, 14.
ces filiis Israel, Qui est, misit me ad vos.
Deus namque est unum esse ideale ac
separatum, in quo est omnis plenitudo,
perfectio nobilitasque essendi. *Moriemini
in peccato vestro,* quoniam sine fide im- Hebr. XI, 6.
possibile est placere Deo. Vel sic : Si non
credideritis quia ego sum quem me esse
dico, videlicet Christus vobis promissus,
moriemini in peccatis vestris : quemad-
modum Moyses ait, Omnis qui non audi- Act. III, 23.
erit Prophetam illum, exterminabitur de
populo suo.

Dicebant ergo ei : Tu quis es, id est 25
cujus auctoritatis, qualis et quantus, ut
in te credamus? Non enim omni spiritui I Joann. IV, 1.
est credendum. Et qui cito credit, levis Eccli. XIX, 4.
est corde, falliturque frequenter. *Dixit
eis Jesus : Principium, qui et loquor vo-
bis,* id est, ego sum primum universorum
principium secundum naturam divinam,
tanquam Creator omnipotens, qui cum Pa-
tre et Spiritu Sancto sum unum princi-
pium, unus Creator, unusque finis omni-
um rerum. Qui loquor in Apocalypsi : Ego Apoc. I, 8; XXII, 13.
sum Alpha et Omega, primus et novis-
simus, principium et finis. Qui loquor
vobis per humanitatem assumptam. Quam-
vis enim Pater sit principium Filii, Filius
quoque principium Spiritus Sancti, su-
mendo principium personaliter; Pater ta-
men, Filius et Spiritus Sanctus sunt unum
principium totius creaturæ, sumendo prin-
cipium essentialiter seu absolute : quia
in tribus Personis, est una natura, quæ
est operationis origo, et una potentia, quæ
elicit actum. His verbis ostendit Christus
apertam suam veram divinitatem. Et quia
ratione divinitatis competit Christo judi-
ciaria potestas, ac judicare per auctorita-
tem; ratione vero assumptæ humanitatis,
per sententiæ prolationem seu judiciariæ
potestatis exsecutionem : ideo addit :

Multa habeo de vobis loqui, opera ve- 26
stra increpando et publicando, *et judi-*

Digitized by Google

care, vos ipsos reprobando, nisi conversi A fueritis ad me. Hoc erit in die judicii, Rom. xiv, 10; II Cor. v, 10. I Cor. iv, 5. Matth. xii, 36. quando omnes stabunt ante tribunal Christi, qui tunc illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, atque de omni verbo otioso exiget rationem, nil indiscussum relinquens. Verumtamen, an omnia ista fient vocali locutione, vel mentali dumtaxat, exstat incertum. Per hoc autem quod ait, Multa habeo de vobis judicare, insinuat quod judicium distulit usque ad secundum adventum, Ibid. xviii, 11. quia in primo venit salvare, non B reprobare seu condemnare.

Denique, quoniam paulo ante jam dixit, vers. 15. Ego non judico quemquam ; nunc vero asseruit, Multa habeo de vobis judicare : ne Judæi objicerent, Verba tua sibi invicem contraria sunt et mendosa, subdidit : *Sed qui me misit,* videlicet Pater æternus, *verax est* in se ipso, tanquam essentialiter veritas exemplaris, prima ac pura, verax quoque in verbis et promissis ; *et ego quæ audivi ab eo,* hoc est veritatem quam ab ipso accepi, *hæc loquor* C *in mundo,* id est, hominibus prædico, idcirco non mentior. Audire autem magis proprie competit Christo secundum humanitatem quam divinitatem. Nam, ut homo, audivit a Patre, id est, ex interna Patris inspiratione, aure cordis percepit, advertit ac didicit quidquid scit. Est enim locutio interior, quæ interiori auditu percipitur, qua Deus et angeli loquuntur ho- Zach. ii, 3. minibus. Unde et Zacharias ait : Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur. Nihilo minus, audire competit Christo se- D cundum divinitatem, immaterialiter et vere incomprehensibiliter. Sic enim audire Filii, est per generationem a Patre accipere totam sapientiam Patris.

27 *Et non cognoverunt* Judæi, *quia Patrem suum eis dicebat Deum,* sumendo Deum personaliter, non essentialiter. Per quod Evangelista declarat ruditatem et cæcitatem illorum. Carnales enim erant et I Cor. ii, 14. animales, non percipientes ea quæ Dei sunt.

Dixit ergo eis Jesus, hoc est illis quos 28 novit convertendos ad se. In hac enim turba fuerunt nonnulli electi, quibus prædixit ordinem conversionis eorum. *Quum exaltaveritis Filium hominis,* id est, postquam erexeritis et confixeritis me in patibulo crucis, *tunc cognoscetis quia ego sum* Christus, Filius Dei. Mox enim dum Christus spiritum tradidisset, visis mirabilibus quæ tempore suæ suspensionis fiebant in cœlo et in terra ab hora sexta usque nonam, multi compuncti sunt cor- Matth. xxvii, 54. de, et confitebantur Jesum fuisse verum et sanctum. Unde legitur in Luca : Omnis Luc. xxiii. 48. turba eorum qui aderant, viso terræ motu et his quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Similiter in die Pentecostes et postea, multa millia Judæo- Act. ii, 41; iv, 4. rum per prædicationem Apostolorum conversa sunt, in tantum quod etiam multa Ibid. vi, 7. turba sacerdotum obediebat fidei.

Et a me ipso facio nihil, id est, nil penitus ago nisi per virtutem mihi a Patre collatam, a quo habeo quidquid sum et habeo secundum utramque naturam ; *sed sicut docuit me Pater,* id est secundum sapientiam mihi a Patre communicatam, *hæc loquor* quæ loquor. Doceri autem magis convenit Christo in quantum est homo, quam secundum divinitatis naturam, quamvis et secundum hanc aliquo modo sibi conveniat. Filius enim Dei, qui ad hoc nostram assumpsit naturam, et inter Baruch iii, 38. nos conversari dignatus est, ut nos ad superbenedictæ Trinitatis cognitionem perduceret (juxta illud : Scimus quoniam Fi- I Joann. v, 20. lius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum verum), divina et incomprehensibilia quæ in sua puritate capere non valemus, dignatus est nobis exprimere modo humano, nobis proportionato et contemperato. Sicque emanationes divinarum Personarum ad intra æternas ac simplicissimas, reseravit per verba præteriti, præsentis futurique temporis, quæ tamen aliquam imperfectionem includunt ac innuunt in eo cui attribuuntur. Sed dum talia ad Deum transferimus,

Digitized by Google

debemus omnino auferre ab eis quidquid imperfectionis includunt. Itaque, dum Filius secundum naturam divinam dicit se audisse, vel quod Pater docuit eum, non debemus putare quod Filius sit aliquid aliud quam sapientia ipsius, vel quod sit secundum se quasi insipiens et indoctus, vel ante fuerit genitus, et postea doctus; sed ideo Pater dicitur eum docuisse, quoniam generando eum, communicavit ei omnem sapientiam suam, quæ est una numero in tribus Personis. Verum in omnibus locutionibus talibus, cavendum est ne aliquid potentialitatis aut dependentiæ æstimetur esse in Filio vel Spiritu Sancto : quoniam unaquæque divina hypostasis, est actus purus ensque simpliciter perfectum; et emanatio quæ est in Deo, non est nisi effluxio lucis a luce, actus ab actu, et Dei a Deo. In qua nullo modo non esse præcedit esse, sed est ibi processio entis perfecti ab ente perfecto.

29 *Et qui me misit, mecum est.* Pater enim inseparabiliter est in Filio secundum utramque ejus naturam. Est quippe in Filio secundum quod Filius est Deus, per identitatem essentiæ; sed in quantum est homo, est Pater in eo per specialissimam inhabitationem et singularissimam gratiam, intimam ac inseparabilem gratiæ unionem atque beatificam fruitionem. *Et non reliquit me solum,* quoniam inseparabiliter adest mihi. Cujus causa, vel potius signum, subjungitur :

Quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Filius etenim Dei, secundum naturam divinam fecit indesinenter quæ complacent Patri, a principio mundi, quoniam operatio Patris ac Filii ad extra est indivisa, estque amborum una voluntas atque potestas : unde quidquid facit unus, facit et alius, et summe complacet alteri. Propter quod supra locutus est Christus : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. (*Joann.* v, 17.) Porro, secundum naturam assumptam fecit Filius a principio incarnationis quæ complacent Patri, quia obedientissimus fuit voluntati divinæ, et in nullo (*Philipp.* II, 8.) discordabat voluntas humana a divina in Christo. Propter quod ait in Psalmo : In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam; Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei. (*Ps.* XXXIX, 8, 9.) Et infra testatur : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. (*Joann.* XIV, 31.) Factus est enim obediens usque ad mortem, secundum Apostolum. (*Philipp.* II, 8.) Et quoniam incarnatio Verbi ordinata fuit ad humani generis redemptionem, fecit Christus jugiter quæ sunt placita Patri, quoniam totum quod gessit, ad nostram salutem secundum Patris prædispositionem affectuosissime ordinavit. Hinc Pater ait per Isaiam de Christo : Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum. (*Is.* XLII, 1.) Hoc quoque sciendum, quod Filius Dei secundum naturam divinam agit, non facit, æternaliter quæ placita sunt Patri : quia cum Patre spirat Spiritum Sanctum, contemplatur et amat Patrem amore debito, diligitque Spiritum Sanctum amore gratuito, secundum Richardum.

Quomodocumque autem accipiatur quod ait Salvator, Ego quæ placita sunt ei facio semper, certum est quod factio ista non est causa a priori, hoc est causa agens principaliter seu meritorie, quod Pater est cum Filio, nec eum solum reliquit. Nam Pater est cum Filio æternaliter, ante omnem factionem seu operationem ad extra, loquendo de Filio secundum naturam divinam. Secundum naturam vero humanam, inseparabiliter unitus fuit Christus Patri totique supergloriosissimæ Trinitati, ante omnem operationem ac meritum ejus, loquendo de prioritate naturæ, non temporis. Itaque factio beneplaciti Patris, est causa a posteriori, vel signum, quod Pater est cum Filio, nec eum solum reliquit. Concordia namque in opere, unionis et amoris exstat indicium.

Hæc tam profunda, pulchra ac divina *illo loquente, multi* Judæorum audientium ea *crediderunt in eum.* Erat enim docens sicut potestatem habens, unicusque 30 (*Matth.* VII, 29.)

Digitized by Google

magister, qui non solum aures implevit,
intellectumque excitavit, sed etiam gratiam intelligendi infundere potuit, et infudit.

31 *Dicebat ergo Jesus ad eos qui crediderunt ei Judæos.* Superius dixi, quod licet secundum Augustinum distinctio sit inter credere in Christum, et credere Christo, tamen evangelista Joannes talem distinctionem non observat. Quum enim dixisset, Multi crediderunt in eum, de eisdem protinus addidit, Dicebat Jesus ad eos qui crediderunt ei Judæos. *Si vos manseritis in sermone meo,* id est, perseveranter credideritis, speraveritis, dilexeritis atque feceritis quæ prædico, jubeo, vel consulo, *vere* non ficte *discipuli mei eritis,* mihi acquiescendo ac obediendo. Verum enim discipulum oportet acquiescere ac parere.

32 *Et cognoscetis veritatem,* id est, me qui
Joann. xiv, 6. sum via, veritas et vita, cognoscetis in futuro per speciem, quem nunc cognoscitis per fidem. Perseverantia quippe meretur hoc præmium seu coronam. Unde
Ibid. 21. infra promittit Jesus : Manifestabo ei me
I Cor. xiii, 12. ipsum. Nunc enim cognoscimus per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Vel, Cognoscetis veritatem, id est, ea quæ spectant ad fidem, videlicet testimonia Scripturæ atque præcepta legis divinæ, quæ nunc per fidem aliqualiter cognoscere incepistis, in processu temporis plenius cognoscetis per dona Spiritus Sancti, et merito justæ conversationis, quæ specialem a Deo illuminationem meretur,
Eccli. i, 33. quemadmodum scriptum est : Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi. Vel, Cognoscetis veritatem, id est, quæ cognoscitis in via imperfecte solaque fide, cognoscetis in patria perfecte claraque specie, utpote superbenedictam Trinitatem, Verbi incarnationem, et cetera quæ sola nunc fide cognoscuntur. Propter quod dicit Apostolus : Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. (I Cor. xiii, 12.)

Et veritas, id est formata seu caritativa cognitio veritatis sub fide cadentis, nunc
A *liberabit,* id est, liberos faciet *vos* a servitute peccati ac dæmonis, et in resurrectione liberabit a servitute pœnæ et mortalitatis : quando, ut ait Apostolus, (Rom. viii, 21.) ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, et immutabuntur electi. Hinc (I Cor. xv, 51, 52.) Salomon ait : Per fidem purgantur peccata; (Prov. xv, 27.) et Deus in Psalmo, Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. (Ps. xc, 14.) Quid enim est purgari a vitiis et defendi a Deo, nisi a servitute peccati et diaboli liberari? Ista veritas, id est veritatis no-
B titia, liberat per modum causæ formalis informantis ac meritoriæ, sicut scientia liberat ab ignorantia; veritas autem quæ Christus est, liberat tanquam causa efficiens, gratiam influens. Nihilo minus Christus ut homo liberat, ut causa meritoria extrinseca; sed cognitio veritatis, ut causa meritoria intrinseca seu inhærens. Verumtamen est servitus caritatis, a qua nulla redimitur creatura, quoniam veræ libertati non derogat : imo Deo servire, regnare est. Et sicut dixit beatissima Aga-
C tha, Summa ingenuitas est servitus Christi.

His auditis, Judæi, qui de generis sui
nobilitate tumebant, indignati sunt, et *re- 33*
sponderunt ei : Semen Abrahæ sumus, id est filii tanti tamque liberi Patriarchæ, *et nemini servivimus unquam.* Secundum expositores communiter, falsum dicunt, quoniam patres eorum servierunt in Ægypto, in Babylone, et in propria terra diversis nationibus, ut patet in libro Judicum. (Judic. i, 1, 5, 14; iv, 2; vi, 1; x, 7, 8; xiii, 1.) Judæi quoque qui ista dixerunt, servierunt Romanis. Nec curo eos a men-
D dacio excusare, qui Christo summæ veritati contradixerunt. Tamen, quia Christus non redarguit eos in hoc quod asserebant, Nemini servivimus unquam, possit forsitan dici quod loquebantur de servitute naturali. Quod enim nationibus servierunt, fuit propter peccata eorum. *Quomodo tu dicis* nobis, *Liberi eritis?* Hoc enim Christus dixit quantum ad sensum, dicendo, Veritas liberabit vos. Tanquam dicerent : In verbo tuo supponitur quod simus servi : quod ita non est. Carnales

Digitized by Google

nempe putabant Jesum de temporali et
exteriori libertate profari. Ideo Jesus exponit eis de qua locutus sit libertate,
prout recitat Evangelista.

34 *Respondit eis Jesus : Amen, amen dico
vobis, quia omnis qui facit peccatum mortale : de veniali namque non loquitur,
quoniam caritatis libertatem non tollit;
servus est peccati, id est, peccato subjicitur, a vitio vincitur, secundum impetum pravæ inclinationis movetur quasi ab
extraneo, quemadmodum servus movetur
a domino cui subjicitur. Unde Petrus as-
II *Petr.* II, 19. serit : Iniqui servi sunt corruptionis; a
quo enim quis victus est, hujus et servus
Rom. VI, 12. est. Et Apostolus hortatur : Non regnet
peccatum in vestro mortali corpore, ut
obediatis concupiscentiis ejus. Denique,
serviendo peccatis servitur diabolo, et ab
eo quasi a domino, peccator ligatur, agi-
II *Tim.* II, 26. tatur ac regitur. Ideo dicit Apostolus : Resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi
tenentur ad ipsius voluntatem. De hujus-
Is. IX, 4. modi liberatione locutus est Isaias : Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus,
et sceptrum exactoris ejus superasti. —
Est ergo beata et appetenda libertas, qua
ab hujuscemodi vinculis liberamur, de
Prov. V, 22. quibus et Salomon fassus est : Iniquitates
suæ capient impium, et vinculis peccatorum suorum constringetur. Est quoque
infelix libertas, quæ est vera ac miserabilis servitus, per quam a vinculis legis
divinæ et jugo sanctæ obedientiæ nos ipsos eruimus, sicut cantatur in Psalmo in
Ps. II, 3. persona impiorum : Dirumpamus vincula
eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum. Et in Jeremia Dominus ait populo
Jer. II, 20. Judæorum : A sæculo confregisti jugum
meum, rupisti vincula mea, et dixisti, Non
serviam.

35 *Servus autem non manet in domo in
æternum; filius manet in æternum.* Hoc
frequenter sic est in hominibus, quod
servus conducticius non manet in domo
domini sui toto tempore vitæ suæ : et
quamvis interdum permaneat, non tamen
habet jus naturale ad hoc. Filius vero ma-
A net in domo parentum quamdiu vivit, si
velit, quoniam habet jus naturale ad hoc;
et post mortem parentum possidet domum. Sed iste non est sensus a Christo
intentus. Est igitur intellectus :

Servus autem servitute peccati, *non
manet in domo,* id est in Ecclesia mili-
tanti (de qua dicitur : Scias quomodo I *Tim.* III, 15.
oporteat te conversari in domo Dei, quæ
est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis), *in æternum :* quoniam
licet modo ad tempus mali commisceantur
B bonis in Ecclesia, finaliter tamen, præsertim in die judicii, separabuntur ab in-
vicem loco et præmio, quando hi ibunt *Matth.* XXV, 46.
in supplicium æternum, hi vero in vitam
æternam. Nunc quoque qui in peccato
mortali est, quamdiu hujusmodi est, non
manet spiritualiter in Ecclesia, quia per
caritatem non unitur membris Ecclesiæ,
nec ad mystici corporis pertinet actualiter unitatem. Si tamen est de numero electorum, pertinet ad mysticum corpus Christi secundum prædestinationem divinam,
C et convertetur, æternaliterque manebit in
domo Dei. Nam antequam moriatur, incorporabitur Christo atque Ecclesiæ, et sic
pertinget ad triumphantis Ecclesiæ perpetuam mansionem. Denique servus servitute timoris pure servilis, non manet
in domo seu congregatione electorum fidelium in æternum, nisi ad servitutem
amoris se transferat. Talis enim non est
in caritate, nec aliquid promeretur, quamvis quæ agit, ex genere bona sint. *Filius
manet in æternum.* Certum est quod Chri-
D stus Dei Filius naturalis et unicus, maneat
in domo Ecclesiæ triumphantis in æter-
num. Militanti quoque spopondit : Ecce *Ibid.* XXVIII, 20.
ego vobiscum sum omnibus diebus usque
ad consummationem sæculi. Et ad He-
bræos Apostolus dicit : Christus tanquam *Hebr.* III, 6.
filius in domo sua, quæ domus sumus
nos. Potest ergo universaliter accipi, ut
sit sensus : Filius enim quicumque a ser-
vitute peccati liber et alienus, qui spiri- *Rom.* VIII, 15.
tum adoptionis accipit, in quo clamat,
Abba (Pater), manet in domo Ecclesiæ in

Digitized by Google

æternum, quia per fidem et caritatem, quibus nunc manet in Ecclesia militanti, perveniet ad visionem et fruitionem per quas sine fine manebit in Ecclesia triumphanti.

Est autem et servus servitute caritatis, qui manet in domo in æternum : cui dici-
Matth. xxv, 21, 23. tur, Euge, serve bone, intra in gaudium Domini tui. Et est filius sola vocatione et nomine, qui non manet in domo in
Ibid. viii, 12. æternum, juxta illud : Filii regni ejicien-
Is. i, 2. tur in tenebras exteriores ; et illud, Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.

36 *Si ergo Filius* Dei naturalis, qui solus
Ps. lxxxvii, 6. est inter mortuos liber, et libere potuit
Joann. xiv, 30. dicere, Venit ad me princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam ; *vos*
I Petr. i, 18, 19. *liberaverit* a servitute peccati, non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine suo ; *vere liberi eritis,* id est ab omni violenta atque extranea dominatione immunes, et soli Deo per caritatem subjecti, imo et Filio naturali per gratiam
Rom. viii, 29. adoptionis conformes, quoniam filiatio adoptiva, naturalis filiationis est similitudo. Hæc libertas in prædestinatis nunc inchoatur per recessum a corruptione peccati, et in futuro perficietur atque complebitur, quando natura humana perfecte reformabitur, ablatis ab ea universis malis, pœnis ac miseriis propter originale peccatum inductis : quæ utique sunt grave jugum,
Eccli. xl, 1. de quo habetur in Ecclesiastico : Occupatio magna creata est hominibus, et jugum grave super omnes filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. In resurrectione ergo futura, consequentur electi merito Christi perfectam in anima et corpore integritatem, libertatem, et
Sap. vi, 20. incorruptionem, quæ facit proximum esse Deo, ut Sapiens ait. Propter quod etiam
Philipp. iii, 20, 21. dicit Apostolus : Salvatorem exspectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ.

Sed si vere liberi erunt quos Filius Dei liberavit, ergo omnes liberi erimus, quia
II Cor. v, 15. pro omnibus mortuus est Christus. Et re- A spondendum, quod Christus liberavit omnes sufficienter, id est, quantum in se est. Propter quod ait : Animam meam Joann. x, 15.
pono pro ovibus meis. Solos vero prædestinatos liberavit efficaciter. Hi enim finaliter consequuntur fructum, virtutem ac meritum dominicæ passionis, sicque veraciter liberi fiunt. Verumtamen ista libertas non aufert fidelibus servitutem exteriorem et subjectionem corporalem sub principibus terræ. Ideo enim jubet Apostolus : Cui tributum, tributum ; cui Rom. xiii, 7.
B vectigal, vectigal. Itemque : Servi, sub- Ephes. vi, 5.
diti estote dominis carnalibus cum omni timore.

Scio quia filii carnales *Abrahæ estis :* 37
sed quæritis me interficere. Superius dixit Evangelista, quod multi crediderunt in vers. 30, 31.
Jesum, et quod Jesus locutus est eis, Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cetera nunc commemorata : quomodo ergo nunc ait ad eos, Quæritis me interficere? Dicendum, quod inter prædictos credentes erant aliqui non creden-
C tes, ad quos sermo iste dirigitur. Sæpe enim Scriptura loquitur quasi ad eosdem, et tamen ad diversos referri oportet : sicut ait Apostolus, In omnibus divites facti I Cor. i, 5, 7.
estis in illo, ita quod nihil vobis desit in ulla gratia ; et post pauca quasi eisdem locutus est : Quum sit inter vos zelus et Ibid. iii, 3.
contentio, nonne carnales estis? Sed hoc refertur ad alios. Simili modo ait Psalmista : Quum occideret eos, quærebant Ps. lxxvii, 34.
eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. Qui enim occidebantur, non
D revertebantur diluculo. Ideo vero quæritis me interficere, *quia sermo meus non capit in vobis,* id est, corda vestra non apprehendit, convertendo illa ad me, nec operatur in vobis propter vestram malitiam, qui meam prædicationem humiliter non auditis, neque reverenter suscipitis. Beati quorum mentes capit et furatur sermo divinus, transferendo animas audientium extra se usque in Deum.

Ego quod vidi apud Patrem meum, 38
loquor, id est, veritatem quam in Patre

Digitized by Google

cognovi, quem videndo omnia æternaliter video, vobis annuntio. Vel, Quod vidi apud Patrem, id est, me ipsum, qui sum Joann. I, 2. Verbum quod erat in principio apud Deum, prædico vobis. Quælibet divina nempe Persona conspicit, non solum in se, sed etiam in alia, se ipsam et cuncta creata et creabilia. *Et vos quæ vidistis apud patrem vestrum,* id est mala quæ diabolo suggerente concepistis, *facitis,* non resistendo diabolicis tentamentis. Quamvis ergo iniqui non advertant se a diabolo agitari, tentari seu inclinari, dicuntur tamen in diabolo mala videre, quoniam interiori oculo inspiciunt et approbant quæ diabolus suggerit, proponens ea cum aliqua persuasione sub specie boni, in tantum ut homo sæpe existimet talia non a diabolo, sed ab angelo inspirata.

39 *Responderunt et dixerunt ei : Pater noster Abraham est.* Quasi dicant : faciendo opera patris tam sancti, non erramus, nec increpari meremur, sed potius tu, qui nobis improperas quod opera facimus quæ scimus facta ab illo. *Dicit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis* secundum perfectam rationem proprietatemque filii, cujus est patri assimilari, id est, si filii Abrahæ estis, non solum carnales per seminis propagationem, sed insuper spirituales per morum mutationem, *opera Abrahæ facite,* mansuete, patienter, caritative atque humiliter conversando ut Abraham, qui testimonio libri Genesis probatur fuisse valde mansuetus, patiens, caritativus et humilis. Maxime tamen Salvator intendit hortari Judæos ad imitandum fidem et obedientiam Abrahæ, qui teste Apostolo, Rom. IV, 18, 20. contra spem in spem credidit, et non hæsitavit in fide, et usque ad amantissimi Gen. XXII, 10. innocentisque filii occisionem paruit Deo.

40 *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis quam audivi a Deo. Hoc,* id est simile huic, *Abraham non fecit.* Non enim voluit ex malitia aliquem innocentem, vel nuntium Dei vera prædicantem, occidere, sed hospitalis fuit et plenus operibus caritatis. *Vos facitis opera patris vestri,* id 41
est opera vitiosa dæmoni placita, cujus malitiam imitamini quasi filii ejus.

Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati ; unum patrem habemus Deum. Hoc dixerunt de fornicatione spirituali, scilicet idololatria, per quam anima sponsa Verbi separatur a Sponso cœlesti. Unde Dominus loquitur Moysi : Populus iste fornicabitur post deos alienos. Deut. XXXI, 16. Et in Osee habetur : Fornicati sunt Osee IV, 12. a Deo suo. Videntes ergo Judæi quod Jesus loquebatur eis de alio patre quam patre carnali, videlicet de patre qui propter operis qualitatem asseritur pater, voluerunt ostendere quod essent filii Dei, non dæmonis. Itaque dicunt : *Nos ex fornicatione,* id est ex idololatria, *non sumus nati,* loquendo de nativitate quæ in operum imitatione consistit, ut possimus dici filii diaboli cui idololatræ serviunt, unde et filii ejus dicuntur ; *unum patrem habemus Deum* creatorem et provisorem nostrum, cujus legem cærimoniasque servamus : de quo Moyses testatur, Numquid Deut. XXXII, 6. non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te ? Deum igitur nominant patrem, non solum ratione creationis, sed propter specialem providentiam qua gubernavit populum Israel tanquam electum et peculiarem, et propter cultum latriæ quem ei soli impenderunt. Propter quod in Isaia inducitur : Et nunc, Do- Is. LXIV, 8. mine, pater noster es tu, nos vero lutum. Et in Jeremia Dominus contestatur : Fa- Jer. XXXI, 9. ctus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus meus.

42 *Dixit ergo eis Jesus : Si Deus pater vester esset* eo modo quo dicitis, scilicet per cultum ei placentem, ex caritate procedentem, et operum imitationem, quomodo fuit pater sanctorum Patriarcharum ac Prophetarum, *diligeretis utique me,* quem ex odio vultis occidere. *Ego enim ex Deo processi et veni.* Si loquamur de Deo personaliter, tunc Christus processit ex Deo, id est, ex Patre per generationem æternam manavit, juxta illud Michææ : Egres- Mich. V, 2.

Digitized by Google

sus ejus a principio, a diebus æternitatis; et in Psalmo, Ex utero ante luciferum genui te. (Ps. cix, 3.) Et venit ab eo, id est, per incarnationis mysterium descendit in mundum missus a Patre. Si vero loquamur de Deo essentialiter, sicut loquebantur isti Judæi qui Trinitatis notitia caruerunt, tunc Christus secundum naturam assumptam processit ex Deo Trinitate per animæ suæ creationem et corporis supernaturalem informationem, et venit tanquam minister illius. De quo Deus ait : Ecce intelliget servus meus, et exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde. (Is. lii, 13.) *Neque enim a me ipso veni,* id est propria voluntate dumtaxat, vel voluntate humana, tanquam causa prima ac principali. Nihilo minus Christus secundum quod Deus, misit se ipsum secundum quod homo. Incarnatio enim facta est a tota Trinitate : incarnatio autem est missio Filii. Hoc superius dictum est plenius. *Sed ille me misit.* Qui autem diligit Patrem, diligit Filium ; et qui amat mittentem ac Dominum, amat missum atque ministrum. Quoniam ergo Judæi non dilexerunt Christum Dei Filium, legatum et servum, palam quod nec Patrem vel Deum dilexerunt.

43 *Quare loquelam meam non cognoscitis?* id est, cur non intelligitis verba mea? cur ex qualitate prædicationis meæ, ex profunditate et efficacia eloquii mei, non attenditis quod vere sim missus a Deo, et loquens verba illius? Solet enim homo cognosci ex verbis suis : et quoniam nunquam locutus est homo sicut Jesus, (Joann. vii, 46.) debebant auditores illius loquelam ejus pensare, quod non esset nisi divina ac regis Messiæ. Hoc Christus interrogavit increpando Judæos. Moxque respondet instruendo eos : *quia non potestis audire sermonem meum :* id est, idcirco non intelligitis verba mea, quoniam propter rancorem et displicentiam quam concepistis adversum me eo quod increpem vitia vestra, sic obcæcati induratique estis, quod non potestis æquanimiter audire et recte judicare verba mea; sed statim dum loquor, pas-

A siones oriuntur in vobis, et induratur cor vestrum, ne humiliter penset quæ prædico. Qui enim odit alium odio magno, quidquid agit vel loquitur ille, displicet odienti. Propter quod legitur in Michæa : Numquid vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum? (Mich. iii, 1, 2.) Et Sapiens ait : Excæcavit eos malitia eorum. (Sap. ii, 21.)

Deinde Christus aperte ostendit quid per patrem Judæorum perversorum intellexerit. *Vos ex patre diabolo estis,* non per creationem vel generationem, ut Manichæi 44
B mentiti sunt, sed per malitiæ imitationem. Diabolus enim est pater super omnes filios superbiæ, ut dicitur in Job. (Job xli, 25.) Judæi autem valde pomposi fuerunt, præsertim propter generis dignitatem, et quia præ ceteris gentibus legem a Deo acceperunt : unde alios populos reputaverunt pro nihilo. Similiter diabolus est pater super omnes filios invidiæ. Invidia nempe diaboli mors introivit in orbem terrarum, et imitantur eum qui sunt ex parte illius. (Sap. ii, 24, 25.) *Et desideria patris vestri vultis facere,*
C id est, malas affectiones diaboli quas habet in se, quas etiam ingerit vobis, vultis perducere ad effectum, persequendo et occidendo me, ceteraque peccata patrando quæ Apostolus vocat opera carnis, ut sunt furta, adulteria, blasphemia, contentiones, iræ, rixæ, æmulationes, atque similia, quæ ad Galatas Paulus enumerat : (Galat. v, 19-21.) de quibus ait Joannes in prima sua Canonica, In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. (I Joann. iii, 8.)

Deinde Christus declarat mala diaboli,
D et ostendit quare et qualiter Judæi imitati sunt illum. *Ille,* puta diabolus primus seu Lucifer, *homicida erat,* id est spiritualis occisor interioris hominis, scilicet animarum primorum parentum, *ab initio,* id est a principio operum sex dierum, videlicet a tempore formationis Adæ et Evæ : quia ut patet in Genesi, serpens, hoc est diabolus per serpentem, decepit Evam, et per illam induxit Adam ad inobedientiam, (Gen. iii, 1-6, 13.) sicque uterque eorum peccavit mortaliter, et tota posteritas infecta est, et

Digitized by Google

quodammodo interfecta, operante diabolo. A Est enim homo exterior, et homo interior, dicente Apostolo : Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Si ergo homicida est qui vile et corruptibile corpus occidit, auferendo vitam naturæ, quanto amplius homicida censendus est qui animam immortalem, nobilem, Dei imagine refulgentem, interficit, auferendo vitam gratiæ ? Unde quicumque pravo exemplo, vel suggestione pestifera, aut alio modo, hominem inducit ad peccatum mortale, homicida vocatur, præsertim quum anima sit principalior pars hominis, per quam ponitur homo in specie, vivificatur, gubernatur, et a brutis distinguitur. Præterea elucescit ex his, quod toties homicidium facimus, manusque sacrilegas in nos ipsos injicimus, quoties peccamus mortaliter, quia tot letalia vulnera animabus nostris infligimus. Nec solum homicidam vocat Scriptura, qui corpus interimit animamve occidit ; sed etiam, ut ait Joannes in sua Canonica, Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.

II *Cor.* IV, 16.

I *Joann.* III, 15.

Deinde ponit aliud malum diaboli. *Et in veritate non stetit,* id est, in veritate justitiæ, in recta ratione, in vera obedientia non permansit. Statim enim ut creatus est, cernens se tantæ excellentiæ et decoris præ aliis angelis, intumuit, aliosque quos potuit sibi attraxit, et contra Creatorem se erigens : In cœlum (inquit) conscendam, supra astra cœli exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Fuit equidem creatus in magna perfectione et dignitate, in maxima sapientia, in naturali justitia, imo et in gratia, secundum opinionem probabilem, et per consequens in caritate ; sed non stetit in his, victus propria elatione, ex consideratione eminentiæ suæ, et quia præ cunctis angelorum ordinibus eminebat. Sed non vidit Deum per speciem : aliter fuisset confirmatus in bono. Novit tamen Deum esse unum ac trinum : non naturali ingenio, sed per fidem, secundum quosdam. Fuerunt enim angeli omnes creati in fide, secundum Thomam. Hinc per Ezechielem apostatæ angelo dicitur : Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti ; omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Tu Cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei. Elevatum est cor tuum in decore tuo, repleta sunt interiora tua iniquitate, et ejeci te de monte sancto Dei, et perdidi te, o Cherub, de medio B lapidum ignitorum, et in terram projeci te. De casu quoque angelorum scribitur Judæ primo, et in secunda Petri.

Is. XIV, 13, 14.

Ezech. XXVIII, 12-14, 16, 17.

Judæ 6.
II *Petr.* II, 4.

Quia veritas justitiæ, id est æquitas seu vera notitia per approbationem virtutis et veritatis ipsius amorem, *non est in eo,* id est diabolo et satellitibus ejus, a momento quo peccaverunt. A veritate enim aversi sunt sponte, et falsitati iniquitatis inhæserunt. Fuit tamen et est in eis veritas naturæ, quoniam naturaliter mali C non sunt. Et teste sancto atque divino Dionysio, naturalia in dæmonibus integra permanserunt : propter quod veram cognitionem, etiam vehementer profundam, habent de Deo et creaturis. Sed omnibus bonis abutuntur, et veritatem secundum se non amant : quin potius, convertunt eam ad hominum seductionem, quia et si bona veraque dicant, propterea dicunt, ut tandem mala et falsa ingerendo seducant. Transfigurant quippe se in angelos lucis : ideoque egemus gratia discretionis D spirituum, ne ignoremus cogitationes et machinationes eorum.

II *Cor.* XI, 14.

Quum loquitur diabolus *mendacium, ex propriis loquitur,* id est ex malis habitibus atque nequitiis quibus in se plenus est, et quos primus invenit, concepit, et in alios genuit. A Deo namque sortitus est esse et intelligere; sed peccatum propria voluntate incepit, non aliunde inductus ad malum, ut dæmones inferiores et primi parentes. *Quia mendax est.* Mentitus est enim dicendo : Similis ero Al-

Is. XIV, 14.

Digitized by Google

tissimo; itemque dicendo ad mulierem, Gen. III, 4, 5. Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, scientes bonum et malum. *Et pater ejus,* id est primus inventor et actor men- Ps. XXVI, 12. dacii. Mentita est autem iniquitas sibi, et ipse ad falsitatem angelos hominesque induxit. Quemadmodum vero triplex est veritas, utpote vitæ, justitiæ, et doctrinæ; sic est triplex mendacium triformi veritati oppositum, scilicet mendacium pravæ actionis, injustitia, et error, omniumque mendaciorum istorum pater exstat diabolus primus. Manichæi ponentes duo principia rerum, videlicet Deum lucis, et Deum tenebrarum, dixerunt quod diabolus esset mendax, et pater ejus, id est creator diaboli, etiam esset mendax. Sed ita intelligendum non est verbum Evangelistæ.

45 *Ego autem quia veritatem dico,* vera docendo, et vestra facinora veraciter arguendo, *non creditis mihi :* in quo patet quod sitis ex patre diabolo, qui in veritate non stetit, et mendacia ex propriis loquitur : cui et consentitis.

ARTICULUS XXIII

EXPLANATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI OCTAVI : QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO?

SUPERIUS redarguit Christus Judæorum incredulitatem et vitia, eo quod sibi non crediderint, neque obedire voluerint. Nunc ostendit se fide dignum, eo quod culpam non habeat.

46 *Quis ex vobis,* o Scribæ, et Pharisæi, et sacerdotes, *arguet me* veraciter *de peccato* quocumque, magno vel parvo, mortali vel veniali, originali vel personali? Frequenter utique arguerunt Jesum de peccato, Joann. V, 18; VIII, 13; IX, 16. dicentes, quod sabbatum violaret, et de se ipso mendosum testimonium perhiberet; sed mendaciter id fecerunt. Innuit ergo Salvator vitam suam fuisse prorsus irreprehensibilem, seque omni peccato carere. Christus enim secundum naturam divinam, essentialiter sanctus est, virtus Sap. VII, 26. virtutum et puritas infinita, tanquam candor lucis æternæ, et speculum sine macula majestatis paternæ. Porro secundum naturam assumptam, confirmatus fuit in bono ab incarnationis exordio, non solum propter beatificam animæ suæ fruitionem in Deo, sed multo amplius propter hypostaticam unionem cum Verbo, propter quam habuit omnium divinorum charismatum plenitudinem, gratiamque tam perfectam, quod major creaturæ communicari non potest. Unde secundum utramque naturam dici potest Sanctus Sanctorum, quia et sanctitas ejus creata omnium creaturarum sanctitatem simul sumptam excedit. Propter quod de ipso legitur apud Isaiam : Iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Is. LIII, 9.

Decuit autem Christum ut hominem esse sine omni peccato, non solum propter unionem cum Verbo, sed insuper quia salvator, mediator et advocatus totius generis humani. Hebr. II, 15; I Joann. II, 1, 2. Si enim et ipse peccatum haberet, non esset idoneus omnes Deo reconciliare, et per se ipsum immediate ad Deum accedere, sed mediatore egeret. Idem quoque decuit propter privilegium sacerdotii ejus. Fuit enim primus et summus sacerdos, cujus hostia et obsequium non fuissent Deo perfecte accepta et ad satisfaciendum idonea, si et ipse subjacuisset peccato. Propter quod dicit Apostolus : Talis decebat ut esset nobis pontifex, Hebr. VII, 26. sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cœlis factus.

Digitized by Google

Si, pro Quia, *veritatem dico,* evangelicam legem prædicando, et vestra piacula increpando, futura atque secreta elucidando, *quare vos non creditis mihi?* quasi dicat : In hoc irrationabiliter facitis, quum
Eccli. VI, 36. scriptum sit : Quum videris sensatum,
Ibid. XIX, 4. statim evigila ad illum. Sicut autem levitatis est statim credere indifferenter, sic duritiæ est non credere, dum sufficientia signa veritatis apparent. Quamvis vero doctrina Christi fuerit omnino insolita atque incomprehensibilis, propter quod nec sa faciliter recipienda fuit; tamen tanta tamque evidentissima argumenta patuerunt quod ipse esset verus Christus, verus ma-
Joann. I, 19-34. gister et sanctus (puta testimonium Joannis Baptistæ, vaticinia Prophetarum, miracula Christi discipulorumque ejus, constantia ejus pro veritatis defensione, et zelus justitiæ), quod inexcusabiles erant Judæi de sua perfidia.

47 *Qui est ex Deo* per prædestinationem æternam, per gratiæ reformationem, per bonitatis divinæ imitationem, *verba Dei audit,* non solum auribus corporis, sed etiam mentis, id est, verba divina libenter audit, memoriter tenet, diligenter adim-
Ps. CXVIII, 11. plet : quemadmodum ait Psalmista, In corde meo abscondi eloquia tua, ut non pec-
Ibid. 72. cem tibi; et rursus, Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti. Hinc scri-
Eccli. V, 13. ptum est : Esto mansuetus ad audiendum
Jacob. I, 19. verbum Dei; et iterum, Sit omnis homo velox ad audiendum. *Propterea vos non auditis* verba Dei auribus interioribus, id est, humiliter, reverenter et affectuose non recipitis verba divina quæ loquor, *quia ex Deo non estis* (modo prætacto). Omnes quidem, imo et omnia, sunt ex Deo tanquam ex causa efficienti, exemplari atque
Rom. XI, 36. finali, dicente Apostolo : Ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia. Sed non omnes sunt ex Deo per spiritualem reformationem, per gratiæ conservationem, per divinam electionem. Qui enim sic est ex Deo, manet in eo, secundum quod ait
I Joann. III, 9. Joannes in sua Canonica : Qui natus est ex Deo non peccat, quoniam semen Dei
A manet in eo. Denique unusquisque libenter audit loqui de re quam diligit. Qui ergo diligit Deum et vitam beatam, verba Dei libenter audit, et affectuose conservat. Et in hoc salus nostra consistit, secundum quod ait Salvator : Beati qui audiunt ver- Luc. XI, 28.
bum Dei et custodiunt illud. Debemus ergo verba sacra cum magna attentione, intima affectione, humili reverentia legere, audire et proferre, tanquam epistolas nobis divinitus missas.

In his verbis dedit nobis Salvator sa-
B luberrimum documentum, maximam consolationem grandemque pœnitendi occasionem. Dicendo enim, Qui est ex Deo, etc., inter bonos et malos, inter electos reprobosque distinxit. Fidelibus quoque et timoratis, licet certitudinaliter nesciant an Eccle. IX, 1.
sint digni amore vel odio, contulit magnam spem confidendi quod sunt in statu salutis et filii Dei, quia experiuntur se verba Dei libenter audire, frequenter revolvere, et custodire. Propter quod probabiliter scire possunt quod sint in caritate
C et gratia, secundum quod ait Apostolus : Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui Rom. VIII, 16.
nostro quod filii Dei sumus. Præterea, ex verbis his datur unicuique nostrum aperta et prompta occasio discutiendi se ipsum, an ad Deum pertineat. Dum enim audimus Christum dixisse, Qui ex Deo est, verba Dei audit, protinus admonemur nos ipsos investigare et sollicite indagare an verba Dei audimus amando et obediendo.

Postremo, quam diligenter et indesinenter conservanda sint verba Dei, patet ex
D eo quod Moyses scripsit : Erunt verba Do- Deut. VI, 6. 9.
mini in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens; et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ.

Responderunt igitur Judæi, et dixerunt 48
ei : Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, id est hæreticus quidam, *et dæmonium habes,* cujus relatione et ad-

Digitized by Google

jutorio dicis et facis alta ac mira, quæ alii te facere et dicere putant virtute divina? Samaritani erant natione gentiles, sed conversatione semijudæi, quoniam libros Moysis receperunt, et se circumciderunt. Noverant autem isti Judæi quod Jesus esset natione Judæus; sed ex contemptu appellabant eum Samaritanum, id est in parte legis observatorem, et in parte transgressorem. Sicque reputabant eum hæreticum : velut si nunc alicui diceremus : Hussita es tu.

Secundum Gregorium, Christus non negavit se esse Samaritanum, sed hoc verum est quantum ad nominis interpretationem : non tamen admisit se esse Samaritanum eo modo quo Judæi sibi id imposuerunt. Samaritanus quippe interpretatur custos. Christus vero est custos electorum
Ps. cxiv, 6. suorum : de quo Psalmista testatur, Cu-
Is. xxi, 11. stodiens parvulos Dominus; et Isaias, Custos, quid de nocte? Dixerunt quoque Christum habere dæmonium, non quod esset obsessus et amens, sed quod haberet occultum fœdus cum aliquo dæmone, imo cum summo diabolo, puta Beelzebub, se-
Luc. xi, 15. cundum quod alibi dixisse leguntur : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Hoc ergo perversi dixerunt, quoniam aliter salvare non poterant quomodo tot mirabilia facere, totque secreta et futura reserare, et tam subtilia ac profunda docere, non instructus ab homine, posset, nisi quod vel a Deo vel a diabolo hæc haberet. Noluerunt autem credere quod haberet ea a Deo, propter nimiam displicentiam atque invidiam quam conceperunt in eum : ideo omnia talia deputabant diabolo, quemadmodum magi et arrepticii atque pythones mira aliqua et occulta operantur ac pandunt. Sed in hoc elucescit Judæorum intoleranda perversitas. Nam multa miracula Christi omnem naturalem potestatem transcenderunt, et tota doctrina et conversatio ejus repugnabant diabolo. Propter quod subditur :

49 *Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo* cooperatorem et familiarem : omnia tamen dæmonia mihi subjecta sunt. *Sed honorifico Patrem meum,* id est, verbo et opere, in omnibus exhibeo honorem, cultum et obedientiam Deo Patri, secundum quod homo sum : ex quo patet sanctitas vitæ meæ, et quod cum dæmonibus non concordo; sed eorum cultum destruo, idololatriam reprobo, vitia damno, hominesque ad Deum converto, ut eum in omnibus toto corde diligant ac honorent. *Et vos inhonorastis me,* id est, contempsistis, et falsa mihi imposuistis, opera Dei adscribentes diabolo. Et in hoc peccaverunt in Spiritum Sanctum. Ecce quam patienter et mansuete Filius Dei, tanta accepta injuria, respondebat : quia ut Petrus testatur, Quum malediceretur, non maledice- *I Petr.* ii, 23.
bat. Discamus et nos ejus exemplo, non *I Thess.* v, 15.
reddere malum pro malo, non vinci a proprio animo, non passionari. Hoc facit facile qui non quærit propriam laudem gloriamque mundanam, qui privatum exstinxit amorem, et gaudet adversis. Nempe, ut ait S. Hieronymus, qui non quærit gloriam, non sentit contumeliam. Magnum est de nullo gaudere, nisi per quod promovemur apud Deum; de nullo quoque dolere, nisi per quod a Deo abducimur.

Et ne Judæi dicerent Christo, Inaniter
te excusas, adjecit : *Ego non quæro glo-* 50
riam meam. Simile est quod supra ait :
Claritatem ab hominibus non accipio. Quod *Joann.* v, 41.
quomodo verum sit, illic diligenter tractatum est. Certum est enim quod Christus jubet se adorari, honorari, suisque verbis in omnibus obediri : trium enim Personarum una est gloria. Verum Christus secundum quod homo, non quæsivit gloriam sæcularem, mundanum honorem, vel aliquam vanitatem, sicut opinabantur Judæi. Incomparabiliter igitur minus spectat ad nos vilissimos peccatores quærere gloriam propriam, velle dominari, præesse, glorificari. Unde ex animo dicamus cum Apo-
stolo : Soli Deo honor et gloria. *Est qui* *I Tim.* i, 17.
quærat et judicet, id est, Deus Pater vel Trinitas requiret a vobis quod non glorificastis me tanquam verum Filium Dei, et

Digitized by Google

de hoc judicabit vos judicio condemnationis. Pater enim requirit et vult Filium
Joann. v, 23. suum glorificari ab omnibus : idcirco qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem. Unde in Daniele scriptum est,
Dan. vii, 13, 14. quod Antiquus dierum, videlicet Pater æternus, dedit ei potestatem, honorem et
Joann. v, 22. regnum. Superius dixit Salvator : Pater non judicat quemquam. Quomodo ergo nunc ait de Patre, Est qui quærat et judicet? Respondendum, quod in judicio duo considerantur, videlicet ipsa discretio boni a malo, et prolatio sententiæ. Quantum ad primum, judicat Pater seu Trinitas tantum per auctoritatem; quantum ad secundum, judicat Christus secun-
Ibidem. dum naturam assumptam, ut dictum est plenius supra.

51 *Amen, amen,* id est vere, vere, *dico vobis*. Ingeminat, Amen, ad ampliorem certitudinem. *Si quis sermonem meum servaverit,* per fidem et caritatem, id est, verbis meis fideliter obedierit, *mortem non videbit in æternum,* id est, nunquam experietur seu sentiet mortem spiritualem : quia nec in præsenti privabitur vita gratiæ, nec in futuro vita gloriæ, et nec pœnam sensus nec pœnam damni in in-
Sap. v, 16. ferno habebit. Justi enim in perpetuum vivent, ut Sapiens ait. Videre, in Scripturis ad omnes sensus refertur, et ad sensitivam atque intellectivam notitiam. Unde nunc sumitur pro gustare, vel experiri seu pati. Sic quoque accipitur in Psalmo,
Ps. xv, 10. quo dicitur : Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Denique, ut habetur
Luc. viii, 11. in Luca, Semen est verbum Dei. Quemadmodum ergo in corporalibus rebus qui semen custodit in terra, pertingit ad fructum; sic qui servat verbum Christi in corde, continuo tendit tandemque pertingit ad fructum seminis hujus, qui est vita æterna. Propter quod Salomon admonet :
Prov. vii, 2. Serva mandata et legem quasi pupillam oculi tui; liga eam in digitis tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam.

52 *Dixerunt ergo ei Judæi* carnales, præinducta verba de morte naturali ac cor-
A porali intelligentes : *Nunc cognovimus quia dæmonium habes,* id est, tam insensate tamque manifeste mendaciter loqueris, quod qui paulo ante opinabamur te dæmonium habere, illoque instigante stultissime loqui, nunc certi sumus de hoc. Et hoc probant. *Abraham mortuus est* morte corporali, quum esset centum sep- *Gen.* xxv, 7, 8. — *Ibid.* 9.
tuaginta quinque annorum; sepelieruntque eum Isaac et Ismael filii ejus, ut in Genesi dicitur; *et Prophetæ* mortui sunt. Quasi dicant : Tam sanctus patriarcha bea-
B tissimique Prophetæ, qui sermones Dei impleverunt, mortui sunt. *Et tu* filius fa- *Matth.* xiii, 55.
bri ac pauperis feminæ, *dicis : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.* Tanquam dicant : Intolerabilis est præsumptio tua, quia sic loqueris ac si verba tua essent amplioris efficaciæ quam verba Dei, et tibi obedientes beatiores essent Abraham ac Prophetis ceterisque Dei ministris, qui non obstante observatione divinorum verborum, defuncti noscuntur.

C *Numquid tu major,* id est sanctior, *es* 53
*patre nostro Abraham** (qui amicus Dei *[*qui mortuus est*]
vocatus est, sicut per Isaiam Dominus loquitur, Semen Abraham amici mei)? qua- *Is.* xli, 8.
si dicant, Nequaquam. Loquuntur ergo de spirituali magnitudine, quæ præsertim in sapientia et virtute consistit. Unde in spiritualibus idem est esse majorem et meliorem. Ideo Deus, in quo nulla est quantitas, major est omnibus rebus in infinitum. Mira cæcitas Judæorum. Experimentaliter enim constabat, quod Jesus in gratia pro-
D phetiæ, in altitudine sapientiæ, in efficacia miraculorum, in conversatione spiritualium operum, excessit Abraham patriarcham. Sed omnia ista adscripserunt diabolo, quum tamen nec diabolo constent futura pure contingentia cordiumque secreta, sed soli Deo : quæ Christus ubertim prædixit ac reseravit. Unde per Isaiam Dominus ait : Quæ ventura sunt annun- *Ibid.* 23.
tiate, et sciemus quia dii estis vos. *Et Prophetæ mortui sunt :* id est, quomodo tu qui inferior es Abraham et Prophetis

Digitized by Google

defunctis, citoque moriturus, aliis immortalitatem promittere audes? *Quem te ipsum facis?* id est, qualem vel quantum affirmas et reputas te, quem videmus esse hominem mortalem similem nobis? quasi dicant : Multum inaniter magnificas te ipsum.

54 *Respondit Jesus,* excusando se de tanto facinore : *Si ego glorifico,* id est, gloriosum seu magnum dico, *me ipsum* inordinate atque carnaliter, non sub ordine sapientiæ Dei, secundum quod mihi imponitis, *gloria mea,* id est dignitas quam mihi adscribo, *nihil est,* id est nullius reputationis, vana et falsa. Christus utique Joann. viii, 12. dicendo, Ego sum lux mundi, et multa similia, glorificavit se ; sed non inordinate, prout Judæi ei imposuerunt. Idcirco respondet ad intentionem ipsorum.

Est Pater meus cœlestis *qui glorificat,* id est, gloriosum ostendit, *me,* dicendo, Matth. iii, 17; xvii, 5. Hic est Filius meus dilectus, et per opera miraculosa, Prophetarum quoque eloquia. Denique Pater glorificavit, id est, beatum fecit Christum, secundum naturam assumptam, conferendo animæ ejus beatificam fruitionem. Nec mirum si Filius asserat se glorificari a Patre, quum infra Filius Joann. xvii, 4. dicat ad Patrem : Ego te clarificavi super terram. Et in libris Regum Deus locutus I Reg. ii, 30. est : Qui glorificaverit me, glorificabo eum. *Quem,* id est de quo Patre meo, *vos dicitis quia Deus noster est* per creationem et gubernationem, et per dilectionem et honorationem nostram ad eum. Quamvis enim Judæi Trinitatis mysterium ignorantes, non dixerint Deum Patrem esse Deum ipsorum, loquendo de Patre secundum quod Pater ; tamen id quod est Pater, videlicet Deum absolute acceptum, dixerunt esse Deum suum.

55 *Et non cognovistis eum :* quoniam Patrem non cognoverunt secundum proprietatem relativam et propriam patris rationem, nec Deum cognoverunt cognitione formata, sed informi. Non enim obedierunt ejus præceptis: Ideo factis eum negabant, quemadmodum de impiis dicit A Apostolus : Confitentur se nosse Deum, Tit. i, 16. factis autem negant, quum sint abominati et reprobi. Unde Joannes ait in sua epistola : In hoc scimus quoniam cognovimus I Joann. ii, 3. Deum, si mandata ejus observamus. De tali formata notitia dicit Apostolus : Si I Cor. xiv, 38. quis ignorat, ignorabitur. Porro de cognitione informi ait : Quum cognovissent Rom. i, 21. Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.

Ego autem novi eum, secundum utramB que meam naturam : quia ut Deus, cognosco eum per comprehensionem perfectam ; et ut homo, cognosco eum notitia beatæ fruitionis per speciem. Tali nempe notitia novit anima Christi Deum Patrem seu Trinitatem indesinenter, in somno et vigilia : quia per somnum aliasque corporales occupationes, actiones et passiones, non impediebatur anima Christi ab interiori cognitione ac dilectione Dei, sed jugiter erat in actu. *Et sermonem ejus servo* memoriter et obedienter, secundum C naturam humanam. Non enim negligentia vel oblivio locum habebat in Christo. *Et si dixero quia non scio eum,* id est, quod Patrem non cognosco : quod impossibile est me dicere, sicut impossibile est me mentiri ; *ero similis vobis, mendax,* qui multa mendacia fingitis contra me ; *sed scio eum, et sermonem ejus servo* (ut dictum est).

Paulo ante dixerunt Judæi : Numquid tu major es patre nostro Abraham? Ad hoc Christus modo respondet : *Abraham* 56
D *pater vester,* secundum carnalem propaginem, non secundum fidei atque virtutum parilitatem, *exsultavit,* id est, spiritualiter lætabatur, *ut videret,* id est de hoc quod visurus erat, *diem meum,* id est tempus adventus mei seu incarnationis. Facta enim sibi promissione quod Christum in spiritu cerneret, ejusque mysteria nosceret, cordialiter exsultavit. *Vidit,* id est, per spiritum prophetiæ cognovit diem adventus mei, vel me tunc venturum, *et gavisus est.* Cognovit enim Filium

Digitized by Google

Dei in fine sæculorum incarnandum, quum A
Gen. xxii, 18. dictum est ei : In semine tuo benedicentur omnes gentes. Nec dubium quin ipse, aliique Prophetæ et Patriarchæ multa noverunt per revelationem divinam, de Christo ejusque adventu atque mysteriis, quæ non sunt descripta. An tamen Abraham novit determinate tempus adventus
Dan. ix, 24-27. Christi, ut Daniel, qui determinavit hebdomades dominicæ passionis, certum non habeo. Potest quoque intelligi de die æternitatis Christi : quæ dies aliud non est nisi ipsa æternitas, seu Deus æternus. Hu- B
jus diei beatificam visionem in claritate patriæ electorum, Deus promisit Abrahæ :
Gen. xv, 1. Ego (inquiens) protector tuus et merces tua magna nimis. Hanc diem vidit Abraham in via per fidem, tendebat ad eam per spem, exsultavit in ejus præstolatione per caritatem. Hinc quoque dicit Aposto-
Hebr. xi, 10. lus : Exspectabat Abraham fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.

Sed his obviare videtur quod Christus
Matth. xiii, 17. alibi ait discipulis suis : Multi Prophetæ C
et justi cupierunt videre quæ vos videtis, et non viderunt. Hoc enim apparet tam bene dictum de Abraham sicut de aliis Prophetis ac justis. Et respondendum, quod Christus loquitur ibi de visione intellectuali conjuncta visioni exteriori,
Ibidem. quemadmodum plenius demonstravi super Matthæum. Sic autem Abraham non vidit diem et opera Christi, seu Christum in carne, nec alii Prophetæ ante Christi incarnationem defuncti.

57 *Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quin-* D
quaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Christus dixit quod Abraham vidit diem suum; et ipsi sic repetunt : Abraham vidisti? quia qua ratione verificaretur unum, verificaretur et reliquum. Quasi dicant : Si Abraham vidit diem tuum, ergo contemporanei exstitistis, et vos invicem conspexistis : quod patet falsum, quum nondum sortitus sis annos quinquaginta. Potius autem dixerunt, Abraham vidisti? quam, Abraham vidit te? quasi magnum esset Jesu vidisse Abraham patriarcham, et non econtra, reputantes Abraham multo majorem Jesu. — Quæritur, cur nominaverunt annos quinquaginta, quum Jesus multo junior esset. Aliqui dicunt, quod a casu, quia sic occurrebat eis. Alii dicunt, quod propter reverentiam jubilæi, qui fuit quinquagesimus annus. Lev. xxv, 10, 11.
Quasi dicant : Necdum attigisti unum jubilæum, et Abraham vidisti, qui pene per duo millia annorum dormivit cum patribus suis? Quidam dicunt, quod Christus, propter jejunia et labores et propter nimiam maturitatem, videbatur multo senior quam fuit. Unde ait in Psalmo : Genua Ps. cviii, 24.
mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum. Ego opinor quod ideo tantum excrementum annorum expresserunt, ut insinuarent quam plane ac facile possent falsificare verba Christi. Quasi dicant : Dato quod haberes multo plures annos quam habes, nihilo minus falsum esset quod dixisti Abraham te vidisse.

Erraverunt autem isti obtenebrati Judæi dupliciter : primo, quod verbum Christi de corporali visione intellexerunt; secundo, quod solum in Christo humanam nativitatem pensabant, putantes quod nequaquam fuisset prior sua matre. Hujus
secundi falsitatem reprobat Christus. *Di-* 58
xit eis Jesus : Amen, amen dico vobis. Mitis humilisque magister semper patienter cum tranquillitate respondet, non commotus illorum injuriis. Hoc enim præcipue pertinet ad prædicatorem sive doctorem verbi Dei, quia ut Salomon loquitur : Do- Prov. xix, 11.
ctrina viri per patientiam noscitur; et non Ibid. xii, 21.
contristabit justum quidquid ei acciderit. Propterea apud Gregorium : Tanto convincitur quisque minus doctus, quanto minus patiens. *Antequam Abraham fieret,* id est, crearetur quantum ad animam, vel generaretur quantum ad totum compositum, *ego sum* in natura divinitatis æternaliter, invariabiliterque subsisto. Porro dicendo, Ego sum, ostendit suam æternitatem, quæ nec præteritum habet neque

Digitized by Google

futurum, sed omne tempus ambit, includit, excedit. Ipse est qui olim locutus
Exod. III, 14. est Moysi : Ego sum qui sum. Unde ad
Hebr. XIII, 8. Hebræos legitur : Jesus heri et hodie, ipse et in sæcula. Ipse namque est Sapientia
Eccli. XXIV, 5. quæ in Ecclesiastico protestatur : Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.

59 *Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum,* obruendo eum lapidibus tanquam
Lev. XXIV, 16. blasphemum. Lex quippe præcepit blasphemos lapidari. *Jesus autem abscondit se,* non retro maceriam seu columnam ; sed, Abscondit se, id est, divina potestate præbuit se invisibilem Judæis, non discipulis suis, quia secuti sunt eum. Potest autem absconsio ista dupliciter intelligi : Primo, quod percussit eos cæcitate quæ dicitur acrisia, qua aliquid non videtur, quum tamen alia videantur, vel si videtur, non tamen cognoscitur : qua percussi
Gen. XIX, 11; IV Reg. VI, 18. fuerunt Sodomitæ, et Syri ad instantiam Elisei, ut legitur in Genesi et in libris

A Regum. Secundo, quod Jesus divina virtute fecit ne color corporis sui immutaret visum Judæorum. Imo hoc potuit virtute animæ suæ, quæ habuit perfectum dominium supra proprium corpus. Nam et animæ Beatorum corporibus glorificatis unitæ, facere possunt propria corpora visibilia uni, et invisibilia alteri. Corpora enim hujusmodi sunt in plenissima obedientia animarum Deo fruentium. *Et exivit de templo* Jerusalem. Exivit autem pergendo per medium illorum, quemad-

B modum transiit per medium civium suorum eum præcipitare volentium, ut Lucas recitat. Luc. IV, 30. Noluit enim adhuc occidi, quoniam nondum venit hora quam propriæ passioni prævidit, præfixit, elegit. Per quod dedit exemplum fidelibus, quod sæpe possunt se persecutoribus suis occultare, quando videlicet fides aliorum non periclitatur, nec grande scandalum oritur pusillorum, nec justitia ipsa exstinguitur.

ARTICULUS XXIV

EXPOSITIO CAPITULI NONI : ET PRÆTERIENS JESUS, VIDIT HOMINEM CÆCUM A NATIVITATE.

QUIA in superiori capitulo multa incomprehensibilia ac divina Christus de se ipso asseruit, quæ Judæi non intelligentes, voluerunt eum quasi blasphemum lapidare ; idcirco nunc convenienter recitatur miraculum omnino divinum, quod naturali virtute effici nequit, quatenus per hoc confirmetur supernaturalis doctrina jam præinducta. Præmissæ enim correspondere et proportionari debent conclusioni. Propterea supernaturalis veritas fidei, per supernaturalia argumenta, hoc est per opera miraculosa, ostenditur.

1 *Et præteriens Jesus,* hoc est, locum circa templum pertransiens, *vidit* diligenti intuitu oculi corporalis, pio quoque re-

C spectu divinæ miserationis, *hominem cæcum a nativitate,* nomine Cedonium : qui postea cum Maria Magdalene, Martha, Maximino et Lazaro, a Judæa expulsus est, sicut habetur in legenda Mariæ Magdalene. Cæcus autem a nativitate non potest de coloribus judicare, quia orbatus a nativitate aliquo sensu, caret notitia sensibilium illius sensus. Ex quo concludit Aristoteles, quod nostra notitia intellectiva non est concreata, sed a sensu originata, atque ex prævia cognitione sensitiva

D causata. — Mystice, quando Judæi increduli Christum repulerunt, ejus discipulos atque Apostolos a suis finibus expellendo, conversus est Jesus, et oculo pietatis

Digitized by Google

adspexit populum gentilem penitus cæcum et in tenebris natum ac enutritum, eumque per Apostolorum prædicationem et gratiæ infusionem edocuit. Propter quod *Act.* XIII, 46, 47. Paulus et Barnabas dicunt Judæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei ; sed quoniam repulistis illud, ecce convertimur ad gentes : sic enim præcepit nobis Dominus. In Isaia quoque Dominus ad *Is.* XLII, 6, 7. Christum ait : Dedi te in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum.

2 *Et interrogaverunt eum discipuli ejus.* Ex quo viderunt Jesum diligenter intueri hunc cæcum, quasi aliquid circa eum acturus, sciscitati sunt magistrum discipuli. *Rabbi, quis peccavit, hic* cæcus, *aut parentes ejus, ut,* hoc est propter quod peccatum, *cæcus nasceretur ?* Discipuli isti præsupponebant quod pœna non infligitur rationali creaturæ, nisi propter culpam, quum pœna sit præmium culpæ. Et hoc aliquo modo verum est, quia nisi originale peccatum præcessisset, sequentes pœnæ hominibus inflictæ non essent. Non tamen omnis pœna propter originale peccatum inducitur, quasi in vindictam illius, nec propter actuale peccatum patientis, sed et propter alias causas, ut jam dicetur.

Videntur autem discipuli interrogasse, ac si putassent hominem antequam nasceretur peccasse, quemadmodum Platonici et Origenes dixerunt animas hominum simul creatas a principio mundi in cœlo, illicque peccasse, et ob id corporibus quasi carceribus alligatas in ultionem peccatorum vitæ alterius sæculi. Sed hoc disciputi non putabant, neque a Christo hoc didicerunt ; sed quum essent rudes et simplices, simpliciter quæsierunt. Potest tamen eorum inquisitio colorari dupliciter : primo, ut intelligantur quæsisse de peccato originali ipsius cæci ; secundo, ut intelligantur interrogasse de peccato ejus futuro, videlicet an Deus universa prænoscens, fecerit eum cæcum propter iniquitates ejus futuras. Est namque quorumdam opinio, quod Deus interdum dat

A præmium ante meritum, scilicet propter meritum futurum.

Considerandum vero, quod punitio consistit in subtractione alicujus boni et inflictione mali. Bonum autem est duplex, et malum similiter. Est enim bonum spirituale ad animam pertinens, scilicet gratia, virtus, et dona Spiritus Sancti. Aliud est bonum corporale, ut sanitas, divitiæ. Unus ergo non punitur propter peccatum alterius, in privatione spiritualium bonorum et inflictione oppositorum malorum, sed B in privatione corporalium bonorum. Cujus ratio est, quoniam unus punitur propter peccatum alterius, in quantum est aliquid ejus, ita quod pœna ejus redundat in illum propter quem punitur : sicut punitur populus propter regem, et filius propter parentes, quemadmodum in libris Regum et Paralipomenon legitur populus Judæorum percussus propter numerationem factam seu fieri jussam a David. *II Reg.* XXIV, 1-15, 17 ; *I Par.* XXI, 1-14, 17. Unus autem non est aliquid alterius quantum ad animam, quoniam anima simplex est, C et immediate a Deo creatur atque infunditur. Unde per Ezechielem Dominus loquitur : Omnes animæ meæ sunt ; sicut anima filii, sic anima patris. *Ezech.* XVIII, 4. Sed quantum ad corpus, filius est aliquid parentum, tanquam de eorum semine natus, et populus est aliquid principis. Ideo propter peccatum unius, alter quandoque punitur, vel in corpore per infirmitatem, vel in membris per monstruositatem. Quandoque enim nascuntur filii monstruosi propter peccata parentum, qui in filiis D talibus affliguntur ac puniuntur, vel in exterioribus bonis, vel in subditis.

Per hanc distinctionem concordantur Scripturæ quæ prima facie videntur contrariæ. Illæ enim quæ asserunt filios puniri propter parentes, intelligendæ sunt de punitione in corporalibus bonis quæ subtrahuntur, et corporalibus malis quæ infliguntur : ut quum Moyses ait in Exodo, Dominator Domine, qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam generationem. *Exod.* XXXIV, 6, 7. Et apud Jeremi-

Jer. xxxii, 17, 18. am : Domine Deus, qui facis misericor- A
diam in millibus, et reddis iniquitatem
patrum in sinum filiorum post eos. Porro
auctoritates quæ dicunt oppositum, intel-
liguntur de punitione in spiritualibus bo-
nis (talis enim punitio non ordinaretur
ad bonum puniti), ut per Ezechielem in-
Ezech. xviii, 20. ducitur : Filius non portabit iniquitatem
patris, et pater non portabit iniquitatem
filii. Hinc apud eumdem Dominus incre-
Ibid. 2. pat filios Israel dicentes : Patres come-
derunt uvam acerbam, et dentes filiorum
obstupuerunt.
3 *Respondit Jesus : Neque hic peccavit,
neque parentes ejus,* peccato de quo vos
inquiritis, id est, tale crimen non com-
miserunt, propter quod iste natus est cæ-
cus. Non ergo vult Christus dicere, quod
nullatenus peccaverunt : quoniam Salo-
Eccle. vii, 21. mone testante, Non est homo super ter-
ram qui faciat bonum et non peccet; et
Jacob. iii, 2. Jacobus, In multis (inquit) offendimus
omnes. Sed intentioni discipulorum re-
spondit, qui de certo peccato interroga-
verunt. *Sed ut manifestentur opera Dei*
in illo, id est, ideo natus est cæcus, ut
miraculosa opera a me in eo fiant, ad ma-
nifestationem divinæ potentiæ atque ad
gloriam Creatoris. Ponit autem Salvator
plurale pro singulari, quia per opera Dei,
designat supernaturalem illuminationem
cæci istius. Vel potest pluraliter accipi,
intelligendo per opera Dei, omnia quæ
ad illuminationem hujus cæci concurre-
bant, videlicet linitionem oculorum ejus
ex sputo, etc.

Denique, secundum doctores sex modis
flagellat Dominus hominem : Primo, pro-
pter meritorum augmentum, et ad virtutis
probationem seu manifestationem, quem-
Tob. ii, 12. admodum Job et Tobiam : secundum quod
Job xxiii, 10. Job ait, Probavit me Dominus quasi au-
rum quod per ignem transit; et Tobiæ
Tob. xii, 13. dicitur, Quia acceptus eras Deo, necesse
fuit ut tentatio probaret te. Secundo, pro-
pter virtutum spiritualiumque bonorum
custodiam, ne propter superbiam amit-
II *Cor.* xii, 7. tantur : ut Paulum, qui profitetur, Ne
magnitudo revelationum extollat me, da-
tus est mihi angelus Satanæ. Tertio, ut
virtus divina manifestetur ad gloriam Cre-
atoris : ut hunc cæcum, et Lazarum, qui
ideo obiit, ut a Christo ad gloriam Dei
suscitaretur, sicut infra Salvator testatur :
Infirmitas hæc non est ad mortem, sed *Joann.* xi, 4.
pro gloria Dei, ut clarificetur Filius ho-
minis per eam. Quarto, propter peccata,
ut per pœnam inflictam purgentur, ex-
pientur, seu dimittantur : ut paralyticum,
de quo dictum est quinto capitulo, et *Ibid.* v, 5-14.
B Mariam sororem Moysis, filios quoque Is- *Num.* xii, 1-10.
rael in deserto, ut aliqui dicunt. Quinto,
propter nimia scelera, ut futura atque
æterna pœna in præsenti quodammodo
inchoetur : ut Antiochum, et Herodem, II *Mach.* ix, 7-18; *Act.* xii, 23.
Sodomitas, Dathan et Abiron et Core. Se-
xto, propter divini consilii dispensatio- *Gen.* xix, 13, 24, 25.
nem, ad satisfaciendum pro aliis : sicut *Num.* xvi, 1, 2, 31-33.
Christum, juxta illud Isaiæ, Propter sce- *Is.* liii, 8.
lus populi mei percussi eum.

Me oportet, non aliqua coactione, sed 4
magna utilitate atque immobili compla-
C centia, et propter invariabilem dispositio-
nem ordinationis divinæ, a qua deviare
non possum, *operari opera ejus qui me*
misit, hoc est opera Dei Patris quæ per
me fieri decrevit, quæ ordinantur vel per-
tinent ad humani generis liberationem,
videlicet signa per quæ homines sciunt
me esse Filium Dei et convertuntur ad
me, cetera quoque opera sancta et vir-
tuosa quæ pro nostra salute Christus fe-
cit, docendo, orando, discurrendo. Opera
autem miraculosa, sunt opera Patris vel
D Trinitatis, tanquam principalis actoris : de
quo cantatur, Benedictus Dominus Deus *Ps.* lxxi, 18.
Israel, qui facit mirabilia solus. Et sunt
opera Christi hominis, tanquam instru-
mentaliter exsequentis. Unde infra ait :
Pater in me manens, ipse facit opera. *Do-* *Joann.* xiv, 10.
nec dies est, hoc est, quamdiu in mundo
visibiliter maneo, cum hominibus conver-
sando. Quemadmodum enim sol materia-
lis sua præsentia causat diem, et sua ab-
sentia noctem, sic Christus præsentialiter
exsistendo in mundo in humanitate as-

sumpta, tanquam sol intelligentiæ solque justitiæ, fecit diem specialis gratiæ spi-
Is. iv, 2. ritualem. De qua die loquitur Isaias : In die illa erit germen Domini in gloria et
Zach. ii, 11. magnificentia ; et Zacharias, In die illa applicabuntur gentes multæ ad Dominum. Dies ista præsertim consistit in cordibus divino lumine illustratis, duravitque a Christi nativitate usque ad ejus ascensionem.

Verum, quoniam Christus etiam post ascensionem operabatur opus nostræ salutis, mittendo Paracletum, et per Apostolos faciendo miracula, imo per eos ceterosque discipulos atque vicarios suos multos illuminando et convertendo, quod et nunc agit, et usque sæculi finem facturus est ; ideo potest hoc modo exponi : *Me oportet operari opera ejus qui me misit,* hoc est miseris subvenire, peccatores convertere, infirma sanare, debilia confortare, electos custodire, *donec dies est,* hoc est durante tempore gratiæ seu vita præsenti sub evangelica lege. De quo tem-
Is. xlix, 8. pore per Isaiam Dominus asserit : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis
II Cor. vi, 2. adjuvi te ; et Apostolus, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

Venit, id est, incessabiliter appropinquat, *nox,* id est finis vitæ præsentis, vel hora judicii, *quando nemo potest operari,* id est meritorie agere, quoniam via finita est status. Quum ergo hæc vita sit via et cursus ad aliam vitam, nemo potest post hanc vitam mereri vel pœnitere. In hora quoque judicii erit tempus præmiorum, non meritorum. Non ergo indulta pœnitentiæ tempora negligamus, non diem aliquem infructuose perdamus ; sed juxta
Eccle. ix, 10. Salomonis doctrinam, quodcumque potest manus nostra instanter operemur, quoniam cito erit terminus vitæ istius.

5 *Quamdiu in mundo sum,* id est, inter homines corporaliter vivo et ambulo, *lux sum mundi,* id est, hominum corda illustro verbo prædicationis, exemplo conversationis, signis divinæ virtutis. Sed nonne Salvator semper in mundo est ? vel post

A ascensionem desiit esse lux hominum ? Non utique, quoniam ipse ait apud Mat-
thæum : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. xxviii, 20.
Est autem Christus in hoc mundo inferiori et cum fidelibus, per majestatem deitatis, per Sacramentum proprii corporis et sanguinis, atque per spiritualem inhabitationem qua mentes devotas per caritatem et cetera gratiæ dona inhabitat. Denique, post ascensionem magis illuminavit mundum quam ante, tam Apostolos
B quam alios per Apostolos. Dixit enim Apostolis ante passionem : Expedit vobis ut Joann. xvi, 7.
ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos. Ante ascensionem quoque non illuminavit nisi Judæos et aliquas gentes illis vicinas ; post ascensionem vero, universum mundum. Nihilo minus quamdiu fuit in mundo modo prætacto, fuit lux mundi specialiter, utpote per se ipsum immediate homines illustrando.

Hæc quum dixisset Jesus, *exspuit in* 6
C *terram, et fecit lutum ex sputo* et terra seu pulvere, *et linivit lutum super oculos ejus,* id est super organum clausum hujus cæci, *et dixit ei : Vade, lava* oculos 7
in natatoria, id est piscina vel aqua, *Siloe* (*quod* nomen Hebraicum *interpretatur missus*). Siloe fons fuit oriens in pede montis Sion, descendensque in vallem Josaphat : cujus aqua in quodam stagno recepta atque collecta non longe a monte Sion, vocata est natatoria Siloe, id est piscina ex fonte illo collecta.

D Quærendum est diligenter, cur Christus sapientia Patris, nihil sine legitima causa efficiens, qui potuit solo nutu, solo verbo, solo imperio, cæco huic visum præstare, ita non fecit, sed juxta ordinem explicatum, exspuendo fecit lutum, quo unxit oculos cæci, quem misit ad aquas Siloe ad lavandum. Et respondendum, quod non sine grandi mysterio, non sine mystica ratione id contigit. Nempe, per exteriora ista quæ fecit, insinuavit quo modo et ordine interior oculus illustretur. Ex-

Digitized by Google

spuitio ergo in terram, figuravit effusio- A
nem divinæ sapientiæ super corda huma-
na : quoniam per salivam, qua gustus
cibos dijudicat et lingua verba pronuntiat,
sapientia designatur, quæ præstat in re-
bus divinis saporem, et linguam erudit
ad loquendum quæ Dei sunt cum discre-
tione rectissima, prout docet Apostolus :
Coloss. IV, 6. Sermo vester semper in gratia sale sit
conditus. Lutum vero est cor humanum,
Gen. VIII, 21. quoniam sensus et cogitatio hominis pro-
ni sunt in malum, et ad terrena jugiter
inclinantur, nisi cor ipsum divina gratia B
perfundatur ac elevetur. Propter quod
mentes peccatorum dicuntur carnales, non
per essentiam, sed inclinationem et in-
hæsionem. Præterea, per linitionem luti
istius super oculos cæci, designatur un-
ctio spiritualis qua Verbum incarnatum,
vel homo quicumque divina sapientia il-
lustratus, docet intellectum fratris seu
proximi sui, applicando radium sapien-
tiæ Dei ad certam personam. Quo facto
jubetur homo ire, id est a vitiis ad vir-
Ps. LXXXIII, 8. tutes migrare, atque de virtute in virtu- C
tem procedere, ne infusam sapientiam
perdat; et lavare oculos suos in natato-
ria Siloe, id est cor suum ab omni vitio-
rum caligine atque ignorantiæ cæcitate in
fonte sapientiæ, scilicet Christo, purgare,
quatenus sciat se sine virtute et gratia
Christi et sine dominicæ passionis merito,
nil posse, secundum quod infra testatur :
Joann. XV, 5. Sine me nihil potestis facere. Christus
enim quum sit Sapientia incarnata missa
in mundum, recte per natatoriam Siloe,
quæ interpretatur missus, exprimitur. Po- D
test quoque per natatoriam hanc, fons
lacrimarum ex vera compunctione vel pa-
triæ desiderio emanantium designari, in
quibus anima ab omni macula purifica-
tur ; vel certe Baptismus, quantum ad
catechumenos bene instructos atque con-
tritos. Ad insinuandum ergo quod ista ad
interioris oculi perfectam illustrationem
requiruntur, fecit Christus quæ dicta sunt.

Alii dicunt, ut Chrysostomus, quod fecit
lutum, ad ostendendum quod ipse sit qui
in exordio mundi operatus est hominem
de limo terræ. Salivam quoque emisit, ad Gen. II, 7.
declarandum quod virtus curativa esset
a Divinitate, quæ est caput Christi homi-
nis, tanquam a principali principio, et ab
ejus humanitate, quasi ab instrumento.
Saliva quippe fluit a capite, et caput Chri- I Cor. XI, 3.
sti Deus, secundum Apostolum ; Christus
quoque, secundum naturam assumptam,
caput est omnium electorum. Sicque per Ephes. I, 22; Coloss. I, 18.
exspuitionem salivæ descendentis a ca-
pite, signatur quod potestas sanativa es-
set a Divinitate et Christi humanitate,
sicut ostensum est. Oculos quoque cæci
linivit, ostendens se humanorum corpo-
rum formatorem et reformatorem, qui re- Philipp. III, 21.
formabit corpus humilitatis nostræ con-
figuratum corpori claritatis suæ. Jussit
autem cæcum sic luto linitum ire ad na-
tatoriam Siloe, ut obediendo aliquid me-
reretur, ejusque fides et obedientia no-
tificaretur, et ipsum miraculum amplius
divulgaretur.

Abiit ergo cæcus natus, *et lavit* oculos
suos in natatoria Siloe, lutum abstergendo
ab oculis : in quo commendatur fides ac
obedientia ejus. *Et venit videns.* Nam
obediendo Christo, in ipsa piscina visum
recepit : quo significatur, quod qui Deo
obedit, copiosius illustrari meretur.

Itaque vicini cæci istius, *et qui vide-* 8
rant eum prius, antequam visum recepit,
quia mendicus erat, id est, ideo eum fre-
quenter inspexerant, quoniam more de-
bilium sedit in publico, eleemosynam a
prætergredientibus postulando, *dicebant :*
Nonne hic est qui sedebat in loco paupe-
rum, *et mendicabat?* quasi dicant, Utique.
Ex longa enim experimentalique notitia,
certi erant de hoc. *Alii dicebant: Quia hic*
est. Isti consenserunt judicio vicinorum.
Alii autem dicebant : Nequaquam, id est, 9
non est sic, *sed similis est ejus.* Hoc dixe-
runt duplici ratione : primo, quoniam pos-
sibilius reputabant duos esse in omni
dispositione corporali simillimos, ita ut
discerni non possent, quam cæcum a na-
tivitate visum recepisse ; secundo, quia et

Digitized by Google

cæcus iste in vultu aliqualiter fuit muta-
tus, propter oculorum apertionem, par-
tiumque oculis vicinarum alterationem et
relaxationem. *Ille vero,* quia se ipsum op-
time novit quantum ad identitatem perso-
næ, *dicebat : Quia ego sum.* Voluit enim
suum curatorem magnificare atque ho-
norare.
10 *Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt*
11 *tibi oculi? Respondit : Ille homo qui di-*
citur Jesus. Nondum agnovit hic cæcus
Christi divinitatem; sed humanitatem ejus-
que nomen ex aliorum relatu didicerat.
Lutum fecit. Non dicit quomodo, utpote
ex sputo et terra, quia forte non scivit
hoc, quia nec vidit illud. *Et unxit oculos*
meos, videlicet pellem extrinsecus, *et dixit*
mihi : Vade ad natatoriam Siloe, et lava
oculos. *Et abii, et lavi, et vidi,* postquam
12 illi obediendo, oculos aquis rigavi. *Et di-*
xerunt ei : Ubi est ille? Hoc forte quæ-
rebant, ut traderent Jesum Pharisæis et
Scribis, eo quod sabbato hæc egisset. *Ait,*
Nescio. Jesus namque recessit a loco illo
antequam cæcus jam illustratus reversus
fuit; nec audivit quo abisset, nec scivit
quod Jesus per divinitatis immensitatem
esset ubique.
13 *Adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus*
fuerat, ut ipsi tanquam majores ac reli-
giosiores, judicarent de opere isto, remque
diligentius examinarent; vel ut Jesum de
violatione sabbati coram Pharisæis accu-
sarent; vel ut placerent Pharisæis, a qui-
14 bus noverant Jesum odiri. *Erat autem*
sabbatum, videlicet septima dies festiva,
quando lutum fecit Jesus, et aperuit ocu-
los ejus. Hoc inserit Evangelista, ut pandat
causam adductionis cæci ad Pharisæos, et
15 dissensionis Pharisæorum ad invicem. *Ite-*
rum ergo interrogabant eum Pharisæi
quomodo vidisset, ut possent aliquam ca-
lumniandi occasionem ex verbis cæci illu-
minati elicere. *Ille autem dixit eis : Lu-*
tum posuit mihi super oculos, et lavi
oculos in præfata piscina, *et video.*
16 *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam* in-
Matth. VII, 3. durati et excæcati, festucam in aliis, non

A trabem in se ipsis pensantes, atque ex be-
neficiis Dei pejores effecti : *Non est hic*
homo a Deo per vitæ bonitatem, hoc est,
secundum Dei beneplacitum non operatur,
neque a Deo missus est, nec ejus adjuto-
rio, sed dæmonis agit subsidio, *qui sab-*
batum non custodit. Mentiti sunt dicendo
quod Christus sabbatum violavit faciendo
quæ dicta sunt : quoniam opera exteriora
ad divinæ majestatis honorem et declara-
tionem directe pertinentia, licita erant in *Num.*
sabbato, utpote occidere et excoriare pe- XXVIII, 9.
B cora immolanda, templum ornare, atque
similia. Factura autem luti et unctio ocu-
lorum prædicta, ordinabantur directe ad
gloriam Dei ejusque omnipotentiæ subli-
mitatem declarandam, itemque ad glorifi-
cationem Filii sui, ut Christus esse scire-
tur. Præterea, Christus quum esset Dominus *Matth.* XII,
sabbati, et legislator, non tenebatur ad 8.
litteralem sabbati observationem. De hoc
dicta sunt plura quinto capitulo. *Alii au-* *Joann.* V,
tem, qui magis veritati propinquabant, 10.
minusque Christo invidebant, *dicebant :*
C *Quomodo potest homo peccator,* legis trans-
gressor, et sabbati violator, *hæc signa fa-*
cere quæ facit iste, sanando paralyticum *Ibid.* 8, 9.
natumque cæcum? Isti videntur melius
intellexisse præceptum de sabbati custo-
ditione quam illi, quia non reputabant Je-
sum peccatorem. *Et schisma erat inter*
eos, videlicet inter Pharisæos, hoc est, di-
visi atque discordes erant, diversa loquen-
do ac sentiendo de Jesu.

Huic quod dictum est, Quomodo potest
homo peccator hæc signa facere? consonat
D quod Christo locutus est Nicodemus : Sci- *Ibid.* III, 2.
mus quia a Deo venisti magister; nemo
enim potest hæc signa facere quæ tu fa-
cis, nisi fuerit Deus cum illo. Quæritur
ergo, an vera sint hæc. Et apparet quod
non, quoniam operatio miraculorum per-
tinet ad gratias gratis datas, quæ bonis
malisque communes sunt. Christus quoque
affirmat apud Matthæum septimo capitu-
lo : Multi (inquiens) dicent mihi in illa *Matth.* VII,
die : Domine, Domine, nonne in nomine 22, 23.
tuo prophetavimus, et in nomine tuo si-

Digitized by Google

gna multa fecimus? Et tunc (inquit) confitebor illis : Quia non novi vos; discedite a me, operarii iniquitatis. (*Luc.* XIII, 27.) Oppositum vero arguitur, quia si miracula fieri possunt a malis, perit firmitas fidei christianæ, quæ miraculis præsertim innititur : quod enim a malo homine fieri valet, non videtur sufficiens fidei argumentum. Rursus, miracula fiunt divina virtute. Deus autem preces malorum non audit, faciendo prodigia ad eorum instantiam.

Respondendum, quod miracula proprie dicta, sunt effectus totam virtutem creatam excedentes : unde a solo Deo fiunt. Idcirco id ad cujus confirmationem fit tale miraculum, semper est verum, quum Deus non sit confirmator erroris, nec testis falsitatis. Miracula vero divinitus facta, quandoque fiunt ad testificandum de veritate doctrinæ : et tunc illa doctrina immobiliter vera est, a quocumque doceatur, vel quantumcumque perversus sit doctor; non tamen consequens est, quod docens sit justus, vel Deo placens. Sicque per malos prædicatores frequenter sunt facta quædam miracula, ad fidei confirmationem : exaudivitque Deus precem illorum, non propter illorum merita, sed propter Ecclesiæ utilitatem, et ad insinuandum efficaciam fidei christianæ, cujus tanta est virtus, ut per eam fiant miracula etiam a malis. Interdum vero miracula fiunt ad testificandum de bonitate docentis : et tunc doctor hujusmodi veraciter bonus et justus est. Miracula autem Christi facta sunt a Deo propter utrumque, videlicet ad ostendendum quod vera sit ejus doctrina, et quod ipse sit verus Christus, Sanctus Sanctorum et justus in omnibus. (*Ps.* CXLV, 13.) Imo, si quis dixerit quod miracula Christi facta sint ad suæ doctrinæ confirmationem, sequitur quod etiam facta sint ad suæ sanctitatis testimonium. Docuit enim se esse Christum, sanctum et justum, omni peccato carentem : quam doctrinam Deus nequaquam miraculis confirmasset, nisi ita fuisset. Sed hoc in aliis non sequitur, qui non propriam, sed Christi legem prædicant et

A doctrinam. Sive ergo a bonis sive a malis fiant proprie sumpta miracula, demonstratur fidei veritas, tanquam a Deo data atque firmata. Verum, quoniam ad credendum multum confert justitia asserentis, idcirco decentius est miracula fieri a justis quam impiis : quod et ita fit.

17 *Dicunt ergo cæco,* sed nunc videnti, *iterum* Pharisæi : *Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos?* id est, quale testimonium perhibes illuminatori tuo? Aliqui dicunt hanc quæstionem factam ab illis B qui dixerunt, Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit : ad hoc, ut vel terrendo vel circumveniendo, inducerent cæcum ad proferendum aliquid mali de Jesu; vel ut cæcum ex sua responsione arguerent, atque de synagoga ejicerent. Hoc asserit Augustinus et Beda. Theophilus autem et alii dicunt, quod facta sit a fautoribus Christi dicentibus, Quomodo potest peccator hæc signa facere? quoniam verisimile erat quod cæcus bona de suo curatore contestaretur. Potius tamen C videtur facta ab ambabus inter se discordantibus partibus, qui quum inter se discordarent, recurrebant ad testimonium ejus qui expertus fuit Christi potentiam, si forte ex ejus responsione possent aliquam invenire concordiam.

Ille autem dixit : Quia propheta est. Putavit enim quod Jesus fuisset solum propheta, non finis et Dominus Prophetarum. Implicite tamen credidit eum esse Christum, quoniam firmiter tenuit quod esset homo justus et verax, et per con- D sequens talis, qualem ipse se esse perhibuit. Sed contra hoc videtur, quia quos Christus sanavit in corpore, curavit in anima. Ergo et cæcum istum a tali errore curavit. Dicendum, quod cæcus pro tunc non tenebatur ad explicitam fidem de hoc, quod Jesus esset Christus. Unde prædictus error excusabatur a culpa, maxime quia non fuit per absolutam affirmationem. Quidam dicit, quod cæcus iste, dicendo de Jesu, Propheta est, nomine prophetæ intellexit Christum, ita quod cæcus asseruit

Digitized by Google

Jesum esse Christum. Sed huic obviat,
quod post pauca cæcus hic ait de Jesu :
vers. 25. Si peccator est, nescio. Si autem tenuisset
eum pro Christo, scivisset quod non esset peccator. Istud tamen satis faciliter
solvi potest. Non tamen dicendum est
quod nomine prophetæ intellexerit Christum, quia non fuit consuetudo Judæis,
in communi modo loquendi, per prophetam intelligere Christum.

18 *Non crediderunt ergo Judæi* quidam,
de quibus dictum est quod dixerunt istum
vers. 9. similem esse cæco nato, vel Pharisæi opera Christi calumniantes; *quia cæcus fuisset* a nativitate, *et vidisset,* beneficio Christi, *donec vocaverunt parentes ejus qui*
19 *viderat; et interrogaverunt eos, dicentes :*
Hic est filius vester, quem vos dicitis, id
est, de quo affirmatis, *quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?* Tria inquirunt : primo, an iste sit filius eorum;
secundo, an cæcus a nativitate; tertio,
qualiter visum recepit, si natus est cæcus. Et quia ad duo prima poterant parentes sine periculo respondere, non autem
ad tertium, idcirco respondent ad duo
hæc, quemadmodum subditur.

20 *Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster*
(de prole cujus sit, certior est mater quam
21 pater), *et quia cæcus natus est. Quomodo*
autem nunc videat, nescimus, id est, modum et ordinem facti ignoramus; *aut quis ejus aperuit oculos,* hoc est auctorem tanti
prodigii, *nos nescimus. Ipsum interrogate; ætatem habet,* id est annos discretionis, *ipse de se loquatur,* quoniam nemo
22 certior eo. *Hæc dixerunt parentes ejus,*
quoniam timebant Judæos, hoc est principales Judæos, videlicet Pharisæos, Scribas et sacerdotes, inordinato et carnali timore : ex quo et mentiti sunt, et opera
Christi pia atque præclara maluerunt tacere, quam a Judæis persecutionem sufferre. Unde non excusantur a culpa. Causa
timoris subjungitur. *Jam enim conspiraverant Judæi* principales, de quibus jam
dixi, *ut si quis eum confiteretur Christum,*

A *extra synagogam fieret,* id est, quicumque diceret Jesum esse Christum, excluderetur a populo Judæorum tanquam excommunicatus et perfidus : quod erat tunc
grande opprobrium. *Propterea,* scilicet, 23
ne de synagoga expellerentur, *parentes ejus dixerunt : Quia ætatem habet, ipsum interrogate.* Et in hoc multum errabant,
magisque dilexerunt gloriam hominum Joann. XII, 43.
quam divinam. Nonne salubrius eis fuisset a Christo recipi, qui propter se expulsos clementer recepit, quam in synagoga
B manere, in qua erant æmuli Filii Dei?

Vocaverunt ergo Pharisæi *rursus hominem qui fuerat cæcus.* Invidia enim non 24
quiescit, sed indefesso animo molitur malum ei quem odit; et qui veritatem nituntur obruere, variis, exquisitis falsissimisque cautelis utuntur. *Et dixerunt ei : Da gloriam Deo,* hoc est, Deum honora,
nobis religiosis consentiendo, et tuam
curationem non huic Jesu, quasi divina
potestate agenti, adscribendo, sed quod
aliquo alio modo visum recepisti. *Nos sci-*
C *mus quia hic homo peccator est,* id est
assiduus in peccato, seductor plebis et simulator, magicis artibus utens, nec divina virtute te illuminavit. Ecce quomodo
malitia excæcavit eos, et quam studiose Sap. II, 21.
satagebant decipere cæcum istum. Quasi
dicant : Ex quo nos docti et religiosi hoc
scimus, tu simplex et idiota non debes
contradicere nobis.

Dixit ergo ille cæcus nondum in anima 25
perfecte de Christo illustratus : *Si peccator est, nescio,* id est, dubius sum vel
D incertus an aliquo fuerit interdum peccato saltem veniali obstrictus, quemadmodum ceteri Prophetarum. Nemo enim Job XIV, 4, juxta LXX.
mundus a sorde, et justus septies cadit Prov. XXIV, 16.
in die. Alii exponunt sic : Si peccator
est, nescio, id est, ego non scio verum esse quod vos dicitis vobis esse notorium,
utpote quod sit peccator : quin potius,
oppositum sentio. Cæcus iste non dubitavit de sanctitate Jesu, quem dixit esse
prophetam; sed an fuit prorsus ab omni
culpa immunis, non scivit, quoniam non-

Digitized by Google

dum scivit eum esse Christum Filium
Dei. *Unum scio, quia cæcus quum essem*
* modo paulo ante, *nunc* video*. Securus et im-
perterritus fuit hic cæcus.
26 *Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi ?*
quomodo aperuit tibi oculos? Hoc rursus
quærebant insidiose, ut possent aliquid
reprehensionis elicere, tantumque mira-
culum obfuscare. Timebant enim, si mi-
raculum istud divulgaretur, quod propter
novitatem et magnitudinem ejus, multi
27 acciperent Jesum pro Christo. *Respondit*
eis : Dixi vobis jam, et audistis, quid
fecerit mihi, et quomodo dederit mihi vi-
sum. *Quid iterum vultis audire?* quasi
dicat : Non bono animo quæritis, quate-
nus cognita veritate credatis in illum, sed
ut aliquam objectionem fingatis. Ideo sub-
ditur : *Numquid et vos vultis discipuli*
ejus fieri, cujus ego jam discipulus fieri
cupio? tanquam dicat : Scio quod non.
Magna fuit constantia hujus cæci, qui tam
pertinenter atque audacter respondit pro
suo benefactore. Nec dubium quin Chri-
stus hanc ei concessit constantiam.
28 *Maledixerunt,* id est, malum imprecati
sunt, *ei,* videlicet cæco huic Pharisæi, *et*
dixerunt : Tu discipulus illius sis. Hoc
narrat Evangelista secundum intentionem
illorum, qui reputabant discipulatum sub
magisterio Jesu esse miseriam, seductio-
nem et perditionem, quum secundum ve-
ritatem fuerit benedictio, salus et gratia
magna. *Nos autem Moysis discipuli su-*
mus. Nec hoc vere locuti sunt, quoniam
Exod. xx, 12; *Deut.* v, 16. mandatum Dei de honoratione parentum
per Moysen datum, per suam traditionem
Matth. xv, 3-6. irritum fecerunt, ut probat Christus apud
Matthæum. Scripturam quoque Moysis non
vere exposuerunt. Propter quod supra di-
Joann. v, 46. xit eis Salvator : Si crederetis Moysi, cre-
deretis et mihi; de me enim ille scri-
29 psit. *Nos scimus* auctoritate Scripturæ,
quia Moysi locutus est Deus per angelum
in persona Dei loquentem. Unde in Exodo
Exod. xxxiii, 11. scriptum est : Loquebatur Dominus cum
Moyse facie ad faciem, sicut loqui solet
homo ad amicum suum. *Hunc autem* Je-

A sum *nescimus unde sit*. Paulo ante locuti
sunt Pharisæi isti increduli : Non est hic vers. 16.
homo a Deo ; et, Nos scimus quia hic ho- vers. 24.
mo peccator est. Opinabantur ergo se sci-
re quod non esset a Deo. Patriam quoque
ejus et genus noverunt. Unde superius
locuti sunt Nicodemo : Scrutare Scriptu- *Joann.* vii, 52.
ras, et vide quia a Galilæa Propheta non
surgit. Quomodo ergo nunc dicunt, Hunc
nescimus unde sit? præsertim quum pu-
tarent eum a diabolo esse et magicis ar-
tibus inhærere. Dicendum, quod ex magno
B contemptu sic loquebantur, ad insinuan-
dum vilitatem Jesu. Tanquam dicerent :
Velut inventicium hunc reputamus, quum
ignoremus eum a Deo missum. Vel di-
cendum, quod loquebantur sicut homines
passionati, et ideo mirum non est si ver-
ba eorum sint falsa atque ad invicem re-
pugnantia.
Respondit ille homo mente et corpore 30
illustratus, *et dixit eis,* increpando eorum
duritiam perfidiamque reprobando : *In*
hoc enim mirabile est, id est, in eo quod
C dicam patet mirabile esse, *quia,* id est
quod, *vos nescitis unde sit,* id est, quod
Jesus iste a Deo sit. Deinceps ponit in
quo patet quod miranda sit ignorantia
Pharisæorum : *et aperuit oculos meos :* id
est, per hoc quod aperuit oculos meos a
nativitate clausos et cæcos, merito agno-
sceretis eum esse a Deo, quum hoc sit
supernaturalis effectus, soli Deo possibi-
lis, qui et fecit istum effectum in testi-
monium veritatis sanctitatisque Jesu : et
mirum quod non attenditis hoc, quum
D consuetum semper fuerit populo Judæo-
rum signa quærere illisque credere. Pro-
pter quod dicit Apostolus : Judæi signa I *Cor.* i, 22.
quærunt. *Scimus autem quia peccatores* 31
Deus non audit.

Omnia verba cæci hic introducta, uno
modo exponuntur determinate, ad proban-
dum suum propositum : et sic vera sunt.
Alio modo exponuntur communiter : sic-
que, secundum Augustinum, sunt verba
cæci nondum perfecte interius illustrati,
unde nec vera sunt absolute. — Primo

Digitized by Google

sic : *Scimus autem* ex Scripturis, *quia* A
peccatores in vitiis permanentes *Deus non*
audit, propter preces eorum faciendo mi-
racula ad testimonium bonitatis ipsorum.
Tamen, ut dictum est, interdum per ma-
los fiunt vera miracula. Nam et ad in-
stantiam Alexandri Magni legitur Deus
maxima fecisse miracula. Denique, licet
quis sit in statu salutis, raro tamen vel
nunquam facit miracula modo prædicto,
nisi sit vir heroicus et perfectus. Unde
per peccatores intelligi possunt insipien-
tes, animales et imperfecti, quamvis sint B
pœnitentes. Propterea subditur : *Sed si*
quis Dei cultor est, id est Deo devotus
per interiores latriæ actus, *et voluntatem*
ejus facit, divinis præceptis et admoni-
tionibus obediendo in omnibus, *hunc ex-*
audit, faciendo ad precem ejus miracula
pro testimonio virtutis talis cultoris. Sic
autem maxime exaudivit Deus Jesum, sic-
32 ut cæcus subjungit. *A sæculo non est*
auditum, id est, nunquam contigit vel
perceptum est, *quia aperuit quis oculos*
cæci nati. In nulla enim scriptura hoc C
legitur factum, nisi hoc loco. Ex his in-
33 fert cæcus suum intentum. *Nisi esset hic*
a Deo, quasi missus ab illo, ejusque gratia
juvaretur, *non poterat facere quidquam,*
id est aliquid tale quale fecit in me.

Pro secunda explanatione hujus scri-
pturæ, sciendum quod aliquis dicitur pec-
cator multipliciter : Primo, quia aliquando
magna peccata commisit, quamvis post-
ea perfectus et virtuosus sit factus. Sic
I *Tim.* I, 15. Paulus vocat se peccatorem, dicendo : Ve-
nit Jesus peccatores salvos facere, quo- D
rum ego primus sum. Nihilo minus de
I *Cor.* IV, 4. se ipso fatetur : Nihil mihi conscius sum.
Secundo, quia de peccatis suis non satis-
fecit, quamvis pœniteat. Sic publicanus
Luc. XVIII, 13. peccator fuit, quum dixit : Deus, propi-
Ibid. 14. tius esto mihi peccatori. Tunc enim dimis-
sa erant ei peccata, quantum ad culpam.
Tertio, quoniam in peccatis mortalibus
est, habet tamen propositum se emendan-
di, habetque sæpe motum attritionis, quam-
vis non habeat veram contritionem. Quar-
to, quia in vitiis jacet, nec pœnitet, sed
in pravo manet proposito et affectu.

Itaque, quod ait, Scimus quia pecca-
tores Deus non audit, verum est de pec-
catoribus quarto modo, utpote quod non
exaudiuntur ad utilitatem, quamdiu sunt
tales. Ideo enim Sapiens dicit : Qui de- *Prov.* XXVIII, 9.
clinat aurem suam ne audiat legem, oratio
ejus erit exsecrabilis. Et apud Isaiam Do-
minus loquitur : Quum multiplicaveritis *Is.* I, 15.
preces, non exaudiam ; manus enim ve-
stræ sanguine plenæ sunt. Et pene innu-
merabilia sunt loca Scripturæ hoc idem
testantia : ut quum in libro Proverbiorum
Dominus asserit : Tunc invocabunt me, *Prov.* I, 28.
et non exaudiam ; mane consurgent ad
me, et non invenient me. Nihilo minus
verum est quod Dominus ait per Ezechi-
elem : In quacumque hora peccator in- *Ezech.* XVIII, 21, 22.
gemuerit, omnium iniquitatum ejus non
recordabor. Elucescit ergo quod peccato-
rem secundo modo dictum, videlicet pœ-
nitentem, exaudiat Dominus, dummodo sa-
lubriter et instanter pro se ipso oraverit.
Sed de peccatore tertio modo major est
difficultas, an exaudiatur in spiritualibus
bonis. Et dicendum, quod non exauditur
de condigno, sed de congruo, maxime si
faciat quod in se est. Certum est autem
quod qui in peccato mortali est, non po-
test aliquid promereri, seu de condigno
exaudiri, nisi misericorditer præveniatur
a Deo gratiam gratum facientem infun-
dente : qua adepta, habet homo motum
contritionis, meritoriæ actionis et dignæ
atque idoneæ orationis. *Sed si quis Dei*
cultor est, et voluntatem ejus facit, id est,
signa divinæ voluntatis implet, videlicet
præcepta et hortamenta, *hunc exaudit* ad
utilitatem, quamvis non semper ad libi-
tum : imo, quandoque negando quod po-
stulatur, dat meliora ac viciniora saluti. *Hebr.* VI, 9.
Hinc scriptum est : Si diluculo consur- *Job* VIII, 5, 6.
rexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris
deprecatus, si mundus et rectus incesse-
ris, statim evigilabit ad te ; itemque : Deus *Ibid.* 20.
non projiciet simplicem, nec porriget ma-
num malignis.

Digitized by Google

Si ergo a Deo exaudiri optamus, si ali- A quam specialem gratiam adipisci appetimus, non contradicat operatio orationi, nec ostendamus per opera iniqua, nos amare id quod per orationem dicimus nos odire; sed faciamus quod in nobis est, laborem debitum continuamque diligentiam apponendo, et effectum affectui conformando. Tunc Deus protinus aderit, nostrumque imperfectum supplebit, optatam perfectionem virtutum præstando. Ideo
Job xi, 14, 15. quippe in Job legitur : Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris, tunc levare B
Ps. cxliv, 19. poteris faciem tuam ; et in Psalmo : Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

34 *Responderunt* Pharisæi, *et dixerunt ei : In peccatis natus es totus,* id est in originali peccato quantum ad animam, et in speciali pœna peccati quantum ad corpus, videlicet in cæcitate tibi congenita. Sicque innuebant eum cæcum natum propter peccatum parentum vel proprium : cujus contrarium dixit Salvator. Monstruositas C autem prolis, quamvis interdum sit propter culpam parentum, vel unius eorum, communiter tamen procedit ex causa naturali, puta ex disproportione materiæ, superfluitate vel parvitate, aut ex debilitate virtutis formativæ in semine. Sicque monstruositas est a casu, quoad naturam creatam ; sed quoad divinam providentiam, est ordinata. Quandoque enim, ut dictum est, ordinatur ad manifestationem divinæ potentiæ in opere miraculoso. Semper quoque valet ad ampliorem decla- D rationem naturalis perfectionis in rebus ejusdem speciei non monstruosis : in qua perfectione repræsentatur divina sapientia atque potentia, quoniam opposita juxta se posita clarius elucescunt. — Sed quum originale peccatum sit unum, quomodo pluraliter dicunt : In peccatis natus es totus ? Et respondendum, quod originale peccatum formaliter seu essentialiter unum est, scilicet carentia originalis justitiæ debitæ in esse, secundum Anselmum. Materialiter autem est multa, quoniam multas animæ vires inficit, et alia peccata virtualiter continet : præcipue vero propter quatuor vulnera animæ, ex originali peccato inflicta, secundum Bedam, quæ sunt : ignorantia, exsistens in ratione ; malitia, exsistens in voluntate ; concupiscentia, quæ est in appetitu concupiscibili, sumendo concupiscentiam pro pronitate ad concupiscendum inordinate ; et infirmitas, quæ est in irascibili. Hæ enim quatuor vires animæ sunt subjecta virtutum.

Et tu doces nos ? hoc est, quum sis tam vilis, præsumptuosum est nimis quod per modum docentis et redarguentis alloqueris nos, qui seniores et majores sumus in populo. Solent enim superiores ac doctiores inferiorum informationem despicere. Verumtamen veraciter sapientes et docti, diligenter atque humiliter pensant quæ eis dicuntur, informarique appetunt, nec propter dicentis parvitatem contemnunt quod prædicatur : quoniam veritas propter se ipsam digna est acceptione. Ideo Salomon ait : Argue sapientem, et diliget te ; doce justum, et festinabit accipere. Prov. ix, 8, 9.

Et ejecerunt eum foras, id est, ex templo et synagoga seu populo expulerunt, et tanquam excommunicatum habuerunt. Et sicut paulo ante nescientes benedixerunt eum verbis, dicendo, Tu discipulus illius vers. 28. sis ; sic modo ignorantes benedicunt eum factis, expellendo eum a synagoga Satanæ. Quos enim ipsi expellebant crudeliter, Christus recepit clementer.
35 *Audivit Jesus* a narrantibus : quod tamen antequam fieret novit futurum, et dum fiebat inspexit, et antequam sibi recitaretur, scivit jam accidisse ; *quia ejecerunt eum foras,* id est, quod Pharisæi cæcum a synagoga sequestraverunt. *Et quum invenisset eum.* Secundum Bedam, Jesus quæsivit eum. *Dixit ei* jam invento : *Tu credis in Filium Dei ?* Non quasi ignorans id quærit, sed ut cæcum ad perfectiorem sui agnitionem promoveat. Quanto enim quis magis opprimitur propter veritatem,

Digitized by Google

tanto apud Deum meretur ampliorem ex-
altationem et gratiam. Cæcus iste nondum
determinate credebat in Filium Dei; sed
paratus fuit ad hoc. Ideo interrogatur a
Christo, quia qui boni propositi sunt, me-
rentur gratiam Dei auxiliatricem per quam
deducantur in exsecutionem salubrem.
36 *Respondit ille* cæcus : *Quis est,* o *Do-
mine,* Filius Dei? quod quæro *ut credam
in eum.* Nondum enim cognovit Jesum se-
cundum faciem, quoniam cæcus ab eo re-
cessit, et nondum ad eum reversus fuit :
et si cognovisset eum secundum faciem,
non tamen scivisset quod esset Filius Dei,
quia ut dictum est, tenuit eum pro Pro-
37 pheta. *Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum*
nunc, ad me accedendo, *et qui loquitur
tecum, ipse est,* id est, ego ipse quem nunc
inspexisti oculo corporali, qui præsentia-
38 liter tecum loquor, sum Filius Dei. *At ille
ait : Credo, Domine,* in Filium Dei. His
nempe verbis auditis, cognovit quod is
qui eum alloquebatur, fuit Jesus, oculo-
rum suorum apertor; et quia tenuit eum
pro vero Propheta justoque viro, credidit
omnia verba ejus esse vera. Idcirco quum
audisset ab ore ejus quod esset Filius Dei,
mox credidit, sciens Deum esse cum illo
cui credebat. *Et procidens adoravit eum.*
Si credidit explicite quod esset Filius Dei
naturalis, adoravit eum adoratione latriæ.
Si vero credidit quod esset Filius Dei per
gratiam singularem, adoravit eum adora-
tione duliæ. Paucissimi autem discipulo-
rum habebant explicitam fixamque fidem
de hoc quod Christus esset Dei Unigenitus
verusque Deus : sic tamen dispositi erant,
quod mox fidem talem reciperent.
39 *Dixit ei Jesus: In judicium ego in hunc
mundum veni,* id est ad faciendum judi-
cium discretionis, hoc est discretionem
judicialem, inter electos ac reprobos. De
Joann. XII, 31. quo judicio infra habetur : Nunc judicium
est mundi. In primo ergo suo adventu
venit Christus discernere inter electos ac
præscitos, illos gratiose et pie convertendo,
hos juste deserendo. In secundo autem
adventu veniet facere judicium retributio-
A nis, de quo dixit : Non misit Deus Filium Joann. III, 17.
suum ut judicet mundum; et, Ego non Ibid. VIII, 15.
judico quemquam. *Ut qui non vident,* id
est simplices et indocti, quales fuerunt
discipuli Christi et cæcus iste, *videant,* id
est, spiritualiter illuminentur a me, meque
lucem mundi fidei oculis contemplentur:
et qui vident, id est Scribæ et Pharisæi
ceterique in propriis oculis sapientes, Is. V, 21.
litterati ac providi, *cæci fiant,* id est, lu-
mine fidei ceterisque donis gratiæ Spiritus
Sancti priventur, et gravius quam ante
B obtenebrentur, propter eorum superbiam
atque demerita. Huic verbo Christi con-
sonat quod Simeon justus prædixisse le-
gitur : Ecce positus est hic in ruinam Luc. II, 34.
et resurrectionem multorum in Israel.
Christus quoque alio loco ait concorditer
istis : Confiteor tibi, Pater, quoniam abs- Matth. XI, 25.
condisti hæc a sapientibus et prudentibus,
et revelasti ea parvulis.

Possunt quoque per non videntes, in-
telligi peccatores vitiis obfuscati, sed præ-
destinati, ut Matthæus, Zachæus, Magda-
C lena, qui per Christum illustrati sunt
corde; per videntes vero, hi quos inflavit
superbia in tantum, ut Christi prædicatio-
nem deridere præsumpserint. Tertio, et
communius, per non videntes, intelligun-
tur gentiles, unius veri Dei agnitione ca-
rentes; per videntes vero, Judæi, divina
lege instructi. In Christi autem adventu
et deinceps, cœpit populus Judæorum ex-
cæcari, atque gentilitas illustrari, præ-
sertim post passionem, Apostolis ubique Marc. XVI, 20.
docentibus. Propter quod Christus dixit
D Judæis : Auferetur a vobis regnum Dei, et Matth. XXI, 43.
dabitur genti facienti fructus ejus. Hinc in
Isaia ait Christus : Et nunc hæc dicit Do- Is. XLIX, 5, 6.
minus formans me ex utero servum sibi,
ut reducam Jacob ad eum, et Israel non
congregabitur. Et dixit Dominus mihi : Pa-
rum est ut sis servus mihi ad suscitandas
tribus Jacob; dedi te in lucem gentium, ut
sis salus mea usque ad extremum terræ.

Et audierunt quidam ex Pharisæis qui 40
cum ipso erant, hoc est aliqui Pharisæo-
rum exsistentium cum Jesu quando hæc

Digitized by Google

protulit; *et dixerunt ei,* ex superbia murmurando : *Numquid et nos cæci sumus* ea cæcitate quam dicis futuram quibusdam videntibus? hoc est, Numquid et nos cor excæcatum habemus? Suspicabantur enim Pharisæi quod verum fuit, videlicet, quod Jesus more solito tetigit eos.

41 *Dixit eis Jesus : Si cæci essetis,* hoc est, si humiliter agnosceretis insipientiam iniquitatesque vestras, et me doctorem justitiæ audiretis, *non haberetis peccatum,* quoniam vestrum imperfectum confitendo, mereremini indulgentiam et gratiam justificantem. *Nunc vero dicitis, Quia,* id est quod, *videmus,* hoc est, quia vos ipsos jactatis doctos ac sapientes, *peccatum vestrum manet* in vobis insanabile atque damnandum. Vel sic : Si cæci essetis, habendo ignorantiam invincibilem, non haberetis A peccatum, quoniam talis ignorantia omnino excusat a culpa. Vel, Si cæci essetis, cæcitate seu ignorantia facti. Ignorantia vero juris affectata non excusat, sed auget peccatum. Ignorantia vero quæ contingit ex negligentia quadam, excusat a tanto, non a toto. Plus igitur peccat qui Scripturas cognoscit, quam alius, ceteris paribus, utpote si ignorantia alterius excusabilis est in toto vel in parte. Propter quod Jacobus protestatur : Scienti bonum *Jacob.* IV, 17. et non facienti, peccatum est illi; et Petrus B in secunda sua Canonica, Melius erat *II Petr.* II, 21. non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti. Denique, servus sciens voluntatem domini sui, et *Luc.* XII, 47, 48. non faciens, plagis vapulabit multis; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.

ARTICULUS XXV

ELUCIDATIO CAPITULI DECIMI : AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUI NON INTRAT PER OSTIUM IN OVILE OVIUM.

SICUT in fine præcedentis capituli patuit, Pharisæi jactabant se esse videntes, hoc est eruditos et dignos aliorum rectores; non tamen credebant in Christum, sed eum negabant. Idcirco Salvator in exordio hujus capituli pandit errorem ac falsitatem illorum per quamdam parabolam, quam ipsemet post pauca partim exponit.

1 Ait ergo : *Amen, amen dico vobis,* o elati Pharisæi, *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Hoc totum in corporalibus rebus ita se habet. Sed ista exponenda sunt spiritualiter secundum sensum a Christo intentum. In locutione quippe parabolica, qualis est ista, sensus principalis ac litteralis non est qui immediate per verba significatur, sed qui per ipsas res vocibus designatas insinuatur.

C Est igitur intellectus : *Qui non intrat* spirituali seu corporali introitu, *per ostium,* id est ordinate per Christum, videlicet secundum Christi voluntatem, licite ac honeste, vel per fidem catholicam atque individuam caritatem, *in ovile ovium,* hoc est in Ecclesiam, in congregationem fidelium, ad præsidendum gregi dominico, *sed ascendit aliunde,* id est, sibi ipsi *Hebr.* V, 4. assumit honorem, non vocatus a Deo tanquam Aaron. Idcirco ascendere dicitur, id est superbe intrare, per ambitionem propriam, D per aliorum intrusionem, per simoniacam pravitatem, per corruptam et non canonicam electionem, non sequens Christi vestigia, de quo ad Hebræos dicit Apostolus, quod non semetipsum clarificavit *Ibid.* 5, 6. ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Tu es sacerdos in æternum. *Ille fur est et latro.* Furem appellamus

qui rapit aliena. Indignus ergo prælatus
qui per Christum non intrat ad præsiden-
dum fidelibus, vel quicumque deceptor
falsusque doctor credentium, est fur: quo-
niam populum Dei subtrahit Deo, quo-
niam suo pestifero documento seu pravo
exemplo ac aliis modis, avertit fideles a
Deo, et subjugat eos sibi, atque in suum
commodum redigit eos, bona eorum con-
sumendo, eorum servitute utendo, et ipsos
tanquam mancipia possidendo, quemad-
modum de his Pharisæis loquitur Chri-
Matth. XXIII, 14. stus : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypo-
critæ, quia comeditis domus viduarum.
Hujusmodi itaque ascensor ovilis et ovium
doctor, seu indignus prælatus et rector,
gregem sibi conformat, et maximum dam-
num infert Christo, cujus prædilectam
substantiam, pro qua ipse sanguinem fu-
dit, taliter dissipat. Unde in Ecclesiastico
Eccli. X, 2. legitur : Secundum judicem populi, sic et
ministri ejus; et qualis est rector civitatis,
tales et inhabitantes in ea. Jeremias quo-
Jer. X, 21. que : Quoniam, inquit, stulte egerunt pa-
stores, et Dominum non exquisierunt, pro-
pterea omnis grex eorum dissipatus est.
Denique talis etiam dicitur latro, quoniam
gregem fidelium spiritualiter strangulat,
vitam gratiæ suffocando in eis, atque dia-
boli devorationibus eos exponendo, imo ad
mortem æternam ducendo. Inducit enim
eos ad vitia, quibus occiditur anima, gra-
tiam amittendo et dæmonum dentes in-
I *Petr.* V, 8. currendo. Adversarius enim noster diabo-
lus tanquam leo rugiens circuit, quærens
quem devoret.

2 *Qui autem intrat* præfatum ovile *per*
ostium, id est per Christum, videlicet or-
dinate, caritative, humiliter, non quærens
præesse vel dominari, sed prodesse et au-
xiliari, non quærens uti propria liberta-
te, sed pro aliorum salute infatigabiliter
laborare ; *pastor est ovium,* hoc est fi-
delium, re et nomine, quoniam verbo et
opere pascit, confortat et recreat eos. Tales
pastores Deus promisit apud Jeremiam :
Jer. III, 15. Dabo vobis pastores juxta cor meum, et
pascent vos scientia et doctrina. Ad hanc
A veram pastoralem perfectionem hortatur
princeps Apostolorum in prima sua epi-
stola, dicens : Seniores, obsecro, pascite I *Petr.* V, 1-3.
qui in vobis est gregem Dei, providen-
tes non coacte, sed spontanee secundum
Deum, non turpis lucri gratia, neque ut
dominantes in cleris, sed forma gregis
facti, et ex animo.

Huic tam fructuoso pastori *ostiarius* 3
aperit, id est, Spiritus Sanctus divinas ve-
ritates revelat, modum regiminis manife-
stat, et de omnibus necessariis instruit.
B Unde de ipso infra habetur : Quum ve- *Joann.* XVI, 13.
nerit ille Spiritus veritatis, docebit vos
omnem veritatem. Ipse igitur Spiritus
Sanctus admittit, vel potius introducit, ti-
moratum ac diligentem pastorem in san-
ctuarium sapientiæ sempiternæ, ut discat I *Tim.* III, 15.
et sciat quomodo oporteat se conversari
in domo Dei; et illic dat ei gustare mul- *Ps.* XXX, 20.
titudinem dulcedinis suæ, ita ut rediens
ad gregem dominicum sibi commissum,
eructet illis memoriam abundantiæ sua- *Ps.* CXLIV, 7.
vitatis divinæ. Sicque de plenitudine si-
C bi collata illuminat et accendit corda
suorum.

Hac apertione Spiritus Sancti maxime
indiget omnis pastor, et tanto amplius,
quanto pluribus præest. Quum enim ne-
mo sui ipsius possit operari salutem sine
speciali atque continuo auxilio Spiritus
Sancti, quomodo poterit suam et aliorum
operari salutem, sine ingenti, singulari ju-
gique ope Paracleti ? Propterea oportet
pastorem frequenter nimis ad Deum re-
currere, ejus auxilium cum humili pro-
D stratione requirere, ut in omnibus diriga-
tur, moveatur, et reguletur ab ipso, item-
que ut Spiritus Sanctus corda subditorum
docibilia faciat, tangat, gubernet. Væ ergo
dissolutis et intimoratis prælatis, qui se
ad exteriora impudenter effundunt, qui
non ponderant quam grave onus ipsis im-
positum sit, neque præcogitant quam Chri-
sto pro se suisque ovibus tribuant ratio- *Rom.* XIV, 12 ; *Hebr.* XIII, 17.
nem. Isti non pensant illud Sapientiæ :
Judicium durissimum in his qui præsunt, *Sap.* VI, 6.
fiet. Ideo bene ait Chrysostomus : Quis est

Digitized by Google

qui desiderat prælationem et curam ani- A
marum, nisi qui non timet judicium Dei?

Et oves vocem ejus audiunt, id est, electi subditi, qui sunt oves per prædestinationem æternam, talis pastoris doctrinam suscipiunt ac sequuntur. Humiliter enim et devote audiunt et observant verbum sui prælati tanquam vicarii Christi: quemadmodum Apostolus in suis epistolis
Rom. VI, 17; *II Cor.* IX, 2, 13; *Coloss.* I, 3-6; *I Thess.* I, 2-9; II, 13, 14. sæpius gloriatur in Domino de suis discipulis seu populis a se conversis, quod suam prædicationem cum omni attentione et reverentia perceperunt. Quod utique B
oportet omnem subditum diligenter implere, quoniam prælatis loquitur Christus
Luc. X, 16. apud Lucam: Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.

Et proprias oves vocat nominatim, id est, singulos subditorum suorum determinate cognoscit, ad meliora hortatur, ad felicitatem invitat, omnium mores pensando, quid singulis expediat perpendendo, cunctis familiariter condescendendo, unicuique secundum propriam capacitatem ac indigentiam providendo, subveniendo C
et influendo, quemadmodum Salomon ad-
Prov. XXVII, 23. monet in libro Proverbiorum: Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Quemadmodum enim medicus corporum dispositiones, complexiones, atque morborum diversitates in languido pensat, quatenus unicuique medicamentum suæ dispositioni ac morbo proportionatum apponat (quod enim uni prodesset, obesset alteri); sic prælatus et pastor, quum sit medicus animarum, attendere debet inclinationes, motus et studia sin- D
gulorum, sicque unumquemque a malo retrahere et ad virtutes provehere per media aptiora: quod non est parum difficile. Propter quod convenienter ait Gregorius: Ars artium est regimen animarum. Et magna valde perfectio, exercitatio, unctio, discretio, exigitur ad bonum prælatum. Unde in Deuteronomio loquitur
Deut. I, 13. Moyses: Date ex vobis sapientes et gnaros, quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes. *Et educit eas,* de via ad patriam, de carne ad spiritum. Educit insuper eas ad pascua alimoniæ spiritualis, ad panem vitæ et intellectus, ad panem sa- *Eccli.* XV, 3.
cramentalem, ad divinorum contemplationem.

Et quum proprias oves emiserit, id est, 4
prædicto modo eduxerit, atque de tenebris ignorantiæ et peccati in lucem veritatis ac splendorem virtutum transtulerit, *ante eas vadit,* id est, in via Dei ipsas exemplariter præit, et in virtuosa conversatione excedit, faciendo quod docet, et non verbo dumtaxat, sed opere quoque viam monstrando, quemadmodum ad Timotheum
Paulus ait: Esto exemplum fidelium in *I Tim.* IV, 12, 15, 16.
verbo, in conversatione, in caritate; profectus tuus manifestus sit omnibus: hæc enim faciens, te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

Denique, quum prælatus sit quasi signum ad quod omnium subditorum oculi diriguntur, ideo nihil tantum ædificat subditos, vel tantum confert ad omnem profectum virtutum, ut bona et irreprehensibilis vita pastoris. Frequens namque occursus et quotidianus adspectus in habitum vertitur, atque in cordibus subditorum veram in virtutibus constantiam operatur. Oportet ergo prælatum in virtute et sapientia stabilem esse, ne passionibus agitetur, ne personarum acceptor sit, ne unum præ alio palpet vel tribulet, ne privato amore vel odio corrumpatur; sed Deum semper præ oculis habeat, jugiter formidet, ne per suam imperfectionem aut injustitiam aliquem ex sibi commissis scandalizet. Prælatus quippe est judex et caput sive principium gregis sui. Judex autem, secundum Philosophum, debet esse quasi animata justitia vivaque lex, nusquam ab æquitatis tramite devians. Primum quoque in omni ordine, est mensura et regula posteriorum. Mensuram vero et regulam necesse est esse uniformem ac simplicem: aliter non possent alia per eam mensurari ac regulari. Sit ergo prælatus uniformis,

Digitized by Google

fixus et simplex, non simulator et callidus, sed mitis et humilis.

Et oves illum sequuntur, tanquam ducem prædignum, id est, operibus illius se conformant, ejusque verbis obtemperant, quemadmodum ad Hebræos docet Aposto-
Hebr. xiii, 17. lus : Obedite præpositis vestris, et subjacete illis; ipsi enim pervigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri. Bonus ergo pastor bonas efficit oves, oviumque vitia et defectus maxime accidunt ex negligentia atque insufficientia præsidentis. Propter quod maximum Dei donum est, habere virtuosum prælatum. Unde videmus quod in veteri Testamento, tempore judicum et regum, quando judex vel rex bonus fuit, populus Israel Domino ministravit; sed rege vel judice impie conversante, populus quoque communiter vixit inique, insistendo frequenter idololatriæ. *Quia sciunt vocem ejus,* id est, doctrinam ejus per approbationem cogno-
5 scunt. *Alienum autem,* id est seductorem pestiferumque doctorem, schismaticum sive hæreticum, vel impium Christianum, *non sequuntur,* id est, ejus doctrinis non acquiescunt, nec opera sequuntur ; *sed fugiunt ab eo,* id est, animo illum detestantur, vel etiam interdum corpore se
Ps. xvii, 27. elongant ab ipso, ne cum perverso per-
Eccli. xiii, 1. vertantur. Qui enim tetigerit picem, in-
II Cor. vi, 17. quinatur. Et Apostolus : Exite, inquit, de medio illorum, et immundum ne tetigeritis. *Quia non noverunt* per approbationem et imitationem, *vocem alienorum,* id est verba fallacium.

Totum hoc intelligendum est de ovibus, non solum secundum præsentem justitiam, sed et secundum prædestinationem divinam, et de auditu seu fuga vel cognitione finali. Certum est enim quod multi electi ad tempus errant, et hæreticorum vel aliorum deceptorum doctrinas advertunt; sed finaliter pœnitent, et in Christi sermone diem claudunt extremum. Similiter multi præsciti, ad tempus verba bonorum advertunt pastorum, et alienorum vocem abhorrent; sed non perseverant

A usque in finem, nec implent illud Apo-
stoli : Doctrinis variis et peregrinis no- Hebr. xiii, 9.
lite abduci ; et, Optimum est gratia stabi- Ibidem.
liri cor. Vel loquitur Christus de ovibus formaliter, hoc est, in quantum sunt oves, non materialiter. Formaliter enim de eis loquendo, non errant, quemadmo-
dum arbor bona non potest facere fru- Matth. vii, 18.
ctus malos.

Hoc proverbium, id est similitudinem 6
istam, vel sermonem hunc parabolicum, *dixit eis Jesus. Illi autem* Pharisæi *non*
B *cognoverunt quid loqueretur eis,* id est, quid per verba prædicta significaret. Certi enim fuerunt quod intentio ejus finalis
non erat de pecoribus. *Dixit ergo eis ite-* 7
rum Jesus, qui novit ignorantiam illorum. Exposuit ergo proverbium istud pro parte. Expositio namque non intelligentibus est necessaria. *Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium,* hoc est porta, secundum proprietatem quamdam, per quam electi intrant in societatem Ecclesiæ militantis, et deinceps ad consortium
C Ecclesiæ triumphantis. Christus quoque est ostium per quod intramus ad Patrem, nunc per fidem et gratiam, tunc vero per
speciem. Propter quod ait : Ego sum via, Joann. xiv, 6.
veritas et vita ; nemo venit ad Patrem,
nisi per me. Itemque Apostolus : Per ip- Rom. v, 2;
sum, inquit, accessum habemus ad Pa- Ephes. ii, 18.
trem ; et rursus, Per ipsum offeramus Hebr. xiii, 15.
hostiam laudis Deo semper. Christus ergo est ostium, quia per ejus Baptismum, per ejus passionem et gratiam, per ejus auxilium, incorporamur Ecclesiæ, ad patriam
D devenimus, Deo immediate unimur. Pro-
pterea Petrus testatur : Neque enim datum Act. iv, 12.
est hominibus aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat eos salvos fieri. Dicitur au-
tem Christus ostium, per similitudinem Joann. i, 29;
quamdam, quomodo dicitur agnus, leo, Apoc. v, 5; I Cor. x, 4;
petra, lucerna. Apoc. xxi, 23.

Omnes quotquot venerunt, fures sunt 8
et latrones. Non absolute de omnibus lo-
quitur Christus, quia superius laudavit Joann. v, 35, 46.
Joannem Baptistam et Moysen : sed de quibusdam pseudoprophetis qui non lon-

Digitized by Google

ge ante Christi adventum venerunt, qua- A
Act. v, 36, 37. les fuerunt Theodas et Judas Galilæus, de quibus scribitur in Actibus Apostolorum; vel de omnibus qui sine Christo, hoc est sine Dei verbo, venerunt, non missi a Deo, sed proprio sensu se ingerentes. De
Jer. xxiii, 21. qualibus Dominus ait per Jeremiam : Ipsi currebant, et ego non misi eos. *Sed non audierunt eos oves,* id est, finaliter ipsis non consenserunt, quamvis forte ad tempus deceptæ sint.

9 *Ego sum ostium* (sicut nunc dictum est). *Per me si quis introierit,* id est, qui B
secundum doctrinam et vitam meam conversatus fuerit, qui per fidem et gratiam meam congregationi fidelium se junxerit, si quis mihi intima caritate inhæserit, *salvabitur,* hoc est, æternam beatitudinem consequetur, nuncque a peccatis purgabitur : aliter Christus non esset Salvator.
Act. xv, 11. Unde in Actibus Petrus disseruit : Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari. *Et ingredietur, et egredietur,* id est, in latitudine caritatis et spiritus libertate versabitur, quia lex Christi C
II Cor. iii, 17. est lex amoris, et ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Itaque ingredietur, redeundo ad propriam conscientiam, examinando se ipsum, atque interioribus virtutum theologicarum actibus insistendo; et egredietur de habitu virtuoso in opus meritorium, de cognitione ad operationem, de via ad patriam. Egredietur quoque ad proximos, illis misericorditer condescendendo, consulendo, subveniendo, quem-
Galat. vi, 2. admodum dicit Apostolus : Alter alterius
Philipp. ii, 4. onera portate; et, Non quæ sua sunt sin- D
guli considerantes, sed quæ aliorum. Egre-
Thren. iii, 28. dietur demum quotidie, levando se super
Philipp. iii, 20. se, ut sit conversatio sua in cœlis, omnibusque terrenis ac sensibilibus rebus transcensis, sola cœlestia, spiritualia et
Ibid. 8. æterna contempletur, amet, recogitet, omnia arbitrans ut stercora propter eminentem scientiam Christi.

Et pascua, id est spiritualia alimenta, copiose *inveniet* in præsenti et in futuro. Nunc enim quotidie reficitur corpore et sanguine Salvatoris, incremento virtutum, consolatione interna, rivis sapientiæ, ceterisque donis et charismatibus Spiritus Sancti. His bonis anima se ipsam diligenter custodiens, ut Sponso suo cœlesti se incontaminatam exhibeat, feliciter impinguatur et confortatur, ita ut cibum fastidiat corporalem omnemque consolationem carnalem et sæcularem. Porro in patria inveniet pascua illa uberrima, quæ I Cor. ii, 9; Is. lxiv, 4.
oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt : ubi Deus est I Cor. xv, 28.
omnia in omnibus, omnesque Beati de ejus fruitione contentantur et superdulcissime satiantur.

Fur non venit, id est, seductor indi- 10
gnusve pastor non accedit fideles, *nisi ut furetur,* hoc est, oves Christi subtrahat Christo, et officium sibi indebitum præsumptuose usurpet. Quamvis enim dicat se hoc non intendere, tamen male agendo et debita omittendo, hoc facit. *Et mactet, et perdat,* id est, spiritualiter occidat, atque ad sempiternum perducat interitum. Tales sunt negligentes prælati, carnales, avari et ambitiosi : quibus Dominus ait per Ezechielem : Væ pastoribus qui pa- Ezech. xxxiv, 2, 3, 10.
scebant semetipsos. Lac comedebatis, et lana operiebamini, gregem autem meum non pascebatis; ego Dominus requiram gregem meum de manu eorum. *Ego veni* in mundum per incarnationem, et in publicum per prædicationem, *ut* oves *vitam* gratiæ *habeant* in præsenti, *et abundantius habeant,* id est, plenam felicitatem seu vitam gloriæ sortiantur in patria. De qua abundantia abundantique gloria cecinit Isaias : Gaudium et lætitia inveni- Is. li, 3.
etur in ea, gratiarum actio et vox laudis; itemque, Lætitia sempiterna super capita Ibid. 11; xxxv, 10.
eorum, gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI DECIMI, AB EO LOCO QUO DICITUR : EGO SUM PASTOR BONUS.

LOCUTUS jam fuit Dominus Jesus in A præcedenti lectione, de pastore in generali. Nunc tractat de pastore in speciali, videlicet de se ipso.

11 *Ego sum pastor bonus.* Secundum utramque suam naturam est Christus pastor, et pastor bonus. Secundum divinitatem quippe, pascit non solum intellectuales creaturas spirituali alimento, sed et omnia animata hæc inferiora pascit corporeo nutrimento, quemadmodum ait Psalmista :
Ps. CXLIV, 15, 16. Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Rursusque :
Ps. CXLVI, 9. Qui dat jumentis escam ipsorum. Hinc ait
Matth. VI, 26. Salvator : Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, et Pater vester cœlestis pascit ea. Quod vero Christus ut Deus sit hominum pastor in spiritualibus escis, constat ex eo quod ait
Ezech. XXXIV, 15. apud Ezechielem : Ego ipse pascam oves meas. Sic quoque est Christus pastor essentialiter bonus, et pura infinitaque bonitas. Secundum naturam vero assumptam, est pastor instrumentalis, per excellentissimam divinæ bonitatis participationem bonus. Est igitur pastor bonus, quoniam juste et caritative ac saluberrime alit fideles sanctitatis exemplo, sapientiæ verbo, oratione et signis. Denique tam affectuosus liberalisque pastor est, ut se ipsum præstet in cibum, per quem consequimur vitam æternam. Est autem Christus pastor summus, juxta illud Petri :
I Petr. V, 4. Quum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Est quoque pastor maximus, secundum
Hebr. XIII, 20, 21. illud Pauli ad Hebræos : Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono. Est etiam pastor unicus, summe singularis et potentissimus, cui nullus adversarius valet resistere : de quo Deus per Ezechielem ait, Suscitabo Ezech. XXXIV, 23.
super gregem meum pastorem unum, qui pascat eum, David servum meum, id est Christum. — Pascit itaque Christus suos electos in vita præsenti, pane lacrimarum, Ps. LXXIX, 6.
pane Eucharistiæ, pane justitiæ seu obedientiæ, de quo dictum est ante : Meus Joann. IV, 34.
B cibus est, ut faciam voluntatem Patris qui misit me.

Deinde Christus distinguit inter bonum et malum pastorem. *Bonus pastor,* qui ex caritate præest, et fovet sibi commissos, ut eorum cooperetur saluti, et simul cum illis salvetur, *animam suam,* id est vitam animalem, naturalem seu corporalem, *dat,* id est, morti exponit, *pro ovibus suis,* id est pro defensione atque salute gregis sibi commissi, imo cujuslibet eorum in certo casu, videlicet quando gregi C imminet salutis periculum : ut si hæretici, vel pagani, aut tyranni irrumpant Ecclesiam, conantes christianam plebem a fide vel æquitate avertere, et nemo sit qui possit tunc populum Dei confirmare in fide vel æquitate, si pastor abierit. Quum enim anima sit præstantior vita cor- Matth. VI, 25.
porali et corpore, debet prælatus qui pastor est animarum, pro salute sui gregis ad mortem esse paratus. Si autem sola temporalia subditorum quærantur ab adversariis, non oportet ut exponat se morti. D Talis pastor fuit Paulus, qui dixit : Ego II Cor. XII, 15.
ipse libenter impendam et superimpendar pro animabus vestris. Nec solum pastor,

Digitized by Google

sed et quilibet Christianus tenetur in ca- A su animam suam pro quocumque proximo ponere, utpote si proximus aliter peccatum mortale non possit evadere. Quilibet enim tenetur plus diligere animam proximi quam propriam pellem. Unde
I Joann. III, 16. apud Joannem scriptum est : In hoc apparuit caritas Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Si ista est ratio veri seu boni pastoris, nullus prælationem seu curam animarum præsumat optare vel adipisci, nisi se tantæ perfectionis B inveniat.

12 *Mercenarius autem, et,* pro id est, *qui non est pastor* verus, et ex consequenti nec pastor. Itaque, Mercenarius, id est falsus pastor, qui temporalis utilitatis intuitu seu proprii lucri affectu, qui propter divitias atque delicias vel mundi honores ac vanitates, facit ea quæ facit in pastorali officio, non sincero amore animarum proprii gregis, ad obtinendam vitam æternam. *Cujus non sunt oves propriæ,* id est, ad quem non pertinent per C dilectionem et debitam sollicitudinem, quia non quærit principaliter atque finaliter bonum ovium suarum, sed proprium emolumentum carnaleque commodum, vitam lautam, quietam et mollem ; *videt,* id est, considerat, percipit, vel corporaliter conspicit, *lupum venientem,* id est hæreticum, tyrannum, persecutorem vel seductorem, qui quærit animas falsa doctrina inficere, vel corpora violenter occidere, aut gregem ad peccata inducere. De ta-
Matth. VII, 15. libus equidem lupis dicit Salvator : At- D tendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Persecutores vero et tyranni, potentes et divites hujus mundi, sunt lupi aperti. *Et dimittit oves,* id est, gregi suo debitum auxilium non impendit, nec adversariis ovium debito ordine se opponit, illos excommunicando, et improbando eorum falsam doctrinam, irrationabilissimumque errorem monstrando; *et fugit,* vel locum mutando, vel solatium subtrahendo : quod valde absurdum est. Si enim non potest oves a corporali læsione vel damni illatione protegere, debet tamen eas ad patientiam animare, exemplis Sanctorum qui multa graviora perpessi sunt, consolari, futuræ vitæ beatitudinem commemorare, sicque subditos suos ab interiori læsione ac morte eripere, atque in omnibus se ipsum illis fortitudinis exemplum præbere.

Et lupus jam dictus *rapit,* id est, suæ voluntati ac malignitati subdit, *et dispergit,* id est, ab ecclesiastica unitate, caritate atque justitia dividit, *oves.* Si tamen sint oves per prædestinationem, tandem revertuntur, nec pereunt. Hinc per Ezechielem Dominus loquitur : Dispersæ sunt Ezech. oves meæ, eo quod non esset pastor. Et XXXIV, 5. Salomon profitetur : Ubi non est guber- Prov. XI, 14. nator, populus corruet.

Mercenarius autem fugit (modis præ- 13
fatis), *quia mercenarius est :* id est, ea ratione competit sibi imminente periculo fugere, quoniam temporalia commoda, non spiritualia subditorum lucra seu emolumenta, requirit; *et non pertinet ad eum de ovibus,* id est, ordinatum affectum debitamque diligentiam non habet ad eas. Pertinet utique ad eum de ovibus, quoniam eas pascere obligatur, et ratio de eis ab ipso requiretur; sed non pertinet ad eum de ovibus, id est, pertinenter se non habet ad eas. Pertinet ergo ad eum de ovibus, secundum justitiam Dei; sed non pertinet, quantum ad debitam curam.

His itaque verbis docet Salvator, quod pastor habere debet fortem ac stabilem mansionem cum ovibus suis, ut protegat eas ab occursu hostili, metuens ne eo absente, lupus, id est hostis invisibilis sive visibilis, dispergat et rapiat oves, vidensque lupum venientem, clamitet contra eum, et quidquid valet pro gregis faciat custodia. Hinc contra indignos mercenariosque pastores, contra negligentes, carnales ac pigros prælatos, scribitur apud Isaiam : Speculatores cæci, canes muti non Is. LVI, 10. valentes latrare, videntes vana et dormien-

Digitized by Google

Zach. xi, 17. tes. Zacharias quoque ait : O pastor et idolum, derelinquens gregem ; brachium ejus ariditate siccabitur. Oportet ergo prælatum vehementer esse sollicitum, ut sit Matth. xxiv, 45. servus fidelis et prudens quem constituit Dominus super familiam suam. Est enim custos eorum pro quorum salute unigenitus Filius Dei verus Deus, incarnatus atque occisus est : idcirco non minus solerter, affectuose atque sollicite custodire debet animas sibi commissorum, quam sanguinem Christi, si illum in propria specie haberet aliquo vase inclusum. Unde in Actibus Paulus hortatur prælatos : Act. xx, 28. Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Non igitur intumescat prælatus superbia, sed ornetur ac innobilitetur justitia : imo tanto exstet humilior, quanto ampliori indiget gratia ac misericordia Dei ; tantoque justior sit, quanto expressius Dei similitudinem gerit, et locum ipsius supplet. Hinc in Deuteronomio Moyses Deut. xvii, 20. præcepit : Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram.

Præterea qualis debeat esse pastor, docet Gregorius in Pastorali, dicendo : Oportet ut sollicite metiri se studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo prælatus cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per justitiæ zelum erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens. Hucusque Gregorius. De indigno demum pastore ait in homilia : Mercenarius est, qui locum prælationis in Ecclesia tenet, sed lucrum animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur. — Postremo, prælatus sic debet esse mitis, non iracundus, ut tamen non sit remissus, sed strenuus, pensans illud Apostoli ad Ephesios : Patres, nolite ad Ephes. vi, 4. iracundiam provocare filios vestros ; sed educate illos in disciplina et correctione Domini.

Sciendum quoque quod secundum Augustinum, tunc ministri Ecclesiæ seu pastores fugere possunt, quando eorum dumtaxat personæ quæruntur, vel eorum locum ac ministerium alii possunt supplere, quibus non est causa rationabilis fugiendi. Quum autem omnium commune exstat periculum seu generalis persecutio, clericorum videlicet et laicorum, vel singulariter laicorum seu subditorum, nec est qui plebi remanenti sufficienter ministret, nullo modo debent ministri Ecclesiæ fugere, nec illos deserere qui indigent ipsis.

Præterea docet Salvator proprietates boni pastoris sibi inesse. *Ego sum pastor* 14
bonus : sicut nunc dictum atque expositum est, et consequenter exponitur. *Et cognosco meas,* id est oves electas, quarum nomina scripta habeo in libro vitæ. Apoc. xxi, 27. Unde ad Moysen loquitur : Novi te ex Exod. xxxiii, 17. nomine. *Et cognoscunt me,* id est, cognoscendo sequuntur me, mihique per caritatem obediunt, *meæ,* id est oves electæ. Obediunt enim antequam moriantur, quamvis interdum diu rebelles sint. Palam omnino est, quod Christus secundum utramque naturam cognoscit oves suas duplici cognitione, utpote : contemplativa (de qua fatur Apostolus, Omnia nuda et aperta Hebr. iv, 13. sunt oculis ejus ; de qua etiam in Ecclesiastico legitur, Domino Deo antequam Eccli. xxiii, 29. crearentur, omnia sunt cognita) ; et item, cognitione operativa seu approbativa, qua providet suis de omnibus necessariis ad salutem : de qua cognitione Paulus testatur, Si quis diligit Deum, hic cognitus I Cor. viii, 3. est ab illo.

Sicut novit me Pater, et ego agnosco 15
Patrem. Verba ista dupliciter exponuntur : Primo, ut in eis determinetur modus quo Christus cognoscit oves suas, atque

ab eis cognoscitur. Eritque sensus : *Sicut* A *novit me Pater,* notitia amorosa et approbativa, *et* sicut æqualiter *ego agnosco Patrem* eodem modo, imo et eadem numero notitia, secundum quod Deus sum (sic enim trium Personarum est una notitia), subaudiendum est : Sic cognosco oves meas per amorem et approbationem, et cognoscor ab eis, quoniam gratæ sunt mihi, et obedientes. Hoc loco dictio, Sicut, dicit similitudinem aliqualem, non veram æqualitatem. Filius enim ut Deus, cognoscit Patrem, et a Patre cognoscitur, noti- B tia comprehensiva, æterna et infinita, quæ nulli est communicabilis creaturæ, juxta Matth. xi, 27. illud : Nemo novit Filium, nisi Pater ; neque Patrem quis novit, nisi Filius. Filius quoque ut homo, novit Patrem beatificæ fruitionis notitia, quæ non competit viatoribus. Amor etiam electorum ad Christum, non est æqualis amori Christi ad eos, nec mutuæ dilectioni Patris ac Filii. Designat ergo similitudinem quamdam. Juxta quem modum ait Joannes in sua I Joann. iv, 17. Canonica : Sicut Pater est, et nos sumus C in hoc mundo ; Paulus quoque, Tunc co- I Cor. xiii, 12. gnoscam sicut et cognitus sum ; et item Matth. v, 48. Salvator apud Matthæum, Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.

Secundo exponitur : *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem :* quod ideo dico, ut pateat ex quo fonte procedit, quod oves cognosco et diligo. Ex amore enim mutuo Patris et Filii, factum est ut Filius pro hominibus moreretur. Ideo subditur : *et animam meam pono,* id est, pœnis mortis expono ; vel, Animam, id est D vitam corporalem, pono in ara crucis, *pro ovibus meis,* ut a morte peccati ac inferi Is. liii, 12. liberentur. Unde Isaias dicit : Tradidit in mortem animam suam. Et Jeremias ait : Jer. xii, 7. Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum meorum. In his vero et similibus verbis, per animam suam intelligit Christus se totum perfectumque homi- Galat. ii, 20. nem : quemadmodum dicit Apostolus, In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Denique Christus non ait, Animam meam pono pro omnibus ; sed, Pro ovibus meis, puta electis. Nam licet Christus pro omnibus pas- Is. liii, 6; Rom. viii, 32; I Cor. xv, 22; II Cor. v, 15; I Tim. ii, 6. sus sit et satisfecit sufficienter, non tamen efficienter, quia in solis electis passio Christi fructificat per consecutionem sui finalis effectus, qui est salus æterna. Hinc Christus dixit in Cœna discipulis : Hic Matth. xxvi, 28 ; Luc. xxii, 20. est calix sanguinis mei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et in Isaia scriptum est : Ipse Is. liii, 12 peccata multorum tulit. Ait igitur Filius Dei, Sicut novit me Pater, etc., hoc est, moriendo pro ovibus ostendo quantum Patrem ovesque diligo, quia pro Patris honore et gloria homines redimo, et majorem Joann. xv, 13. caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Et alias oves habeo, hoc est, multi genti- 16
lium ad me pertinent meique sunt secundum prædestinationem æternam, quamvis secundum præsentem justitiam necdum sint oves, sed hœdi ac lupi. De quibus alibi ait Christus : Multi ab oriente et Matth. viii, 11. occidente venient, et recumbent cum Abraham in regno cœlorum. *Quæ non sunt ex hoc ovili,* id est de synagoga seu numero Judæorum. *Et illas oportet me,* non per coactionem, sed immobile beneplacitum, *adducere,* id est per apostolicam prædicationem et Spiritus Sancti illustrationem ad fidem colligere, et de erroribus variis in quibus erraverunt, ad catholicam veritatem atque ecclesiasticam unitatem perducere. Errabant enim alienati a vero pastore, et luporum dentibus patuerunt. Propter quod in prima sua Canonica asserit Petrus : Eratis aliquando sicut oves I Petr. ii, 25. errantes, sed conversi estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. Et Isaias : Omnes (inquit) nos quasi oves erra- Is. liii, 6. vimus, unusquisque in viam suam declinavit. *Et vocem meam,* id est evangelicam legem atque internam allocutionem, *audient,* credendo et obediendo, juxta illud in Psalmo : Populus quem non cognovi Ps. xvii, 45. servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Et Paulus : Notum (inquit) sit vobis Act. xxviii, 28.

Digitized by Google

quia gentibus missum est hoc salutare A Dei, et ipsi audient. Hoc Christus præinductis verbis adjecit, ne pro solis Judæis crederetur passurus vel missus, eo quod *Matth.* xv, 24. alibi dixerit : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.

Et fiet unum ovile, id est una Ecclesia seu una fidelium congregatio, ex electis Judæis atque conversis gentilibus constans : quæ dicitur una, propter fidei, spei caritatisque unitatem. Ipsa enim est unum mysticum corpus Christi, quod ab uno capite, scilicet Christo, gubernatur, uno B Spiritu Sancto vivificatur, una lege regulatur, uno fonte purificatur, uno pane reficitur, ab uno Patre regeneratur, ad unam patriam proficiscitur. Huic ovili prælati præsident ; hoc dæmones obsident, angeli protegunt, Christus triumphat. Christus ergo ex duobus populis nunc fecit unam *Is.* xxviii, 16; *Ephes.* ii, 20. Ecclesiam. Propter quod dicitur lapis angularis, quoniam sicut in lapide anguli uniuntur duo parietes, sic in Christo tanquam in capite, conjuncti sunt duo populi. *Ephes.* ii, 14. Propter quod Paulus ait : Ipse est pax C nostra, qui fecit utraque unum. Et apud *Zach.* vi, 13. Zachariam prædictum est : Ipse ædificabit templum Domino, et consilium pacis erit inter duos illos, puta Judæos et gentes. Hinc gentibus conversis loquitur Paulus : *Ephes.* ii, 19. Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum et domestici Dei. Et *Ibid.* 20-22. post pauca : Ipso (inquit) summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu D Sancto.

Et fiet *unus pastor,* id est, Christus qui fuit pastor Judæorum solum, fiet pastor Judæorum ac gentium. Et qui multos atque diversos habuerunt pastores, vel potius dissipatores, quantum ad gentes, quæ servierunt dæmonibus, convertentur, ac sortientur unum verum ac summum pastorem, videlicet Christum : de quo per *Zach.* xiii, 7. Zachariam Dominus dicit, Framea, suscitare super pastorem meum ; et Michæas ait, Ipse stabit, et pascet in fortitudine *Mich.* v, 4. Domini. Christus autem est solus et unicus pastor eo modo quo ait : Nolite vocari Rabbi ; unus est enim magister vester *Matth.* xxiii, 8. Christus. Nam alii non sunt pastores vel magistri nisi sub Christo, et ejus vicarii. Porro, quod ait, Fiet unus pastor, non est factum nec fit per mutationem in Christo factam, sed in ovibus, quæ feliciter immutatæ, ad Christum conversæ sunt. Sic enim Deus dicitur factus, non quasi in se ipso mutatus, sed propter novam habitudinem nostri ad eum, juxta illud in Psalmo : Domine, refugium factus es nobis. *Ps.* lxxxix, 1. — Et quamvis præhabita verba Christi nunc aliqualiter sint impleta, tamen in fine sæculi plenius implebuntur, quando detecta Antichristi perfidia, totus mundus, paucissimis Antichristi ministris exceptis, convertetur ad Christum. Tunc enim idololatria penitus destruetur, et omnes Judæi fidem christianam amplectentur.

Propterea me Pater diligit, quia ego 17
pono animam meam pro ovibus meis. Palam quod dilectio Patris ad Filium secundum ejus divinitatem, sit æterna, nec aliquid ejus causa est, vel eam præcessit. Similiter dilectio Patris ad Filium secundum ejus humanitatem, præcessit omne opus ac meritum Christi hominis. Ob id ergo quod Christus animam suam pro ovibus dedit in passione, Pater non diligit eum, quasi illa oblatio seu passio sit causa meritoria ob quam Filium diligit primo Pater : imo, nec nos diligit Deus propter merita nostra, quasi merita dilectionem præcesserint ; sed dilectio Dei qua a Deo præventi sumus, est causa omnis boni in nobis. Itaque, quod Christus animam suam posuit, est causa a posteriori, id est signum ostensivum, dilectionis Patris ad Filium secundum ejus humanitatem, quia et Pater ex sua dilectione præstitit Christo homini affectum atque constantiam moriendi pro nobis. Secundum hunc sensum infra ait Salvator : Ipse Pater amat vos, *Joann.* xvi, 27. quia vos me amastis. [Est igitur sensus :]

Digitized by Google

Propterea me secundum naturam assumptam, *Pater diligit,* imo et tota Trinitas, id est, diligere se ostendit, *quia ego pono animam meam,* id est, passioni expono, vel a corpore proprio separo, non interficiendo me ipsum, sed sponte moriendo, et adversarios meos non prohibendo. *Et iterum sumam eam,* id est, corpori meo eam tertia die reuniam.

18 *Nemo tollit,* id est, tempore passionis auferet, *eam a me,* quasi ab impotente et mori nolente. Nihilo minus Judæi et milites intulerunt Christo mortem, et ex vulneribus quæ ei inflixerunt, consecuta est separatio animæ Christi a corpore ejus. Sed hoc non fecerunt nisi Christo volente et permittente : qui unico nutu potuit eos prosternere atque occidere, sicut
Joann. xviii, 5, 6. in passione dicendo, Ego sum, projecit eos retrorsum, et ceciderunt in terram.
Is. liii, 7. Hinc scriptum est : Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Ideo subditur : *sed ego pono eam a me ipso,* id est, a corpore meo eam tolli permitto. Non enim separata fuit anima Christi unquam a Verbo ; nec etiam in hora mortis Christi ablata est anima ejus a corpore suo propter vim tormentorum, ex necessitate, sed ex Christi voluntate. Potuit enim, non obstante doloris vehementia, animam suam cum corpore continere quamdiu volebat. Unde ad ostendendum quam potestative ac sponte spiritum tradidit, in ipso momento mortis, quo alii taliter cruciati vix halitum trahere valent, ipse magna voce
Luc. xxiii, 46. clamavit : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Quod pensans centu-
Ibid. 47; Matth. xxvii, 54. rio non esse naturale, dixit : Vere hic Filius Dei fuit.

Potestatem habeo ponendi eam, id est animam meam modis præfatis passionibus exponendi atque a corpore separandi ; *et potestatem habeo iterum sumendi eam* in resurrectione, reassociando eam cum corpore. Hæc potestas competit Christo secundum naturam divinam. Ipse enim ut Deus, suscitavit se ipsum a morte ut hominem. Præterea oportet agnoscere quia secundum Damascenum, id quod Verbum assumpsit, nunquam deposuit. Idcirco in triduo mortis, erant corpus et anima Christi Verbo unita. Non tamen Verbum fuit tunc homo, quia fuerunt a se invicem separata corpus ejus et anima. Quamvis ergo Christus ut Deus, potuit animam et corpus suum a Verbo separare atque deponere, secundum potentiam suam absolutam, non tamen secundum potentiam ordinatam, quia non conveniebat sapientiæ et justitiæ Verbi, ut naturam semel assumptam deponeret.

Hoc mandatum, videlicet, ut ponam animam meam pro ovibus, *accepi a Patre meo,* qui per meam passionem et obedientiam decrevit redimere mundum. Pater autem præcepit Christo secundum quod homo est, divinam voluntatem et præordinationem circa humani generis liberationem implere. Propter quod ait inferius : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic fa- Joann. xiv, 31.
cio. Et Apostolus : Proprio (inquit) Filio Rom. viii, 32.
non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Et Petrus ait Judæis : Hunc Act. ii, 23.
definito consilio et præscientia Dei traditum, interemistis. Sed quum passio seu mors sit pœna debita culpæ, quomodo justus Pater voluit innocentem Filium omni culpa carentem, pati tantum supplicium ? Dicendum, quod pœna non solum pro culpa infligitur, sed pro aliis quoque causis diversis vult Deus hominem pati, ut dictum est plenius in præcedenti capitulo. Joann. ix, 3.

Dissensio iterum facta est inter Judæ- 19
os propter hos sermones Christi altos et insolitos. Quomodo autem facta sit ista
discordia subditur. *Dicebant autem multi* 20
ex ipsis penitus excæcati et indurati, ex beneficiis, signis ac sermonibus Christi deteriores effecti : *Dæmonium habet,* id est, arrepticius et obsessus est, sicque inspiratione diaboli loquitur ista profunda et rara, *et insanit,* id est, amens est, non compos propriæ mentis. *Quid eum audi-tis ?* quasi dicant : Fallimini eum audien-
do. Ecce quid Sapientia Dei et Sanctus I Cor. i, 24.
Sanctorum toleravit pro nobis. Imponi- Dan. ix, 24.

Ps. CXLVI, 5. tur ei amentia, cujus sapientiæ non est A
numerus. Imponitur ei quoque dæmonia-
Coloss. II, 9. ca obsessio, in quo habitat omnis pleni-
I Petr. II, 22. tudo Divinitatis corporaliter; qui pecca-
tum non fecit, nec inventus est dolus in
ore ejus. Nec legitur Christus hic respon-
disse. Discamus ergo verborum injurias,
detractiones, irrisiones, subsannationes,
æquanimiter ferre.

21 *Alii* veritati propinquiores, qui forte
post passionem ad Christum conversi sunt,
dicebant : Hæc verba tam docta, ordinata
ac móralia, *non sunt dæmonium habentis,* B
id est hominis obsessi et insani. Quod
probant. *Numquid dæmonium potest cæ-
corum oculos aperire,* eorum videlicet qui
connaturale lumen non habent in oculis,
qualium Christus aperuit oculos, quorum
unus fuit cæcus sic natus? Quam vero
mira atque stupenda fieri possint a dæ-
mone, etiam quasi in imperceptibili tem-
pore, patet in operibus magorum Phara- Exod. VII, 11, 12, 20-22; VIII, 7.
onis. Sed quæ totam facultatem et legem
naturæ transcendunt, facere nequeunt dæ-
mones. Quum enim sint agiles et subti-
lissimi, possunt celerrime naturalia, activa
et passiva applicare, ad invicem propor-
tionare, sicque producitur effectus mira-
bilis his qui causam et modum operationis
ignorant. Denique, sicut Job ait, operan- Job I, 12, 16.
te Satan, ignis descendit de cœlo, de-
voravitque oves et pueros custodientes.
Possunt igitur dæmones quorumdam cæ-
corum oculos aperire, eorum utique qui
interdum arte medicinæ curantur. Sed ta-
les cæci, non sunt penitus naturali visus
lumine destituti. Unde de talibus modo
non agitur.

ARTICULUS XXVII

EXPLANATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI DECIMI : FACTA SUNT ENCÆNIA IN JEROSOLYMIS.

OMNIA quæ in isto capitulo duobusque C
præcedentibus de Christo narrantur,
in Jerusalem contigisse videntur : ubi
quum Christus cæco nato visum dedisset,
multumque ad Judæos habuisset sermo-
22 nem ac disputationem, *facta sunt Encæ-
nia,* hoc est solennia dedicationis templi,
in Jerosolymis. Urbem Jerusalem Salomon
appellavit Jerosolymam. *Et hiems erat.* Ex
quo patet, quod nunc agitur de solenni-
tate dedicationis ordinata a Juda Macha-
bæo et fratribus ejus. Triplex quippe fuit
III Reg. VIII, 2 et seq. ordinata dedicatio templi : prima, a Sa- D
lomone, in autumno, decima die Septem-
I Esdr. VI, 15-17. bris; secunda, a Nehemia atque Zorobabel,
sub Jesu filio Josedec sacerdote magno,
I Mach. IV, 36-58. in vere, duodecima die Martii; tertia, a
Juda Machabæo, qui templum secundum
ab Antiocho profanatum, mundavit, con-
secravit et dedicavit, hoc est, divino usui
applicavit, tempore hiemis, quartadecima
die Decembris. Dicit quoque pluraliter,
Encænia, quoniam octo diebus duravit so-
lennitas ista. Unde scriptum est : Statuit I Mach. IV, 59.
Judas et fratres ejus, ut agatur dies de-
dicationis ab anno in annum, per octo
dies.

Et ambulabat Jesus in templo, hoc est 23
in quadam parte pertinente ad templi in-
tegritatem, videlicet *in porticu Salomonis,*
id est in oratorio facto ad similitudinem
oratorii in quo Salomon oravit in primo Cf. Act. III, 11.
templo ab ipso constructo. Hæc enim por-
ticus non fuit eadem cum illa quæ fuit
tempore Salomonis, quoniam illam cum IV Reg. XXV, 8, 9.
templo combusserunt Chaldæi; sed alia
similis : propter quod antiquum nomen
retinuit. In hac itaque porticu, in qua et

Digitized by Google

populus orare solebat, ambulabat Jesus, A de quo cantamus : Dominus in templo sancto suo. (Ps. x, 5.) — Simili modo, si anima nostra, quæ est templum Spiritus Sancti, (I Cor. III, 16, 17.) agat Encænia, id est commemorationem et innovationem consecrationis suæ, qua in fonte Baptismi dedicata et consecrata est Deo, eo modo quo monet Apostolus, Exspoliate vos veterem hominem cum actibus suis, et renovamini spiritu mentis vestræ; (Coloss. III, 9; Ephes. IV, 22, 23.) ambulabit Jesus in intellectu animæ, qui est porticus veri Salomonis, utpote Christi, quia in intellectu est oratio B interior, quo anima invocat Jesum. Ambulat autem Jesus in anima, dum in latitudine caritatis familiariter conversatur et operatur in ea, sicut per Moysen loquitur : Quia inhabitabo et ambulabo in eis. (Lev. XXVI, 12; II Cor. VI, 16.) Denique Deus immensus et incommutabilis pergit nobiscum, quando custodit introitum et exitum nostrum, (Ps. CXX, 8.) quemadmodum ait ad David : Fui tecum in omnibus, ubicumque ambulasti; (II Reg. VII, 9.) et ad Josue : Noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque C perrexeris. (Josue I, 9.)

24 *Circumdederunt ergo eum Judæi.* Quod isti circumdatores fuerint obstinati, infideles et reprobi, statim patebit in textu. Ideo circumdederunt Jesum mala intentione, ut aliquid raperent de ore ejus, quo eum accusarent. Unde cum multitudine et impetu accesserunt, ut inducerent Jesum ad incautam responsionem, quasi circumventum atque turbatum. Hinc ait in Psalmo : Circumdederunt me canes multi; (Ps. XXI, 17.) et, Circumdederunt me sicut apes. (Ps. CXVII, 12.) *Et di-* D *cebant ei,* quasi veritatem scire optantes, et adulantes, quum tamen insidiandi quærerent occasionem : *Quousque animam nostram tollis,* id est, corda nostra affligis, et in suspenso tenes, imo a nobis quodammodo aufers, dum jugiter occupantur circa te, considerando et inquirendo an sis Christus? Desiderium enim noscendæ veritatis cruciat mentem quousque ad illam pertingat. *Si tu es Christus, dic nobis palam.*

Judæi isti carnales præstolabantur, et posteri eorum hucusque exspectant, Christum in primo suo adventu sic futurum, quod esset rex potentissimus et mundi monarcha, atque omnia regna subjecturus Judæis : allegantes illud Isaiæ, Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit; (Is. LX, 12.) et illud Danielis, Omnes populi, tribus et linguæ servient ei; (Dan. VII, 14.) illud quoque Zachariæ prophetæ, Potestas ejus a mari usque ad mare : (Zach. IX, 10.) cui consonat illud Psalmistæ, Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. (Ps. LXXI, 8.) Si ergo Jesus aperte dixisset se esse Christum, statim accusassent eum Judæi, ut apparet, apud Pilatum, tanquam adversarium Cæsaris et Romanorum, qui tunc mundi monarchiam tenebant. Si vero diceret quod non, opponerent ei quod propriis contradiceret verbis. Frequenter enim insinuavit se esse Christum. Sed Christus sapientia Patris, corda universorum conspiciens, (I Par. XXVIII, 9.) et intentionum discretor, secundum Apostolum, (Hebr. IV, 12.) sic temperat responsionem, quod eorum machinationem facillime demolitur.

Respondit eis Jesus : Loquor vobis multa 25 de me ipso, quod sim Salvator mundi et Filius Dei, aliaque diversa, ex quibus sequitur quod sim Christus; *et non creditis* mihi, sed dæmoniacum me vocatis. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei,* id est divina miracula omnem creatam potestatem excedentia, quæ facio secundum Deum, et Deum Patrem invocando, *hæc testimonium perhibent de me,* hoc est, manifestant quod sim missus a Deo, et quod Deus operetur per me, atque talis sim qualem me esse affirmo. Christi nempe miracula fiebant ad suæ confirmationem doctrinæ, et ad testificationem sanctitatis suæ præcipuæ. Tanquam diceret : Vos quæritis an sim Christus, quasi parati credere soli verbo quod loquor; sed ego ad opera vos remitto, quæ firmiora sunt verbis : et quoniam operibus non creditis, patet quod nec verbis crederetis, sed animo calumniandi interrogatis. Ideo subditur :

Digitized by Google

26 *Sed vos non creditis, quia non estis* A *ex ovibus meis,* id est de numero electorum, videlicet pii, innocentes et simplices. II Thess. III, 2. Non enim omnium est fides, sed electorum dumtaxat. Quamvis non omnes credentes sint electi, omnes tamen viatores electi, sunt credentes, Hebr. XI, 6. quoniam sine fide impossibile est Deo placere, et teste Isaia, Is. XXI, 2. Qui incredulus est, infideliter agit. Act. XIII, 48. Propterea in Actibus scripsit Lucas : Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam. His verbis Christus ostendit se scire qui essent electi, et qui B præsciti, secundum quod infra testatur : Joann. XIII, 18. Ego scio quos elegerim. Ostendit quoque Act. IV, 12. quod non sit alicui salus nisi in ipso, videlicet per hoc quod est ovis ipsius. Per quod implicite significavit se esse Christum. — Quæritur, quomodo verum est quod Veritas asserit : Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis? Nam esse ovem Christi, est esse prædestinatum, vel ex prædestinatione esse fide et actu fidelem : ergo non esse ovem, est esse præscitum seu reprobatum. Quamvis au- C tem prædestinatio divina sit omnis boni causa in anima, reprobatio tamen divina non est causa malorum nostrorum. Ergo non esse ovem Christi, seu esse præscitum, non est causa non credendi. Dicendum, quod prædestinatio non est ex meritis nostris, sed reprobatio est ex nostris demeritis. Ideo reprobatio non est causa per se et immediata non credendi, sed propria culpa. Est tamen signum et causa per accidens non credendi, quemadmodum nautæ absentia est causa submersionis. D

27 *Oves meæ vocem meam audiunt.* Si de solo corporali loqueretur auditu, isti quoque Judæi quibus præsentialiter respondebat, oves fuissent. Loquitur ergo præcipue de interiori auditu, id est obedientia et consensu, ut sit sensus : *Oves meæ,* id est homines quorum corda per gratiam nutrio, atque multiplici spiritualis alimoniæ cibo conforto, *vocem meam audiunt,* hoc est, verbis evangelicæ legis, vel inspirationi internæ, quæ verba audiunt immediate a me vel a prædicatoribus meis, obediunt, saltem antequam de hoc sæculo auferantur. Joann. VIII, 47. Qui enim ex Deo est, verba Dei audit; Eccli. III, 31. et auris bona, cum omni concupiscentia audiet sapientiam. *Et ego cognosco eas* cognitione dilectiva et approbativa : de qua dicit Apostolus, II Tim. II, 19. Novit Dominus qui sunt ejus. *Et sequuntur me :* id est, vias a me tritas, utpote per opera mea, incedunt; Matth. XI, 29. discunt a me, quia mitis sum et humilis corde; Ephes. V, 2. ambulant in dilectione ad proximos suos, sicut et ego eos dilexi; Luc. IX, 23. implent quod dixi, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Sequuntur insuper Christum, transeundo de via ad patriam, Joann. XII, 26; XIV, 3; XVII, 24. ut ubi est Christus, et illi sint secum.

28 *Et ego vitam æternam do eis,* puta me ipsum, et gratiam atque opera meritoria quibus ad futuram beatitudinem perducentur, quam nunc habent in spe, in radice et merito, habituri tunc eam in re et præmio. *Et non peribunt in æternum,* licet ad tempus variis persecutionibus, tentationibus atque molestiis fatigentur, quemadmodum scriptum est : II Tim. III, 12. Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Rom. VIII, 28. His enim omnia cooperantur in bonum; Ps. I, 3. et omnia quæcumque faciunt, prosperantur. Finaliter ergo salvantur, et tanto pleniori beatitudine perfundentur, feliciusque requiescent in patria, quanto nunc amplius vilipenduntur, tentantur ac tribulantur. Quod cernentes reprobi, dicent in fine sæculi illud Sapientiæ : Sap. V, 4, 5. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem sine honore : quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est?

Et non rapiet eas quisquam de manu mea, id est, nullus hostis, sive visibilis, sive invisibilis, poterit electos meos mihi auferre, vel de potestate atque custodia mea per violentiam tollere, avertendo eos finaliter a me, quamvis ad tempus possint seduci ac deviare. De hoc multa introducit Apostolus ad Romanos : Rom. VIII, 33. Quis,

Digitized by Google

inquit, accusabit adversus electos Dei? Et, *Rom.* VIII, 35. Quis nos separabit a caritate Christi? Et, *Ibid.* 38, 39. Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu. Prædestinatio equidem includit omnia quæ electis necessaria sunt ad salutem : ideo comprehendit auxilia quibus indigent prædestinati, ad hoc quod non vincantur, neque a Christo finaliter separentur. Manus enim seu potestas Christi protegit eos, quemadmodum per Sapientem inducitur : *Sap.* V, 17. Quoniam dextera sua teget eos, et brachio suo defendet illos. Quod autem nullus valeat eos rapere de manu Christi, est quoniam Christus omnipotens est, sicut et Pater : idcirco ei prævalere nullus potest. Propter quod sequitur :

29 *Pater meus quod dedit mihi,* id est divina essentia et deitas vera, quam Pater generando mihi communicavit. Pater enim totam divinitatis plenitudinem transfundit in Filium. *Majus omnibus est,* hoc est, universa in infinitum excedit, non quantitate corporea, sed dignitate atque potentia, imo et omni perfectione simpliciter dicta. In spiritualibus namque idem est esse majus, et esse melius, dignius sive perfectius. Pater ergo totum quod habet, Filio communicavit, secundum quod infra Filius protestatur : *Joann.* XVI, 15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Superius quoque dixi, *In Joann.* III, 35. quod Deus Pater seu Trinitas majus bonum dedit Christo, secundum naturam assumptam, quam toti universo, videlicet esse unitum Verbo hypostatica unione, et tantam habere gratiam et caritatem et fruitionem, quod major creaturæ communicari non potest. Nunc tamen est sermo de datione generationis æternæ, atque divinæ essentiæ communicatione.

Et nemo potest rapere, id est, nullus adversarius valet oves violenter auferre, *de manu,* id est potestate, *Patris mei :* de quo scriptum est, *Job* XXIII, 13. Cogitationem ejus nemo avertere potest, et anima ejus quodcumque voluit fecit. Unde Jeremias ait : Quis similis mei? aut quis sustinebit me? *Jer.* XLIX, 19. et quis est iste pastor qui resistat vultui meo? Ipse est Deus gloriosus et fortis, *Deut.* XXVIII, 58; *Ps.* XXIII, 8. terribilis atque liberrimus : qui cujus vult miseretur, et quem vult indurat; *Rom.* IX, 18. qui ait per Isaiam, Consilium meum stabit, *Is.* XLVI, 10. et omnis voluntas mea fiet. Ipse est qui æterna suos custodit vigilia, et per angelos ac homines sanctos plebem suam gubernat, qui vasa misericordiæ præparavit *Rom.* IX, 23. in gloriam. Quamvis interea Patris et Filii sit una manus, seu divina et increata potestas, ob quam quæcumque facit Pater, *Joann.* V, 19. hæc et Filius similiter facit, tamen ipse Filius solet dici manus et brachium Patris, *Ps.* XCVII, 1. quia per Filium omnia facit Pater. *Joann.* I, 3. Nam in communi modo loquendi, ille dicitur manus alterius, per quem frequentius operatur. Sic Spiritus Sanctus asseritur digitus Dei, *Luc.* XI, 20. quia per Spiritum Sanctum indicantur seu revelantur divina secreta. Hinc loco præsenti, per manum Patris, quidam intelligunt Filium : de quo cecinit Isaias, *Is.* LII, 10. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium. Quod vero utriusque sit una potestas seu omnipotentia, pandit adjiciens :

30 *Ego,* secundum naturam Verbi, *et Pater, unum sumus,* hoc est substantialiter idem, et in personis distincti. Dicendo, Unum, notatur essentiæ unitas individualis, non generica sive specifica, sed mera naturæ identitas. Per quod confunditur hæresis Arianorum, dicentium Filium esse puram creaturam, et substantialiter a Patre distinctum. Dicendo autem, Sumus, insinuat distinctionem personæ. Per quod reprobatur Sabelliana loquacitas, dicens eamdem esse personam Patris ac Filii, ut Deus dicatur Pater, ratione creationis, Filius, ratione incarnationis, Spiritus Sanctus, ratione sanctificationis, quia per gratiam sanctificat rationalem creaturam.

31 His auditis, *sustulerunt lapides Judæi* lapidea corda habentes, *ut lapidarent eum* tanquam blasphemum, quoniam lex

Lev. xxiv, 16. præcepit lapidari blasphemos. Æmulato-
Rom. x, 2. res autem legis erant, et æmulationem Dei
habebant, sed non secundum scientiam :
quoniam Christus tot argumentis monstra-
vit se esse Deum, quod ei in hoc contra-
dicendum non fuit, præsertim quia Pro-
phetæ manifeste prædixerunt Christum
Deum fore et hominem, sicut ubertim
ostensum est ante.

32 *Respondit eis Jesus,* non ex eorum ap-
paratu perterritus, sed ipsorum insaniam
blande refrenans, ac disserens : *Multa bo-
na opera ostendi vobis ex Patre meo,* id
est, coram vobis feci, docendo, atque mi-
racula perpetrando et ægros curando. *Pro-
pter quod eorum opus me lapidatis,* id est,
lapidum ictibus occidere vultis? Nam et
istud documentum quo dixit, Ego et Pater
unum sumus, fuit utique bonum opus,
33 quia articulus fidei. *Responderunt ei Ju-
dæi,* lapides habentes in manibus, et bra-
chia ad projiciendum in Jesum extenta :
De bono opere non lapidamus te. Quamvis
enim nondum lapidare cœpissent Jesum,
tamen tam firmum propositum habuerunt
hoc protinus faciendi, quod jam se il-
lum lapidare dixerunt. *Sed de blasphemia.*
Mentiuntur, quia quod ipsi blasphemiam
reputabant, fuit actus virtutis, et prote-
statio veritatis. Cur autem blasphemasse
dixerunt Jesum subjungitur. *Et quia tu
homo quum sis, facis,* id est, esse affir-
mas, *te ipsum Deum,* id est Dei Filium,
Deo Patri consubstantialem, Ego (inquiens)
et Pater unum sumus. Hoc verum fuit,
sed ipsi id falsum reputabant, ignorantes
scripturas Prophetarum, quæ duplicem in
Christo docent esse naturam, Isaia dicen-
Is. ix, 6. te : Puer natus est nobis, et vocabitur Ad-
mirabilis, Deus, Fortis, Pater futuri sæ-
Jer. xxiii, 6. culi; Jeremia quoque, Hoc est nomen quod
vocabunt eum, Dominus justus noster. Isti
Judæi concesserunt Jesum opera bona fa-
cere, et tamen esse blasphemum : quæ
simul nequeunt stare. Si enim fuisset bla-
sphemus, Deus ejus doctrinam et conver-
sationem non confirmasset et approbasset
miraculis.

Respondit eis Jesus, ostendens se nil 34
mali dixisse, sed illos errare : *Nonne scri-
ptum est in lege vestra,* id est in libro Psal-
morum pertinente ad veteris legis Scri-
pturas. Lex quandoque accipitur solum
pro quinque libris Moysis, ut quum ait
Salvator : Oportet impleri omnia quæ scri- Luc. xxiv, 44.
pta sunt de me in lege, et Prophetis, et
Psalmis. Quandoque vero accipitur pro
Pentateucho et libro Psalmorum, ut ibi :
Lex et Prophetæ usque ad Joannem. In- Ibid. xvi, 16.
terdum, pro tota serie Scripturarum vete-
ris Testamenti, ut nunc. *Quia ego dixi* Ps. lxxxi, 6.
ad vos, o judices et Prophetæ : *Dii estis,*
non natura, sed gratia, non essentialiter,
sed participative.

Si, pro quia, *illos* homines *dixit* Deus 35
verus per Psalmistam *deos,* per partici-
pationem et imitationem perfectionis di-
vinæ (sicut ad Moysen loquitur in Exodo,
Ecce constitui te deum Pharaonis), *ad quos* Exod. vii, 1.
sermo Dei factus est, videlicet Patriarchas,
Prophetas et judices sanctos : de quibus
ad Hebræos, Multifarie multisque modis Hebr. i, 1.
olim Deus loquens patribus in Prophetis;
et Amos, Non faciet Dominus verbum, ni- Amos iii, 7.
si revelaverit secretum suum ad servos
suos Prophetas. Quod enim isti dii vocen-
tur, patet ex eo quod Moyses ait in Exo-
do : Diis non detrahas; itemque, Dominus Exod. xxii, 28.
domus applicabitur ad deos, hoc est ad Ibid. 8.
judices. *Et non potest solvi,* id est cor-
rumpi seu falsificari, *Scriptura.* Cœlum Luc. xxi, 33.
enim et terra transibunt ; verba autem
Dei, puta Scripturæ sacræ, non transibunt,
ut Christus testatur apud Lucam. Qui de-
nuo ait : Unus apex vel unum iota non Matth. v, 18.
præteribit de lege, donec omnia fiant. Pro-
pter quod ait Psalmista : Initio cognovi Ps. cxviii, 152.
de testimoniis tuis, quia in æternum fun-
dasti ea. *Quem Pater sanctificavit, et mi-* 36
*sit in mundum, vos dicitis, Quia blasphe-
mas :* hoc est, mihi quem Pater æternus
sanctificavit (id est, sanctum fecit, secun-
dum quod homo sum, implendo animam
meam plenitudine gratiarum, donorum at-
que virtutum, et ab omni culpa præser-
vando; vel, Sanctificavit, id est, substan-

Digitized by Google

tialiter sanctum genuit, secundum quod A
Deus sum, quoniam generando me, communicavit mihi eamdem sanctitatem quam habet ipse, quæ est divina essentia, puritas supersplendidissima, fontana et infinita), et misit in mundum (per humanæ naturæ assumptionem, visibilem apparitionem, ac novorum effectuum productionem, quamvis secundum divinitatem fuerim ante incarnationem in mundo, implens, conservans et ambiens mundum), vos blasphemi dicitis, Quia blasphemas, id est, quod Dei est, puræ creaturæ adscri- B
bis, *quia dixi, Filius Dei sum* naturalis et unicus? Nam Deum vocando Patrem, declaravit se esse ejus Filium. Tanquam dicat : Si illi ad quos sermo Dei factus est, sine blasphemia dii feruntur, multum erratis, qui mihi Sancto Dei, sanctificato a Patre et specialiter in mundum misso, imponitis crimen blasphemiæ, eo quod dixi me esse Filium Dei, quum certum sit me esse majorem illis ad quos factus est sermo Dei, quoniam ego sum Verbum et sermo Dei, et de mea divini- C
tate sunt locuti Prophetæ.

Marc. I, 24.

Advertendum quod aliquid dicitur deus multipliciter : Primo, propter naturæ veritatem. Sic sola Trinitas est Deus : de quo legitur, Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. Secundo, propter sanctitatis prærogativam et gratiæ eminentiam : quemadmodum scriptum est de Apostolis, Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt. Tertio, propter mirabilium efficientiam et potentiæ magnitudinem : sicut ad Moysen dicitur, D
Constitui te deum Pharaonis. Quarto, propter sapientiæ profunditatem. Sic homines contemplativi, multum eruditi, et de divinis alte scribentes, dii dicuntur, ut Dionysius, Hieronymus, ceterique excellentes doctores. Quinto, propter hominum erroneam æstimationem, qui idolis et dæmonibus divinitatem adscripserunt, juxta illud in Psalmo, Omnes dii gentium dæmonia. Porro philosophi intelligentiis, stellis et orbibus, quos animatos ponebant,

Deut. XXXII, 39. — *Ps.* XLVI, 10. — *Exod.* VII, 1. — *Ps.* XCV, 5.

divinitatem participatam attribuebant, propter similitudinem cum perfectione divina in sapientia, potestate, causalitate et gubernatione. Unde Plato in Timæo inducit summum deum loquentem ad illos : O dii deorum ! quorum pater opifexque ego. Aristoteles quoque fatetur, quod homo solus, est deus vel bestia, non utique per essentiam, sed mutationem, hoc est divinus vel bestialis. Verumtamen, secundum Augustinum, sacra Scriptura non attribuit angelis nomen divinitatis, ne detur hominibus idololatriæ occasio.

Si non facio opera Patris mei, id est 37
opera miraculosa soli divinæ virtuti possibilia, sicut sunt cordium arcana reserare, mortuos suscitare, cæcum natum illustrare, *nolite credere mihi* dicenti quod sim Christus Filius Dei. Non enim omni spiritui est credendum. Et qui cito credit, levis est corde. Possunt autem per opera Patris facta a Christo, intelligi sanctissima conversatio ejus, qua semper Patrem honorificavit, et ejus placitum adimplevit; inenarrabilis quoque patientia ejus in omni adversitate. Hæc omnia protestantur quod vera sint verba ipsius : quia secundum philosophos, operatio arguit formam, et qualis quisque est, talia operatur et loquitur. Propter quod ait Salvator : A fructibus eorum cognoscetis eos.

I Joann. IV, 1. — *Eccli.* XIX, 4. — *Joann.* VIII, 49, 29. — *Matth.* VII, 16.

Denique in miraculis Christi, duo mira et incomparabiliter digna pensantur : Primum, quod ea egit propria potestate, solo imperio, in instanti, ut sæpius, quamvis interdum Patrem invocaverit, et mora aliqua fuerit usus, ad ostendendum suæ incarnationis veritatem et Patris auctoritatem. Secundum, quod discipulis tradidit potestatem faciendi miracula etiam majora quam ipse per se in mundo conversans effecit. Hoc enim nequaquam humanæ, imo nec angelicæ est virtutis, dare aliis potestatem atque dominium quoddam super naturas creatas, et ultra omnem naturalem rerum facultatem, legem ac ordinem. Dixit nempe Apostolis apud Matthæum : Infirmos curate, mortuos sus-

Joann. XI, 41, 42. — *Ibid.* XIV, 12. — *Matth.* X, 8.

Digitized by Google

citate, dæmones ejicite. Hæc sunt opera A
Patris, imo totius Trinitatis, cujus dum-
taxat est creaturis talem conferre vir-
tutem.
38 *Si autem,* id est quia, *facio* opera Patris
cœlestis, *et si mihi non vultis credere,*
quasi propter reverentiam personæ meæ,
vel propter nuda verba, *operibus credite,*
et mihi propter opera. Majus ergo ac cer-
tius est testimonium operis, quam ser-
monis. *Ut cognoscatis,* nunc per donum
intellectus, et in futuro per speciem, *et*
credatis jam per fidem formatam, *quia* B
in me est Pater, per circumincessionem
atque essentiæ identitatem et majestatis
æqualitatem ac unitatem, *et ego* secundum
quod Deus, sum *in Patre* eodem modo
quo ipse in me. Pater quoque et tota Tri-
nitas, est in Filio secundum naturam hu-
manam, per singularem et summam gra-
tiæ inhabitationem, immobilem in bono
conservationem, atque præcipuam fami-
liaritatem. Itemque Filius secundum na-
turam hanc, est in Patre seu Trinitate,
per maximam dilectionem, beatissimam C
fruitionem, et plenam in bono confirma-
tionem.
39 *Quærebant ergo* increduli isti *eum ap-*
prehendere ad occidendum, de tam ra-
tionabili responsione non emendati nec
Prov. xviii, 2. persuasi, sed pejores effecti. Non enim
Ibid. 3. recipit stultus verba prudentiæ ; et im-
pius, quum in profundum peccatorum ve-
nerit, contemnit. *Et exivit de manibus*
Luc. iv, 30. *eorum,* transeundo per medium ipsorum,
factus invisibilis eis, quemadmodum in
Joann. viii, 59. fine octavi capituli elucidatum est ple- D
40 nius. *Et abiit iterum trans Jordanem, in*
eum locum ubi erat Joannes Baptista *ba-*
ptizans primum, id est, antequam ab He-
rode incarceraretur; vel, Primum, id est,
priusquam Christus et ejus discipuli ba-
ptizaverunt. *Et mansit* Jesus *illic,* id est
in loco illo, videlicet eremo Jordani vici-
na, cum Apostolis.
41 *Et multi* Judæorum *venerunt ad eum,*
Ibid. i, 29, 36. forsitan recordati verborum Joannis, qui
ibi dixit de Jesu, Ecce Agnus Dei; *et di-*
cebant, ad probandum quod Jesus esset
major Joanne et verus Messias : *Quia Jo-*
annes quidem signum fecit nullum. Non
enim fecit aliquod miraculum, ne popu-
lus haberet nimiam occasionem reputandi
quod Joannes esset Messias, sicque diffi-
cilius converterentur ad ipsum. Sed Chri-
sto reservata sunt signa, quemadmodum
Isaias prædixit : Ecce Deus vester ipse ve- Is. xxxv, 4-6.
niet, et salvabit vos. Tunc aperientur ocu-
li cæcorum, et aures surdorum patebunt;
tunc saliet sicut cervus claudus, et aper-
ta erit lingua mutorum. Ex hoc autem
quod Joannes, quo inter natos mulierum Matth. xi, 11.
non surrexit major, nullum operatus est
signum, docemur non habere inanem ad
miracula facienda affectum. Non enim fa-
ciunt, sed interdum ostendunt sanctita-
tem; ubertimque talis affectus, ex quadam
latenti nascitur vanitate atque superbia.
Unde quidam sanctissimi patres, qui fa-
cillime poterant maxima operari miracu-
la, ut abbas Pastor et Sisois, omni modo
refugiebant occasionem hujusmodi ope-
rum, haud dubium quin propter eximiam
humilitatem. Dixerunt quoque : *Omnia* 42
autem quæcumque dixit Joannes de illo,
id est, universa quæ Joannes Baptista de
Jesu isto prædixit et docuit, *vera erant,*
id est, illa impleta videmus, vel mox im-
plenda sunt. Ex hoc arguebant quod Joan-
nes fuit verus Propheta, et per consequens
standum esset verbis ejus de Jesu, quod Joann. i, 29-34.
esset Messias, sicque credebant. Propter
quod subditur :

Et multi credebant in eum. Hoc intel-
ligi potest dupliciter : Primo sic : Multi,
hoc est omnes isti venientes ad Jesum,
qui multi fuerunt, credebant in Jesum.
Secundo sic : Multi, id est magna pars
istorum. Prima tamen expositio videtur
litteræ magis consonare. Quamvis autem
Joannes nullum molitus est signum, ta-
men propter manifestam atque eximiam
ejus sanctitatem, idoneum reputabant te-
stimonium ejus : imo conceptio et nati-
vitas, totaque insuper conversatio ejus,
mirabilis supernaturalisque fuit.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVIII

DECLARATIO CAPITULI UNDECIMI : ERAT AUTEM QUIDAM LANGUENS LAZARUS A BETHANIA.

Joann. x, 40. HABITUM est in fine præcedentis ca-
pituli, quod Jesus relinquens Jeru-
salem et Judæos qui eum comprehendere
et lapidare moliti sunt, abiit trans Jorda-
nem, in locum quo baptizavit Præcursor.
Quumque illic cum suis maneret discipu-
lis, contigit quod in hujus capituli narra-
1 tur exordio. *Erat autem quidam languens*
nomine *Lazarus* oriundus *a Bethania,* vil-
la inter quam et Jerusalem medius fuit
mons Oliveti : oriundus, inquam, *de ca-
stello Mariæ* Magdalene, *et Marthæ soro-
ris ejus :* quia in villa illa fuit castrum
in quo feminæ istæ demorabantur cum
fratre suo. Eratque magnus honor Lazari,
quod talium ac tantarum exstitit frater
sororum. Solet autem languor accipi pro
gravi inviscceratoque morbo : ex quo elici
potest, quod infirmitas Lazari naturaliter
incurabilis fuit, quemadmodum rei exitus
demonstravit.

Deinde Evangelista determinat quæ fuit
2 ista Maria. *Maria autem erat quæ un-
xit Dominum* Jesum *unguento,* quod fu- (*Matth.* xxvi, 7; *Joann.* xii, 3.)
dit super caput et pedes ipsius, pro reve-
rentia, et refrigerio caloris atque laboris
ipsius, qui propter nostram salutem dis-
currebat per loca, prædicando et signa
agendo, hieme ac æstate; *et extersit pedes*
ejus capillis suis. Nam lacrimis contri- (*Luc.* vii, 38.)
tionis pedes Jesu rigavit, eosque crinibus
suis siccavit. *Cujus frater Lazarus infir-
mabatur.* An ista Maria sit illa de qua
scribit Lucas, quæ ibi appellatur pecca- (*Ibid.* 37.)
trix, dissensio est inter Sanctos. Hiero-
nymus enim et Chrysostomus dicunt quod
non; Augustinus vero et Gregorius dicunt
quod imo. Sed de hoc transeo nunc, quia
super Matthæum, capitulo vicesimo sexto, (*Matth.* xxvi, 7.)
longam disputationem induxi de hoc, te-

A nuique cum Augustino et Gregorio, quod
sit eadem Maria, et quod bis unxit Chri-
stum unguento : semel in Galilæa, vel in
Jerusalem secundum quosdam, ex con-
tritione, ut recitat Lucas; et semel in Be- (*Luc.* vii, 37, 38.)
thania, ex reverentia et devotione, quem- (*Joann.* xii, 3.)
admodum sequenti patebit capitulo.

Miserunt ergo sorores ejus ad eum, 3
dicentes per internuntium : *Domine, ecce
quem amas infirmatur.* Tanquam dice-
rent : Quomodo poteris sustinere ut ami-
cus tuus tam prædilectus laboret? vel quo-
B modo poteris differre sive negare quin ad
eum curandum accedas? Non explicant
quid affectent, sed ex verbis præhabitis,
sciunt Jesum considerare quid cupiant;
et quoniam de ejus familiaritate ac ami-
citia præsumebant, arbitrantur sufficere
ut causam insinuent. Et talis insinuatio
ponitur species orationis, sicut quum Vir-
go benedicta dixit ad Filium suum, Vinum (*Ibid.* ii, 3.)
non habent. Nec decuit eas personaliter
ire ad Jesum : tum quoniam feminæ erant,
quas non decet discurrere, dummodo per
C alios queant sua negotia expedire; tum
quoniam frater languidus indigebat ea-
rum consolatione, obsequio atque præsen-
tia, nec ipsæ libenter recessissent a fra-
tre tam carissimo, qui fuit strenuus ac
nobilis miles, dives et justus, ac Christi
discipulus, eo modo quo Joseph ab Ari- (*Ibid.* xix, 38-42.)
mathea et Nicodemus. Non dicunt cum
regulo, Domine, descende antequam mo- (*Ibid.* iv, 49.)
riatur, credentes quod absens posset cu-
rare; nec cum centurione, Domine, ne (*Matth.* viii, 8.)
intres, sed tantum dic verbo. Sed modum
D subveniendi Christo committunt, tanquam
sapientiori. Ita et nos facere par est, quum
a superioribus aliquid postulamus, vide-
licet, ut modum exaudiendi committamus

Digitized by Google

bonitati atque discretioni eorum, nisi forte ex hoc immineret periculum.

Porro, si sorores istæ fuissent perfectæ in fide, scivissent Christo cuncta constare, tanquam Deo et homini, nec oportuisse ei nuntium mittere (videntur quippe putasse quod Christum latuerit infirmitas
Matth. vi, 6. Lazari); sed flexis genibus, clauso cubiculo, exorassent Jesum universa cernen-
Dan. xiii, 42. tem, dicentes : Domine, qui absconditorum es cognitor, ecce quem amas infirmatur. Nec mirum si nondum talem fidem habuerunt, quia nec Apostoli habuerunt pro tunc hujusmodi fidem de Christo. — Utuntur demum verbo tam affectuoso ac blando, Ecce quem amas, ut Jesum ad misericordiam inclinarent, quem noverant pietatis visceribus plenum.

4 *Audiens autem Jesus* verba sororum per nuntium, *dixit eis,* id est, per eumdem nuntium respondit mandavitque Mariæ et Marthæ : *Infirmitas hæc non est ad mortem* solito modo durantem, ut ibi sistat, id est, principaliter non est ordinata ad vitæ exstinctionem : quamvis per eam fuerit vita corporalis exstincta. Infirmitas quippe dicitur esse ad mortem, non ideo solum quoniam mortem inducit, sed quia mortem usque ad futuram in fine sæculi resurrectionem durantem ope-
Job xiv, 12. ratur, juxta illud beati Job : Homo quum dormierit, non resurget; donec atteratur cœlum, non evigilabit. *Sed pro gloria Dei,* id est, ad manifestationem divinæ potentiæ ordinatur; vel, Pro gloria Dei, id est ad gloriosam seu miram resuscitationem defuncti soli Deo possibilem, ut in illa
Sap xvi, 13. declaretur excellentia Dei, qui habet imperium vitæ ac mortis; *ut glorificetur,* id est, gloriosus appareat, verusque Christus esse noscatur ac honoretur, *Filius Dei per eam,* tanquam per viam ac medium, et per reparationem ejus, hoc est per miraculosam resurrectionem morientis, tanquam per causam materialem in qua potestas et veritas Jesu Filii Dei demonstrabitur. Suscitatio etenim Lazari adeo fuit miraculosa, quod non potuit esse nisi a Deo.

A Idcirco Deus, qui per Jesum eam effecit, ostendit veram esse doctrinam Jesu, et per consequens quod esset Messias, et Filius Dei naturalis Patri consubstantialis, sicut personaliter docuit.

Primo dixit Jesus, quod infirmitas ista fuit pro gloria Dei; moxque adjecit, Ut glorificetur Filius Dei per eam. Quibus utique verbis duo ostendit : primo, quod una ac eadem sit gloria Dei et Filii Dei; secundo, quod Filius Dei sit Deus. Et sicut hujus Lazari languor fuit pro gloria Dei,
B ut glorificaretur Filius Dei per eam; sic et infirmitas filii viduæ, ægritudo quoque Luc. vii, 12.
filiæ Jairi, fuerunt non ad mortem, sed Ibid. viii, 41, 42.
pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eas : magis tamen infirmitas Lazari quam illorum, quia per resuscitationem Lazari excellentius, latius et evidentius clarificatus est Jesus. Fuit quippe suscitatio ista mirabilior quodammodo, atque famosior : mirabilior, quoniam quatuor vers. 17.
dies habuit Lazarus in monumento, alii duo eodem sunt die suscitati quo morie-
C bantur (quod certum est de filia Jairi, non tamen certum est de filio viduæ); item, quoniam prodiit de sepulcro ligatus ma- vers. 44.
nus et pedes institis. Fuit quoque famosior, propter dignitatem personæ defuncti, qui fuit notissimus et præclarus; et propter locum, qui fuit vicinus Jerusalem; et propter multitudinem notabilium Judæorum qui aderant.

Diligebat autem Jesus Martham hospi- 5
tam suam, *et sororem ejus Mariam* disci- Luc. x, 38; Joann. xii, 2.
pulam suam præcipuam, *et Lazarum* in
D exterioribus strenuum, interioribusque devotum. Nonne Jesus omnes Judæos, præsertim electos, dilexit? Cur ergo dicitur hos tres amasse? Dicendum : primo, ut pateat sorores veraciter dixisse ad Jesum de Lazaro, Domine, ecce quem amas infirmatur; secundo, ut insinuetur Christus, non solum communiter ut ceteros, sed singulariter dilexisse tres istos.

Ut ergo, id est postquam, Jesus *audivit* 6
quia Lazarus *infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco* prope Jordanem

duobus diebus, quatenus ante suum ad-
ventum in Bethaniam Lazarus moreretur,
sepeliretur, et quatriduanus efficeretur :
sicque miraculum gloriosius fieret, nec
dæmoni adscribi valeret ; obstinati quo-
que Judæi inexcusabiles redderentur, et
discipuli ceterique electi roborarentur in
fide, imo et plures Judæorum, viso tan-
to prodigio, converterentur ad Christum,
7 sicut et factum est. *Deinde post hæc,*
scilicet tertio die, *dicit discipulis suis,*
id est Apostolis, qui sibi inseparabiliter
adhærebant, quemadmodum Lucas testa-
Luc. xxii, 28. tur : Vos estis qui permansistis mecum
in tentationibus meis. *Eamus in Judæ-
am iterum,* id est in terram duarum
tribuum Juda et Benjamin, scilicet ad
Bethaniam.

8 *Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc,* ante
paucos dies, *quærebant te Judæi lapidare*
Joann. x, 31. (nam lapides sumpserunt in manibus, ut
dictum est in fine præcedentis capituli),
et tu *iterum vadis illuc?* quasi dicant :
Incaute facis in hoc, et consulimus tibi
oppositum. Multis de causis Apostoli hoc
dixerunt : Primo, quoniam magistrum
suum, quem non satis spiritualiter, sed
aliqualiter sensualiter dilexerunt, nequa-
quam mori volebant, nec ejus corporali
præsentia volebant privari. Unde alio lo-
Matth. xvi, 21, 22. co, quum passionem suam prædixisset eis,
Petrus cœpit increpare eum, dicens : Do-
mine, propitius esto tibi, nam hoc non
erit. Secundo, quoniam sibi ipsis metu-
ebant, ne cum magistro suo caperentur.
Sed imperfecta fuit fides eorum. Si enim
1 *Cor.* i, 24. novissent Christum esse Dei virtutem et
sapientiam, atque ob id venisse ut pro ho-
minibus moreretur, scivissent quod Judæi
ei invito nil facere potuissent, præsertim
quum jam toties elapsus fuerit manus eo-
rum, et quod tempore præordinato pas-
surus esset, non fugiturus ; item, quod
nullus eis posset nocumentum inferre,
quamdiu protegerentur a Christo, quem-
Ps. xxvi, 1. admodum ait Psalmista : Dominus prote-
ctor vitæ meæ, a quo trepidabo? Et Jere-
Jer. xx, 11. mias : Dominus mecum est quasi bellator
A fortis, idcirco qui me persequuntur ca-
dent, et infirmi erunt.

Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt 9
horæ diei artificialis, præsertim tempore
æquinoctiali? id est, secundum temporum
variationem et horarum diurnarum distin-
ctionem atque successionem, variatur hu-
mana voluntas, et opera diversificantur.
Tanquam diceret : Quamvis hoc tunc vo-
lebant, tamen nunc aliter fiet, potestque
propositum esse mutatum. Iste est mo-
dus loquendi proverbialiter, ut quum de
B mutatione propositi seu novitate affectus
aliquid fieri intendimus, sic loquamur :
Nonne duodecim sunt horæ diei? id est,
quælibet hora suum habet opus atque pro-
positum. Origenes et Augustinus aliter in-
troducunt. Discipuli enim quum essent
homines instructione indigentes, volebant
dare consilium Christo Deo, Sapientiæ sem-
piternæ. Ideo audiunt : Nonne duodecim
sunt horæ? hoc est, ego sum dies, vos
quasi horæ diei, qui aliquid lucis sortiti
estis a me, et membra mea consistitis :
C quemadmodum ergo horæ sequuntur diem,
non dies horas, sic vos meo consilio ac-
quiescere debetis, non ego vestro.

*Si quis ambulaverit in die, non offen-
dit, quia lucem hujus mundi videt. Si* 10
*autem ambulaverit in nocte, offendit, quia
lux non est in eo.* Hoc in exterioribus ad
litteram sic est. Qui enim in die incedit,
non pede impingit, quoniam solis con-
spicit claritatem ; qui vero ambulat nocte,
impingit faciliter, quoniam lux solis non
est in eo, id est oculos ejus illuminans.
D Per quod Christus mystice innuit, quod is
qui ambulat in luce justitiæ vel in puri-
tate conscientiæ, non impingit opere vel
affectu, nec habet timere, sed esse debet
securus, quoniam nulla nocebit adversi-
tas, si nulla dominetur iniquitas. Nec Deus
deserit tales, quia et si aliquid patiuntur
propter justitiam, copiosa valde et infinita
est merces eorum, juxta illud Sapientiæ :
In paucis vexati, in multis bene dispo- *Sap.* iii, 5.
nentur. Ideo formidare non debent adver-
sarios, sed de divina protectione et gratia

Digitized by Google

esse securi. Qui autem ambulat in nocte, id est caligine ignorantiæ et peccati, offendit, cadit, conteritur, quia lux gratiæ
Sap. v, 6. non est in eo, nec Sol intelligentiæ fulget animæ ejus. — Vel sic : *Si quis ambulaverit in die,* id est mecum, qui sum dies spiritualis illuminans mentem, *non offendit,* sed tutus est, *quia lucem hujus*
Joann viii, 12. *mundi videt,* id est me, qui dixi : Ego sum lux mundi. Qui enim corde adspicit ac sequitur Christum, non deviat. *Si autem ambulaverit in nocte,* id est privatione gratiæ atque præsentiæ meæ, *offendit* peccando, *quia lux non est in eo,* id est, splendor gratiæ deest animæ ejus.

11 *Hæc ait* Jesus ad instruendum et confortandum discipulos pusillanimes et indoctos ; *et post hæc dicit eis* causam itineris sui ad Judæam : *Lazarus amicus noster* (quoniam Lazarus tantum dilexit Jesum, quod omnes quoque discipulos ejus amavit) *dormit* dormitione mortis, id est, defunctus est, et a mundi hujus tumultu quiescit. Omnium hominum mors dormitio dicitur, quoniam in die novissimo, tam mali quam boni suscitabuntur atque resurgent. Unde in libris Regum et Paralipomenon, etiam pessimi homines,
III Reg. xiv, 31; II Par. xii, 16; IV Reg. xvi, 20; II Par. xxviii, 27. ut Roboam, Achaz, dormisse cum patribus suis scribuntur. Præcipue tamen mors justorum vocatur somnus sive dormitio, quia in spe futuræ resurrectionis et glorificationis dulciter conquiescunt. Sic igitur Jesus dicit Lazarum mortuum dormire, quoniam mox fuerat suscitandus ab ipso ; obdormivit quoque in Domino.

Sed vado ad Bethaniam : vado autem secundum formam humanitatis, qui ibi sum secundum essentiam deitatis ; *ut a*
* excitem *somno* mortis *exsuscitem* illum,* qui facilius a morte resuscito, quam aliquis dormientem a somno. Hæc suscitatio conveniebat principaliter Christo virtute divina. His verbis Christus dupliciter roboravit ac lætificavit corda discipulorum : Primo, quoniam dixit se ire ad domum familiarium amicorum, videlicet Marthæ, Mariæ ac Lazari ; non ad Jerusalem, ubi præcipue morabantur æmuli ejus. Secundo, quoniam dixit se ire ad suscitandum defunctum, non ad disputandum cum Scribis ac Pharisæis. Jucundum vero est videre tale ac tantum miraculum, maxime quando amicus resuscitatur. Verum discipuli verba Christi non intelligentes, necdum consenserunt ire versus Judæam,
sicut subditur : *Dixerunt ergo discipuli* 12
ejus : Domine, si dormit somno naturali, *salvus erit,* id est, convalescet, nec oportet te illuc procedere, quia ab aliis potest a somno hujusmodi suscitari. Somnus autem frequenter est signum curationis, quum sit reformatio virium, ac relevamen naturæ. Non tamen est certum indicium, nec semper sic accidit.

Dixerat autem Jesus de morte ejus, id 13
est, nomine dormitionis mortem Lazari designavit ; *illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret,* id est, quod iret ad suscitandum Lazarum a somno. In quo elucescit discipulorum simplicitas, qui putabant Christum tantum iter velle arripere, ut suscitaret dormientem a somno naturæ. Nempe (ut dicitur) per dietam, vel circiter, distabat Bethania a loco trans Jordanem, quo tunc exstitit Jesus. Verumtamen arbitror quod non æstimabant Jesum ob hanc solam causam proficisci illuc, sed insuper, ut aliquid consolationis ac relevaminis impenderet ægroto, et ut sororum ejus satisfaceret preci.

Advertendum, quod somnus in Scriptura diversis modis accipitur : Primo, pro somno naturæ, qui est exteriorum sensuum quædam clausura, quies et vacantia : sicut in Levitico, Dormietis, et non Lev. xxvi, 6.
erit qui exterreat. Secundo, pro dormitione peccati : juxta illud Apostoli, Tempus est jam nos a somno surgere ; et rursum, Surge, qui dormis. Tertio, pro somno mortis : ut ibi, Nolumus vos ignorare de dormientibus. Quarto, pro torpore ignaviæ seu negligentiæ : ut Isaias habet, Speculatores cæci, videntes vana et dormientes ; atque in Psalmo, Ecce non dormitabit, neque dormiet. Quocontra admonet Petrus :

Rom. xiii, 11. Ephes. v, 14. I Thess. iv, 12. Is. lvi, 10. Ps. cxx, 4.

I Petr. v, 8. Sobrii estote, et vigilate; Habacuc quo- A
Habac. II, 1. que propheta : Super custodiam (inquit)
meam stabo, et figam gradum meum, et
contemplabor quid dicatur mihi, et quid
respondeam ad arguentem me. Quinto,
pro quiete contemplationis : sicut in Ge-
Gen. II, 21. nesi, Misit Dominus soporem in Adam;
Cant. v, 2. et in Canticis, Ego dormio, et cor meum
vigilat. Sexto, pro requie Beatorum.
14 *Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste.* Qua-
re primo non dixit manifeste? Ut illorum
ruditatem ac simplicitatem ad nostram
ædificationem ostenderet, quatenus agno- B
scamus quales fuerunt magistri et princi-
pes nostri sancti Apostoli, ante adventum
Spiritus Sancti, et quales postea : sicque
solidemur in fide, scientes quod post do-
minicam passionem fuerint illuminati, pro-
Joann. XIV, 26. ut Christus eis spopondit. *Lazarus mor-*
15 *tuus est; et gaudeo propter vos,* id est
propter fructum quem consecuturi estis
occasione suæ mortis, videlicet ex sua
suscitatione. Confirmati enim fuerunt in
fide, viso tanto miraculo. *Ut credatis* jam
plenius quam ante. Sunt enim gradus in C
fide, sicut in caritate. *Quoniam non eram*
ibi, secundum naturam assumptam, id
est, idcirco credatis, quia videtis me scire
quod obiit, quum tamen non fuerim ibi,
nec aliquis hoc mihi intimavit. Sorores
enim nuntiaverunt quod infirmaretur, non
quod obisset. Vel quod ait, Quoniam non
eram ibi, refertur ad illud quod dixit,
Gaudeo; eritque sensus : Gaudeo propter
vos, id est ob vestrum profectum et utili-
tatem, ut credatis perfectius; et ideo gau-
deo, quoniam non eram ibi, id est, Lazaro D
corporaliter non adfui dum infirmabatur,
quoniam si ibi fuissem, curassem eum
antequam mortem incurrisset, propter in-
stantiam suarum sororum, et quia non de-
cuisset amicum meum mori, me qui vita
Ibid. XI, 25; XIV, 6. sum, adsistente. Si autem eum curassem,
non fuissetis sic ædificati in fide, sicut
nunc ædificabimini. *Sed eamus ad eum.*
16 *Dixit ergo Thomas, qui* agnomine *di-*
citur Didymus (sic enim dictus est, se-
cundum Bedam, quoniam diu hæsitavit in
fide; sed quo diutius dubitavit, eo post
profundius credidit), *ad condiscipulos* ce-
teros Apostolos : *Eamus et nos, et mori-*
amur cum eo, id est, fideliter magistro
nostro usque ad mortem adhæreamus. For-
te quod Thomas aviditate videndi tam glo-
riosum miraculum animatus fuit, tamque
secure locutus. Hortabatur Thomas con-
discipulos ad commoriendum pro et cum
Christo, quasi paratus et potens ad hoc,
non attendens propriam fragilitatem : et
tamen, si periculum moriendi sibi occur-
risset, fecisset quod fecit tempore passi-
onis, quando relicto magistro, fugit cum Matth. XXVI, 56.
ceteris. Chrysostomus dicit Thomam hæc
verba dixisse ex infirmitate et timore seu
diffidentia quadam, tanquam diceret : Sic-
ut ipse exponit se periculo mortis, eundo
Judæam versus; sic et nos cum ipso ten-
damus, exponentes nos eidem discrimini,
a quo verisimiliter non evademus, sed
occidemur. Nondum pensaverunt Apostoli
potentiam Christi, quam toties erant ex-
perti.
Venit itaque Jesus cum discipulis in 17
Bethaniam; *et invenit eum,* scilicet La-
zarum : intelligendo per Lazarum corpus
ejus exstinctum, quemadmodum Jesus di- Joann. XX, 13, 15.
citur a sepulcro sublatus: frequenter enim
ponitur totum pro parte, et econtra; *qua-*
tuor dies jam in monumento habentem.
Unde primo die suæ mortis videtur se-
pultus, quoniam infra vocatur quatridua- vers. 39.
nus mortuus. Hoc Evangelista adjecit, ad
certitudinem et commendationem mira-
culi, ut sciamus quod vere mortuus ex-
stitit, et quod nunquam antea simile fa-
ctum est. Quamvis enim Elias et Eliseus
suscitaverint mortuos, non tamen quatri- III Reg. XVII, 22; IV Reg. IV, 34, 35.
duanos. Valet quippe talis protractio tem-
poris ad magnitudinem miraculi, quia quo
corpus exstinctum diutius ab anima per-
manet separatum, eo indispositius est ad
animæ informativam receptionem, quia
putrefactioni, resolutioni seu corruptioni
subjacet ampliori. Anima vero rationalis,
quum sit nobilissima forma, naturaliter
non unitur nisi materiæ optime quali-

Digitized by Google

ficatæ, videlicet nobilius complexionatæ quam aliorum mixtorum materiæ.

18 *Erat autem Bethania juxta Jerosolymam,* id est vicina ei, seu distans ab ea dumtaxat *quasi stadiis quindecim* : quæ constituunt forte leucam, uno stadio dempto. Hoc addit Evangelista ad declarationem subsequentium, scilicet, quod multi Judæorum ad Mariam et Martham confluxerant, et quod quidam eorum Lazari suscitationem in Jerusalem publicaverunt ; itemque, quod pontifices tantum miraculum mox perceperunt, atque consilium inierunt contra Jesum.

Bethania, quæ interpretatur domus obedientiæ, tenet figuram Ecclesiæ militantis, quæ nunc divinis paret præceptis. Jerusalem, quæ interpretatur visio pacis, significat Ecclesiam triumphantem : de qua ad Galatas dicit Apostolus, Illa quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra. (*Galat.* IV, 26.) Bethania igitur distat a Jerusalem quindecim stadiis : id est, per quindecim gradus virtutum, de quibus tractant quindecim psalmi graduales, pertingit viator ab Ecclesia militanti ad triumphantem. Prolixum esset hos gradus jam prosequi. Possunt quoque per quindecim stadia, intelligi tres virtutes theologicæ duodecimque virtutes morales, per quarum actus pertingimus a via ad patriam. Virtutum enim moralium opera non sunt æternæ vitæ meritoria, nisi theologicarum virtutum actibus imperentur ac regulentur. Nam sine fide impossibile est Deo placere. (*Hebr.* XI, 6.) Et caritas est forma virtutum, origo et finis ac vita earum, in tantum ut si linguis angelorum loquamur et hominum, omnemque habuerimus fidem ita ut montes transferamus, corpora quoque dederimus ita ut ardeamus, caritatem vero non habuerimus, nil nobis prosint omnia illa. (*I Cor.* XIII, 1-3.) Rursus, per quindecim stadia intelligi possunt septem dona Spiritus Sancti et octo beatitudines, quibus ad Ecclesiam triumphantem perducimur.

19 *Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo,* id est de ejus interitu. Multi convenerant, quia de magna progenie fuerunt hæ feminæ, et propter suam bonitatem amabantur a multis. Unde non solum cognati earum atque vicini, sed multi quoque Jerosolymitarum accesserant eas. Et forte multo plures venissent ad ipsas, nisi tam familiares fuissent Christo : propter quod multorum indignationem incurrerunt.

Martha ergo ut audivit quia Jesus venit. 20
Ipsa equidem tanquam prudens matrona rexit domum : ideo aliquis præcurrens, et forte a Christo missus, primo indicavit ei Christi adventum. Videtur enim fuisse nuntius ille bonus et credens, quia occulte intimavit Marthæ de Christi accessu, sciens eum Judæis odibilem, unde nec eis indicavit. *Occurrit illi* devote, propter tanti viri reverentiam et magnum amorem ad eum. Nec assumpsit Mariam secum, sed sola profecta est, cupiens Jesum singulariter alloqui et precari, et ne Judæi Domino adversantes notarent aliquid de Christi præsentia, sicque recederent. *Maria autem domi sedebat* cum Judæis consolantibus eam.

Martha vitam signat activam, Maria contemplativam. Martha ergo Christo foris occurrit, quoniam activam vitam ducentes, Christo obviant in exterioribus practicarum virtutum operibus, proximis ministrantes, et misericordiæ exercitiis intendentes, quemadmodum Petrus hortatur : Hospitales invicem sine murmuratione. (*I Petr.* IV, 9.) Contemplativi vero domi resident, quoniam in solitudine atque silentio vacant Deo, tanto utique purius, stabilius, dulcius et quietius, quanto ab omni strepitu sæcularium negotiorum, omnique tumultu hominum mundanorum fuerint remotiores, non loco tantum, sed etiam voto. Ideo ait Psalmista : Abscondes eos in abscondito vultus tui, a conturbatione hominum ; proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum. (*Ps.* XXX, 21.) Et Isaias : In spe, inquit, et silentio erit fortitudo vestra. (*Is.* XXX, 15.) Nihilo minus, sicut patebit, Maria

quum evocasset eam Martha, exivit obvi-
am Jesu : quoniam contemplativi, quando
eis injungitur a prælatis, qui simul esse
debent activi et contemplativi, quemad-
modum Martha, vel quando ab indigen-
tibus id rogantur, vel si non rogentur nec
jubeantur, tamen conspiciunt proximo-
rum necessitatem hoc ipsum exigere; tunc
utique contemplatione paulisper suspen-
sa, opera vitæ exercent activæ quamdiu
ratio dictat, necessitas exigit, vel obedi-
entia sancta requirit.
21 *Dixit ergo Martha ad Jesum : Domi-*
ne, si fuisses hic, id est in domo et apud
lectum fratris mei antequam obiit, *frater*
meus non fuisset mortuus : certa sum
enim quod tantæ sis potestatis, quod po-
tuisses eum curasse, tantæ quoque boni-
tatis, quod eum curasses. Quantum ad
hoc, magna fuit fides beatissimæ Marthæ,
præelectæ ab æterno matronæ ad hospi-
tandum ac nutriendum Filium Dei incar-
natum, Deum et hominem. Sed quoad
hoc, fuit (ut apparet) fides ejus incom-
pleta, quod non novit Jesum secundum
divinitatem suam fuisse præsentem, tan-
tumque potuisse et cognovisse absentem,
quantum præsentem : sicque fides cen-
turionis ejus fidei præferretur, quoniam
Matth. VIII, 8. ille Christi divinitatem perpendens, cre-
didit eum ministerio angelorum posse cu-
rare, quamvis corporaliter non adesset.
Nec hoc absurdum putetur, quia de cen-
Ibid. 10. turione protestatus est Jesus : Non inveni
tantam fidem in Israel. Unde et conse-
quenter Martha alloquitur Christum tan-
quam virum sanctum et virtuosum, Deo
carissimum, non quasi Filium Dei natu-
22 ralem verumque Deum. *Sed et nunc scio*
per fidem certissimam quantum ad hoc,
et item, per multam experientiam, quo-
niam tot miracula vidi et percepi fieri
per te, *quia quæcumque poposceris a Deo,*
dabit tibi Deus. Nam certa sum quod ni-
hil irrationabile petere potes, et quod Deo
Ibid. XIX, 26. omnia quantumcumque magna, diffici-
lia et supernaturalia, possibilia sint, imo
facillima et æque facilia. Si habuisset
A Martha fidem explicitam de Christi divi-
nitate, æstimo quod dixisset : Quidquid
jusseris fiet.
Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus. 23
Non aperte dixit, Nunc eum suscitabo;
sed indeterminate ait, Resurget, ut occa-
sione responsionis Marthæ, aliquid de sua
divinitate assereret, non solum ad Mar-
thæ, sed insuper ad omnium informa-
tionem fidelium.
Dicit ei Martha, quæ verba præfata 24
pensavit posse intelligi dupliciter, scilicet
B de resurrectione jam perpetranda, et de
illa quæ fiet in die novissimo : *Scio,* ex
tua frequenti prædicatione et Propheta-
rum doctrina, *quia resurget in resurre-*
ctione formaliter. Resurrectio namque est
causa formalis inhærens, per quam mor-
tuus dicitur resurgens. Vel, In resurrecti-
one, hoc est in numero resurgentium. *In*
novissimo die. Audivit enim Martha quod
Jesus prædicavit generalem resurrectio-
nem futuram. Unde superius sæpius dixit
de quocumque fideli et digne communi-
C cante : Ego resuscitabo eum in novissi- *Joann.* VI
mo die. Ex doctrina quoque Propheta- 40, 44, 55.
rum idem agnovit; et etiam quia in hoc
sequebatur doctrinam Pharisæorum, non *Act.* XXIII, 8.
Sadducæorum resurrectionem negantium,
quam Pharisæi concedunt. Denique, Scio,
hoc loco significat, Credo. Dupliciter nem-
pe scientia sumitur : primo, pro notitia
naturali quæ humana ratione potest in-
veniri, seu comprobari; secundo, pro qua-
cumque agnitione, sive habeatur ex re-
velatione, sive ex naturali ratione : sic
D modo accipitur. Et Job : Scio, inquit, *Job* XIX, 25.
quod Redemptor meus vivit, et in novis-
simo die de terra surrecturus sum.
Dicit ei Jesus : Ego sum resurrectio, id 25
est causa resurrectionis omnium mortuo-
rum, potens suscitare defunctos. Secun-
dum utramque naturam est Christus cau-
saliter resurrectio : secundum divinam,
quoniam divina virtute fiet in die judicii
generaliter, et interim facta est particu-
lariter, resurrectio mortuorum; secundum
humanam quoque, in quantum resurre-

Digitized by Google

ctio Christi ponitur causa exemplaris no- A
stræ resurrectionis. *Et vita* per essentiam, id est, in me ipso secundum propriam naturam, sum substantialiter purissima vita, infinita simpliciterque perfecta, intel-
Joann. v, 26. lectualis et incorporea. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Sum quoque fontalis origo atque causale principium omnis vitæ naturæ, gratiæ et gloriæ. Unde
Ibid. I, 4. dictum est : Vita erat lux hominum. Sic etiam Christus est vita nostra causaliter, quemadmodum ad Colossenses dicit Apo- B
Coloss. III, 4. stolus : Quum autem apparuerit Christus vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Et in Deuteronomio loqui-
Deut. XXX, 20. tur Moyses : Ipse Dominus est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Quum ergo sim essentialiter vivens, ac vita fontana, possum mortuis vitam conferre. Quod enim est tale per essentiam, est causa eorum quæ sunt talia per participationem, secundum philosophorum doctrinam.

Qui credit in me fide formata, quæ tem-
Galat. v, 6. pore opportuno per dilectionem operatur, C
Matth. XXIV, 13. et usque in finem perseverat, *etiam si mortuus fuerit* corpore, id est, quamvis contigerit eum de hoc sæculo emigrare, sicut nunc Lazarus mortuus est, *vivet* in anima, vita gratiæ, in purgatorio, quousque purgetur, et evolet vitamque gloriæ sortiatur; vel, si nihil purgandum habuerit, vivet mox vita gloriæ, evolando a
Sap. v, 16. corpore ad patriam. Justi enim in per-
Ibid. III, 4. petuum vivent. Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Insuper talis vivet tandem D
vita corporali et glorificata in corpore :
I Cor. XV, 51, 52. quia non solum resurget, sed et immutabitur. Vel sic : Qui credit in me fide formata ex prædestinatione causata, id est, tali fide qualem Deus prædestinatis largitur, et ex prædestinatione se daturum disposuit; etiam si mortuus fuerit, id est, licet ad tempus in peccatum mortale corruerit, per quod vita gratiæ tollitur, vivet, id est, per misericordiam meam pœnitebit, et pœnitendo vitam gratiæ recuperabit.

Et omnis qui vivit in sæculo isto vita 26
naturæ, *et credit in me* perseveranter : quod non est sine gratia gratum facientc, quæ est vita animæ; *non morietur in æternum,* id est, finaliter non peribit, neque æternam damnationem (quæ est mors Apoc. XX, 14; XXI, 8.
secunda) incurret, quamvis in sæculo isto corporalem sustineat mortem. Justorum Sap. III, 1.
enim animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Vel, Non morietur in æternum, id est, nunquam morietur, spiritualem vitam amittendo, dum in fide formata manserit constans. Justus quippe in sua fide vivet, quous- Habac. II, 4.
que ad speciem veniat.

Credis hoc, o Martha? Ideo quærit quod novit, ut illa confitendo majorem gratiam mereatur (ore enim confessio fit ad sa- Rom. x, 10.
lutem), ejusque fides nobis innotescat et in exemplum proponatur.

Ait illi Martha : *Utique, Domine :* imo, 27
quidquid asseris credo, et jam fidem magis explicitam de te habeo ex hac tua instructione, quam ante; impossibile enim arbitror te posse falsum asserere. *Ego credidi* jamdudum *quia,* id est quod, *tu es Christus,* id est rex Messias et sacerdos Ps. CIX, 4.
secundum ordinem Melchisedech, mundi Salvator, unctus a Deo in regem et sacerdotem spirituali unctione, seu omnium divinorum charismatum plenitudine, juxta illud in Psalmo : Unxit te Deus, Deus tuus, Ps. XLIV, 8.
oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Christus quippe interpretatur unctus. Salvator autem per excellentiam Christus vocatur, non ob corporalem unctionem, sed spiritualem : de qua ait Isaias, Spiritus Is. LXI, 1.
Domini super me, eo quod unxerit me; et Petrus in Actibus, Unxit eum Deus Act. X, 38.
Spiritu Sancto et virtute.

Filius Dei vivi. Paulo ante jam dictum est, quod Martha de Christi divinitate non habuit fidem explicitam. Quod ergo nunc ait se credidisse quod sit Filius Dei, non videtur intelligendum de filiatione naturali, sed communi, non determinando se ad hanc vel illam. Vel si de naturali filiatione accipiatur, referendum erit ad tem-

pus hujus informationis suæ a Jesu, in A
qua Christus suam divinitatem explicavit
dupliciter : Primo, per hoc quod ait : Qui
credit in me. Quum enim fides sit virtus
theologica habens Deum pro proprio ac
immediato objecto, non credendum est in
aliquem, nisi in verum Deum. Secundo,
per hoc quod ait : Non morietur in æter-
num. Quibus verbis constituit nostram sa-
lutem in ipso. Salus vero hominum non
consistit nisi in vero Deo. Propter quod
Jer. XVII, 5. Jeremias : Maledictus (inquit) vir qui con-
Ibid. III, 23. fidit in homine; et iterum, Vere in Domi- B
no Deo nostro salus. Hinc quoque Domi-
Osee XIII, 4. nus protestatur per Osee : Ego Dominus
Deus tuus, et salvator non est præter me.
Dicunt ergo nonnulli, quod Martha præ-
dicta verba attendens, atque Christo intus
radiante intelligens, nunc explicite credi-
dit quod sit Dei Filius naturalis. *Qui in
hunc mundum venisti,* per humanitatis
assumptionem, visibilem apparitionem, et
novorum documentorum ac operum pro-
ductionem.

28 *Et quum hæc dixisset* Martha, *abiit,* non C
sine commissione vel licentia Christi. Non
enim a tam dilecto et reverendo magistro
se irreverenter vel ex abrupto avertit. Di-
xit itaque ei Jesus : Vade, voca Mariam.
Tunc abiit, *et vocavit Mariam sororem su-
am silentio, dicens : Magister adest,* utique
magistrorum magister singularis, summus
unicusque magister, qui solus intus in-
format propria potestate salubriter : de
Is. L, 5, 4. quo apud Isaiam legitur : Dominus Deus
aperuit mihi aurem, ut audiam eum quasi
magistrum. Unde in Matthæo loquitur : D
Matth. XXIII, 8. Neque vocemini magistri; unus est enim
magister vester, Christus. *Et vocat te,* id
est, vocari te jussit per me. Ex quo con-
stat quod Jesus fecit eam vocari, quamvis
Joannes gratia brevitatis hoc non scripse-
rit, sed his verbis intelligi dedit. — Quæ-
ritur, si Martha loquebatur Mariæ dicen-
do, Magister adest, quomodo vocavit eam
silentio. Dicendum, quod vocavit eam si-
lentio, id est voce submissa, et forte in
aure prolata. Vel primo vocavit eam ali-
quo nutu sine voce, et quum ad eam ve-
nisset, dixit ei verba præhabita, quæ noluit
ei alte proferre, propter Judæos præsen-
tes Christo insidiantes. — Cur Jesus vo-
cavit Mariam? Non dubium quin ad con-
solationem ipsius, et quoniam eam dile-
xit, et ut in præsentia ejus ac Judæorum
fieret miraculum mox futurum.

Illa ut audivit se vocatam a magistro 29
suo carissimo atque dulcissimo, quem præ
toto mundo amavit, *surgit cito,* tanquam
obediens fervidaque discipula, dans obe-
dientiæ formam, ut cito et fervide obedia-
mus. Nescit enim tarda molimina Sancti
Spiritus gratia, teste Ambrosio. Vehemen-
ter quoque fuit gavisa, audito Christi ad-
ventu, præsertim quoniam vidit sororem
suam Martham æquanimiorem effectam et
gaudio quodam perfusam. *Et venit ad
eum.* — Quotidie et indesinenter vocat nos
Christus ad se, per sacram Scripturam,
per angelicam directionem, per pastorum
exhortationem, per divinum instinctum,
dicens per Zachariam : Convertimini ad *Zach.* I, 3.
me, et convertar ad vos. Faciamus ergo
quod fecit Maria. Cito surgamus ab omni
ignavia et torpore, a carnali affectu vitio-
rumque pondere; et veniamus ad Jesum,
per morum nostrorum conversionem, per
divinorum contemplationem, atque cœle-
stium bonorum desiderium amorosum.

Nondum enim venerat Jesus in castel- 30
lum, videlicet domum Marthæ, *sed erat
adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Mar-
tha.* Noluit enim se sine causa, adversario-
rum præsentare adspectibus, ne peccarent.

Judæi ergo qui erant cum ea in domo, 31
*et consolabantur eam, quum vidissent Ma-
riam quia cito surrexit et exiit, secuti
sunt eam, dicentes : Quia vadit ad mo-
numentum* Lazari, *ut ploret ibi,* et plo-
rando oret pro anima fratris defuncti. Ju-
dæi isti verba Marthæ non audierunt :
propter quod æstimabant Mariam ex subita
recordatione sui fratris dolore affectam,
et ire ad tumulum, ut ibi per exteriorem
lamentationem quæreret suæ desolationis
internæ solatium, dilectoque fratri, quan-

Digitized by Google

tum possibile fuit, conjungeretur. Dolor namque interior, per lacrimarum effusionem et externam lamentationem mitigatur ac minoratur, quoniam intentio animæ ad plura diffunditur, et quod quasi violenter inclusum fuit, erumpit.

32 *Maria ergo quum venisset ubi erat Jesus, videns eum* oculis carnis ac fidei, *cecidit ad pedes ejus.* Hoc Martha fecisse non legitur : unde probatur Maria fuisse ferventior, et majorem ad Christum reverentiam habuisse, cui utique nihil in toto universo putavit comparabile. (Luc. vii, 47.) Multum dilexit, quia multa ei peccata fuerunt dimissa ; veramque a suo magistro didicit humilitatem, nec verecundata est se illi prosternere in conspectu adversariorum illius. Quidam vero sunt, quorum humilitas modica est vel nulla, quoniam licet æquanimiter tolerent quod increpentur secrete, tamen si coram multis humilientur vel arguantur, impatientia agitantur. *Et dixit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* (vers. 21.) Hæc verba Martha quoque locuta est, et nunc elucidata consistunt. Forte Maria dixit alia pluraque verba, quæ dixit et Martha, quæ Evangelista non recitat, eo quod semel descripta sint. Communiter tamen tenetur quod non dixit plura verba, propter doloris vehementiam de fratris interitu, et gaudii exuberantiam de Christi adventu. Quemadmodum enim magnus dolor, sic et magna lætitia verba abrumpit atque præscindit. Vel quoniam jacuit super terram, non erat disposita ad loquendum prolixe quemadmodum Martha quæ stetit.

33 *Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu,* id est, ex rationis judicio et potestate animæ, impetum quemdam affectuosum, vel potius dolorosum et indignabundum, emisit, indignans peccato (Sap. ii, 24.) et auctori peccati diabolo, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum. Indignabatur igitur contra diabolum, eo quod (Gen. iii, 4-6.) sua persuasione induxit protoplastos parentes ad culpam, sicque totam infecit posteritatem, et genus humanum tot pœnis miseriisque addixit, ita ut Lazarum quoque suum amicum mors ipsa, quæ est pœna peccati, prostravit. (Rom. vi, 23.) *Et turbavit se ipsum,* id est, vehementer commovit et quodam dolore affecit suam sensualitatem, ex prædeliberato rationis judicio atque voluntatis imperio. Hæ enim et similes passiones fuerunt in inferiori parte animæ Christi, non ex subreptione, necessitate vel infirmitate, nec aliquam imperfectionem causabant in Christo, actum rationis aliqualiter impediendo; sed erant ibi ex prævio rationis judicio et voluntatis decreto spontaneo, propter rationabiles causas. Propter quod erant actus virtuosi ac meritorii, quia ex caritate, pietate atque justitia processerunt. Quemadmodum enim motus passionum sunt vitia, nisi rationis censura per virtutes morales regulentur; ita sunt actus virtutum, si debite dirigantur. Notanter itaque ait Evangelista, quod Jesus turbavit se ipsum, ad insinuandum quod potestative, non solito modo aliorum, orta fuit in ipso turbatio talis.

Infremuit ergo spiritu, et turbavit se ipsum : primo, ad insinuandum veritatem humanæ naturæ in ipso; secundo, in exemplum, ut doceat nos contra vitia atque diabolum fremere et moveri; tertio, ut formam compassionis præberet; quarto, ut dilectionem suam ad Lazarum ejusque sorores ostenderet : nam post pauca flevit, ut sequitur. Itaque fremitus iste et turbatio, nequaquam diminuebant pacem et tranquillitatem mentalem animæ Christi. Propterea, secundum Hieronymum, fuerunt potius propassiones quam passiones. — Porro, quod turbatio Christo conveniat, frequenter testatur Psalmista : ut quum ait in persona Christi : Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea; exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus. (Ps. lxxxvii, 16.) Sed his videtur obviare quod Isaias de Christo asserit, Non erit tristis neque turbulentus; (Is. xlii, 4.) et per Jeremiam ait, Ego non sum turbatus, te pastorem sequens. (Jer. xvii, 16.) Dicendum, quod talia intelligenda sunt de

inordinatis motibus passionum, videlicet A
immoderata turbatione et apparatu distor-
to, quæ in Christo totius mansuetudinis,
modestiæ ac probitatis exemplo, nullate-
nus sortita sunt locum.

34 *Et dixit : Ubi posuistis eum?* id est,
locum sepulturæ mihi ostendite. Non qua-
si ignorans id sciscitatur, sed ut ordinate
ad perpetrationem procedat miraculi, at-
que humano modo se hominibus applicet.
Dicunt ei sorores Lazari, et etiam forsitan
alii : *Domine, veni et vide* sepulcrum.
35 *Et lacrimatus est Jesus* ex compassione B
sororum, et aliis causis, ut dixi. Verum-
tamen, secundum Hieronymum, flevit Je-
sus Lazarum, non quia mortuus fuit, sed
quia ad hujus vitæ ærumnas, quæ sine
peccatis non agitur, fuerat revocandus.
— Frequenter legitur Christus planxisse,
nusquam vero risisse : in quo levitas no-
stra et dissolutio condemnatur. Unde apud
Luc. vi, 25. Lucam testatur : Væ vobis qui ridetis
nunc, quia plorabitis et flebitis. Et Ec-
Eccle. vii, 4. clesiastes : Melior (inquit) est ira risu,
quia per tristitiam vultus corrigitur ani- C
mus delinquentis. Denique probabile reor
quod Jesus amicus humanæ naturæ, non
Lazarum tantum, sed totius humani ge-
neris multiplicia mala deplanxit, præci-
pue mala culpæ, et futuram damnationem
multorum.

36 *Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo
amabat eum.* Quasi dicant : Multum, quem
tam affectuose deplorat. Verum dixerunt.
Tamen in parte errabant, videlicet, quo-
niam reputabant eum præcipue lacrimari
propter mortem Lazari corporalem : quod D
ita non est. Nam illam poterat solo imperio
impedire, imo gaudebat de ea, secundum
vers. 4. quod ordinabatur ad gloriam Dei, ut di-
37 ctum est. *Quidam autem ex ipsis dixe-*
Joann. ix, 6, 7. *runt : Non poterat hic qui aperuit oculos
cæci nati, facere ut et hic non moreretur?*
Hoc dixerunt præ admiratione, quasi di-
cant : Videmus per experientiam, quod
multum dilexit Lazarum, et dolet de ejus
interitu, ex quo apparet quod si potuis-
set, ejus mortem impedivisset; et rursus,
Mirum si hoc non potuit, qui potuit cæ-
cum natum illuminare, quod nunquam Joann. ix, 32.
legitur accidisse. Cur non dixerunt isti
Judæi, Non poterat hic qui aperuit oculos
cæci nati, facere ut et hic resuscitetur?
Puto quod ideo, quoniam reputabant hoc
impossibile, præsertim propter hoc quod
Lazarus tot diebus mortuus fuit.

Jesus ergo rursum fremens in semet- 38
ipso, eadem ratione qua primo. Sciendum
tamen, quod secundum Augustinum, per
Lazarum mortuum, sepultum et quatri-
duanum, figurantur peccatores gravissi-
mi, habituati in malo et pessima consue-
tudine pressi, qui de consensu venerunt
in actum, et de actu in habitum, quo
sepeliuntur in malo. Ad declarandum er-
go quod tales raro ac difficillime emen-
dantur, ipse Christus antequam Lazarum
suscitavit, multa fecit quæ difficultatem
causæ ostendunt. Fremuit quippe, et tur-
bavit se ipsum, deinde lacrimas fudit, lo-
cum quæsivit, denuo fremuit, lapidem
jussit auferri, tuncque clamavit voce su-
blimi. *Venit ad monumentum. Erat autem
spelunca,* id est caverna et fovea ma-
gna, pretiose et artificiose constructa, jux-
ta consuetudinem Judæorum, qui sumptu-
osissimas sepulturas facere consueverunt
occasione patriarcharum Abrahæ, Isaac et
Jacob, qui pro sepultura sua ac suorum
adeo erant solliciti, ut patet in Genesi. *Et* Gen. xxiii; xxv, 9; xlix, 29-31.
lapis grandis *superpositus erat ei.*

Ait Jesus : Tollite lapidem, quatenus 39
resuscitando pateat exitus. *Dicit ei Mar-
tha soror ejus qui mortuus fuerat : Do-
mine, jam fœtet, quatriduanus enim est,*
id est, quatuor dies habet in monumento
vel morte, sicque cadaver ex resolutione,
exhalatione et putrefactione, malum fun-
dit odorem, quem non decet sentiri a te
magistro ac Domino meo. Secundum Be-
dam, Martha non dixit hæc verba ex in-
credulitate vel diffidentia resuscitationis
sui fratris. Theophilus vero dicit opposi-
tum : quod ex verbis sequentibus appa-
rentiam habet. Subditur enim responsio
Christi quodammodo increpatoria. *Dicit* 40

Digitized by Google

ei Jesus : Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? quasi dicat : Noli propter temporis diuturnitatem
Marc. ix, 22. diffidere, quoniam omnia possibilia sunt credenti. Dicendum ergo, quod licet Martha paulo ante crediderit, tamen videns apparatum rei tam admirandæ fiendæ, jamjamque præsentem, passa est aliquem motum hæsitationis præ admiratione, raritate et inaudita talis miraculi novitate, imo et præ vehementi desiderio ut sic fieret. Sic nempe accidere solet hominibus, ex quadam debilitate rationis. Unde et multum læta vix creduntur; et quotidie experimur, quod licet narrantibus magnam prosperitatem adfuturam credamus, tamen quum in proximo est ut sic eveniat, hæsitare incipimus.

Dixit ergo Jesus Marthæ : Nonne dixi tibi, quoniam si credideris firmiter, videbis gloriam Dei, id est gloriosum et miraculosum divinæ potestatis effectum, videlicet fratris tui vivificationem, in quo divina majestas agnoscetur ac honorabitur? Hæc verba Christus non legitur supra dixisse ad Martham, quantum ad formam verborum, tamen quoad sensum protulit ea, dicendo, Resurget frater tuus, etc.; et post pauca, Credis hoc? Nos quoque, si fide formata crediderimus perseveranter, videbimus gloriam, id est beatitudinem Dei in patria, imo beatitudinem merito fidei sortiemur.

41 *Tulerunt ergo lapidem* de monumento. *Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit.* Cur oculos in cœlos levavit? Primo, ut ostenderet se operari, non arte magica, sed ope divina. Secundo, ut nobis formam daret orandi, videlicet ut oculos mentis elevemus in Deum per contemplationem et dilectionem, terrena et sensibilia relinquendo, fortique conatu divinis memoriter insistendo. Unde in Threnis dicitur :
Thren. iii, 41. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. Tertio, ut in orando laudandoque Deum, utamur bonis industriis ad acquirendam, conservandam seu inflammandam devotionem conferentibus, ut sunt tonsio pectoris, expansio brachiorum, erectio ocul[illegible] tamen sine rationabili causa f[illegible]ent in publico. Verumtamen elevatio hujusmodi oculorum nil contulit Christo ad mentis profectum seu erectionem in Deum, quoniam anima Christi non profecit in talibus, sed a principio suæ creationis vidit Deum per speciem.

Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me, id est, orationem meam internam seu desiderium pro Lazari suscitatione acceptasti, et mihi revelasti quod facturus sis id quod opto. Non legitur hoc loco Jesus orasse explicite ; sed quia se asserit exauditum, certum est quod mentali saltem prece deprecatus sit Patrem pro Lazaro suscitando. Perhibet quoque se auditum, non quod effectus impletus est, sed quoniam certificatus fuit de ejus impletione. Et gratias agit Patri, docens nos omnia bona Deo cum humili ac ferventi gratiarum actione adscribere : quod si fecerimus, beneficia ampliora suscipiemus.

Præterea palam est, quod gratias agere et orare conveniant Christo secundum naturam assumptam. Sed quum Christus sit vere omnipotens, tanquam verus Deus, cur secundum quod homo, Patrem potius oravit, quam se ipsum secundum quod Deus est? Dicendum quod ideo, ut monstraret se a Deo Patre habere quidquid habet et est, et quod in Patre sit auctoritas. Sed tunc rursus quærendum est, quomodo Christus oravit pro faciendis miraculis, secundum quod homo est, quum
Pater dederit omnia in manu ejus, ut dictum est, et infra dicetur, Dedisti ei potestatem omnis carnis. Respondendum, Joann. iii, 35. Ibid. xvii, 2.
quod Christo, etiam secundum assumptam humanitatem, datum est omnium creaturarum dominium et miraculorum potestas, ab incarnationis principio; nihilo minus potestas ista fuit in Christo ut homo est, tanquam in causa instrumentali, et dependebat a virtute Patris seu Trinitatis, tanquam a causa principali ac conservante Ideo Patrem oravit, non quod potestate

Digitized by Google

careret ipse Christus sic orans, sed quia A
virtus ejus creata, virtute Patris increata
operabatur et permanebat, et quoniam
usus collatæ potestatis, fuit secundum vo-
luntatem et ordinationem Patris seu Tri-
nitatis.

42 *Ego autem sciebam quia semper me
audis,* id est, quidquid ex deliberata rati-
one postulo fieri, facis, quoniam ratio et
voluntas animæ meæ est divinæ voluntati
magis conformata quam alicujus Beatorum
in patria, quorum preces non repelluntur.
Sed contra id videtur quod ait in Psalmo : B
Ps. XXI, 3. Deus meus, clamabo per diem, et non
exaudies; et nocte, et non ad insipien-
Ps. LXXXVII, 15. tiam mihi. Itemque : Ut quid, Domine,
repellis orationem meam, avertis faciem
tuam a me? Respondendum, quod auctori-
tates illæ atque consimiles loquuntur de
orationibus Christi secundum naturalem
appetitum et sub quadam conditione for-
matis, ut fuerunt orationes Christi tempore
Matth. XXVI, 39 et seq. passionis : Pater, si fieri potest, transeat
a me calix iste. Verumtamen, quia in ta-
libus precibus Christus finaliter et abso- C
lute subjecit suum inferiorem ac natura-
lem appetitum voluntati divinæ, dicendo,
Marc. XIV, 36. Non quod ego volo, sed quod tu; propterea
tales orationes, simpliciter loquendo, sunt
exauditæ. Unde Apostolus quum dixisset,
Hebr. V, 7. quod Jesus cum clamore valido et lacri-
mis, preces fudit ad eum qui posset illum
a morte salvum facere, mox adjecit, quod
Ibidem. exauditus est pro sua reverentia. *Sed pro-
pter populum qui circumstat,* id est Ju-
dæos præsentes, *dixi* tibi gratias quod
exaudisses me, *ut credant quia tu me mi-* D
sisti, id est, audiendo quod invoco te,
Matth. XII, 24. sciant me non in principe dæmoniorum
seu magicis artibus operari, sed tua vir-
tute, et per consequens quod sim mis-
Ps. CXLIV, 13, 17; Dan. III, 27. sus a te, verus in sermone, et justus in
opere.

43 *Hæc quum dixisset, voce magna cla-
mavit : Lazare, veni foras.* Similiter le-
Luc. VII, 14. gitur alibi dixisse : Adolescens, tibi dico,
Marc. V, 41. surge; et, Puella, surge. Sed dum Christus
dicere cœpit, Lazare, veni foras, nondum
anima Lazari fuit corpori reunita : cui
ergo dixit, Lazare? Dicendum, quod di-
cere Christi fuit facere. Unde eodem mo-
mento revixit, quo Christus verbum fini-
vit : ideo reviviscenti jussit prodire. *Et* 44
statim prodiit, id est, foras exivit, *qui
fuerat mortuus :* virtus nempe divina
quum sit immensa, operatur in instanti;
ligatus pedes et manus institis, hoc est
habens manus colligatas et pedes simili-
ter fasciis, juxta patriæ morem; *et faci-
es illius sudario erat ligata.* Unde patet
eumdem fuisse suscitatum qui obiit. Quod
autem sic egrediebatur et ambulabat li-
gatus, fuit miraculum, præsertim si liga-
tio pedum fuerat stricta sive compressa :
potuit enim ligamen divina virtute laxari.

Dixit eis Jesus : Solvite eum, auferendo
ligamina atque sudarium, *et sinite* eum
abire, hoc est libere procedere, et opera
vitæ exercere, ut ostendatur veraciter re-
suscitatus. Non exprimit Evangelista qui-
bus Jesus dixit ut solverent Lazarum, sci-
licet, an sororibus ejus, an Judæis, vel
discipulis. Tamen, secundum Augustinum,
hoc dixit discipulis, ad figurandum quod
sacerdotes, qui sunt Apostolorum succes-
sores, absolvunt confitentes, quos Christus
intus per gratiam suscitavit a morte pec-
cati statim dum pœnitent.

Multi ergo ex Judæis qui venerant ad 45
*Mariam et Martham, et viderant quæ fe-
cit Jesus* in Lazari suscitatione, videlicet,
quomodo oculos erexit in cœlum, et Deo
gratias retulit, Lazarumque vocavit ac sus-
citavit, *crediderunt in eum,* quoniam is-
tud miraculum non potuit esse nisi divi-
na virtute, quæ doctrinæ et conversationi
Christi testimonium perhibebat in isto
prodigio. Itaque, non omnes Judæi qui
aderant crediderunt, quia non omnium est II Thess. III, 2.
fides; et quantacumque miracula foris
fiant et ostendantur, nullus tamen ad fi-
dem convertitur nisi Deus tangat cor ejus
per instructionem et operationem inter-
nam, quamvis possit quamdam opinionem
concipere de veritate quæ miraculis ap-
probatur.

Digitized by Google

46 *Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus.* Hoc intelligi potest dupliciter : Primo sic : Quidam autem ex ipsis, id est alii a prædictis credentibus, puta increduli qui fuerunt de numero Judæorum visitantium Mariam et Martham, abierunt eodem die ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus, mala intentione, ut sollicitarent eos contra Jesum, et tantum miraculum offuscarent. Secundo sic : Quidam ex ipsis, id est de numero credentium, abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ A fecit Jesus, bona intentione, quatenus Pharisæi cognito tanto miraculo, cessarent persequi Jesum, et converterentur ad ipsum. Prima tamen expositio magis litteralis videtur. Nemo itaque conqueratur quod suo tempore non fiant ut olim multa miracula, quasi videre miracula sanctificet hominem. Quanta miracula viderunt obstinati Judæi a Christo, et Judas proditor ! Et tamen, ex hoc obstinatiores effecti sunt : sicut et patres eorum in Ægypto viderunt maxima illa mirabilia B Moysis, et tamen quid profuit eis? Ps. LXXVII, 12; CV, 7.

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO SEQUENTIS PARTIS HUJUS CAPITULI UNDECIMI : COLLEGERUNT ERGO PONTIFICES ET PHARISÆI CONCILIUM.

CREDITUR autem Lazarus suscitatus per quindenam ante dominicam pasC sionem seu diem Parasceves, scilicet sexta feria ante dominicam in Passione, quando et evangelium de Lazari suscitatione legit Ecclesia. Eodem quoque die nuntiatum fuit Pharisæis hoc signum, qui et ipsi intimaverunt pontificibus; statimque decreverunt celebrare concilium contra Jesum. Unde sequenti die fecerunt quod nunc recitat Evangelista.

47 *Collegerunt ergo,* id est ob id quod audierunt Jesum suscitasse Lazarum quatriduanum, *pontifices,* qui auctoritate et scientia eminebant, *et Pharisæi,* qui religiosiores putabantur, *concilium,* hoc est, se ipsos et ceteros consiliarios convocaverunt in unum; *et dicebant,* conquirendo ad invicem : *Quid facimus,* hoc est, quid incumbit vel restat nobis ad agendum in tanto negotio, *quia hic homo* (quem ex contemptu et invidia proprio nomine exprimere non valebant), *multa signa facit* (etiam plura quam Moyses, Elias et Eliseus)?

48 *Si dimittimus eum sic* libere ire, prædicare et operari, *omnes credent in eum.* Isti perditissimi atque incorrigibiles homines, multo pejores quam patres eorum in Ægypto, visis tot signis, non consulebant de hoc, an credendum esset in Jesum, in quem naturalis ratio tot signis convicta dictabat et dictat credendum ; quasi pro vero supponentes quod quidquid faceret Jesus, non tamen ei esset adhærendum. Tantam enim aversionem habuerunt ab eo, ob quam non poterant recte judicare de ipso. Sed ad hoc tendit D eorum conquisitio, ut inveniant modum prohibendi Jesum a solitis signis, sive interficiendo eum, sive includendo, etc. Dixerunt ergo : *Si dimittimus eum sic,* multa inconvenientia sequentur : Primo, quod *omnes* Judæi *credent in eum,* propter miracula. Secundo, quod *venient Romani* contra genus nostrum, reputantes nos imperatori rebelles, eo quod præter ipsius consensum, populus noster acceperit Jesum hunc pro rege Messia; *et* in ultionem hujus rei *tollent,* id est destruent,

Digitized by Google

nostrum locum, id est urbem Jerusalem, A templum, et reliquas urbes viculosque Judææ, *et gentem,* id est populum Judæorum nobis subjectum, et de quorum numero sumus. Prohibuit enim Senatus et Cæsar, ne aliqua gens aliquem principem regem vocaret vel pro rege susciperet, sine eorum consensu. Et quoniam sancti Prophetæ prædixerunt Christum fore regem, Judæi qui Jesum pro Christo acceperant, tenuerunt eum pro rege. Timebant ergo pontifices et Pharisæi, quod Romani, percepto negotio isto, venirent contra B eos. Erantque Romani tunc tam præpotentes, quod nulla gens potuit eis resistere.

49 *Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, quum esset pontifex anni illius,* id est summo sacerdotio fungens pro anno illo. Quamvis enim secundum legem non debuit esse nisi unus summus sacerdos, qui
Exod. xxix, 29; *Num.* xxxv, 28, 32. toto tempore vitæ suæ præesset, eoque mortuo succederet alter; tamen Judæi nati de genere sacerdotali, vel etiam alii quidam, quum essent avari et ambitiosi, C accesserunt ad principem Romanum, et qui majorem pecuniæ summam dedit, sacerdotium summum obtinuit, quousque alius plura dando eum extrusit. Vel, ut alii adstruunt, isti de genere sacerdotali inter se statuerunt, quod quolibet anno præesset unus recens. *Dixit eis.* Nam, quia majoris exstitit auctoritatis, securius loquebatur, et attentius audiebatur. *Vos nescitis quidquam,* hoc est, nihil attenditis eorum quæ in isto negotio sunt pen-
50 sanda; *nec cogitatis* quod merito cogitare- D tis, *quia expedit vobis,* pro conservatione vitæ præsentis et possessione terræ ac templi, *ut unus moriatur homo pro populo,* id est pro ereptione gentis nostræ de manibus Romanorum, *et non tota gens pereat,* hoc est, non universum genus nostrum occidatur a Romanorum militibus. Quasi dicat : Mirum quod tam segnes estis in considerando, quod non perpenditis propter bonum rei publicæ atque totius communitatis utilitatem, occidendum esse hominem unum, qualiscumque exsistat, et quidquid operetur.

Consilium hujus pontificis multipliciter fuit erroneum. Non enim facienda sunt mala, ut veniant bona, nec interficiendus est innocens timore humani periculi. Imo per talia, tota communitas Deum offendit, atque ab eo plagatur, et adversariorum potestati subjicitur : quemadmodum etiam contigit his Judæis. Ideo enim Jesum occiderunt, ne a Romanis vastarentur. Sed ideo sunt vastati, quoniam Jesum occiderunt, prout apud Danielem fuit prædictum : Occidetur Christus, et non erit *Dan.* ix, 26, 27. ejus populus, qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et usque ad finem perseverabit desolatio.

Hoc autem, videlicet, Expedit vobis ut 51
unus moriatur pro populo, etc., *a semetipso,* id est proprio spiritu, *non dixit,* quantum ad veram et spiritualem significationem horum verborum intentam a Spiritu Sancto, qui Caiphæ linguam movit ad proferendum hæc verba. Nihilo minus Caiphas dixit hæc verba a se ipso, imo et a diabolo eum ad mala instigante, quantum ad significationem intentam a Caipha, quæ nunc posita est. Sic nempe verba hæc falsa fuerunt, et ipse peccavit ea proferendo. Intendebat enim dare consilium pro morte Christi; dixitque utilius esse occidere Jesum, quam incidere manus Romanorum.

Sed quum esset pontifex anni illius, id est ex dignitate sui officii, non merito vitæ, *prophetavit,* hoc est, verba prophetica pronuntiavit : quæ non erant prophetica quoad sensum a Caipha intentum vel intellectum, sed quoad sensum quem verba ista faciunt in animo audientis, ex vera, spirituali ac propria significatione quæ competit eis ex intentione Spiritus Sancti, cujus operatione prolata sunt quoad sensum hunc prophetalem ac verum, utpote quod expediens fuit Jesum occidi pro salute Judæorum, ne tota gens illa in æter-

Digitized by Google

num periret. Imo mors Christi tam meritoria fuit, quod diluit, quantum in se fuit, etiam peccata eorum qui eam Chri-
Is. LIII, 6; *I Tim.* II, 6; *I Joann.* II, 2. sto intulerunt. Pro omni etenim peccato satisfecit Christus in cruce. Prophetavit igitur Caiphas, hoc est, per verba prophetica ab ipso non intellecta, designavit his qui bene intelligunt verba prædicta (non concilio secum collecto, quod intellexit verba Caiphæ secundum quod ipsemet intendebat), *quia,* id est quod, *Jesus moriturus erat pro gente,* hoc est Judæo-
Matth. XV, 24. rum salute, ad quos salvandos specialiter missus fuit.

Porro, quod subditur, additum est a Jo-
52 anne. *Et non tantum pro gente,* hoc est, non solum pro æterna Judæorum salute moriturus fuerat Jesus, *sed* insuper *ut filios Dei,* hoc est prædestinatos, quamvis iniquos : qui erant filii Dei secundum prædestinationem divinam, non secundum præsentem justitiam; *qui erant dispersi,* id est per varias sectas et ritus perditionis divisi, atque a Deo undique elongati per idololatriam aliaque peccata; *congregaret* spirituali collectione, per prædicationem Apostolorum et Sancti Spiritus illustrationem, *in unum,* id est sub una fide atque individua caritate, vel in unum mysticum corpus, seu in unum ovile Ecclesiæ, ut essent unius veri Dei culto-
Joann. X, 16. res. Unde superius dixerat Christus : Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile.

Sic communiter littera ista exponitur. Sed quoniam Evangelista exponit verba Caiphæ, non eo modo quo Caiphas ea intellexit, sed secundum sensum quem habent in quantum prophetica sunt, tanquam a Spiritu Sancto prolata, hoc est secundum sensum qui ex eis elici potest ex ipsa ordinatione verborum; ideo possunt alio modo exponi. Eritque sensus : *Jesus moriturus erat pro gente,* id est pro gentilium redemptione : juxta illud Isaiæ,
Is. LV, 5. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis. *Et non tantum pro gente* hac, de qua Deus ait ad Christum per Isaiam, Dedi te in lucem gentium; *sed ut filios Dei,* hoc est *Is.* XLII, 6; XLIX, 6.
electos Judæos unius Dei cultores, *qui erant dispersi* per mundum, habitantes non solum in Judæa, sed in ceteris gentium diversarum provinciis. Unde in Actibus Apostolorum habetur, quod erant in *Act.* II, 5.
Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, ex omni natione quæ sub cœlo est. *Congregaret in unum,* id est in eamdem fidem christianam atque ecclesiasticam unitatem : quod factum est quando Paulus *Ibid.* XI, XIII.
et Barnabas in diversis provinciis prædicabant solis Judæis, multosque converterunt ad fidem. Ceteri quoque Apostoli plurimos converterunt Judæorum. Hinc Jacobus ait in exordio suæ epistolæ : Duo- *Jacob.* I, 1.
decim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem. Petrus quoque in principio primæ suæ Canonicæ : Electis (inquit) advenis *I Petr.* I, 1.
dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ. De hujusmodi spirituali Judæorum congregatione, multa vaticinati sunt sancti Prophetæ, maxime Isaias : quæ *Is.* IV, X, XI, XXVII, XXIX, XXXIII, XLIII, XLV, XLVI, XLVIII, LI, LII.
carnales Judæi de corporali congregatione intelligunt, asserentes quod in adventu Messiæ universi Judæi toto orbe terrarum dispersi, adducentur in terram promissionis et in Jerusalem.

Præterea advertendum, quod licet Evangelista testante, Caiphas prophetavit, non tamen fuit, nec dici debet propheta. Ad rationem namque prophetiæ maxime pertinet cognitio occultorum, juxta illud Danielis : Intelligentia est opus in visione. *Dan.* X, 1.
Caiphas vero, ut dictum est, non intellexit propheticum sensum verborum suorum. Quemadmodum ergo Pharao, qui dixit prophetica verba, videlicet, Vidi septem bo- *Gen.* XLI, 18 *et seq.*
ves, etc., et Nabuchodonosor, qui vidit *Dan.* II, 31.
statuam, Balthasar quoque, qui vidit ar- *Ibid.* V, 5.
ticulos manus scribentis, non fuerunt prophetæ, quia non intellexerunt illa; sed Joseph et Daniel exponentes, fuerunt pro- *Gen.* XLI, 25 *et seq.*; *Dan.* II, 37 *et seq.*; V, 18 *et seq.*
phetæ : sic Caiphas non fuit propheta, sed Joannes evangelista, cui Spiritus Sanctus revelavit quomodo Caiphas protulit illa. Et si dicatur quod prophetare est ac-

Digitized by Google

tus prophetæ, ergo Caiphas prophetans A fuit propheta·: dicendum, quod prophetare proprie sumptum, videlicet pro cognitiva futurorum, occultorum et contingentium prænuntiatione, est actus prophetæ. Denique in Ecclesiastico habetur quod corpus Elisei mortuum prophetavit : numquid et illud cadaver fuit propheta? Quod autem Caiphas non fuit propheta, non erat ex sanctitatis defectu, vel ob suam malitiam, quoniam Balaam ariolus et malignus, fuit verus propheta; sed quia non intellexit sensum Spiritus Sancti ut Ba- B laam, qui scivit se loqui ex inspiratione divina et illuminatione angelica, juxta quod scriptum est in libro Numerorum : Balaam irruente in se spiritu Dei, ait (haud dubium quin de se ipso) : Dixit homo cujus obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus.

Eccli. XLVIII, 14. — *Num.* XXII, 5. — *Ibid.* XXIV, 2-4.

53 *Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum* citius quo valerent. Sed et ante, hoc cogitaverunt, ut patuit. Nunc vero con- C firmati in suo proposito, pontificis sui consilio, quod eis rationabile apparebat (qui enim alium odit, facilius persuadetur ad persecutionem ipsius), decreverunt per definitivam sententiam, quod non quiescerent, donec occiderent Jesum.

54 *Jesus ergo* sciens cogitationes illorum, qui putabant Jesum secreta eorum ignorare, *jam non in palam,* hoc est in locis manifestis, per aliquot dies, circiter octo, *ambulabat apud Judæos,* qui suam necem quærebant. *Sed abiit in regionem* D *juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem :* in qua etiam habitaverunt Judæi, sed non adversarii Christi; *et ibi morabatur cum discipulis suis,* hoc est Apostolis, paucis diebus, ut dictum est. Nam in principio sequentis capituli fertur, quod ante sex dies Paschæ venit Bethaniam ; nunc quoque subjungitur, Proximum autem erat Pascha, hoc est paschalis festivitas Judæorum. Cur autem Jesus adversarios suos fugiendo declinavit, dictum est sæpius. Nondum enim venit hora ejus, nec suam potestatem ostendere voluit, sed exemplum fugiendi præbere pro causa, loco et tempore, prout frequenter expositum est. Dicit autem Origenes, quod sicut honestum et justum est, gratia veritatis et pro Christi confessione mortem subire, quando ab aliquo requiritur confessio veritatis vel fidei, scilicet, an sit christianus; sic nullus debet se tentationi ingerere, propter propriæ virtutis inexperientiam, et quoniam ignoratur rei eventus, itemque ne det alteri occasionem peccandi.

Joann. VII, 6, 8, 30.

Proximum autem erat, id est, de propinquo imminebat, *Pascha Judæorum,* id est illa festivitas in qua crucifixus est Christus. *Et ascenderunt multi* Judæorum *Jerosolymam, de regione,* id est tota terra Judææ, *ante Pascha :* quia secundum legem, tenebantur in ipsa festivitate paschali esse in Jerusalem. Prævenerunt autem festivitatem, *ut sanctificarent se ipsos,* id est, ad esum agni paschalis disponerent se secundum legem. Nam immundi purificabant se rasura pilorum, certis lotionibus, jejuniis et quibusdam oblationibus. 55

Deut. XVI, 16. — *Lev.* XIV, 2-32.

Quærebant ergo Jesum : quidam bona intentione, ut ejus prædicationem audirent; quidam perversa. *Et colloquebantur ad invicem, in templo stantes : Quid putatis* causæ esse, *quia non venit ad diem festum* more solito, ut in tanta multitudine doceat, atque miracula faciat? Certum est quod Jesus interfuit festo paschali unde nunc agitur. Imo in die Palmarum duobusque diebus sequentibus, venit Jerusalem, secundum quod alii Evangelistæ testantur. Quod ergo Judæi dicunt, Quid putatis, quia non venit ad diem festum? sic intelligendum est : Quid putatis, quod non accessit nunc cum aliis in Jerusalem, ut festo imminenti intersit? Putabant enim Jesum non esse venturum ad festivitatem instantem, eo quod nondum advenit cum aliis. Cur autem mali quæsierunt Jesum, subjungitur. *Dederant autem pontifices et Pharisæi mandatum :* cui 56

Matth. XXI; *Marc.* XI; *Luc.* XIX.

Digitized by Google

obediendum non fuit. Quamvis enim obediendum sit malis prælatis, non tamen in malo : aliter interfectores martyrum excusarentur, qui ad imperia principum martyres occiderunt. *Ut si quis cognoverit ubi sit, indicet* alicui sacerdotum vel A Pharisæorum, *ut* pontifices et Pharisæi *apprehendant,* id est, capi faciant *eum :* de quo locutus est Jeremias, Christus Dominus captus est in peccatis nostris. (*Thren.* IV, 20.) Cujus apprehensio nostrorum dissolvit vincula peccatorum.

ARTICULUS XXX

DECLARATIO CAPITULI DUODECIMI : JESUS ERGO ANTE SEX DIES PASCHÆ VENIT BETHANIAM.

REDIENS Christus ab urbe Ephrem, appropinquante hora suæ passionis, accessit Jerusalem versus, ubi se passurum scivit, et sæpe prædixit : (*Luc.* XIII, 33.) Non capit (inquiens) Prophetam perire extra Jerusalem ; (*Matth.* XX, 18, 19.) et, Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, etc. Rediens ergo, non jam occulte, sed apertissime processit, multa prodigia agens in via, (*Luc.* XVII, 12-14. *Matth.* XX, 30-34.) decem leprosos curando, cæcos illuminando. Quumque exisset de Jericho, accidit quod nunc recitat Evangelista.

1 *Jesus ergo ante sex dies Paschæ,* id est sabbato Ramis palmarum, quod fuit sex diebus ante primum diem festivitatis Paschæ instantis. Incepit enim festivitas Paschæ feria quintá sequenti ad vesperas, duravitque diebus septem. *Venit Bethaniam, ubi fuerat,* id est, pro tunc habitavit præsensque fuit, *Lazarus* paulo ante *mortuus,* sed nunc vivus ; vel, Ubi fuerat Lazarus mortuus, et in loco quo obiit; *quem suscitavit Jesus,* novem diebus, vel circiter, ante reditum istum in Bethaniam. Suscitasse enim creditur Lazarum quindecim diebus ante diem Parasceves, in quo occisus est.

2 *Fecerunt autem ei cœnam ibi,* quia fortasse tarde intravit. Joannes non dicit a quibus, et in qua domo facta sit Christo hæc cœna. Sed quoniam sequitur : Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex B discumbentibus; Origenes asseruit cœnam istam Christo exhibitam in domo Marthæ, ab ipsa Martha, sororeque ejus ac Lazaro. Sed hoc tenendum non est, quoniam apud Matthæum et Marcum manifeste describitur, quod cœna præsens (in qua, sicut patebit, Maria fudit unguentum super Jesum) facta sit in domo Simonis leprosi : (*Matth.* XXVI, 6; *Marc.* XIV, 3.) qui tamen pro tunc non erat leprosus, sed a Christo ante curatus. Fecerunt ergo habitatores Bethaniæ, scilicet Simon et ejus familia, cœnam ibi, id est in domo C Simonis, Jesu. *Et Martha ministrabat.* Quamvis enim invitata fuerat ad convescendum, tamen propter reverentiam magistri sui, de quo dixit, Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei, (*Joann.* XI, 27.) maluit ministrare : et forte propter prudentiam suam rogata fuit a Simone, ut disponeret negotia domus suæ, quantum ad mensæ provisionem. Est quoque consuetudo, ut amici interdum ministrent in domibus familiarium, amicorum et consanguineorum, præsertim dum magni et multi hospites adsunt. D *Lazarus vero unus erat ex discumbentibus,* id est manducantibus, *cum eo,* hoc est cum Jesu. Sedit enim in eadem mensa cum Christo, et forte ad latus ejus, in signum amoris, et præteriti signi commendationem, aliorumque consolationem.

Voluit autem Christus primo introire Bethaniam antequam ingrederetur Jerusa-

Digitized by Google

lem, ut memoria suscitationis Lazari renovaretur, et Judæi undique ad ipsum confluerent occasione Lazari adspiciendi, sicque Dominus Jesus die sequenti, cum solennissima processione, turbis ex omni parte vallatus intraret Jerusalem, tanquam *Zach.* IX, 9. verus rex Israel, prout Zacharias prædixit, et infra clarebit; item, ad consolationem Mariæ, Marthæ ac Lazari, qui de ejus recessu paulo ante non mediocriter tristabantur. — Præterea, secundum Augustinum, in illa cœna interrogatus Lazarus a convivantibus, de statu animarum post vitam præsentem, de pœnis inferni, de exspectatione justorum, omnia per ordinem diligenter narravit. Per hoc quoque quod Lazarus discumbebat, ostendebatur non phantastice, sed veraciter resuscitatus.

3 *Maria ergo accepit libram,* id est vas talis mensuræ. Per libram enim quantitas designatur unguenti. Unde secundum Matthæum et Marcum (*Matth.* XXVI, 7; *Marc.* XIV, 3), accepit alabastrum, id est vas de alabastro formatum. Sumpsit ergo libram *unguenti nardi,* id est expressi seu confecti de nardo. Nardus vero dicitur frutex seu herba aromatica parva, spinosa, magnique odoris et calida. Unguenti, inquam, *pistici,* id est fidelis, puri, non mixti aut sophisticati. In Marco legitur : Nardi spicati, id est spicas habentis, de quibus extrahitur liquor aromaticus, efficiturque unguentum. *Pretiosi :* nam valuit trecentos denarios, secundum Marcum (*Marc.* XIV, 5). *Et unxit,* id est, unguento isto perfudit ac rigavit, *pedes Jesu.* Secundum Matthæum et Marcum (*Matth.* XXVI, 7; *Marc.* XIV, 3), Maria fudit unguentum super caput Jesu recumbentis. Elucescit ergo quod unxit caput et pedes Christi, qui nudo capite nudisque pedibus legitur incessisse. Probabile est quod unguentum hoc fuit subtile, velut liquor vel lacrima de re aromatica fluens : quoniam indecens videretur unguentum grossæ materiæ super caput hominis fundere. *Et extersit capillis suis pedes ejus.* Creditur in primo pedes Christi lavisse et extersisse, ac postea unguento perfudisse. *Et domus impleta est ex odore unguenti :* in quo patet valor pretiositasque unguenti, liberalitas quoque, reverentia et devotio Mariæ ad Jesum. Fuit quippe unguentum istud refrigerativum, confortativum ac odoriferum.

Mystice, dum Jesus venit Bethaniam, id est, Ecclesiam visitat, corda fidelium per gratiæ infusionem clementer intrando (Bethania autem, quæ interpretatur domus obedientiæ, signat Ecclesiam), tunc mentes fidelium faciunt ei cœnam, id est, simul cum Christo manducant panem cœlestem ac spiritualem, gustando quam dulcis est Dominus (*Ps.* XXXIII, 9), qui est cibus atque interna refectio electorum, actibus quoque justitiæ insistendo. De quo cibo ait Salvator : Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* IV, 34). Talia namque opera Christum delectant. Propter quod ait in Apocalypsi : Ego sto ad ostium, et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III, 20). In hoc convivio Martha ministrat, hoc est, anima Christum intra se habens, opera misericordiæ exercendo reverenter obedit, et Christo deservit. Lazarus vero, qui interpretatur, adjutus a Domino, hoc est spiritus rationalis a morte peccati per gratiam suscitatus, unus est ex discumbentibus cum Jesu, qui non vult mortem peccatoris (*Ezech.* XVIII, 23; XXXIII, 11), sed ovem perditam et inventam imponit humeris suis gaudens (*Luc.* XV, 4. 5). Ubi enim abundavit iniquitas, superabundat et gratia (*Rom.* V, 20). Ideo talis in actibus virtuosis epulatur cum Christo.

Tunc Maria, hoc est anima contemplativa caritatis fervore ignita, ac sanctæ devotionis dulcedine liquefacta et lacrimosa, accipit libram unguenti pretiosi, hoc est bonæ et exemplaris vitæ famam sive odorem, ungens caput et pedes Christi, hoc est, Christum secundum divinam atque humanam naturam sapienter contemplans, honorans ac diligens, ejusque membra ædificans, ut sit Christi bonus odor in omni loco (II *Cor.* II, 15, 14), et dicere possit cum Sponsa : Quum esset rex in accubitu suo, nar- (*Cant.* I, 11)

Digitized by Google

dus mea dedit odorem suum. Tunc de- A
mum tota domus, hoc est universa fratrum
1 Cor. III, 16, 17. collectio, vel anima, quæ est templum
Dei, impletur odore unguenti istius : quo-
niam spirituali hilaritate perfunduntur,
gloriantes in Domino, gratias referendo,
Ephes. V, 19. cantando et psallendo Deo in cordibus suis
semper.
4 *Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Ju-
das Iscariotes,* id est de vico nomine Ca-
rioth oriundus, *qui erat eum traditurus :*
5 *Quare hoc unguentum non veniit,* id est,
venditum non est, *trecentis denariis?* In B
Marc. XIV, 4, 5. Marco leguntur discipuli communiter mur-
murasse, atque dixisse : Ut quid perditio
ista ? Potuit enim unguentum istud ve-
nundari plusquam trecentis denariis. Sed
major quantitas non excludit minorem ;
et consuetudo Scripturæ est, imo et usus
loquentium, ut toti communitati vel soci-
etati adscribatur quod a parte ejus com-
mittitur. Vel si alii quoque discipuli
murmurabant, non eadem ratione mur-
muraverunt qua Judas, sed ex pietate qua-
dam ; et cito cessabant a murmure, Chri- C
sti responsione audita. Judas vero suam
malitiam palliavit pauperum compassio-
ne, subjungens, *et datum est egenis :* hoc
est, cur pretium unguenti non est con-
servatum, ut erogetur pauperibus ?
6 *Dixit autem hoc, non quia de egenis
pertinebat ad eum,* id est, veram curam
et caritatem non habebat ad pauperes ;
sed quia fur erat, et loculos, id est repo-
sitoria, *habens, ea quæ mittebantur,* id
est eleemosynas quæ Christo dabantur ad
sustentationem sui et discipulorum suo- D
rum, vel ut ipse illas ulterius distribueret
in pauperum usus. Multa quippe daban-
tur Christo ab auditoribus suis et feminis
religiosis, et quod Christo ejusque disci-
pulis superfluxit, fecit Christus dari ege-
nis : propter quod et inopes multi eum
comitabantur. Christus quoque officium
procuratoris et dispensatoris commisit Ju-
Matth. X, 4; Marc. III, 19; Luc. VI, 16. dæ, tanquam minus spirituali et inferi-
ori : nam et inter Apostolos ultimus com-
putatur. Talia ergo quæ sic mittebantur

in sacculos quos Judas portavit, ipse *por-
tabat,* hoc est, in alios usus convertit, et
occultavit, decimum (ut dicitur) nummum
furando. — Quamvis autem aliqui dicant
Judam a principio suæ vocationis malum
fuisse, probabilius tamen videtur dictum
aliorum dicentium, quod quando a Chri-
sto in apostolum promotus fuit, exstitit
bonus, sed postea a tentatore victus, et
in avaritiam est dejectus. Nec puto quod
Christus commisisset sibi prædicationis
officium, nisi pro tunc dignus fuisset. Mi-
sit enim illum prædicare, quemadmodum
alios Apostolos. Qui vero in vitiis jacet, Matth. X, 5.
peccat mortaliter docendo quæ non facit.
Christus autem nulli præcepit facere quæ
non licent. Peccatori vero dixit Deus : Ps. XLIX, 16.
Quare tu enarras justitias meas?
Dixit ergo Jesus, qui suam prædilectam 7
Magdalenam frequenter excusavit, fideli-
ter atque benigne : *Sine illam,* hoc est,
Mariæ non sis molestus, nec eam prohi-
beas facere quod nunc facit, *ut in diem
sepulturæ meæ servet illud,* id est, qua-
tenus tunc reservet unguentum quod mi-
hi sepulto superfunderet, si me tunc inve-
niret. Loquitur ergo Christus de unguento
simili quod Maria secum portavit in die Marc. XVI, 1; Luc. XXIV, 1.
dominicæ resurrectionis, ut ungeret cor-
pus Jesu : quod unguentum tunc servavit,
nec in Christum illud expendit, quoniam
tunc surrexit. Dicit ergo Christus Judæ
ut permittat Mariam nunc facere quod
tunc faceret si valeret, quatenus tunc re-
servet unguentum, cujus simile nunc ef-
fudit. Verba Evangelistæ sunt intricata ;
sed quod iste sit sensus, patet ex eo quod
scriptum est apud Marcum : Prævenit un- Marc. XIV, 8.
gere corpus meum in sepulturam, id est,
nunc fecit corpori meo, quod faceret ei
in monumento si posset. Unde in Matthæo
habetur : Mittens hæc mulier unguentum Matth. XXVI, 12.
hoc in corpus meum, ad sepeliendum me
fecit. Aliqui textus habent, Sinite illam :
et sic Christus discipulos affatur plurali-
ter. Ex quo elicitur quod non solus Judas
murmuravit. Propter quod nunc plurali-
ter subditur :

Digitized by Google

im semper habetis vobis- A *...stis* in vita præsenti : et ... potestis ... quotidie benefacere, atque id damni quod in hujus unguenti effusione perpessi sunt, eis recuperare. *Me autem non semper habebitis* corporaliter visibiliterque præsentem, ut modo : idcirco non potest mihi quotidie fieri quod nunc factum est mihi. Verumtamen Christus secundum suam divinitatem, omnibus adest, imo in omnibus est, per essentiam, potentiam atque præsentiam ; in bonis quoque, per gratiam. Secundum quoque naturam assumptam, adest nobis jugiter atque quotidie per sacramentalem præsentiam, secundum quod ait apud Matthæum : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. [*Matth.* XXVIII, 20.]

9 *Cognovit ergo turba multa ex Judæis**, id est plurimi Judæorum, præsertim eorum qui in Jerusalem habitabant, vel illuc convenerant ad diem solennem instantem. Jerusalem enim prope Bethaniam fuit ad quindecim stadia : sicque faciliter perceperunt Jesum advenisse, præsertim quia, secundum alios Evangelistas, magna quoque turba venit cum Jesu usque ad Jericho, et ultra forte usque ad Bethaniam. [*Ibid.* XX, 29; *Marc.* X, 46; *Luc.* XVIII, 35, 36, 43.] *Et venerunt* ex Jerusalem locisque vicinis, ad Jesum vel ad Bethaniam, *non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem* Jesus *suscitavit a mortuis*. Duplici ergo de causa venerunt : una, propter Jesum, ut ejus prædicationem audirent, ejusque personam visitarent, et opera cernerent ; alia, propter Lazarum, ut tam mirabile factum experimentaliter intuerentur, atque de pœnis gehennæ et statu alterius vitæ aliqua sciscitarentur vel docerentur. Homines quippe avide currunt ad videndum mira et inconsueta. Erat autem mirabile valde, itemque jucundum, cernere quatriduanum mortuum resuscitatum, cum hominibus denuo conversantem, manducantem, bibentem, loquentem, et cetera vitæ opera exercentem. Legitur tamen, quod Lazarus post suam suscitationem non risit. Augustinus dicit, quod isti venerunt in Bethaniam ex curiositate, non caritate. Est tamen probabile quod multi eorum ex devotione venerunt. Quod ex duobus elicitur : primo, quoniam statim subjungitur, quod propter Lazarum multi credebant in Jesum ; secundo, quia sequenti die solennissime ac devotissime perduxerunt Jesum in Jerusalem.

* [quia illic est]

10 *Cogitaverunt autem,* id est, cogitando decreverunt. Cogitare vero malum sine consensu, non est adeo malum ; sed isti B cogitationi malignæ adjecerunt consensum. Cogitaverunt ergo *principes sacerdotum,* qui videbantur regere populum, sed subditos perverterunt, quia secundum judicem populi, sic ministri ejus, [*Eccli.* X, 2.] *ut et Lazarum interficerent.* In quo patet eorum intoleranda perversitas, summaque cæcitas : primo, quod illum voluerunt occidere quem Deus tam supernaturaliter vivificavit ; secundo, quod putabant Jesum non posse suscitare occisum, quem suscitavit per quatuor dies sepultum. Causa C vero quare hoc statuerunt, annectitur :
11 *quia multi propter illum abibant ex Judæis,* id est, multi Judæorum, et ex consideratione tanti miraculi, et ex visione sensibili Lazari, loco et voto, seu corpore et mente, segregaverunt se a Judæis incredulis, *et credebant in Jesum,* quod esset Christus et Filius Dei. Hoc quippe miraculum fuit sufficiens testimonium quod vera esset prædicatio Christi. Ne ergo hi crederent, et ut tanti miraculi memoria sopiretur, voluerunt perimere Lazarum, D quem Deus ideo suscitavit ut homines fidem adhiberent Domino Jesu. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum et verum. [*Prov.* XXI, 30.] Atque in istis sacerdotum principibus constat impletum quod ait Psalmographus : Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum ; consilium autem Domini in æternum manet. [*Ps.* XXXII, 10, 11.] Porro qui contra justitiam machinatur, et veritatem opprimere nititur, quo profundius modos

excogitat, studiosiusque laborat, eo amplius præcipitatur, et in falsitatis tenebras pravitatisque abyssum demergitur.

Quæritur, quum superius dictum sit
Joann. x, 42. quod multi Judæorum crediderunt in Jesum propter natum cæcum quem illustravit, cur principes potius proposuerunt interficere Lazarum, quam cæcum illum illuminatum. Dicendum, quod propter causas diversas : Primum, quoniam miraculum illud factum in cæco, quodam palliati-
Ibid. ix, 16. onis colore diffamaverunt, eo quod factum fuerit sabbato ; hoc autem non poterant facere in Lazari suscitatione. Secundo, quoniam cæcum illum quasi vilem in-
Ibid. 34. opemque personam Pharisæi ejecerunt de synagoga ; Lazarus vero potens, dives et nobilis fuit : idcirco ejus suscitatio multo famosior erat, pluresque ad eum ierunt. Tertio, quoniam suscitatio ista miraculosior fuit quam illuminatio illa : propter quod plures crediderunt in Jesum propter Lazarum, quam propter cæcum illum. Et quamvis scriptum non sit quod principes sacerdotum cogitaverunt cæcum illum occidere, non est tamen incredibile quod cogitaverunt hoc ipsum. Nullum tamen miraculum fecit illos sic furere, sicut suscitatio Lazari, quoniam nulla tergiversatione poterat negari vel accusari.

12 *In crastinum autem,* id est die sequenti seu die Palmarum, *turba multa,* non solum Judæorum, sed et gentilium, ut patebit, *quæ venerat* ad Jerusalem *ad diem festum,* hoc est ad hoc ut imminenti solennitati interesset paschali, *quum audis-*
13 *sent quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei.* Alii Evangelistæ testantur, quod
Matth. xxi, 8; *Marc.* xi, 8. multi ex turba cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Solus Joannes scribit, quod cum ramis palmarum in manibus obviaverunt Domino. Certum est ergo quod utrumque fecerunt. Et ipsi quidem ad litteram hoc fecerunt ad reverentiam Salvatoris ; divina vero inspiratione ideo factum est, ut victoria Christi qua mox superaturus erat diabolum, vi-
A cturusque mortem, et suos ex limbo erepturus, præfiguraretur. Sic enim obviari victoribus solitum fuit. Rami quoque palmarum antiquitus dabantur victoribus in præliis prævalentibus.

Et clamabant : Hosanna, id est, obsecro, salva, *benedictus,* id est sanctus et laudatus, sit *qui venit in nomine Domini,* id est in Deo, et secundum voluntatem præordinationemque Dei, quemadmodum de Christo per Prophetas prædixit. Isti solam Christi humanitatem noverunt, sic-
B que putabant esse purum hominem, sanctissimum tamen, et mundi salvatorem, ac regem Messiam : ideo dicunt eum venire in nomine Domini, id est missum esse a Deo, et secundum Deum omnia facere, atque ad ejus honorem venire. Et verum fuit quod Christus venit in nomine Domini, quia et ipse jam dixerat : Ego veni *Joann.* v, 43.
in nomine Patris mei. Imo, secundum quod homo, venit in nomine cujuslibet divinæ Personæ.

Rex Israel, id est verus rector et sum-
C mus princeps Israeliticæ plebi promissus, et nobis jam datus : de quo Isaias prædixit, Super solium David et super re- *Is.* ix, 7.
gnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia ; et Osee, Revertentur filii Israel, et quærent Domi- *Osee* iii, 5.
num Deum suum, et David regem suum, id est Messiam, ut omnes exponunt. David siquidem tempore Osee diu mortuus fuit. Prophetæ enim concorditer dixerunt Christum fore regem Judæorum. Et quidam Judæorum intellexerunt verba hujusmodi
D Prophetarum carnaliter, de solo regno terreno ac temporali ; alii spiritualiter, de regno veræ obedientiæ, quod inchoatur in via, et consummatur ac perpetuatur in patria : ita quod Christus dando legem perfectam, suis spiritualiter præsideret, regnando in corde eorum per fidem et obedientiam nunc in via, deinceps transferret eos ad regnum cœlestis paradisi, regnando in eis per gloriæ communicationem. Hoc quippe Dominus prænuntiavit *Ezech.* xxxiv, 22-24.
per Ezechielem : Salvabo (inquiens) gre-

Digitized by Google

..., et suscitabo super eum pa- A ...storem unum qui pascat eum, David servum meum ; ego Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps eorum. Præterea, quamvis Prophetæ specialiter disseruerunt Christum fore Israelitici populi regem, nihilo minus prænuntiaverunt eum omnium gentium regem Zach. IX, 10. esse venturum : juxta illud Zachariæ, Potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ ; et in Ps. LXXI, 11. Psalmo, Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.

Porro hanc laudem turbæ Christo oblatam, alii Evangelistæ plenius descripse- Luc. XIX, 37, 38. runt. Dicitur enim apud Lucam : Quum appropinquaret Jesus ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes : Benedictus qui venit rex in nomine Domini; pax in cœlo, et gloria in excelsis. Ex quibus verbis, et ceteris quæ Lucas præmisit, probatur quod non solum turbæ ex Jerusalem et ceteris locis Christo obviantes, sed multi quoque eum sequentes, et cum eo de Bethania exeuntes, cecinerunt canticum istud. In Matthæo leguntur Matth. XXI, 9. dixisse : Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in Marc. XI, 9, 10. altissimis. Marcus vero sic refert : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum quod venit regnum patris nostri David. Longum esset omnia ista exponere; sed breviter perstringendo, petierunt salvari a Christo salute illa quæ habetur in altissimis, hoc est in cœlo. Præscripsit autem hanc laudem Psalmista, Ps. CXVII, 25, 26. dicendo : O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prosperare ; benedictus qui venit in nomine Domini.

14 *Et invenit Jesus,* non a casu, sed per discipulos suos sibi jussit adduci, *asellum,* id est pullum asinæ subjugalis, cui pullo tunc usque nullus hominum sedit; *et sedit super eum,* discipulis vestimenta sua supponentibus Christo insedenti. Quomodo facta sint hæc, qui cupit plenius scire, aliorum inspiciat Evangelistarum volumina. Joannes enim talia prætermisit, quia ab aliis novit satis scripta. *Sicut scriptum est* per Zachariam, quantum ad sensum :
Noli timere carnali, humano et inordinato 15
timore (de quo scriptum in Ecclesiastico : Qui timet Dominum, nihil trepidabit), *filia Sion,* Eccli. XXXIV, 16. id est populus Israel. Prophetæ enim, nomine filiæ totam plebem soliti sunt designare, quemadmodum Isaias ait, Sede in pulvere, filia Babylon ; et Sophonias, Exsulta in omni corde, filia Jerusa- Is. XLVII, 1. Soph. 14. B lem. Sion vero est nomen montis in quo erat templum ac regis palatium : unde per Sion frequenter totus Judaicus populus explicatur. *Ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ.* Nostra translatio habet : Exsulta satis, filia Sion ; ...bila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus ...niet tibi justus et salvator; ipse paupe... ascendens super asinam et super pul... filium asinæ. Unde apud Matthæum ir... ...citur Jesus utrumque animal insedisse, XXI, 5. videlicet asinam et pullum successive. Hoc C testimonium prophetale Evangelista adjecit, ut fidem corroboret, eo quod Christus Prophetarum vaticinia adimplevit; et item, ut innuat quod sacerdotes et Scribæ, qui erant eruditi in lege, ex hoc facto merito attendissent Jesum esse Christum.

Præterea, quod turba præfata Christo corporaliter semel exhibuit, nos debemus ei quotidie spiritualiter exhibere. Dum ergo cognoscimus quod Jesus Jerosolymam venit, id est, Ecclesiam visitat, quod utique facit quotidie, debemus ramos pal- D marum accipere, id est florida opera caritatis Dei ac proximi (palma enim est arbor æstate ac hieme florens : ideo caritatem, quæ nunquam excidit, figuraliter I Cor. XIII, 8. exprimit, de qua in Canticis Sponsa : Aquæ multæ non poterunt exstinguere Cant. VIII, 7. caritatem, nec flumina obruent eam. Idcirco æstate et hieme, hoc est in prosperis atque adversis, permanet florens, et fructus salutis producens, quemadmodum ait Apostolus : Caritas patiens est, benigna I Cor. XIII, 4. est), sicque Christo obviare corde devoto,

Digitized by Google

ejus adventum cordialiter suspirando, ejus A
præsentiam amorose amplectendo, ejusque voluntati in omnibus cum congrua
reverentia obediendo, juxta illud Amos :
Amos IV, 12. Præparare in occursum Dei tui, Israel.

Tunc quoque debemus Christum orare et collaudare, dicentes : Hosanna in excelsis. Oratio namque præconiis mixta, efficacissima est ad impetrandum, prout
Ps. XVII, 4. fatetur Psalmista : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.
Et est Christus laudandus in omni loco,
propter suæ majestatis præsentiam atque B
dominii universalitatem (propter quod fer-
22. tur in Psalmo : Benedicite Domino, omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus); item, in omnibus horis, propter incessabilem suæ pietatis super nos effusionem, gratiæ influentiam, omniumque eorum conservationem. Unde Tobias filium hortatur, dicens : Omni tempore be-
Ps. XXXIII, 2. nedic Deo. Et in Psalmo : Semper laus ejus in ore meo; in Ecclesiastico quoque,
Eccli. LI, 15. Laudabo nomen tuum assidue; et, Lau-
Ibid. 8. dabit usque ad mortem anima mea Do- C
minum. Laudandus vero est Christus rex immortalis et verus Deus, non pigra irreverentique mente, sed corde sincero, ignito ac stabilito, secundum illud Eccle-
Ibid. XXXIX, 41. siastici : Et nunc in omni corde et ore collaudate et benedicite nomen Domini. Unde ubertim ait ardentissimus ille Psal-
Ps. IX, 2; CX, 1; CXXXVII, 1. mista : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Tunc Jesus inveniens asellum, id est humile mancipium jugo legis di-
Ps. LXXII, 23. vinæ subjectum, quod dicere potest, Ut jumentum factus sum apud te, et ego sem- D
per tecum; sedebit super illud, id est, in omnibus diriget animam ejus, omnemque alienum dominatorem excludet.

16 *Hæc non cognoverunt discipuli ejus,* id est, cur Christus asellum sibi jussit adduci, et super illum sedit, et quod in hoc implebatur prophetia de Christo prædicta, non intellexerunt Apostoli, *primum,* id est ante passionem, et tunc quando fiebant. Erant enim adhuc mirabiliter simplices, rudes et ineruditi. Nam, ut infra Joannes de se ipso testatur, in die dominicæ resurrectionis nondum scivit quod Joann. XX, 9.
oporteret Christum a mortuis surgere : quod tamen Christus sibi et coapostolis jam ubertim prædixit, et prophetatum edocuit. *Sed quando glorificatus est Jesus,* id est post resurrectionem, quando corpus impassibile et glorificatum resumpsit, *tunc recordati sunt,* id est, attenderunt : non quod prius illud scierint, et post oblivioni tradiderint, rursusque pensaverint; sed recordatio sumitur nunc extense, pro consideratione; *quia hæc erant scripta de eo,* in Zacharia, ut dictum est. Tunc enim aperuit illis sensum, ut in- Luc. XXIV, 45.
telligerent Scripturas; insufflavitque in Joann. XX, 22.
eos, et dixit : Accipite Spiritum Sanctum. In die quoque Pentecostes docuit eos Spiritus veritatis de omnibus, plene ac evidenter. *Et hæc fecerunt ei :* id est, tunc quoque recoluerunt quod turba fecit Christo quæ dicta sunt, ut impleretur vaticinium Zachariæ.

Testimonium ergo perhibebat turba quæ 17
erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Hæc turba contestabatur quod vidit, videlicet, quod Lazarus vere mortuus fuit atque veraciter a Christo resuscitatus. *Pro-* 18
pterea et obviam venit ei turba, non illa de qua jam dictum est, quæ interfuit suscitationi Lazari, sed illa quæ id percepit ab alia. Subditur enim : *quia audierunt eum fecisse hoc signum.* Hæc turba et illa, fuerunt una turba totalis, cujus partes turba dicuntur. Quidam enim eorum qui occurrerunt Christo, adfuerunt quando Lazarum suscitavit; et alii non adfuerunt, sed ab illis hoc didicerunt : sicque simul obviaverunt Salvatori, tanquam excellenti viro, mirabili potentique homini, ac regi Messiæ.

Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos, 19
id est ad invicem, invidentes gloriæ Christi : *Videtis quia nihil proficimus?* id est, negligenter et pigre habemus nos in exsequendo propositum nostrum de interfectione hominis hujus, et non obtinemus

Digitized by Google

…, et suscitabo super eum pa-
storem unum qui pascat eum, David ser-
vum meum ; ego Dominus ero eis in
Deum, et servus meus David princeps
eorum. Præterea, quamvis Prophetæ spe-
cialiter disseruerunt Christum fore Israe-
litici populi regem, nihilo minus prænun-
tiaverunt eum omnium gentium regem
Zach. IX, 10. esse venturum : juxta illud Zachariæ, Po-
testas ejus a mari usque ad mare, et a
fluminibus usque ad fines terræ ; et in
Ps. LXXI, 11. Psalmo, Adorabunt eum omnes reges, om-
nes gentes servient ei.

Porro hanc laudem turbæ Christo ob-
latam, alii Evangelistæ plenius descripse-
Luc. XIX, 37, 38. runt. Dicitur enim apud Lucam : Quum
appropinquaret Jesus ad descensum mon-
tis Oliveti, cœperunt omnes turbæ descen-
dentium gaudentes laudare Deum super
omnibus quas viderant virtutibus, dicen-
tes : Benedictus qui venit rex in nomine
Domini; pax in cœlo, et gloria in excelsis.
Ex quibus verbis, et ceteris quæ Lucas
præmisit, probatur quod non solum turbæ
ex Jerusalem et ceteris locis Christo ob-
viantes, sed multi quoque eum sequentes,
et cum eo de Bethania exeuntes, cecine-
runt canticum istud. In Matthæo leguntur
Matth. XXI, 9. dixisse : Hosanna filio David, benedictus
qui venit in nomine Domini, Hosanna in
Marc. XI, 9, 10. altissimis. Marcus vero sic refert : Ho-
sanna, benedictus qui venit in nomine
Domini, benedictum quod venit regnum
patris nostri David. Longum esset omnia
ista exponere; sed breviter perstringendo,
petierunt salvari a Christo salute illa quæ
habetur in altissimis, hoc est in cœlo.
Præscripsit autem hanc laudem Psalmista,
Ps. CXVII, 25, 26. dicendo : O Domine, salvum me fac; o Do-
mine, bene prosperare ; benedictus qui
venit in nomine Domini.

14 *Et invenit Jesus,* non a casu, sed per
discipulos suos sibi jussit adduci, *asellum,*
id est pullum asinæ subjugalis, cui pullo
tunc usque nullus hominum sedit; *et se-
dit super eum,* discipulis vestimenta sua
supponentibus Christo insedenti. Quomo-
do facta sint hæc, qui cupit plenius scire,
A aliorum inspiciat Evangelistarum volumi-
na. Joannes enim talia prætermisit, quia
ab aliis novit satis scripta. *Sicut scriptum
est* per Zachariam, quantum ad sensum :
Noli timère carnali, humano et inordinato 15
timore (de quo scriptum in Ecclesiastico :
Qui timet Dominum, nihil trepidabit), *fi-* Eccli. XXXIV, 16.
lia Sion, id est populus Israel. Prophetæ
enim, nomine filiæ totam plebem soliti
sunt designare, quemadmodum Isaias ait,
Sede in pulvere, filia Babylon ; et Sopho- Is. XLVII, 1.
nias, Exsulta in omni corde, filia Jerusa- Soph. III, 14.
B lem. Sion vero est nomen montis in quo
erat templum ac regis palatium : unde
per Sion frequenter totus Judaicus po-
pulus explicatur. *Ecce Rex tuus venit
sedens super pullum asinæ.* Nostra trans-
latio habet : Exsulta satis, filia Sion ; ju- Zach. IX, 9.
bila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus ve-
niet tibi justus et salvator; ipse pauper, et
ascendens super asinam et super pullum
filium asinæ. Unde apud Matthæum indu- Cf in Matth. XXI, 5.
citur Jesus utrumque animal insedisse,
videlicet asinam et pullum successive. Hoc
C testimonium prophetale Evangelista adje-
cit, ut fidem corroboret, eo quod Chri-
stus Prophetarum vaticinia adimplevit; et
item, ut innuat quod sacerdotes et Scribæ,
qui erant eruditi in lege, ex hoc facto
merito attendissent Jesum esse Christum.

Præterea, quod turba præfata Christo
corporaliter semel exhibuit, nos debemus
ei quotidie spiritualiter exhibere. Dum er-
go cognoscimus quod Jesus Jerosolymam
venit, id est, Ecclesiam visitat, quod uti-
que facit quotidie, debemus ramos pal-
D marum accipere, id est florida opera ca-
ritatis Dei ac proximi (palma enim est
arbor æstate ac hieme florens : ideo ca-
ritatem, quæ nunquam excidit, figuraliter I Cor. XIII, 8.
exprimit, de qua in Canticis Sponsa :
Aquæ multæ non poterunt exstinguere Cant. VIII, 7.
caritatem, nec flumina obruent eam. Id-
circo æstate et hieme, hoc est in prosperis
atque adversis, permanet florens, et fru-
ctus salutis producens, quemadmodum ait
Apostolus : Caritas patiens est, benigna I Cor. XIII, 4.
est), sicque Christo obviare corde devoto,

Digitized by Google

ejus adventum cordialiter suspirando, ejus
præsentiam amorose amplectendo, ejus-
que voluntati in omnibus cum congrua
reverentia obediendo, juxta illud Amos :
Amos IV, 12. Præparare in occursum Dei tui, Israel.

Tunc quoque debemus Christum orare
et collaudare, dicentes : Hosanna in ex-
celsis. Oratio namque præconiis mixta,
efficacissima est ad impetrandum, prout
Ps. XVII, 4. fatetur Psalmista : Laudans invocabo Do-
minum, et ab inimicis meis salvus ero.
Et est Christus laudandus in omni loco,
propter suæ majestatis præsentiam atque
dominii universalitatem (propter quod fer-
Ps. CII, 22. tur in Psalmo : Benedicite Domino, omnia
opera ejus, in omni loco dominationis
ejus); item, in omnibus horis, propter
incessabilem suæ pietatis super nos effu-
sionem, gratiæ influentiam, omniumque
rerum conservationem. Unde Tobias fili-
Tob. IV, 20. um hortatur, dicens : Omni tempore be-
Ps. XXXIII, 2. nedic Deo. Et in Psalmo : Semper laus
ejus in ore meo; in Ecclesiastico quoque,
Eccli. LI, 15. Laudabo nomen tuum assidue; et, Lau-
Ibid. 8. dabit usque ad mortem anima mea Do-
minum. Laudandus vero est Christus rex
immortalis et verus Deus, non pigra ir-
reverentique mente, sed corde sincero,
ignito ac stabilito, secundum illud Eccle-
Ibid. XXXIX, 41. siastici : Et nunc in omni corde et ore
collaudate et benedicite nomen Domini.
Unde ubertim ait ardentissimus ille Psal-
Ps. IX, 2; CX, 1; CXXXVII, 1. mista : Confitebor tibi, Domine, in toto
corde meo. Tunc Jesus inveniens asellum,
id est humile mancipium jugo legis di-
Ps. LXXII, 23. vinæ subjectum, quod dicere potest, Ut
jumentum factus sum apud te, et ego sem-
per tecum; sedebit super illud, id est, in
omnibus diriget animam ejus, omnemque
alienum dominatorem excludet.

16 *Hæc non cognoverunt discipuli ejus,* id
est, cur Christus asellum sibi jussit ad-
duci, et super illum sedit, et quod in hoc
implebatur prophetia de Christo prædi-
cta, non intellexerunt Apostoli, *primum,*
id est ante passionem, et tunc quando fie-
bant. Erant enim adhuc mirabiliter sim-
plices, rudes et ineruditi. Nam, ut infra

A Joannes de se ipso testatur, in die domi-
nicæ resurrectionis nondum scivit quod Joann. XX, 9.
oporteret Christum a mortuis surgere :
quod tamen Christus sibi et coapostolis
jam ubertim prædixit, et prophetatum
edocuit. *Sed quando glorificatus est Je-
sus,* id est post resurrectionem, quando
corpus impassibile et glorificatum resum-
psit, *tunc recordati sunt,* id est, attende-
runt : non quod prius illud scierint, et
post oblivioni tradiderint, rursusque pen-
saverint; sed recordatio sumitur nunc ex-
B tense, pro consideratione; *quia hæc erant
scripta de eo,* in Zacharia, ut dictum est.
Tunc enim aperuit illis sensum, ut in- Luc. XXIV, 45.
telligerent Scripturas; insufflavitque in Joann. XX, 22.
eos, et dixit : Accipite Spiritum Sanctum.
In die quoque Pentecostes docuit eos Spi-
ritus veritatis de omnibus, plene ac evi-
denter. *Et hæc fecerunt ei :* id est, tunc
quoque recoluerunt quod turba fecit Chri-
sto quæ dicta sunt, ut impleretur vatici-
nium Zachariæ.

Testimonium ergo perhibebat turba quæ 17
C *erat cum eo quando Lazarum vocavit de
monumento, et suscitavit eum a mortuis.*
Hæc turba contestabatur quod vidit, vi-
delicet, quod Lazarus vere mortuus fuit
atque veraciter a Christo resuscitatus. *Pro-* 18
pterea et obviam venit ei turba, non illa
de qua jam dictum est, quæ interfuit sus-
citationi Lazari, sed illa quæ id percepit
ab alia. Subditur enim : *quia audierunt
eum fecisse hoc signum.* Hæc turba et illa,
fuerunt una turba totalis, cujus partes
turba dicuntur. Quidam enim eorum qui
D occurrerunt Christo, adfuerunt quando La-
zarum suscitavit; et alii non adfuerunt,
sed ab illis hoc didicerunt : sicque simul
obviaverunt Salvatori, tanquam excellenti
viro, mirabili potentique homini, ac regi
Messiæ.

Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos, 19
id est ad invicem, invidentes gloriæ Chri-
sti : *Videtis quia nihil proficimus?* id est,
negligenter et pigre habemus nos in ex-
sequendo propositum nostrum de inter-
fectione hominis hujus, et non obtinemus

Digitized by Google

quod proponebamus : proposuimus enim A
impedire conversionem hominum ad ipsum, et oppositum contigit. Ideo subdunt: *Ecce mundus totus,* id est magna pars hominum in mundo viventium, *post eum abiit,* id est, ei adhæret, credit, obsequitur. Unde quod dicunt, Mundus totus, accipiendum est per hyperbolen : quæ est figura habens locum quum aliquid dicitur per excessum, ad insinuandum magnitudinem rei : quemadmodum in Genesi Pha-
Gen.xli,44. rao loquitur ad Joseph : Absque tui oris imperio, nemo movebit manum vel pedem B
in omni terra Ægypti. Chrysostomus et alii quidam, exponunt hunc locum de Pharisæis credentibus, aliosque a persecutione Christi retrahere peroptantibus, ut sit sensus : Videtis quia nihil proficimus ? id est, quidquid fecerimus vel molimur contra Jesum, nil prodest, nec ejus magnificentiam impedire valemus, ut patet ad sensum: nam ecce mundus totus post eum abiit.

20 *Erant autem gentiles quidam, ex his qui ascenderant* Jerusalem *ut adorarent* Deum Israel in quodam loco templi ad C
hoc deputato. Non enim ingredi poterant ipsum templum. Unde in Actibus Judæi
Act. xxiv, 6. leguntur Paulo imposuisse, quod locum sanctum violasset, gentiles inducendo in templum. *In die festo* Paschæ : quia non solum templum a Salomone constructum, sed et illud quod ædificavit Zorobabel, tantæ fuit famæ et excellentiæ, quod gentiles ex diversis mundi partibus confluxerunt in Jerusalem, ut Deum Israel adorarent in loco ad divina sacrificia atque obsequia præelecto, præsertim in festivi- D
II Mach. iii, 2,3; xiii,23. tate paschali. Hoc in libris Machabæorum plenius recitatur. Unde in Actibus Apostolorum scriptum est quomodo quidam
Act. viii, 27, 28, 35-38. eunuchus potens Candacis reginæ Æthiopum, ascendit adorare in Jerusalem : qui quum rediret, sedens in curru legensque Isaiam, a Philippo diacono est conversus. Quidam ergo gentiles unius Dei cultores, quibus etiam ad salutem sufficiebat fides Christi venturi cum lege naturali, ascenderunt cum Judæis Jerusalem versus.

Hi ergo accesserunt ad Philippum apo- 21
stolum, *qui erat* oriundus *a Bethsaida* urbe *Galilææ :* de qua civitate fuerunt Petrus et Andreas. Cur potius accesserunt Joann. i, 44.
Philippum quam alium Apostolum ? Forte quod majorem cum eo habuerunt notitiam, vel ex circumstantia loci poterant eum facilius alloqui ; vel quia specialem pietatem ac mansuetudinem consideraverunt in eo, propter quod affati sunt eum prius atque audentius. *Et rogabant eum, dicentes: Domine.* Dominum vocant Philippum propter reverentiam sui magistri, et quia videbant quod esset honesta ac religiosa persona. *Volumus Jesum videre.* Sedit enim Jesus super animal parvum, undique turbis vallatus, ita quod ab universis non poterat conspici. Hi ergo, quoniam famam operum Christi audierunt, ipsum quoque actorem optabant videre, ejusque colloquio frui, vel verbis doceri. *Venit* 22
Philippus, et dicit Andreæ desiderium gentilium. In quo patet Philippi humilitas, quod per se non præsumpsit hæc Christo intimare; magna quoque reverentia quam habebat ad Christum. Et quia Philippus inferior quodammodo erat Andrea, monstratur quod inferiora per superiora ad Deum sint reducenda, ut sit ordinatus processus, inferiora quoque ad superiora per media. *Andreas rursum et Philippus dixerunt Jesu.* Unus protulit verba, et alius confirmavit seu annuit, ut in ore duorum staret firmum verbum. Deut. xix, 15.

Jesus autem respondit eis, dicens : Venit 23
hora, id est, jam partim adest, et cito plenius erit in passione et post passionem, *ut clarificetur,* id est, clarus et magnus, verusque Christus esse monstretur seu agnoscatur, ac per hoc in hominum cordibus clarificetur, exaltetur, seu honoretur, *Filius hominis.* Ut enim post pauca subjungitur, eadem hora qua Christus hæc dixit, venit vox de cœlo dicens : Et clarificavi, et iterum clarificabo. Quo facto, dixit turba, in cujus mente jam aliqualiter clarificatus fuit Jesus : Angelus ei locutus est. Porro in passione clarificatus est

Digitized by Google

in cordibus adsistentium cruci, qui quum A
vidissent solis obscurationem, terræ mo-
Luc. xxiii, 48. tum, et cetera quæ fiebant, percutientes
pectora sua revertebantur, quemadmodum
apud Lucam legitur. In resurrectione au-
tem clarificatus est Jesus, id est proprio
corpore glorificatus, atque in ascensione
Act. i, 9. super cœlos elevatus, secundum quod ait
Philipp. ii, 8, 9. Apostolus : Humiliavit semetipsum, factus
obediens usque ad mortem : propter quod
et Deus exaltavit illum. Deinde misso Spi-
ritu Sancto, clarificatus est per Aposto-
lorum prædicationem, ac multa miracula : B
Luc. xxiv, 47. primo in Jerusalem, ubi maxime inhono-
Is. liii, 2. ratus exstiterat, ita ut non esset ei species
Act. i, 8. neque decor ; deinde in tota Judæa, Ga-
lilæa atque Samaria.

Postremo maxime clarificatus est per
prædicationem Apostolorum in universo
mundo, seu gentibus universis, quæ ubi-
que terrarum ad Christum conversæ sunt,
prout per Isaiam prædictum fuit : A fi- Is. xxiv, 16.
nibus terræ audivimus laudes, gloriam
Justi ; et in Psalmo, Reminiscentur et con- Ps. xxi, 28.
vertentur ad Dominum universi fines ter-
ræ. De hac clarificatione exponit Augu-
stinus verba inducta, ita quod Christus
his verbis conversionem prædixit genti-
lium, quæ figurabatur per conversionem
horum paucorum gentilium qui Christum
videre optabant. De qua etiam clarifica-
tione accipit Augustinus illud Psalmistæ :
Exaltare super cœlos, Deus, et super om- Ps. lvi, 12; cvii, 6.
nem terram gloria tua.

ARTICULUS XXXI

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS HUJUS DUODECIMI CAPITULI, AB EO LOCO : AMEN, AMEN DICO VOBIS, NISI GRANUM FRUMENTI CADENS IN TERRAM MORTUUM FUERIT.

Ex decreto æternæ sapientiæ summæ C
Trinitatis, debuit passio Christi ejus
glorificationem gentiumque conversionem
Philipp. ii, 8. præcedere, quoniam Christus Patri usque
ad mortem obediendo, meruit sibi ipsi
præmium accidentale, videlicet corporis
glorificationem, atque judiciariam potesta-
tem ; omnibus quoque hominibus meruit
non solum veniam culpæ, sed etiam con-
versionis justificationisque gratiam. Pro-
Luc. xxiv, 26. pter quod ait apud Lucam : Nonne hæc
oportuit pati Christum, et ita intrare in
Ibid. 46, 47. gloriam suam ? Et iterum : Oportebat Chri- D
stum pati, et resurgere tertia die, et præ-
dicari in nomine ejus pœnitentiam et re-
missionem peccatorum in omnes gentes.
Porro quod ita sit, Christus ostendit per
24 aptum exemplum. *Amen, amen dico vo-*
bis, nisi granum frumenti cadens in ter-
ram, id est seminatum, *mortuum fuerit,*
25 id est corruptum et resolutum, *ipsum so-*
lum manet, id est, fructum non affert, nec
multiplicatur. Corruptio quippe unius, ge-
neratio est alterius. Propter hoc, unum
non generatur ex alio, nisi illud primo
corrumpatur. *Si autem mortuum fuerit,*
id est putrefactum in terra, *multum fru-*
ctum affert, quia generat spicam granis
plenam.

Per granum, Christus se ipsum signa-
vit, qui ex cœlesti area in hunc mundum
per incarnationem seminatus est. Unde
de ipso habetur in Psalmo : Erit firma- Ps. lxxi, 16.
mentum in terra in summis montium.
Translatio Hieronymi juxta Hebræum, sic
continet : Erit memoriale triticum. Et Za-
charias ait : Quid bonum Domini, et quid Zach. ix, 17.
pulchrum ejus, nisi frumentum electo-
rum ? Vult ergo Salvator asserere, quod
sicut granum non corruptum nequaquam
fructificat, sic ipse non fructificaret in
gentibus, illas per Apostolos convertendo

Digitized by Google

ad fidem, nisi prius a Judæis occideretur. Quod per Isaiam manifeste invenitur prædictum, quo scribitur : Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Per semen longævum, intelligitur plebs fidelis credens in Christum, quæ usque in finem sæculi perdurabit. Denique per voluntatem Domini, designatur conversio gentium, secundum quod Thessalonicensibus scribit Apostolus : Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Hæc in manu Christi directa est, id est ad bonum finem atque salubrem effectum perducta, eo quod posuit animam suam pro peccato generis humani delendo.

Is. LIII, 10. — I *Thess.* IV, 3.

Qui amat animam suam, perdet eam. De multiplici amore loquitur sacra Scriptura : Primo, de vero, divino ac spirituali amore, qui fundatur in bono honesto : cujusmodi sunt bona animæ, virtus, sapientia, gratia, beatitudo. De hoc amore dicit Apostolus : Si linguis angelorum loquar, etc. ; et Petrus, Ante omnia, inquit, mutuam in vobis caritatem continuam habentes. Huic amori opponitur odium quod est summum peccatum. Secundo, de amore carnali, inordinato et sæculari, qui fundatur in bono temporali, delectabili, vel utili saltem apparenter. De quo amore dicit Apostolus alloquens Timotheum : In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes. Huic amori opponitur odium bonum : de quo Psalmista, Perfecto (ait) odio oderam illos. Porro juxta Philosophum, amare est alicui bonum velle.

I *Cor.* XIII, 1. — I *Petr.* IV, 8. — II *Tim.* III, 1, 2. — *Ps.* CXXXVIII, 22.

Dupliciter ergo intelligi potest præsens scriptura. Primo : *Qui amat animam suam,* id est, qui vere ac spiritualiter diligit eam in sæculo isto, volens sibi ipsi et cupiens perseveranter bona honesta, spiritualia ac divina, *perdet eam,* id est, in sæculo isto exponet eam propter Deum atque justitiam, adversis ac mortis periculis, præponetque dura corpori delectabilibus mundi, incedens per arctam viam, nec timens eos qui corpus occidunt. Hæc

Matth. VII, 14. — *Ibid.* X, 28.

A est salutaris perditio, quæ est effectus sancti amoris. Estque perditio ista, sui ipsius abnegatio, propriæ crucis portatio, et Christi imitatio : de quibus apud Matthæum ait Salvator, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. — Secundo : *Qui amat animam suam* carnali et vitioso amore, ambulando in concupiscentiis propriis, et temporalibus potius quam æternis inhærendo, *perdet eam,* id est, æternam damnationem incurret, et B se ipsum vera felicitate post hanc vitam privabit, juxta illud Ecclesiastici : Si præstiteris animæ tuæ concupiscentias ejus, facient te in gaudium inimicis tuis. Tales vere odiunt semetipsos, dicente Scriptura : Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Vult enim ei quæ nocent. De talibus ait Judas in sua Canonica : Hi sunt in epulis suis convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur : quibus procella tenebrarum conservata est in æternum. C Huic autem secundæ expositioni magis concordant sequentia.

Matth. XVI, 24; *Luc.* IX, 23. — *Eccli.* XVIII, 31. — *Ps.* X, 6. — *Judæ,* 12, 13.

Et qui odit animam suam in hoc mundo, id est, delectabilia mundi et carnis ei subtrahit, eamque quotidie propter Christum mortificat, et si occurrat articulus, pro fide et justitia mortem amplectitur temporalem ; *in vitam æternam* adipiscendam merito odii hujus, *custodit eam.* De quo odio dicit Salvator apud Lucam : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et D fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Fugiamus ergo delectabilia vitæ præsentis, omnemque mundi honorem, famam et gloriam cordialiter aspernemur, crucifigentes, juxta doctrinam Apostoli, carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis.

Luc. XIV, 26. — *Galat.* V, 24.

Si quis mihi ministrat, obediendo meis 26
præceptis, vel acquiescendo consiliis evangelicis, *me sequatur,* id est, patiendo adversa, me æquanimiter, fortiter atque stabiliter imitetur, non recedendo a via justitiæ

propter tormenta. Unde admonet Petrus : A
I Petr. II, 21. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Hoc est quod Joannes in sua
I Joann. II, 6. docet epistola : Qui se dicit manere in Christo, debet sicut ille ambulavit, et ipse
II Tim. III, 12. ambulare. Paulus quoque : Omnes, inquit, qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Quid enim tam justum, decens et sanctum, quam ut discipuli imitentur magistrum, servi dominum, membra quoque caput? *Et ubi sum ego* inviolabiliter, secundum divinam natu- B
ram, semper quoque post ascensionem, id est in regno cœlorum, in patria Beatorum, *illic et minister meus erit,* post vitæ præsentis occasum, et plenam satisfactionem hic vel in purgatorio factam.
Apoc. III, 21. Unde in Apocalypsi loquitur Christus : Qui vicerit, dabo illi sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre
Philipp. I, 23. meo in throno ejus. Et Apostolus : Cupio (ait) dissolvi, et esse cum Christo. Hinc
II Tim. II, 11, 12. iterum dicit ad Timotheum : Si commortui sumus, et convivemus; si sustinebi- C
mus, et conregnabimus.

Si quis mihi ministraverit perseveranter usque in finem, declinando ab omni peccato mortali, juxta illud in Psalmo,
Ps. C, 6. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat; *honorificabit eum,* id est, honorabilem eum faciet, magnamque ei reverentiam exhibebit, *Pater meus qui est in cœlis :* id est, in cœlesti palatio, in angelorum consortio, in cœlestis paradisi deliciis constituet eum Pater æternus, sed et divinæ essentiæ uniet animam ejus, ut D
I Joann. III, 2. videat Deum sicuti est, clare per speciem. Sæpe insuper Deus exaltat servos suos fideles in vita præsenti et post mortem.
Ps. CXXXVIII, 17. Propter quod dicit Propheta : Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Magna honorificatio filiorum adoptivorum est, esse cum Filio naturali, coheredesque Christi. De quo honore ait inferius :
Joann. XVII, 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam.

Nunc anima mea turbata est, id est ve- 27
hementer mota, non tamen inordinate affecta. Turbatio ista fuit in anima Christi, quantum ad inferiorem ejus partem et appetitum sensitivum, non ex infirmitate, sed prævia rationis deliberatione, absque superioris partis animæ inquietudine. Unde nomine perturbationis aliud nihil designatur, nisi ingens commotio appetitus sensitivi, instantem passionem naturaliter abhorrentis ex prævia imaginatione illius, ipsa ratione talem passionem imperante, ad insinuandum veritatem humanæ naturæ in Christo. Talis quoque turbatio fuit meritoria nobis, sicut et ceteræ afflictiones passionesque Christi; et item consolatoria, utpote ne desperatione vel pusillanimitate frangamur, dum necessitate vel infirmitate turbamur. In nobis tamen turbatio solet mentis tranquillitatem auferre. Denique, quod turbatio non semper sonet in vitium, sed magnam motionem significet, patet ex hoc quod inanimatis quoque solet adscribi : quemadmodum dictum est supra, Quum tur- Joann. V, 7.
bata fuerit aqua, mittat me in piscinam; et in Psalmo, Qui conturbas profundum Ps. LXIV, 8.
maris. Qualiter vero turbatio et ceteræ passiones fuerint in Christo, dictum est In Joann. XI, 33.
plenius in præcedenti capitulo.

Et quid dicam? id est, ex turbatione prædicta sentio in me diversos affectus, ex quibus diversæ preces procedere possunt : ideo quæro, Quid dicam? non quod ignorem quid dici expediat, vel præ angustia spiritus loqui non valeam; sed ut arduitatem causæ sive negotii pandam, quia secundum appetitum sensitivum refugio mortem, sed secundum rationem et voluntatem desidero mori pro beatitudine mundi. Verumtamen appetitus animæ Christi non fuerunt sibi invicem inordinate repugnantes, neque contrarii. Inferior enim permittebatur naturaliter agere quod suum erat sub moderamine rationis.

Pater, salvifica me ex hac hora. Hoc exponi potest dupliciter : Primo, ut sit oratio deliberatæ rationis, quæ semper ex-

Digitized by Google

audiebatur in Christo. Eritque sensus : Pater, salvifica, id est, salvum fac me, ex hac hora, id est passione instante, et turbatione atque pavore præsenti, non ut non moriar, vel ut non turber et paveam, sed ut per acceleratam resurrectionem ab omnibus pœnis his liberer, simque impassibilis corpore et anima. Juxta hunc sensum orat Christus frequenter in Psalmo, ut quum ait : Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum ; erue a framea, Deus, animam meam ; salva me ex ore leonis. (*Ps.* xxi, 20-22.) Jeremias quoque : Confundantur, inquit, qui me persequuntur, et non confundar ego ; paveant illi, et non paveam ego. (*Jer.* xvii, 18.) Secundo exponitur, ut sit oratio animæ secundum sensitivum appetitum : secundum quem dixit, Transeat a me calix iste. (*Matth.* xxvi, 39.) [Eritque sensus :] Pater, salvifica me ex hac hora, id est a malis pœnalibus temporis nunc instantis, videlicet a morte et afflictionibus ceteris quas naturaliter horreo. Verum, quoniam Christus hoc absolute non petiit, sed simpliciter, hoc est ex deliberata ratione et voluntate rationali divinæ voluntati perfectissime subjecta et conformata, pati optavit ; propterea subditur : *Sed propterea,* id est, ut patiar ista pro tuo honore hominumque salute, *veni in hanc horam,* id est, humanam naturam assumpsi, et mortalis ac temporalis fieri volui, atque hucusque perveni, ducens vitam persecutionibus atque laboribus abundantem.

Deinde subjungitur deliberatæ rationis
28 petitio. *Pater, clarifica tuum nomen,* id est, me ipsum manifesta, tuam bonitatem, majestatem ac omnipotentiam per meam passionem declara. Virtute quippe et merito passionis Christi, Pater totum mundum illuminavit, suique nominis notitiam gentibus per Apostolorum doctrinam patefecit. Ex hoc enim quod Pater tradidit Filium suum pro nobis in mortem, ostenditur misericordia atque dilectio ejus ad nos ; et item justitia ejus, quæ tanta est quod maluit Unigenitum suum occidi, quam peccatum manere inexpiatum,

A inultum, immune ; sapientia quoque, quod tam admirabilem et convenientissimum modum invenit. Itaque mors Christi fuit clarificatio Patris. Imo passio martyrum, clarificatio nominis est divini, quoniam moriendo pro veritate, Deum honorant, et verum ac justum ostendunt. Propter quod dicit Apostolus ad Philippenses : In omni fiducia magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. (*Philipp.* i, 20.) Infra quoque de Petro habetur : Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. (*Joann.* xxi, 19.) B

Venit ergo vox de cœlo, id est, in aere formatus est sermo cœlesti virtute, videlicet a Deo, ministerio angeli loquentis in persona Dei Patris, quemadmodum in Christi baptismo et transfiguratione. (*Matth.* iii, 17 ; xvii, 5.) Quæ autem fuerit vox ista, subjungitur. *Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Hoc quidam exponunt de clarificatione Filii a Patre, ut sit sensus : *Et clarificavi* te, o Unigenite. Potestque clarificatio ista exponi de Christo secundum utramque suam naturam : C quia secundum divinitatem Pater clarificavit, id est, ab æterno clarum gloriosumque genuit Filium, quem produxit sibi ipsi æqualem, communicando ei eamdem numero claritatem quam habuit et ipse ; secundum humanitatem vero Pater clarificavit, id est, clarum fecit ac propalavit Christum in omnibus mirabilibus quæ circa ejus humanitatem ostendit, prænuntiando ejus incarnationem per Prophetas, annuntiando ejus conceptionem Virgini sanctæ per angelum, (*Luc.* i, 26 et seq.) educendo eum D de clauso Virginis utero, et cetera miracula faciendo per Christum, in testimonium quod sit Christus. *Et iterum clarificabo* te, in passione, per mirabilia quæ tunc fient, in resurrectione, ascensione, Spiritus Sancti missione, Apostolorum prædicatione, et miraculorum per eos eorumque sequaces perpetratione. Unde in Actibus loquitur Petrus : Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum. (*Act.* iii, 13.) — Sed quoniam Christus immediate ante hæc verba oravit, dicendo, Pater, clarifica tu-

Digitized by Google

um nomen, videtur clarificatio ista referenda ad Patrem, qui dicendo, Et clarificavi, et iterum clarificabo, ostendit se exaudivisse precem Filii sui dilecti, qui
Joann. XI, 42. paulo ante asseruit : Ego sciebam quoniam semper me audis. Pater ergo clarificavit se ipsum in Filio et per Filium, quoniam quidquid communicavit Filio ab æterno per generationem divinam, vel in tempore per miraculorum operationem, totum cessit ad clarificationem Patris, cujus tota perfectio relucet in Filio. Imo, quum Patris et Filii sit una substantia, eorum est una clarificatio. Quod enim est ad gloriam unius divinarum Personarum, est ad gloriam singularum. Propter quod
Ibid. V, 23. dixit Salvator : Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.

29 *Turba ergo quæ stabat :* ex quo patet, quod Domino Jesu stante et verba ista loquente, populus quoque substitit, et adspexit, atque advertit; *et audierat* vocem præfatam de cœlo allatam, *dicebat tonitruum factum esse. Alii dicebant : Angelus ei locutus est.* Per turbam intelliguntur rudiores, qui vocem prædictam nec intellexerunt, nec discernebant, sed sonum confusum judicaverunt : et forsitan æstimabant quod tale aliquid factum esset miraculose, quale in libris Regum factum
I Reg. XII, 18. legitur, ubi habetur quod Samuele orante, dedit Dominus voces et pluvias. Per alios intelliguntur subtiliores, qui vocem prædictam attendebant esse articulatam et significativam. Et quia credebant eum esse Regem Israel et Messiam, putabant angelum ei locutum, quemadmodum in scripturis veteris Testamenti leguntur angeli Prophetas affati.

Sed multum mirandum videtur, quod vocem prædictam non intellexerunt, quæ (ut arbitror) facta est in Hebræo idiomate. Chrysostomus autem testatur circa hunc locum, quod aperta quidem et bene significativa erat vox ista; sed cito ab eis evolavit, quasi a grossioribus, carnalibus et desidiosis : et hi sonitum tantum retinuerunt. Alii vero, quod articulata vox erat noverant ; quid autem significaret ignorabant. Sed nec verba hæc satisfaciunt dubitationi meæ. Si enim vox ista in Hebræo facta est, intellexerunt eam Hebræi, quantum ad sensum superficialem, præsertim quum dubium nullum sit quin vox ista multum fuerit altisona et distincta. Quomodo ergo turba dixit factum esse tonitruum, quum et turba esset Hebrææ linguæ non ignara? Si aliquis dicat, quod ideo dixit factum esse tonitruum, quoniam facta fuit vox magna tonitruo similis, quomodo Joannes ait in Apocalypsi, Audivi vocem quasi tonitrui magni ; et apud Apoc. XIV, 2.
Job inducitur, Quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit Job XXVI, 14.
tonitruum magnitudinis ejus intueri? Si, inquam, hoc aliquis dicat, tunc turba ista non differebat ab aliis, quoniam vox angelorum assimilatur tonitruo.

Puto ergo quod turba quæ dixit tonitruum factum, maxime fuit gentilis. Dictum est enim quod multi gentilium ad- vers. 20.
erant. Hi enim, quoniam linguam Hebræam non intellexerunt, putabant factum esse tonitruum : sicut in passione Christo cla- Matth. XXVII, 46.
mante, Eli, Eli, lamma sabacthani, quidam audientes, dixerunt, Ecce Eliam vocat Ibid. 47.
iste. Illi enim, secundum Hieronymum, fuerunt gentiles et ministri Pilati, qui linguam Hebræam non intellexerunt perfecte, sed nomen Eliæ sæpe audierunt : propter quod Jesu dicente, Eli, putabant quod invocaret Eliam. Sic isti prædicta verba nequaquam intelligentes, dixerunt factum esse tonitruum. Alii vero, puta Judæi, intellexerunt verba quantum ad sensum superficialem, quemadmodum simplex clericus legens verba hæc, significationem eorum superficialiter concipit; sensum tamen intentum atque latentem non intellexerunt. Idcirco dixerunt : Angelus ei locutus est. Et hoc verum fuit, quantum ad hoc quod immediatus formator vocis angelus fuit; sed quoad hoc verum non fuit, quod angelus in propria persona, vel tanquam superior, loqui putabatur. Puta-

Digitized by Google

bant tamen quod vox illa aliquid magni A notavit, ad declarandum quod Jesus esset verus rex Israel.

30 *Respondit Jesus, et dixit : Non propter me,* id est non ad meam instructionem vel utilitatem aut necessitatem, *hæc vox venit, sed propter vos,* id est ad vestram informationem atque salutem. Christus nempe perfecte cognovit se ipsum, nec ejus beatitudo ex nostra conversione augetur; sed populus ille et nos indigemus instructione angelica, et conversione mentis nostræ ad Christum. Nihilo minus vox illa B venit propter clarificationem Christi, ut dictum est.

31 *Nunc judicium est mundi.* Superius
Joann. VIII, 15. dixit Filius Dei : Ego non judico quemquam; et, Non misit Deus Filium suum Ibid. III, 17.
ut judicet mundum. Quæ intelligenda sunt de judicio discussionis et reprobationis finalis seu condemnationis. Quod ergo jam asserit, Nunc judicium est mundi, accipiendum est de judicio discretionis, ut sit sensus : Nunc, id est tempore evangelicæ legis, et nunc in præsenti, atque post pas- C sionem meam, judicium est mundi, id est, judicialis discretio hominum agitur, utpote prædestinatorum clemens ad Christum conversio, et reproborum justa relictio. Ex tempore enim prædicto, Deus maxime demonstravit qui essent electi, et qui præsciti, per hoc quod aliquibus magnam largitus est gratiam, aliosque deseruit : sicque judicavit discretione prudenti inter electos et reprobos, illos vocando, istos derelinquendo.

Nunc, virtute passionis meæ, et per D Apostolorum prædicationem, Sancti Spiritus illustrationem, *princeps hujus mundi,* id est diabolus, rector et dominus hominum mundanorum, qui a diabolo superantur, propter quod ejus servi dicun-
II Petr. II, 19. tur, juxta illud Petri : A quo quisquam superatus est, hujus et servus est. Nec mirum si diabolus appelletur princeps mundi, quum de ipso dicat Apostolus :
II Cor. IV, 4. Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium. Quæ verba male intelligentes Manichæi, dixerunt diabolum dominum esse substantiæ mundialis, secundum quod alibi spondet Christo : Hæc omnia dabo tibi, Matth. IV, 9.
si procidens adoraveris me. Itaque nunc princeps hujus mundi *ejicietur foras,* id est, a cordibus hominum expelletur, quia in toto mundo innumerabiles qui servierunt peccatis, idolis, sive dæmonibus, convertentur ad me, et fient templum Spiritus Sancti, in quibus paulo ante habitavit diabolus. Hoc statim post missionem Spiritus Sancti cœpit vehementer impleri : primo in populo Judæorum, quando ad prædicationem Petri tot millia Hebræo- Act. II, 41; IV, 4.
rum convertebantur, ita ut etiam multa sacerdotum turba obedierit Evangelio, sic- Ibid. VI, 7.
ut in Actibus scribit Lucas; deinde in omni terra gentilium, quando cœpit copiose impleri illud in Psalmo : Et benedicentur Ps. LXXI, 17.
in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum.

Sed nonne per gratiam Dei a principio mundi ejectus est diabolus a cordibus hominum electorum? Utique. Quomodo ergo ait, Nunc ejicietur, quasi ante ejectus non fuerit? Dicendum quod ideo, quoniam tunc ejectus fuit a paucis, nunc vero cœpit ab innumerabilium cordibus ejici. Simili modo dictum est ante : Spiritus nondum erat Joann. VII, 39.
datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

Et ego si exaltatus fuero a terra, id 32
est in cruce levatus. Quod ait, Si, non est intelligendum dubitative, sed assertive : sicut jam dixit de grano frumenti, Si mor- vers. 25.
tuum fuerit, multum fructum affert. Et Amos dicit : Si erit malum in civitate Amos III, 6
quod Dominus non fecit. Sic etiam ait Job : Si contempsi judicium subire cum Job XXXI, 13.
servo meo. Quæ omnia certitudinaliter, non dubitative dicuntur. *Omnia* genera hominum, id est quosdam de omnibus, scilicet juvenes et virgines, Judæos et paganos, doctos et simplices, pauperes et divites, *traham ad me ipsum,* non violenter, sed amorose, id est, per fidem et caritatem convertam eos ad me. Christus enim moriendo satisfecit pro omnibus, quantum fuit in ipso; et merito suæ pas-

Digitized by Google

sionis infusa est electis in toto mundo
gratia, per quam audita evangelica præ-
dicatione, ad Christum conversi sunt, se-
Is. LV, 5. cundum quod Isaias prædixit, Gentes quæ
non cognoverunt te, ad te current; et Psal-
Ps. XXI, 28. mista, Adorabunt in conspectu ejus univer-
sæ familiæ gentium. — Deinde ponuntur
verba Evangelistæ exponentis præinducta
33 Christi verba. *Hoc autem,* videlicet, Si ex-
altatus fuero a terra, *dicebat, significans*
qua morte, id est quali modo seu genere
mortis, *esset moriturus :* quia per exalta-
tionem intellexit suam crucifixionem.
34 *Respondit ei turba,* id est pars turbæ
quæ non credidit, sed Christo se oppo-
suit. In turba namque multi fuerunt qui
vers. 13. crediderunt, videlicet qui dixerunt : Be-
nedictus qui venit in nomine Domini, Rex
Israel. Aliqui quoque fuerunt ibi qui in-
videbant gloriæ Christi, præsertim Scribæ
et Pharisæi ac fautores eorum. Hi ergo
dixerunt : *Nos audivimus ex lege,* id est
ex Scripturis veteris Testamenti (sumunt
enim legem pro libris Moysis et Prophe-
tarum), *quia Christus manet in æternum,*
id est, immortaliter subsistit, et incorru-
ptibiliter perseverat. Cognoverunt ergo isti
Judæi aliquid de Christi æternitate : de
Dan. VII, 14. qua Daniel ait, Potestas ejus potestas æter-
na, quæ non auferetur, et regnum ejus
Ps. CIX, 4. quod non corrumpetur; et in Psalmo, Tu
es sacerdos in æternum; atque in Isaia,
Is. IX, 7. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis
non erit finis.
Et quomodo tu dicis, Oportet exaltari
Filium hominis ? Christus non scribitur
jam dixisse, Oportet exaltari Filium ho-
minis, sed, Ego si exaltatus fuero a terra,
omnia traham, etc. Cur ergo sic repetunt :
Quomodo tu dicis, Oportet exaltari Fili-
um hominis ? Dicendum, quod isti Judæi
memoriter tenuerunt, quod Christus com-
muniter appellavit se Filium hominis. Et
vers. 23. paulo ante jam dixerat : Venit hora ut
clarificetur Filius hominis. Ideo sensum
potius quam verba Christi resumunt. At-
tenderunt quoque quod Christus non du-
bitanter, sed certitudinaliter dixit, Si ex-
A altatus fuero : propter quod dicunt eum
dixisse, Oportet exaltari. Sed unde scie-
bant quod Christus per sui a terra exal-
tationem intellexit suam crucifixionem ?
Ad hoc quidam respondent, quod apud
Judæos erat proverbium, per exaltationem
designari crucifixionem, velut si aliquis
ei quem cupit suspendi, dicat : Eleveris
in altum. Sed si hoc ita esset, tunc utique
verbum Christi valde manifestum fuisset,
nec Evangelista indiguisset illud expone-
re tanquam obscurum. Unde, secundum
B Augustinum, verbum illud exaltationis ad-
eo fuit obscurum, quod nec discipuli pro
tunc illud intelligebant. Ideo, secundum
Augustinum et Bedam, Judæi illud intel-
lexerunt, non vigore sapientiæ, sed peste
ac stimulo invidentiæ. Jam enim decre-
verunt crucifigere Jesum : propterea sti-
mulata eorum invidia dedit eis facilem
intellectum sermonis eorum propositum
designantis. Itaque dicunt : Quomodo tu di-
cis, Oportet exaltari Filium hominis ? tan-
quam dicant : Verba tua contraria sunt.
C Dicis enim, quod tu Filius hominis sis
Messias, et item, quod sis crucifigendus;
hæc autem simul stare non valent, quo-
niam nos audivimus ex lege quod Chri-
stus manet in æternum. Ideo diligentius
sciscitamur a te :
Quis est iste Filius hominis quem dicis
crucifigendum ? quasi dicant : Tu ille esse
non potes, quum te Christum esse insi-
nues. Magna procul dubio cæcitas atque
perversitas Judæorum istorum, volentium
demonstrare quod ideo Jesus non sit Chri-
D stus, quoniam dixit se occidendum, quum
Daniel, qui prophetavit de Christi æter- *Dan. III,*
nitate, apertissime vaticinatus sit de ejus *100; IV, 31; VII, 14.*
passione : Post hebdomades (inquiens) se- *Ibid. IX, 26.*
xaginta duas, occidetur Christus. Et Isa-
ias, qui de Christi interminabili pace præ- *Is. IX, 7.*
dixit, de ejus quoque amarissima passione
præscripsit : Nos putavimus eum quasi *Ibid. LIII, 4.*
leprosum, et percussum a Deo, et humi-
liatum. David quoque eodem psalmo quo
dixit de æternitate Christi, de passione
adjecit : De torrente in via bibet. Et alibi *Ps. CIX, 4, 7.*

Ps. xxi, 16. dicit Psalmista : Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis ; et in pulverem mortis deduxisti me. Itaque simul stant mors Christi et ejus æternitas, dupliciter : Primo, quoniam mors convenit ei ratione naturæ humanæ; æternitas, ex parte divinæ naturæ. Secundo, quoniam licet secundum assumptam humanitatem occisus sit, et homo esse ad tempus desiit, tamen post triduum glorificatus est in carne assumpta, et secundum humanitatem ad vitam impassibilem suscitatus. Sicque æternitas competit ei etiam quoad naturam assumptam, a parte post, juxta illud Apostoli Hebr. vii, 24, 25. ad Hebræos : Christus eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, semper vivens ad interpellandum pro nobis.

35 *Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum lumen in vobis est :* hoc est, non penitus caretis notitia veritatis, sed de luce cognitionis Christi parum habetis, videlicet, quia cognoscitis quod maneat in æternum ; imperfecta vero est vestra cognitio, quoniam ignoratis quomodo passio et æternitas Christi sibi invicem non repugnent, quia non referuntur ad idem secundum idem seu eodem modo, ut dictum est. Vel sic : Adhuc modicum, id est modico tempore seu paucis diebus, lumen Joann. viii, 12; ix, 5; xii, 46. in vobis est, hoc est, ego qui sum lux mundi, inter vos conversor atque deambulo. Ideo *ambulate,* id est, de imperfecta notitia Christi, ad ejus perfectiorem cognitionem procedite, et totum intelligite, scilicet Christum esse crucifigendum, et in æternum victurum, *dum lucem habetis,* Sap. vii, 26; Hebr. i, 3. id est, dum me splendorem lucis æternæ præsentem conspicitis, qui vos instruere sum paratus, *ut non vos tenebræ comprehendant,* id est, ne caligo vitiorum et cæcitas ignorantiæ atque perfidiæ animas vestras capiant, illaqueent, seu constringant : secundum quod Salomon ait in Pro- Prov. v, 22. verbiis, Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. *Et qui ambulat in tenebris* erroris

A et culpæ, *nescit quo vadit,* id est, inordinate et errabunde incedit, nec proprios actus intelligit, neque ad finem salubrem perveniet, sed tendit periculosius et perit magis quam arbitratur. Omnis enim qui peccat, est ignorans, secundum philosophos et theologos, quoniam acquiescit malo sub specie boni, et operatur illicita tanquam bona. Unde Salomon in Proverbiis loquitur : Via stulti recta in oculis Prov. xii, 15. ejus. — Denique et nos ambulare debemus per semitas æquitatis, et viam man- Ps. cxviii, 32. B datorum cœlestium currere, dum lucem gratiæ et veritatis notitiam habemus, quemadmodum dicit Apostolus : Dum tempus Galat. vi, 10. habemus, operemur bonum ad omnes ; et, Noli negligere gratiam Dei quæ data I Tim. iv, 14. est tibi.

Dum lucem, id est me Christum, *habetis* 36 præsentem, *credite in lucem,* unigenitum Filium Dei, ad quem Pater ait per Isaiam, Dedi te in lucem gentium ; et, Populus Is. xlii, 6; xlix, 6. qui ambulabat in tenebris, vidit lucem Ibid. ix, 2. magnam ; *ut filii lucis sitis,* id est filii C Christi, per fidem, dilectionem et imitationem ipsius : quemadmodum ad Galatas dicit Apostolus, Omnes vos filii Dei estis Galat. iii, 26. per fidem. Vel, Filii lucis, id est gratiæ et sapientiæ.

Hæc locutus est Jesus obstinatis Judæis; *et abiit* extra Jerusalem, *et abscondit se ab eis,* transeundo per medium eorum, Luc. iv, 30. cedens furori eorum, quoniam nondum Joann. vii, 30; viii, 20. venit hora suæ passionis, dansque exemplum sæpe humiliter declinandi ac fugiendi, potius quam potenter resistendi, D vel se ipsum persecutionibus ingerendi, secundum quod dictum est plenius circa finem octavi capituli. Verumtamen agnoscendum, quia ut alii tres Evangelistæ Matth. xxi, 12 et seq.; Marc. xi, 15 et seq.; Luc. xix, 45 et seq. concorditer referunt, Jesus antequam se abscondit, intravit in templum, ejiciens inde ementes et vendentes. Quumque cum sacerdotibus, Scribis et Pharisæis acriter disputasset, relictis illis, discessit, et introivit Bethaniam. Nihilo minus feria secunda et tertia revertebatur, et prædicavit in templo.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXII

EXPLANATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS DUODECIMI CAPITULI : QUUM AUTEM TANTA SIGNA FECISSET JESUS CORAM EIS.

DEINCEPS ostenditur Judæorum obsti- A
nata perfidia prophetice prænuntia-
37 ta. *Quum autem tanta signa,* quæ nunc
Joann. ix, 1-7. descripta sunt, utpote : illuminatio cæci
Ibid. xi, 1-44. nati, suscitatio Lazari, impetratio vocis
vers. 28. cœlestis ; *fecisset* Jesus *coram eis.* Multa
autem signa tunc fecit, puta in die Palma-
rum, quæ Joannes non recitat. Unde apud
Matthæum inducitur, quod quum esset
Matth. xxi, 14. in templo, accesserunt ad eum cæci et
claudi, curavitque eos. *Non credebant in*
38 *eum,* imo nec ei, *ut sermo Isaiæ imple-*
retur quem dixit. Quod ait, Ut sermo Isaiæ B
impleretur, intelligendum est concomitan-
ter, non causaliter. Non enim ob hoc fi-
dem Jesu spreverunt, ut verificarent ver-
ba Isaiæ. Sic enim novissent Isaiam de
eorum excæcatione prænuntiasse, et quod
Jesus esset Christus quem Isaias prædixit
non recipiendum a populo Judæorum, pro
majori parte eorum. Sed ex incredulitate
ipsorum consecuta est impletio vaticinii
Isaiæ; nec solum Isaiæ, sed insuper David,
et Jeremiæ, ac Danielis. Scriptum est enim
Ps. lxviii, 24. in libro Psalmorum : Obscurentur oculi C
Jer. xii, 7, 8. eorum ne videant. Et Jeremias ait : Re-
liqui domum meam, dimisi hereditatem
meam ; dedit contra me vocem suam, ideo
Dan. ix, 26. odivi eam. Daniel quoque dixit : Non erit
ejus populus, qui eum negaturus est.

Deinde ponuntur verba Isaiæ, in perso-
Is. liii, 1. na Prophetarum loquentis. *Domine, quis*
credidit auditui nostro ? Prævidens enim
Isaias in Spiritu Sancto, quam pauci Ju-
dæorum reciperent Christum, admirando
inquirit : Domine, quis Judæorum (quasi
dicat, Modica pars eorum) credidit auditui D
nostro, id est verbis ac mysteriis Christi
quæ tu nobis revelasti de Christo, et quæ
audiendo a te didicimus ? Auditus quippe
est sensus disciplinæ, secundum Philoso-
phum. Et juxta Apostolum, Fides est ex Rom. x, 17.
auditu. Vel, Quis credidit auditui nostro,
id est verbis propheticis quæ audivimus
a te ? Quamvis enim Judæi dicant Prophe-
tis se credere, tamen secundum veritatem
eis non credunt, quia non recipiunt ve-
ram eorum expositionem, sed litteralem,
carnalem, et superficialem, quæ occidit. II Cor. iii, 6.
Unde Salvator locutus est Judæis incre-
dulis : Si crederetis Moysi, crederetis for- Joann. v, 46.
sitan et mihi. *Et brachium Domini,* id est
Filius, virtus et sapientia Patris, Verbum I Cor. i, 24.
omnipotens, per quod facta sunt omnia, Joann. i, 3.
cui revelatum est ? id est, paucis Judæo-
rum notificatum est per illuminationem
internam, prout in Actibus Petrus testa-
tur : Deus dedit eum manifestum fieri, Act. x, 40, 41.
non omni populo, sed testibus a Deo præ-
ordinatis. Dicitur autem Filius Dei bra-
chium Patris, quia per ipsum facta sunt
omnia. De quo Isaias : Paravit (inquit) Do- Is. lii, 10.
minus brachium sanctum suum in oculis
omnium gentium.

Propterea non poterant credere, quia 39
iterum dixit Isaias, quantum ad sensum,
non quoad formam verborum. Dicet ali-
quis : Si non poterant credere propter
prophetiam Isaiæ, ergo ipsi excusantur a
culpa, quum omne peccatum sit volun-
tarium, et Isaiæ prænuntiatio erit causa
incredulitatis ipsorum. Dicendum, quod
prænuntiatio Isaiæ non fuit causa effectiva
vel a priori, sed causa et signum a po-
steriori, perfidiæ Judæorum. Ex illa et-
enim prophetia agnoscitur et probatur,
non causatur, Judæorum obstinatio atque
perfidia. Porro, quod ait, Non poterant

Digitized by Google

credere, non est intelligendum de impos- A
sibilitate absoluta, quoniam liberi arbitrii
permanserunt, nec præscientia Dei neces-
sitavit eos ad mala ; sed de impossibilitate
ex suppositione, ita quod impossibilitas
hæc non refertur ad eorum voluntatem
secundum se sumptam seu simpliciter
consideratam, sed ut talem, videlicet ut
induratam et habituatam in pessimis :
Matth. vii, 18. juxta quem sensum, arbor mala non po-
test fructus producere bonos, nec super-
bus potest salvari, nec justus damnari. De
hoc superius dicta sunt plurima; propter B
quod transeo. Verumtamen Augustinus,
per Non posse, intelligit, Non velle. Quem-
admodum Apostolus ait de Deo, quod se
II Tim. ii, 13. ipsum negare non potest, id est, non vult.

40 *Excæcavit oculos eorum,* id est, Deus
Is. vi, 9, 10. exigentibus Judæorum peccatis, subtraxit,
seu non infudit, intellectui eorum lumen
fidei et sapientiæ salutaris, *et induravit
cor eorum,* id est, voluntatem eorum in-
durari permisit, gratiam mollificantem et
animæ conversivam juste subtrahendo ; *ut*
(hoc per modum sequelæ, non causæ, su- C
mendum est) *non videant oculis* interio-
ribus, ea quæ fidei sunt, *et intelligant
corde, et convertantur, et sanem eos.* Ne-
gatio illa præposita verbo, Videant, ad alia
tria referenda est verba, ut sit sensus :
Excæcavit illos, ut non intelligant corde,
per donum intellectus penetrando et clare
contemplando ea quæ spectant ad fidem
catholicam, secundum quod dictum est
Ibid. vii, 9, juxta LXX. per Prophetam : Si non credideritis, non
intelligetis. Hic sumitur cor, pro intelle-
ctu. Et convertantur ad Christum, et sa- D
nem eos, a vulneribus animæ seu peccatis.
Hoc ultimum verbum dicitur in persona
Dei, qui solus potest mentem sanare. Un-
Jer. xvii, 14. de loquitur Jeremias : Sana me, Domine,
Ps. xl, 5. et sanabor ; et Psalmista, Sana animam
meam, quia peccavi tibi. Quoniam ergo
Judæi non crediderunt in Christum, non
sunt intus a Deo curati, præsertim quum
Hebr. xi, 6. sine fide et merito Christi nemo possit
salvari, purgari aut justificari. Propterea
in Actibus Apostolorum Paulus dixit Ju-
dæis : Per Jesum vobis remissio peccato- Act. xiii, 38.
rum annuntiatur ab omnibus a quibus
non potuistis in lege Moysis justificari.
Itaque Deus dicitur excæcare et indurare,
non influendo malitiam, sed non dando
subsidium. Juxta quem modum scriptum
est in Deuteronomio : Noluit Sehon rex Deut. ii, 30.
Hesebon dare transitum filiis Israel, quia
induravit Dominus Deus spiritum ejus, et
obfirmaverat cor illius, ut traderetur in
manus Israel.

Hæc verba nunc elucidata *dixit Isaias,* 41
id est, dicenda et scribenda accepit a Deo,
qui sibi per revelationem angelicam ea
monstravit, *quando vidit gloriam ejus,* id
est, quando in spiritu visione imaginaria
præagnovit excellentiam Christi, qui est
verus Deus et Dominus, *et locutus est de
eo,* id est, de Christo prophetavit quod in
ejus adventu excæcarentur et indurarен-
tur Judæi. Nam ubi Isaias ait verba præ-
allegata, præmisit : Vidi Dominum seden- Is. vi, 1. juxta LXX.
tem super solium excelsum et elevatum,
et plena erat domus a majestate ejus. Et
quod ibi per Dominum, ad litteram intel-
ligendus sit Christus Filius Dei, probat
gloriosus Hieronymus auctoritate Joannis
evangelistæ, hoc loco manifeste dicentis,
quod Isaias dixit hæc, utpote quod Judæi
non poterant credere in Christum, quando
vidit gloriam ejus. Palam est autem quod
per gloriam, jam non intelligitur increata
beatitudo vel divina essentia Filii, quam
nullus in hac vita potest conspicere per
speciem (ut dictum est plenius super il-
lud : Deum nemo vidit unquam), sed ma- Joann. i, 18.
gnificentia Christi, quam Deus Isaiæ per
spiritum prophetiæ ostendit. Vel si per
gloriam accipiatur increata felicitas et na-
tura Filii Dei, tunc visio præinducta ac-
cipi debet de visione per fidem. Noverat
enim Isaias Christum Filium Dei, Patri
esse æqualem.

Verumtamen et ex principibus, id est 42
de numero principalium Judæorum, vide-
licet Scribarum et Pharisæorum, magno-
rumque civium, *multi crediderunt in
eum,* id est, Jesum credebant esse Mes-

Digitized by Google

siam et verum doctorem propter miracula ejus, et quia viderunt scripturas Prophetarum in ipso impleri. Non tamen sic crediderunt, quod credendo obedierint dogmatibus Christi, vel quod ejus divinitatem per fidem agnoverint. Fuitque fides eorum informis, et plurimum incompleta, nec ad salutem sufficiens. Subditur enim : *sed propter Pharisæos,* hoc est timore incredulorum Pharisæorum, *non confitebantur,* hoc est, verbis non exprimebant, nec opere demonstrabant fidem suam etiam tunc et ubi, quando et quomodo debuerunt, *ut de synagoga non ejicerentur,* id est, ne ab ingressu templi et societate Judæorum tanquam excommunicati repellerentur : quod valde opprobriosum censebant ; nec tantæ fuerunt perfectionis, *Matth.* v, 10. quod propter justitiam voluerunt perpeti persecutionem.

43 *Dilexerunt enim gloriam hominum,* id est temporalem honorem et famam laudis humanæ, *magis quam gloriam Dei,* id est cœleste præmium quod pro merito persecutionis atque justitiæ datur a Deo ; vel, Gloriam Dei, id est divinum honorem, quoniam magis voluerunt se ab hominibus honorari, quam ut ipsi Deum honorarent : quod esse non potuit sine peccato *Deut.* vi, 5. mortali, quia ex necessitate præcepti tenetur unusquisque plus amare Deum quam se ipsum et universa creata, plus quoque appetere bona cœlestia et æterna, quam temporalia, humana atque terrena, et item, plus appetere honorem et gloriam Dei, quam suam. Tenemur, inquam, plus desiderare quod Deus ab hominibus glorificetur et honoretur quam nos. Ideo dici solet, quod principes isti, non confitendo fidem suam peccaverunt mortaliter : Primo, quoniam ex officio habuerunt vulgum instruere : quod non fecerunt debito tempore, sed permiserunt plebem seduci, et Christi mortem expetere. Secundo, quoniam honorem Deo debitum omiserunt timore humano. Tacendo enim, dabant aliis occasionem putandi quod fides Christi esset falsa, et Deo contraria : ex quo multa divino honori contraria sequebantur. Qui enim non credit in Filio, mendacem facit Patrem. *I Joann* v, 10. Confiteri quippe fidem pertinet ad præceptum affirmativum. Ideo quamvis non obliget ad semper, obligat tamen semper, videlicet pro loco et tempore : idcirco mortale peccatum incurritur, quando omittitur contra caritatem Dei vel proximi. Verumtamen aliquis forsitan probabiliter affirmaret, quod aliqui principum credentium, ex divina dispensatione licite tacuerunt, quia videbant se nil posse proficere. Sed hoc nihilo minus certum est, quod illi qui plus dilexerunt gloriam hominum quam Dei, erant extra statum salutis.

Posset interea dubitari, quomodo nomine principum credentium intelligantur et Pharisæi, quum subdatur quod propter Pharisæos non confitebantur; rursus, quomodo Pharisæi poterant principes de synagoga ejicere, quum principes fuerint sacerdotes, quorum fuit de synagoga repellere. Dicendum, quod aliqui Pharisæorum credebant, quorum unus exstitit Nicodemus ; *Joann.* iii, 1, 2. sed major eorum pars fuit incredula : qui vel propria potestate, vel sua suggestione, poterant credentes de synagoga ejicere, accusando eos apud pontifices, qui erant de secta Pharisæorum. Plurimi quoque sacerdotum fuerant Pharisæi.

44 *Jesus autem clamavit et dixit.* Evangelista non exprimit locum et tempus hujus prædicationis Christi ; nec aliquid super hoc legi. Sed quoniam ante Evangelista disseruit, quod Jesus abiit et abscondit se, (vers. 36.) puto quod ista de qua nunc agitur prædicatio, non sit facta in die Palmarum, in qua Jesus facta processione, miraculorum operatione, et sermocinatione prolixa, abiit atque abscondit se ; sed die sequenti, quando secundum alios Evangelistas, rediit in Jerusalem, et prædicavit in templo : (*Matth.* xxi, 17, 18, 23 ; *Marc.* xi, 12, 15.) nisi forte ista dicantur per recapitulationem. Dixit igitur Jesus : *Qui credit in me,* secundum quod Deus sum : quoniam sola divinitas fidei est objectum ;

non credit in me dumtaxat : juxta quem A
Joann. vii, 16. sensum dictum est supra, Mea doctrina
non est mea, sed ejus qui misit me. Unde
nunc subditur : *sed in eum qui misit me,*
id est in Deum Patrem, imo in totam superbenedictam Trinitatem, quæ est unum
fidei objectum et causa, et trium Personarum est una fides. Vel sic : *Qui credit
in me,* secundum quod Deus sum : sic
enim credendum est in me; *non credit
in me,* secundum quod homo sum, quia
sic non sum fidei immediatum propriumque objectum, *sed in eum qui misit me :* B
quoniam licet ex Verbo et humanitate
constet una hypostasis Christi, tamen Verbum et Pater plus conveniunt in hoc propter quod aliquid est objectum fidei,
quam Verbum et natura assumpta. Fidei
nempe objectum est veritas prima; Pater
autem et Verbum sunt una prima exemplarisque veritas.

45 *Et qui videt me* oculo interiori, nunc
per fidem et specialem contemplationis
gratiam, vel in futuro per gloriam, seu
I Cor. xiii, 12. facie ad faciem; *videt* eodem modo *eum* C
qui misit me. Pater enim et Filius sicut
Joann. x, 30. sunt inseparabiles in essentia, sic et in
cognitione. Idcirco qui noscit unum, noscit et alium : præsertim quum pater et
filius correlative dicantur; cognito autem
uno correlativorum, cognoscitur reliquum,
quum unum sit de propria ratione alterius. Tanta quoque est similitudo Patris
Ibid. xiv, 9. et Filii, ut cognito Filio, agnoscatur et
Pater, quia et Filius est naturalis et perfecta Patris imago, in quo quidquid Patris
est, plenissime lucet. Propter quod infra D
Ibid. 7. testatur discipulis : Si cognovissetis me,
et Patrem meum utique cognovissetis. Denique, sicut una est jam fides supersanctæ
Trinitatis, sic in patria est una beatifica
visio ejus, fidei correspondens atque succedens.

46 *Ego lux* per essentiam, tanquam Sapi-
Ibid. i, 9. entia Patris verusque Deus, qui sum lux
vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, *in mundum veni,*
id est, per incarnationis mysterium inter
homines apparui, atque in terris esse cœpi per humanitatem, qui ante fui in terra
per solam divinitatem. Hoc Christo est
proprium, nec aliquis Sanctorum unquam
hoc dicere ausus fuit. Quamvis enim Sancti sint lumina quædam, habent tamen
aliquid tenebrositatis vel defectibilitatis
admixtum. *Ut omnis qui credit in me* fide
formata, quæ dum opportunitas adest, agit Galat. v, 6.
per dilectionem, *in tenebris non maneat,*
id est in vitiis et ignorantiæ nebulis. Unde
per Isaiam Pater ait ad Christum : Dedi Is. xlii, 6, 7.
te in lucem gentium, ut aperires oculos
cæcorum. Fides igitur illuminationem et
purificationem meretur, prout in Proverbiis legitur : Per misericordiam et fidem Prov. xv, 27.
purgantur peccata.

Et si quis audierit verba mea, id est 47
præcepta et documenta, *et non custodierit
ea,* memoriter recolendo, rite credendo et
obediendo, *ego non judico eum* nunc in
primo meo adventu, judicio condemnationis. *Non enim veni ut judicem,* id est,
condemnem et perdam, *mundum,* id est
habitatores terræ, *sed ut salvificem mundum,* pro hominum culpis satisfaciendo,
eisque æternam beatitudinem promerendo
atque faciliter indulgendo. De hoc dicta
sunt multa in superioribus, maxime ca- In Joann. iii, 17.
pitulo tertio. *Qui spernit me,* hoc est, non 48
obedit, vel ex infidelitate vilipendit me
tanquam purum hominem, vel me repu- Matth. xxvii, 63; Joann. vii, 12.
tat seductorem, ut infideles Judæi, *et non
accipit verba mea,* credendo et obediendo,
habet qui judicet, id est condemnet, *eum*
tempore suo. *Sermo quem locutus sum,* id
est doctrina mea, *ille judicabit,* hoc est,
condemnabilem demonstrabit, seu pœna
et reprobatione dignum ostendet, *eum in
novissimo die :* sicut lex civilis judicare
dicitur furem. Vel, Sermo quem locutus
sum, id est ego ipse, qui sum Verbum et
sermo Patris : secundum quod scribitur
ad Hebræos, Vivus est sermo Dei. Chri- Hebr. iv, 12.
stus autem expressit se ipsum, quoniam
docuit se esse hominum Salvatorem.

Quia ego ex me ipso non sum locutus : 49
quia, ut homo, accepi a Deo Trinitate sa-

Digitized by Google

pientiam, et quidquid habeo ex tempore, scilicet ab incarnationis exordio. Porro, ut Deus, æternaliter genitus sum : et sic ex me ipso non sum locutus, quia a me ipso non sum ; sed qui per generationem æternam dedit mihi esse, dedit etiam loqui et sapere, posse et agere. *Sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit,* id est, secundum assumptam humanitatem præcepit, *quid dicam, et quid loquar,* prædicando in publico, vel seorsum docendo. Pater ergo vel Trinitas, in incarnatione ostendit, revelavit et jussit animæ Christi quidquid postmodum dixit. Hoc ait Salvator, ad ostendendum quod prædicatio sua sit vera et sancta, quia divinitus jussa : propter quod qui eam non servant, in die novissimo damnabuntur ab ipso Christi sermone. *Et scio quia man-* 50
datum ejus quod mihi dedit, et quod ego mundo proposui, *vita æterna est,* id est, ad felicitatem æternam perducit, juxta illud quod apud Matthæum habetur : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. (*Matth.* XIX, 17.) Et Baruch : Hic liber mandatorum, et lex quæ est in æternum ; omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam. (*Baruch* IV, 1.) *Quæ ergo ego loquor,* docendo et prædicando, *sicut docuit*,* id est, revelavit et jussit, *mihi,* secundum humanitatem assumptam, *Pater, sic loquor,* id est obedienter, juste et vere, non devians aliquo modo a regula æquitatis divinæ, quum humanitas mihi unita, sit instrumentum animatum, conjunctum, inobliquabile et proprium Verbi seu Deitatis.

* alias *dixit*

ARTICULUS XXXIII

DECLARATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ANTE DIEM FESTUM PASCHÆ, SCIENS JESUS QUIA VENIT HORA EJUS.

OMITTIT hoc loco et transilit evangelista Joannes magnam partem doctrinæ Christi et operum ejus, scilicet : prædicationem ejus quam fecit in Jerusalem feria secunda et tertia post Palmarum, et quomodo insidiose interrogabatur a Sadducæis et Pharisæis, et qualiter durissime redarguebat Pharisæos ac Scribas, sicut etiam instruxit seorsum discipulos suos de consummatione sæculi, de persecutione Antichristi judicioque finali. Hæc et multa hujusmodi pulcherrima omisit Joannes, sciens ea ab aliis Evangelistis sufficienter descripta. Festinat autem ad describendum præclarissimum illum Christi sermonem factum in Cœna, quem alii Evangelistæ omiserunt. Et ab ipsa Cœna sumit amorosum exordium, sicque exorsus est :

1 *Ante diem festum Paschæ,* id est proxima die ante paschalem solennitatem, scilicet luna seu die quartadecima primi mensis (*Exod.* XII, 18.) apud Judæos (qui ab Aprili incipiunt menses, in quo patres eorum ab Ægypto educti sunt) (*Ibid.* XIII, 3.), hoc est feria quinta proxima diei Parasceves : in cujus quintæ feriæ vespera incipiebatur paschalis festivitas, offerebaturque et edebatur agnus paschalis, ita quod dies Parasceves fuit prima dies paschalis celebritatis, loquendo de integris festi diebus ; non tamen fuit celeberrima, sed sabbatum sequens. (*Lev.* XXIII, 8.) Parasceves quippe vocabatur, quia in ipsa parabant cibos pro die illa et sabbato subsequenti, quod adeo celebre fuit, ut nec cibos pararent in eo. (*Ibidem.*)

Sciens Jesus quia venit hora ejus, id est, quod tempus suæ passionis divinitus præstitutum de proximo immineret, *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem,* id est,

Digitized by Google

de loco hujus terrenæ habitationis atque
humanæ conversationis, tendat per pas-
sionem, resurrectionem et ascensionem,
ad patriam Beatorum, ad regnum cœlo-
rum : in quo Pater specialiter esse et
habitare asseritur, quamvis ubique vere
et substantialiter sit, quoniam ibi evi-
dentius se ostendit, et excellentius ope-
ratur. Transivit autem Christus ad Patrem
secundum naturam assumptam : et quam-
vis non transivit ad Patrem directe per
loci mutationem (eo quod Pater ubique
sit, nec distat ab aliquo locali distantia),
sed per divinæ atque paternæ gloriæ am-
pliorem participationem, id est per cor-
poris sui glorificationem; transivit tamen
ad locum ubi Pater esse dicitur, puta ad
cœlum empyreum, per loci mutationem
et corporalis atque sensibilis præsentiæ
subtractionem. Porro, secundum naturam
Joann. I, 18. divinam, nunquam recessit de sinu nec
ex corde Patris; et quo ivit per humani-
tatem, semper fuit per divinitatem, se-
cundum quam mansit et hic unde trans-
ivit.

*Quum dilexisset suos qui erant in
mundo,* id est, electos et prædestinatos
discipulos, ceterosque suos fideles, illos
præcipue viros ac feminas qui eum cor-
Act. I, 14; poraliter sequebantur, quibus et misit Spi-
II, 1-4. ritum Sanctum in die Pentecostes. Hos
utique omnesque prædestinatos viatores
Christus dilexit, secundum quod Deus est,
dilectione æterna et increata; in quantum
vero est homo, dilexit eos dilectione ca-
ritatis infusæ. Denique naturali amore di-
ligit omnes, quoad id quod sunt ex Deo,
Sap. XI, 25. sicut et Deus diligit omnia quæ sunt, et
nihil odit eorum quæ fecit, ut ait Sapiens.
Hos Christus dilexit singulariter et per-
Joann. XV, fecte, sicut infra loquitur eis : Sicut di-
9. lexit me Pater, et ego dilexi vos. In vita
quoque sua Christus exhibuit eis signa
seu opera sincerissimæ dilectionis, instru-
endo, consolando, a Pharisæis defenden-
Matth. X, do, maximas gratias conferendo ut prædi-
7, 8. carent, et curarent infirmos, dæmonesque
fugarent. Et breviter, dici non potest nec
A excogitari, quam affectuose et dulciter,
quam pie et familiariter inter eos conver-
sabatur, fovens eos corporaliter et spiri-
tualiter, velut si nutrix foveat lactentem I *Thess.* II,
infantulum. Idcirco traxit et transforma- 7.
vit totum affectum eorum in se, ita quod
de ejus passione et corporali discessu au-
dire nil poterant, imo nec cogitare. *Usque
in finem,* id est perseveranter usque ad
mortem, nec dubium quin et post mor-
tem, *dilexit eos.* Quod maxime patet ex *Joann.* XV,
hoc, quod animam suam posuit pro eis. 13.
B Et dum ipse capiebatur a Judæis, dixit :
Sinite hos abire. Vel, Usque in finem *Ibid.* XVIII,
dilexit eos, quia in ultimo die quo fuit 8.
cum eis passibili modo, demonstravit ip-
sis præcipua signa amoris, et maxima mu-
nera contulit, tradens eis Sacramentum *Matth.*
corporis ac sanguinis, sacramentumque XXVI, 26-28. *Luc.* XXII,
Ordinis. Vel, In finem, id est, ad hoc ut 19.
ad veram beatitudinem, quæ est finis no-
ster, eos perduceret.

Et cœna facta, id est ad effectum, non 2
ad finem perducta. Nondum enim erat
C finita, ut infra patebit; sed agnus pascha- vers. 12.
lis forsitan erat comestus. *Quum diabolus
jam misisset in cor,* id est, dudum cordi
proditoris suggerendo inspirasset, *ut tra-
deret eum Judas Simonis Iscariotæ,* pro-
ditor jam præfatus, qui fuit de vico no-
mine Carioth oriundus : et forte dictus
est Judas Simonis, quia filius viri nomine
Simonis. Diabolo nempe suggerente, con-
cepit Judas propositum vendendi tradendi-
que Christum; et die præcedenti vendidit *Matth.*
eum, atque exinde quærebat opportunita- XXVI, 15, 16.
D tem, ut traderet eum Judæis sine turbis.
Unde in Luca habetur : Intravit Satanas *Luc.* XXII, 3.
in Judam, qui cognominabatur Iscariotes.

Sciens Jesus, scientia increata ut Deus, 3
et infusa ut homo, *quia omnia dedit ei
Pater in manus,* hoc est, quod Deus Pater
omni creaturæ eum præposuit, et super
omnia potestatem ei concessit, etiam ab
incarnationis principio : quoniam eo ipso
quo Christi humanitas Verbo supposita-
liter est unita, est omni creaturæ præ-
lata, et habet potestatem super universa

Digitized by Google

I Cor. xv, 26. creata, quemadmodum dicit Apostolus, Omnia subjecit sub pedibus ejus; et Christus apud Matthæum, Data est mihi omnis
Matth. xxviii, 18. potestas in cœlo et in terra. Christus ergo cognovit bona sibi divinitus præstita. Imo et quilibet nostrum scire et advertere debet beneficia Dei quæ sortitus est, ut sit gratus Deo datori. Propter quod ait
I Cor. ii, 12. Apostolus : Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. *Et quia a Deo exivit,* id est, sciens quod per incarnationem missus fuit a Deo in mundum. Exivit quoque a Patre per generationem æternam, juxta illud
Mich. v, 2. Michææ : Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. Sciens insuper, *et* quod *ad Deum vadit,* id est, ad Patrem jam reverteretur per passionem et ascensionem, ut dictum est plenius præcedenti
Ps. xviii, 7. capitulo. Hinc ait Psalmista : A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.

4 *Surgit a cœna,* manducationem interrumpendo, *et ponit,* id est deposuit, *vestimenta sua,* ut congruentius obsequium sequens impenderet. *Et quum accepisset linteum,* quo erat lavandorum pedes tersurus,
5 *præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim.* Omnia ista fecit per se, ut perfectæ humilitatis præberet exemplum. *Et cœpit lavare pedes discipulorum :* qui forsitan satis immundi atque lutosi fuerunt, quoniam nudis pedibus incesserunt discipuli sicut et Christus; *et extergere* pedes lotos, *linteo quo erat præcinctus.* In quo elucescit incomparabilis humilitas
Apoc. xix, 16. Christi, qui quum esset Rex regum et Dominus dominantium, pauperum simpliciumque illorum discipulorum pedes lavare, et ante eorum genua se inclinare dignatus est. — Denique, ut Evangelista magnitudinem dignationis et humilitatis istius insinuaret et exaggeraret, præmisit de Juda et de excellentia scientiæ atque potentiæ Christi, quia ex hoc quod talis ac tantus, tam potens ac sapiens, non solum fidelium discipulorum, sed et agniti
A proditoris voluit pedes lavare, innotescit hujus humilitatis profunditas.

Venit ergo ad Simonem Petrum. Ori- 6
genes ordinem verborum istorum attendens, dicit quod Christus ultimo lavit Petrum, ita quod ab inferioribus cœpit. Sic enim verba Evangelistæ sonare videntur. Nam dicit quod cœpit lavare atque extergere, et sic venit ad Petrum, quasi ascendendo, ita quod lotio fuit incepta antequam venit ad Petrum. Sed istud Augustino non placet, quoniam non est pro-
B babile quin et aliqui aliorum discipulorum expavissent, et Christi obsequium humiliter recusassent, quemadmodum Petrus, quos utique Christus informasset, sicut informavit postea Petrum : quo audito, Petrus non recusasset, sicut nec alii recusaverunt, instructione Petri audita. Chrysostomus autem sentire videtur, quod Judas ex sua impudentia se primo ingessit, nec renuit : quo loto, Christus venit ad Petrum. Sed melius est ut cum Augustino dicamus, quod Christus incepit
C a Petro, nec aliquis se ingessit, sed a principaliori discipulo orsus est Christus. Ad argumentum igitur Origenis dicendum, quod Evangelista primo recitat factum in generali, dicendo, Cœpit lavare; deinde explicat idem in speciali, eo quo actum est ordine, dicens, Venit ergo ad Simonem Petrum. Et talis modus loquendi frequens est in Scripturis.

Et dicit ei Petrus, ex magna humilitate, et reverentia Christi : *Domine, tu mihi lavas,* id est, lavare disponis, *pedes?*
D quasi dicat : Tu talis ac tantus, cui dixi, Tu es Christus, Filius Dei vivi; cui et Matth. xvi, 16.
turba paulo ante clamavit, Benedictus qui Ibid. xxi, 9;
venit in nomine Domini, Rex Israel, Ho- Luc. xix, 38;
sanna in altissimis; tu tantæ sapientiæ, Joann. xii, 13.
sanctitatis et potestatis ; qui solus sine peccato es inter viros ; cujus vestimen- I Petr. ii, 22.
torum contactu sanati sunt ægri; qui mor- Matth. xiv, 35, 36.
tuos suscitasti : mihi piscatori et pecca- Ibid. ix, 25;
tori, mihi idiotæ, impotenti ac fragili, in Luc. vii, 14, 15; Joann.
tam abjecto et infimo actu ministras, ante xi, 43, 44.
genua mea te prosternis, tuis sanctis ac

venerabilibus manibus pedes meos immundos ac sordidos tangere vis et purgare? Hoc nullatenus decet. O quam magnus fuit Jesus in oculis Petri, quum dixit, Tu! et quam parvus fuit Petrus in oculis propriis, quando adjecit, Mihi!

7 *Respondit Jesus, et dixit ei : Quod ego facio,* id est, facere volo, *tu nescis modo,* id est, causam hujus humilitatis atque obsequii nondum intelligis, ideo opus istud non scis, quoniam scire, est rem per causam cognoscere; *scies autem postea* quare hæc facio, scilicet, ut humilitatis exemplum exhibeam, vobisque ista imi-
vers. 15. tanda relinquam. Infra enim Christus hanc rationem assignat. Ideo etiam Christus lavit pedes discipulorum ante Eucharistiæ communionem, ut insinuaret quod spiritualis lotio affectuum animæ præcedere debet Sacramenti perceptionem.

8 *Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in æternum,* id est, nunquam hoc sustinebo, ut tantum coram me humilieris, qui non sum dignus contingi a te. Simili humilitate dixit Petrus in sua vo-
Luc. v, 8. catione : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Denique Petrus ista dicen-
Rom. x, 2. do, habuit zelum Dei et Christi ejus, sed non secundum scientiam. Debuit enim magistro infallibili et non erranti protinus acquiescere et parere, maxime post unam admonitionem, et viso quod magister in proposito perseveravit. Sed nimius fervor amoris ad Christum fuit ei sæpe erroris occasio. Unde quum Christo passionem dissuaderet, meruit mox au-
Marc. viii, 33. dire : Vade retro me, satana, quia non sapis quæ Dei sunt. Simili modo nunc audit increpationem comminatoriam.

Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum. Hoc de lotione corporali et spirituali potest intelligi. De corporali sic : *Si non lavero te,* id est, nisi obedieris mihi in hoc, ut lavem tibi pedes, *non habebis partem mecum,* id est, non eris particeps gloriæ meæ in
Rom. viii, 17. cœlo, non eris heres Dei coheresque Christi. Petrus enim peccasset mortaliter, nisi Christo consensisset in isto. Nam licet lotio pedum non sit de jure naturali vel divino simpliciter, fuit tamen de jure positivo et divino propter Christi præceptum, sicque fuit necessaria ad salutem, non ex sua natura, sed quoniam jussa : sicut primis parentibus necessarium fuit Gen. ii, 17.
non gustare fructum ligni scientiæ boni et mali. Si autem quis instet, et dicat, quod Petrus potuisset salvari, quamvis Christus non lavisset pedes ipsius, quoniam poterat postea pœnitere de inobedientia illa : responderi potest, quod si Petrus nullatenus obedisset in lotione præfata, meruisset indurari, fuissetque relictus tanquam incorrigibilis et rebellis; vel verbum Christi, Non habebis partem mecum, intelligendum erat conditionaliter, scilicet, si Petrus in tali voluntate persisteret. — Secundo : *Si non lavero te* per sanguinis mei effusionem et adspersionem : de qua lotione scriptum est in Apocalypsi, Qui dilexit nos, et lavit nos Apoc. i, 5.
a peccatis nostris in sanguine suo. Si, inquam, ita non lavero te a reatu originalis peccati, et a peccatis mortalibus quæ incidere poteris, imo et incides, me ter Matth. xxvi, 69-74.
abnegando, *non habebis partem mecum.* Lotio ista pertingit ad animam, per hoc quod gratia ei infunditur.

Præterea advertendum, quod quando Christus verba hæc protulit, fuit Petrus sine peccato mortali, quoniam paulo post subditur : Et vos mundi estis. Non tamen poterat beatitudinem adipisci, nisi per Christi passionem a reatu originalis peccati eriperetur. Quamvis autem beatitudo patriæ sit bonum spirituale et indivisibile, perfectum, totum et integrum, Sancti tamen dicuntur habere partem cum Christo, quia consortes sunt beatitudinis suæ, et minus habent de felicitate quam ipse; ipsumque præmium cœleste quod sortiuntur, est pars eorum, quia est bonum quod inter omnia bona provenit eis. Sic enim et Deus dicitur pars justorum, juxta illud Threnorum, Pars mea Dominus, dixit Thren. iii, 24.
anima mea; et in Psalmo, Dominus pars Ps. xv, 5.

Digitized by Google

Ps. LXXII, 26. hereditatis meæ ; itemque, Deus cordis
mei, et pars mea Deus in æternum. Unde
Num. XVIII, 20. ad Moysen ait de Levitis : Ego pars eo-
rum. De prædicta vero parte electorum
cum Christo, dicit Apostolus ad Colossen-
Coloss. I, 12. ses : Dignos nos fecit in partem sortis
Sanctorum in lumine.

9 *Dicit ei Simon Petrus : Domine, non
tantum pedes meos* a te lavandos expono,
sed et manus, et caput, id est totum cor-
pus. Totum enim malo lavari a te, quam-
vis prorsus indignus sim, quam separari
a te, maxime in futuro.

10 *Dicit ei Jesus : Qui lotus est,* id est
in Baptismo purgatus, *non indiget nisi
ut pedes lavet,* id est, affectiones purifi-
cet, ne circa terrena et caduca inordinate
afficiatur ; *sed est mundus totus.* Hoc du-
pliciter accipi potest. Primo sic : Sed est
mundus totus, id est, in Baptismo ab om-
ni peccato originali, actuali, mortali et
veniali omnino mundatur, quantum ad
culpam et pœnam, ita quod evolaret, si
statim discederet. Tamen, si ad tempus
notabile supervixerit, non potest esse sine
venialibus, quæ quamvis singula possint
vitari, non tamen omnia, propter sensu-
alitatis fomitem et cetera vulnera animæ.
Propterea indiget pedes lavare, id est se
ab affectibus venialium emundare quo-
Prov. XXIV, 16. tidie, quoniam justus septies cadit in die,
Jacob. III, 2. et in multis offendimus omnes. Secundo
sic : Sed est mundus totus, id est, si la-
verit pedes suos modo jam dicto, tunc
est ab omni culpa liber ac purus, saltem
frequenter, et ad aliquod tempus. Talis
ergo non indiget lavare caput, id est ra-
tionem superiorem, quoniam illa non con-
sentit peccato, sed inhæret vacatque di-
vinis ; nec manus, id est opera vitæ
activæ, quum sint virtuosa in se, dum-
modo affectiones cordis sint lotæ. Sed quo-
niam corruptibili circumdatus est corpo-
re, et terram calcat, indiget jugiter pedes
lavare. De quibus in Canticis dicitur :
Cant. V, 3. Lavi pedes meos. — Vel sic : *Qui lotus
est,* id est per gratiæ infusionem purifi-
catus a mortali, *non indiget nisi ut pedes*
A *lavet,* id est, ab istis terrenis infimisque
affectibus se expediat ; *sed est mundus
totus,* id est, si hoc fecerit, mundus est
corde et corpore, secundum quod dicit
Apostolus : Mundemus nos ab omni inqui- II *Cor.* VII, 1.
namento carnis et spiritus.

Et vos, discipuli mei, *mundi estis,* id
est a labe peccati mortalis jam alieni,
habentes simplicem oculum ordinatam-
que voluntatem. Verumtamen perfecti non
erant, neque in passionibus plenarie re-
formati, quia in ipsa Cœna facta est inter *Luc.* XXII, 24.
B eos contentio, quis eorum videretur esse
major. *Sed non omnes,* quia unus vestrum
sceleratissimus est. Cur autem Christus
exceptionem hanc fecerit, subditur. *Scie-* 11
bat enim quisnam esset qui traderet eum.
Omnia enim præsentia, præterita et fu-
tura distincte cognovit secundum utram-
que suam naturam. *Propterea dixit : Non
estis mundi omnes.*

Postquam ergo lavit pedes eorum, ac- 12
cepit, id est reinduit, *vestimenta sua. Et
quum recubuisset iterum,* id est, iterum
C ad mensam sedisset, et ab officio quie-
visset. — Mystice, quando Christus lavit
nos a peccatis nostris per passionem et
sanguinem suum, deposuit vestimenta, id
est, corpus suum adversariis tradidit, ut
per mortem separaretur ab anima. De quo
in Isaia dicitur : Quare rubrum est in- *Is.* LXIII, 2.
dumentum tuum, et vestimenta tua sicut
calcantium in torculari ? Postquam vero
passione completa nos lavit, recepit pro-
prium corpus, quia divina potestate sus-
citavit se ipsum. Tuncque recubuit, quia *Rom.* VIII, 34.
D ad dexteram Patris se collocavit, non am-
plius visurus corruptionem, nec exper-
turus laborem.

Dixit eis : Scitis quid fecerim vobis, id
est, quid per istam lotionem pedum præ-
tendo ? Non quærit ex ignorantia, sed ut
discipulos reddat intentos. *Vos vocatis me* 13
magister propter doctrinam et sapienti-
am, *et Domine* propter potestatem et præ-
lationem ; *et bene dicitis,* quia sic est :
sum etenim. Imo Christus est summus,
solus unicusque magister, secundum per-

fectam rationem magistri, quoniam solus intus illuminat effective et principaliter. *Matth.* xxiii, 10. Propter quod alibi dicit : Unus est magister vester, Christus. Denique ipse est universalis Dominus, ad quem omnes prælati et principes comparantur sicut ministri ad regem, sicut media ad finem, sicut instrumenta ad artificem. Quomodo autem Christo differenter conveniat ratio magistri et Domini, secundum ejus divinam naturam atque humanam, tactum est sæpius. Nec mirum si Christus nuncupet se Dominum ac magistrum, quum et Paulus *I Tim.* ii, 7. doctorem se gentium appellet, et multi sanctorum patrum propria bona interdum propalaverint. Non enim sine idonea id causa fecerunt, sed ad Dei honorem et proximorum ædificationem. Quod vero *Prov.* xxvii, 2. Salomon ait, Laudet te alienus, et non os tuum, intelligendum est quod homo non debet se ipsum inaniter commendare, nec sine efficaci multumque proficua causa sibi ipsi in virtutibus testimonium perhibere, quum sit periculosum, et sæpe speciem mali habens.

Porro Apostoli appellando Jesum Dominum ac magistrum, bene dixerunt, non solum quoniam Christus magister et Dominus est, sed etiam quia ejus doctrinam discipulariter audierunt, et humiliter ejus jussionibus paruerunt. Qui vero non acquiescunt doctrinæ Christi, neque obediunt, inaniter vocant eum magistrum et Dominum. Ideo alibi loquitur Christus : *Luc.* vi, 46; *Matth.* vii, 21. Quid dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? Et Malachias : *Malach.* i, 6. Filius honorat patrem suum, et servus timet dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? De hoc magistro et Domino Christianorum Isaias pulcherrime protestatur, dicens : *Is.* xxxiii, 22. Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster; ipse veniet et salvabit nos.

14 *Si*, pro quia, *ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes*, id est in corporalibus ministrare, et ad litteram pedes

A invicem, pro loco, causa et tempore, lavare. Istud enim est præceptum affirmativum, sicut et illud quod est in Deuteronomio : Per nomen Domini Dei jurabis. *Deut.* vi, 13. Quemadmodum ergo ad jurandum non tenemur, nisi in casu necessitatis, sic nec ad pedum fratrum lotionem. Verumtamen extra casum necessitatis, implendum est præceptum hujusmodi lotionis ad litteram, ex debito congruentiæ et honestatis, quando rationabilis se offert occasio, vel laudabilis consuetudo. Spiritualiter vero B implendum est quotidie, utpote ut unus studeat affectum alterius purificare orando, docendo, hortando, increpando, exempliter conversando. Voluit autem Christus pedes discipulorum lavare, ne dedignemur fratribus, quamvis inferioribus et abjectis, in vilibus et despectissimis ministrare, portando, tergendo, et cetera similia exhibendo. *Exemplum enim dedi* 15
vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis, id est, non verbo dumtaxat, sed opere, docui vos quid agatis. Nam C in moralibus plus movent facta quam verba. Unde in Actibus dicitur : Cœpit Jesus facere et docere. *Act.* i, 1.

Expedit igitur pedes aliorum lavare multis de causis : primo, ut Christo conformemur; secundo, ut humilitatis Christi memoria cordibus nostris fortiter imprimatur; tertio, ut alii nostræ humilitatis obsequio ædificentur; quarto, quia hujusmodi lotio et corporis coram alio inclinatio, disponit et excitat ad humilitatem.

Deinceps probat Salvator, quod Christiani D debeant eum imitari in obsequio sanctæ humilitatis et lotionis. *Amen, amen* 16
dico vobis, non est servus major domino suo, loquendo de servo ac domino formaliter, utpote in quantum sunt tales. Loquendo autem de eis materialiter, planum est quod sæpe servus sapientior, fortior atque nobilior sit domino suo, quemadmodum David Saule. Saul quippe percussit mille, et David decem millia : *I Reg.* xviii, 7. fuitque David de tribu Juda nobilissima; *Matth.* i, 5. Saul de genealogia Benjamin inferiori. *I Reg.* ix, 21. *Neque apo-*

Digitized by Google

stolus, id est legatus seu missus, *major,* id est dignior, *est, eo qui misit illum.* Marc. III, 14; Luc. VI, 13. Unde nec vos duodecim, quos misi ad prædicandum, et Apostolos appellavi, majores me estis. Non ergo debetis abhorrere aut verecundari in faciendo quæ ego feci. Simili intentione dicit Salvator Matth. X, 24. apud Matthæum : Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.

17 *Si hæc scitis,* id est, si opus humilitatis quod feci, istamque doctrinam recte intelligitis, *beati eritis* in patria, *si* nunc *feceritis ea,* imitando vestigia mea, meisque obtemperando doctrinis. Hæc quippe scientia, quum sit practica et moralis, ordinatur ad opus : ideo beatificat scientem et operantem. Scientem vero et negligentem condemnat, quemadmodum Jacobus Jacob. IV, 17. ait : Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi. Hinc ait Psalmista : Ps. CII, 17, 18. Justitia illius (scilicet Dei) in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus, et memores sunt mandatorum ejus ad faciendum ea. Unde secundum philosophos, quid est virtus scrutamur, non finaliter ut noscamus, sed ut operando boni efficiamur. Sed, heu ! multi curiosi et vani plus student et appetunt scire quam facere, apparere quam esse, reputari quam operari.

18 *Non de omnibus vobis dico,* quod eritis beati, vel quod doctrinam meam implebitis. Hoc addidit propter Judam proditorem, quem noverat fore damnandum. Propter quod subditur : *Ego scio quos elegerim,* id est, ad vitam æternam præordinaverim seu prædestinaverim. Sic autem non fuit Judas electus. Verumtamen Joann. VI, 71. superius dixerat Christus : Nonne ego vos duodecim elegi ? Quorum unum constat fuisse Judam. Sed ibi accipitur electio communiter pro vocatione Dei ad aliquam gratiam gratis datam vel gratum facientem, sive finaliter consummetur, sive temporaliter amittatur, quemadmodum ibi dictum est plenius.

Cur tamen Christus sustinuerit Judam A præscitum et reprobum, patefacit. *Sed ut impleatur Scriptura* psalmi quadragesimi, cujus exordium est : Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. Ps. XL, 2. *Qui manducat mecum panem,* id est domesticus, commensalis atque discipulus meus, qui de eleemosynis mihi datis nutriebatur, qui etiam panem Eucharistiæ in Cœna de manu mea accepit, *levabit calcaneum,* id est plantam pedis sui, *contra me,* id est, me conculcare, suppeditare seu opprimere sataget, tradendo me manibus B adversariorum meorum. Loquitur autem Christus secundum communem modum loquendi, quo dicimus opprimenti : Quid me suppeditas ? Unde per pedem, hoc loco spiritualiter designatur animositas vel audacia cordis, qua se Judas Christo opposuit. Allegat autem Christus non verba, sed sensum Scripturæ. Nostra vero translatio habet sic : Etenim homo pacis meæ, Ibid. 10. in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. In alio quoque psalmo, idem aliis atque pro- C lixioribus verbis exprimitur : Etenim, si Ps. LIV, 13. inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. Porro præallegatus psalmus quadragesimus, de Christi proditione, passione, resurrectione, Judæorumque dejectione, aperte conscriptus est, sicut in expositione libri Psalmorum ostendi. Loquitur igitur Christus secundum communem modum loquendi, asserendo se supplantatum a Juda, quemadmodum et in Isaia habetur : Incurvare ut trans- Is. LI, 23. eamus ; et posuisti dorsum tuum viam D transeuntibus. Calcaneum quoque sumit pro planta, sicut et Salomon dicens : Oculi Eccle. II, 14. sapientis in capite ejus, oculi vero stulti in calcaneo.

Amodo dico vobis istud de mea proditione et proditoris damnatione, *priusquam fiat, ut quum factum fuerit,* id est, quum me traditum et illum noveritis a se ipso suspensum, *credatis quia ego sum,* id est, quod ego sim quem me esse affirmo, videlicet Christus Filius Dei : quoniam futura pure contingentia certe prædicere, 19

Digitized by Google

cordiumque arcana cognoscere ac denudare, non competit nisi Deo et illuminatis ab ipso. Talia autem Deus non revelat hominibus ad confirmandum errorem, sed talia Christus cognovit atque prædixit.
Is. xli, 23. Hinc Isaias ait : Quæ ventura sunt annuntiate, et sciemus quia dii estis vos.

20 *Amen, amen dico vobis, qui accipit,* id est, caritative et pie tractat, alit, seu hospitat, *si quem misero,* id est aliquem ministrorum meorum, *me accipit,* id est, mihi ministrat, meque in membro meo suscipit et honorat, imo rem mihi tam placitam facit, ac si mihi in propria persona talia exhiberet. Frequenter Scriptura loquitur de capite et membris quasi de eodem. Un-
Act. ix, 4. de et Paulo dictum est sævienti : Quid me persequeris? Et Zachariæ Dominus loqui-
Zach. ii, 8. tur : Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. Hinc apud Matthæum ait Sal-
Matth. xxv, 40. vator : Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Qui autem me accipit* per fidem et caritatem, debitamque obedientiam, vel per gratiæ infusionem, et spiritualem inhabitationem, *accipit eum qui me misit,* id est Deum Patrem, imo et Spiritum Sanctum. Qui enim credit, amat seu veneratur unam Personam divinam, totam supersanctam Trinitatem honorat, credit ac diligit, honorque unius redundat in alium; nec Trinitas, quantum ad inhabitationem in cordibus electorum, separabilis est, quum omnia opera ejus sint indivisa.

Postremo pensandum, quod Christus in Cœna præcipue dedit et docuit duo documenta, hæcque docebat factis et verbis, videlicet humilitatem et caritatem. Docuit enim humilitatem facto, pedes discipulorum mundando et extergendo; deinde verbo, adjiciens, Et vos debetis alter alterius lavare pedes ; et, Non est servus major domino suo ; multaque talia, quæ alii Evangelistæ describunt : ut est illud apud
Lucam, Qui major est vestrum, fiat sicut Luc. xxii, 26.
minor, et qui præcessor est, sicut ministrator; rursusque, Ego (inquit) in medio Ibid. 27.
vestrum sum sicut qui ministrat. Secundo, docuit caritatem : Primo in opere, do- Matth. xxvi, 26-28.
nans corpus suum et sanguinem in spiritualem animæ refectionem. Deinde in
verbo : Mandatum (inquiens) novum do vers. 34.
vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi
vos; et, In hoc cognoscent omnes quia di- vers. 35.
scipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Quoniam ergo Christus in novissima Cœna hæc duo tam singulariter commendavit, debemus præcipue ad humilitatem et caritatem studere ac tendere : quoniam totius spiritualis ædificii basis est sancta humilitas ; caritas autem est turris structuræ virtutum.

ARTICULUS XXXIV

PROSECUTIO EXPLANATIONIS HUJUS CAPITULI TERTIIDECIMI, A LOCO : QUUM HÆC DIXISSET JESUS, TURBATUS EST SPIRITU.

POST manifestationem proditoris obscuram, pandit Christus apertius pro-
21 ditorem. *Quum hæc* quæ in præcedenti articulo exposita sunt, scilicet, Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum, *dixisset Jesus, turbatus est spiritu,* id est in anima, quantum ad partem sensitivam, vehementer affectus, seu naturali timore instantis passionis commotus, atque dolore compassionis miserrimi Judæ concussus. Hæc autem turbatio non fuit inordinata, nec rationem præveniens, sed potestative assumpta; nec fuit in superiori animæ parte. Quomodo au-

Digitized by Google

tem et cur Christus tales passiones assumpserit, in duobus præcedentibus capitulis (In Joann. XI, 33; XII, 27.) plene tractatum est. Quod enim nunc ait, quod Jesus turbatus est spiritu, eumdem habet sensum cum verbo quod dixit præcedenti capitulo : Nunc anima mea turbata est. (Joann. XII, 27.) Si vero quæratur, an fuerit turbatus et corpore, dicendum quod passiones naturales, quum sint in appetitu sensitivo, sunt communes animæ et corpori, et in vultu apparent. Sic et ista turbatio fuit in anima et corpore. Sed sicut in anima non fuit interior deordinatio, sic in vultu non fuit inhonesta distortio : fuit tamen ibi congrua quædam immutatio, interioris dolorosæ affectionis indicium. Eratque discipulis vehementer pœnosum et grave, hujusmodi afflictionem et mœstitiam videre in prædilecto magistro, qui se semper habuit ad eos tam solatiose, gratiose et dulciter.

Et protestatus est veritatem de sua proditione, *et dixit : Amen, amen,* hoc est, Vere, vere. Replicatio quoque ista, certitudinis signum est, et excitatio mentis ad advertendum. *Dico vobis quia unus ex vobis me tradet* hac nocte.

22 *Adspiciebant ergo ad invicem discipuli,* id est, unus inspexit alium ex admiratione, si forte unus eorum posset alteri aliquid certi de hoc intimare, *hæsitantes,* hoc est dubitantes, *de quo diceret,* id est, quem discipulorum notaret dicendo, Unus vestrum. Quilibet enim eorum, præter Judam, fuit sibi conscius de bono affectu ad magistrum, et quod nil tale proponeret; idem quoque de condiscipulis æstimavit. Verumtamen certi de veritate verborum Christi, et quod magna esset fragilitas infirmitatis humanæ, putabant sic futurum; sed dubitabant per quem. Imo, secundum Hieronymum, quilibet eorum timuit sibimetipsi. Puto quod Judas, ne notaretur, etiam adspexit ad alios, quasi attonitus, quum tamen sciret se tangi atque notari. Imo, ut alii Evangelistæ testantur, (Matth. XXVI, 22 : Marc. XIV, 19.) quum discipuli valde contristati dicerent Christo sigillatim, Numquid ego sum, Domine? etiam Judas interrogare audebat, Numquid ego sum, Rabbi? (Matth. XXVI, 25.)

Erat ergo recumbens, id est amicabiliter et familiariter reclinatus seu quiescens, 23
unus ex discipulis ejus in sinu Jesu. Nam brachium hujus discipuli erat in sinu Jesu, et caput ejus fuit ad pectus Christi, ad cujus latus sedebat. Unde infra mox dicitur : Quum recubuisset ille super pectus Jesu. *Quem diligebat Jesus,* id est, amicabilius familiariusque se habebat ad eum, ostendendo ei specialia signa amoris, quorum præcipuum fuit, quod fecit eum recumbere super pectus suum et in sinu, quemadmodum fieri solet carissimis pueris. Denique per hanc circumlocutionem intelligit evangelista Joannes se ipsum. Est enim consuetudo auctorum Scripturæ canonicæ, ut loquantur de se quasi de aliis.

Innuit ergo huic discipulo *Simon Pe-* 24
trus, et dixit ei, id est, innuendo dixit, vel potius sine prolatione verborum quodam signo exteriori indicavit : *Quis est de quo dicit* quod tradet eum? tanquam dicat : Si nosti, indica mihi, ut impediam tantum piaculum; vel si ignoras, quære silenter a magistro, et tunc mihi revela. Petrus in omnibus invenitur in Christi amore ferventior : propterea et nunc præ ceteris sollicitatur, angustiatur, et sciscitatur. Imo, secundum Augustinum, si scivisset proditorem, dentibus eum dilaniasset. Quod intelligendum est, si potuisset, quia et Judas erat robustus, et si Christus permisisset, qui hoc nequaquam admisisset. — Quare Petrus more solito non interrogavit per se ipsum? Dicunt aliqui, quod non audebat, quoniam increpatus jam fuit de incauta locutione, Non lavabis (vers. 8.) mihi pedes in æternum. Forte non sedit tam apte ad inquirendum occulte, sicut Joannes; vel, quia plus confidebat de familiaritate Joannis quam sua.

Itaque, quum recubuisset ille supra pe- 25
ctus Jesu, dicit ei : Domine, quis est?
Respondit Jesus Joanni silenter : *Ille est* 26
cui ego intinctum panem porrexero. Is-

te panis non fuit consecratus, nec sub
ejus speciebus fuit corpus Christi; sed
sub pane non intincto recepit Judas corpus
Christi, quemadmodum discipuli alii.
Luc. xxii, 17-22. Imo, secundum ordinem narrationis Lucæ
evangelistæ, consecratio corporis Christi
et communicatio discipulorum præcessit
verba Christi de proditore. Sed secundum
Matth. xxvi, 21-28; *Marc.* xiv, 18-24. ordinem recitationis Matthæi et Marci, aliter
fuit. Unde non videtur certum quid
horum præcesserit. *Et quum intinxisset
panem,* id est parvum frustum panis in
calice vel catino, *dedit Judæ Simonis Iscariotæ.*
Joannes tamen, Christo sic ordinante,
non aperuit Petro quod didicit, ne
in mensa pacis oriretur grandis turbatio.

27 *Et post buccellam,* id est statim post
prædicti panis intincti sumptionem a Juda,
tunc *introivit in eum Satanas,* id est,
aliquid de novo et abundantius quam ante
operabatur in proditore. Nam ante buccellam
vers. 2. introiit Judam, sicut in principio
hujus capituli dictum est; sed nunc totaliter
occupavit eum, ita quod a proposito
pessimo non poterat revocari. Nec
dubium quin etiam dæmon intraverit Judam,
quando corpus et sanguinem Christi
sumpsit indigne. Dicitur autem diabolus
hominem introire, non quod illabatur essentiæ
ejus : sed ubi operatur, ibi est;
estque in loco definitive, et infra terminos
hominis dimensivos continetur, atque
in sensibus interioribus operatur, non
autem directe in intellectu, secundum Thomam.
Præterea, Satan intravit in Judam,
non propter buccellæ malitiam, sed propter
ipsius Judæ ingratitudinem incorrigibilemque
duritiam, qui tot beneficiis
et obsequiis sibi a Christo impensis, toties
quoque a Christo modeste, occulte et patientissime
increpatus, non pœnituit, neque
cessavit quousque conceptum malignitatis
affectum deduxit in opus. Vel
forsitan Judas consideravit se per buccellam
reserari a Christo ipsi Joanni : quo
viso, exasperari cœpit et indignari; sicque
dæmon plus quam ante possedit vasculum
suum.

Et dicit ei Jesus : Quod facis, id est,
facere intendis et optas, *fac citius,* eundo
ad principes sacerdotum, ut me tradas
eorum ministris, quos intendis tecum
adducere. Hoc Christus dicit, non
exhortando, consulendo vel imperando,
sed permittendo et prænuntiando, sicut
sæpissime ait in Psalmis, Appone iniquitatem *Ps.* lxviii, 28.
super iniquitatem ipsorum; et, Obscurentur *Ibid.* 24.
oculi eorum ne videant. Item,
quod ait, Citius, non dicit desiderando
festinatam iniquitatem Judæ, sed celerem
redemptionem naturæ humanæ, et quoniam
hora passioni præfixa jam proxima
fuit.

Hoc autem nemo scivit discumbentium, 28
id est discipulorum, qui cum Christo edebant,
et adhuc ad mensam sedebant, *ad
quid* Christus *dixerit ei,* videlicet Judæ,
id est, nullus discipulorum intellexit sensum
horum verborum, præter Judam. Et
mirum si Joannes, cui Christus proditorem
propalavit, non intellexit hæc verba.
Ad quod dici solet, quod Joannes auditis
verbis Christi et cognito proditore, tam
tristis fuit atque attonitus, quod non advertit
verba sequentia. Vel forte Joannes
dicendo, Nemo discumbentium, excipit se
ipsum, sicut et Judam, quia nunc dixit
quod Christus sibi ostendit proditorem :
per quod innuit se verba sequentia intellexisse.
Quidam enim discipulorum *putabant,* 29
quia loculos habebat Judas, id est
repositoria in quibus posuit et portavit
eleemosynas Christo datas. De loculis istis
dictum est plenius in præcedenti capitulo. In Joann. xii, 6.
Quod dixisset, id est, verbis præinductis
significasset, *ei Jesus, Eme ea quæ opus
sunt nobis ad diem festum,* id est victualia
pro die Paschæ necessaria; *aut ut
egenis aliquid daret :* quoniam Judas procurator
Christi habuit loculos. Christus
enim ad hæc duo voluit eleemosynas capere
secumque deferre, ut et ipse atque
discipuli ejus ex eis vescerentur, et de
reliquo pauperes alerentur seu vestirentur.
— Quæritur, quomodo discipuli ista
putabant, quum Christus eis prædixerit

Digitized by Google

Matth. xxvi, 2. vers. 21. quod sexta feria occideretur, jamque pro- A testatus fuit quod ab uno eorum esset tradendus. Dicendum, quod præ tristitia, turbatione atque angustia, vix spiritum habebant, nec pensabant quæ audierunt. Non tamen putabant verba Christi sibi invicem esse contraria, aut non vera. Et forte quod Christus nondum determinavit eis certam horam tempore hujus cœnæ, vel quod in nocte instante caperetur; sed hoc postea retulit eis, sicut post pauca subjungitur.

30 *Quum ergo accepisset ille* proditor *buc-* B *cellam* intinctam, in ore, et eam manducasset. Aliqui tamen dicunt, quod accepit eam dumtaxat in manu. *Exivit continuo,* agitante diabolo, qui animam ejus penitus induravit et excæcavit. Unde ait Psalmista : Egrediebatur foras, et loquebatur in id ipsum. (*Ps.* xl, 7.) *Erat autem nox,* quæ est tempus magis aptum ad hujusmodi opera proditionis quam dies. Erat quoque densissima nox in corde Judæ, quia caligine impietatis et falsitatis erat repletus. Et certum est quod Cœna celebrata, poterat C esse nox.

31 *Quum ergo exisset* Judas ad prodendum Jesum, *dixit Jesus : Nunc clarificatus est Filius hominis.* Hoc quadrupliciter accipi potest : Primo de Filio hominis quantum ad corpus ejus mysticum, ut sit sensus : Nunc clarificatus est Filius hominis, id est, per recessum filii perditionis seu Judæ a societate mea, purgatum est corpus meum mysticum, collectio discipulorum meorum, hæc mea Ecclesia, id est a commixtione pestiferi emundata. Decor au- D tem et impuritas discipulorum redundat quodammodo in magistrum : ideo falsis discipulis abdicatis, clarificatur magister. Secundo sic : Nunc clarificatus est, id est, verax et justus ostensus est, Filius hominis, per hoc quod vitiosum discipulum a se removit, dicendo : Quod facis, fac citius. Tertio, secundum Augustinum et Bedam : Nunc clarificatus est Filius hominis, id est, per separationem Judæ ab electis discipulis, præfigurata est clarificatio Christi quam habebit in die judicii, quando separabit prædestinatos a reprobis, sicut separat pastor agnos ab hœdis : (*Matth.* xxv, 32.) per quam segregationem omnibus declarabitur veritas atque justitia Christi. Quarto sic : Nunc clarificatus est, id est, in proximo est ut per passionem et resurrectionem ac diversa miracula clarificetur, seu vere ac sublimiter agnoscatur, Filius hominis : sicut nunc sæpe præhabitum est. *Et Deus* Pater vel Trinitas, *clarificatus est in eo,* id est Christo : quoniam quidquid Christus ut homo fecit, dixit et pertulit, totum retulit totumque cessit ad honorem et gloriam Patris ac Trinitatis. Unde superius dixit : Ego non quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem meum; (*Joann.* viii, 50, 49.) et iterum, Ego quæ placita sunt ei facio semper. (*Ibid.* 29.) Dicitur autem Deus Pater vel Trinitas per Christum hominem clarificatus, non in se, sed in cordibus hominum, qui per Christum ad Dei veram notitiam cultumque devotum perducti sunt. Simili modo dicitur Deus ab hominibus sanctificari, magnificari seu exaltari. (*Ezech.* xxxviii, 23; *Ps.* xlv, 11.)

32 *Si,* pro quia, *Deus* Pater seu Trinitas *clarificatus est in eo,* id est per Christum, modo jam dicto, *et Deus* Pater seu Trinitas *clarificabit,* id est, gloria immortalitatis ornabit, *eum,* videlicet Christum, quantum ad corpus assumptum, *in semetipso,* id est in se Deo Patre vel Trinitate, in quo consistit beatitudo Christi secundum quod homo est. Unde dicit, In semetipso, ad innuendum cœlestem ac sempiternam glorificationem corporis Christi : quam clarificationem promeruit Christus, honorando et clarificando Deum, secundum modum præfatum, juxta illud Apostoli : Factus est obediens usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen. (*Philipp.* ii, 8, 9.) *Et continuo clarificabit eum,* id est, statim tertia die eum resuscitabit, corpore glorificabit, et hominibus revelabit. Hoc constat impletum in die Paschæ, sicut Christus prædixit in Psalmo : Non derelinques animam meam in inferno, nec (*Ps.* xv, 10.)

Digitized by Google

dabis Sanctum tuum videre corruptio- A
Act. III, 13. nem ; et in Actibus Petrus : Deus (inquit)
patrum nostrorum glorificavit Filium su-
um Jesum. Per Isaiam quoque Christus
Is. XLIX, 5. testatur : Glorificatus sum in oculis Do-
mini.

33 *Filioli*. Filiolos vocat discipulos, quia
adhuc pusilli fuerunt seu imperfecti, vel
ad insinuandum teneritudinem dilectionis
suæ ad eos. *Adhuc modicum,* id est pau-
co tempore, *vobiscum sum* eo modo quo
nunc, puta in carne passibili, et conver-
satione consueta ac naturali. Sic enim non B
fuit cum eis nisi usque ad horam suæ
captionis seu mortis. Secundum hunc mo-
dum exsistendi, dixit Christus post pas-
Luc. XXIV, 44. sionem discipulis : Hæc sunt verba quæ
locutus sum vobis, quum adhuc essem
vobiscum. Sed quoniam in Actibus ha-
Act. I, 3. betur, quod Christus post passionem suam
apparuit suis per dies quadraginta, po-
test sic accipi : Adhuc modicum, videlicet
usque ad ascensionem, vobiscum sum vi-
sibiliter, quamvis impassibiliter. *Quæretis
me ; et sicut dixi Judæis, quo ego vado,* C
id est ad Patrem et regnum cœleste, *vos
non potestis venire,* quamvis sitis in statu
vers. 10. salutis (quia nunc dixi quod mundi estis),
nisi ego primo intravero, et januam re-
gni aperuero, seu moriendo vos a reatu
originalis peccati fecero liberos. Hæc ver-
ba, videlicet, Quo ego vado vos non po-
Joann. VII, 34. testis venire, dixit Salvator Judæis : quæ
Ibid. 35. illi non intelligentes, dixerunt, Numquid
in dispersionem gentium iturus est? Item
Ibid. VIII, 21. alio loco, quando perversi Judæi dixe-
Ibid. 22. runt : Numquid interficiet semetipsum? D
Et vobis dico modo, pro speciali et ma-
ximo documento.

34 *Mandatum novum,* id est a vetustate
peccati eripiens animam, eamque spiri-
tualiter innovans, *do vobis,* videlicet, *ut
diligatis invicem sicut dilexi vos,* id est
spiritualiter, sancte et ordinate ; non car-
I Joann. III, 18. naliter, nec lingua dumtaxat, sed opere
et veritate. Christus autem dilexit nos or-
dinatissime et efficacissime ac ferventis-
sime. Sic ergo unus nostrum alium debet
amare ordinate, utpote ad ultimum fi-
nem, qui est æterna felicitas, efficaciter
subveniendo ei in omnibus necessariis
atque utilibus, præsertim in spiritualibus,
imo ponendo animam suam pro proximo
suo in certo casu, ut dictum est ; item Joann. X, 11.
ferventer, ut magno affectu desideret om-
ne bonum alterius. Denique, ad insinu-
andum quam diligenter sit observandum
istud præceptum, Christus repetivit, *ut et
vos diligatis invicem.* Hinc Petrus ex-
hortatur : Ante omnia mutuam in vobis- I Petr. IV, 8.
metipsis caritatem continuam habentes,
quoniam caritas operit multitudinem pec-
catorum. De hoc caritatis præcepto multa
pulchra atque magnifica scribit Joannes
in prima sua Canonica, ut est : Qui di- I Joann. II, 10.
ligit, in lumine permanet ; qui odit fra- Ibid. 11.
trem suum, in tenebris est, et in tenebris
ambulat, et nescit quo eat, quoniam te-
nebræ obcæcaverunt oculos ejus ; qui non Ibid. III, 14.
diligit, manet in morte.

Itaque præceptum de dilectione proxi-
mi novum a Christo vocatur, non quan-
tum ad tempus, quia in veteri Testamento Lev. XIX, 18.
traditum fuit. Unde quum Scriba inter-
rogasset, Quod est mandatum magnum in Matth. XXII, 36.
lege? Christus respondit, quod primum Ibid. 37, 38.
maximumque mandatum legis fuerit : Di-
liges Dominum Deum tuum ex toto corde
tuo, etc. Secundum autem, inquit, simile Ibid. 39.
est huic : Diliges proximum tuum sicut
te ipsum. Sed dicitur novum, quoniam
renovat observantem. Vel dicitur novum,
quantum ad modum tradendi, quia in no-
vo Testamento præcipitur frequentius, ex-
cellentius et latius quam in veteri lege.
Nihilo minus Christus diu ante Cœnam
dedit istud præceptum, videlicet in ser-
mone quem fecit in monte, ut patet in Ibid. V, 44.
Matthæo. Ibi enim præcepit inimicos ama-
ri. — Quæritur, quum præceptum diligen-
di Deum sit summum, primum et maxime
renovativum, cur de dilectione proximi
ait Salvator : Præceptum novum do vo-
bis, ut diligatis invicem. Dicendum quod
ideo, quoniam dilectio Dei et proximi in-
separabiles sunt. Eadem nempe est ca-

Digitized by Google

ritas habitualis qua Deus proximusque diligitur, quoniam ratio diligendi proximum est Deus. Unde Scriptura quandoque constituit perfectionem in dilectione Dei, ut omnibus constat; quandoque in dilectione proximi, ut quum dicit Apostolus, (Rom. XIII, 8.) Qui diligit proximum, legem implevit; quandoque in dilectione Dei et proximi, (Matth. XXII, 40.) ut quum asserit Veritas : In his duobus præceptis tota lex pendet et Prophetæ. Verum hæc intelligenda sunt in quantum in dilectione Dei includitur dilectio proximi, et econtra. Absolute vero loquendo, summa perfectio consistit in actu caritatis, maxime Dei. Propter quod dicit Apostolus : (I Tim. I, 5.) Finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.

35 *In hoc cognoscent,* id est, cognoscere poterunt, *omnes* rite considerantes, et si non certitudinaliter, tamen conjecturaliter et satis probabiliter, *quia discipuli mei estis,* id est veraciter christiani, et meis sermonibus obedientes, *si dilectionem,* non carnalem vel naturalem, sed divinam et spiritualem, infusam et meritoriam, puram atque gratuitam, *habueritis ad invicem.* Quamvis enim per alias quasdam virtutes hoc possit cognosci, videlicet per humilitatem et veram patientiam, per audientiam verbi Dei; maxime tamen per dilectionem cognoscitur, quum ipsa sit vita animæ, origo, forma et finis virtutum, pertinens maxime ad gratiam gratum facientem. — Denique, sicut apud (Matth. XI, 29.) Matthæum loquitur Christus, Discite a me quia mitis sum et humilis corde; nec ait, Discite a me mundum creare, miracula facere, dæmonibus imperare, cordium arcana cognoscere : sic loco præsenti disseruit, In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem; et non ait, Si miracula feceritis, si omnium gentium linguas noveritis, si dona prophetiæ, sapientiæ, scientiæ sortiti fueritis, vel alia quælibet bona ad gratiam gratis datam spectantia : quoniam omnia hæc bonis et malis exstant communia. Quo docemur super omnia et in omnibus dilectionem exquirere, custodire et consummare, sine qua nihil nobis prodest vel sufficit ad salutem. Propter quod dicit Apostolus : (I Cor. XIII, 2.) Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. — Postremo et hoc intuendum, quod qui unum hominem odit, nec Deum, nec aliquem alium, neque se ipsum veraciter diligit : est enim in mortali peccato. Ideo omnem hominem, quantumlibet adversantem, amare necesse est.

36 *Dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis?* Hoc Petrus interrogat ex fervore et pia præsumptione. Nam et paulo ante audivit a Christo : Quo ego vado vos non potestis venire. Petrus ergo ex fervore cupiens ire cum suo magistro, et ex pia (quamvis incauta) præsumptione arbitrans se potentem ad omnia sustinenda propter Christum, sciscitatur Christum quo iret, tanquam diceret : Sequar te per ignem et aquam, solaque mors auferet me a te in vita præsenti, et per hujusmodi mortem merebor tecum æternaliter permanere in patria.* Christus autem non directe (*[Respondit Jesus:]) respondet Petro, sed cogitationi ejus occurrit, præsumptionemque reprimit, subdens : *Quo ego vado non potes me sequi modo :* id est, nondum tantæ perfectionis es ut possis propter justitiam mori, vel per mortem martyrii patriam ingredi; sed oportet ut ego pro te et ante te moriar, atque moriendo tibi gratiam perfectionis merear, quam consequeris quum misero tibi Spiritum Sanctum, et ex tunc vere paratus eris mori pro me et ingredi regnum cœleste post me. Unde subjungitur: *sequeris autem postea.* Nam postea crucifixus est propter Christum Romæ.

37 *Dicit ei Petrus,* ex indiscreto fervore et confidentia propriarum virium inordinata : *Quare non possum te sequi modo?* quasi dicat : Utique possum. Ideo addit : *Animam meam pro te ponam,* id est, me

Digitized by Google

ipsum seu vitam corporalem pro tuo amore et pro te finaliter possidendo morti exponam. Quamvis hoc falsum fuerit materialiter pro tempore dominicæ passionis, quia oppositum accidit; tamen formaliter verum fuit, quoniam Petrus sic intendebat. Sed quomodo audebat tam aperte contradicere verbis Christi? Numquid voluit Christum probare mendacem? Non utique; sed forte putavit verba Christi mystice intelligenda, vel præadvisando prolata, ita quod pertinerent quasi ad prophetiam comminationis, quæ aliquando non impletur.
38 *Respondit Jesus : Animam tuam pro*
A *me pones* hac vice? Hoc dicit Salvator, non affirmando, sed pie insultando et abnegando. Propter quod subditur : *Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus* hac nocte, *donec,* id est quousque, *ter me neges.* Idem dicunt Matthæus et Lucas. (Matth. XXVI, 34; Luc. XXII, 34. Marc. XIV, 30.) Sed videtur contrarium, quod apud Marcum legitur : In hac nocte, antequam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. Dicendum, quod per galli cantum intelligitur totum exercitium galli in cantando, videlicet cantus ejus usque ad con-B summationem, seu cantus sui terminationem.

ARTICULUS XXXV

DECLARATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ET AIT DISCIPULIS SUIS : NON TURBETUR COR VESTRUM.

VIDENS insuper Christus animas discipulorum vehementer desolatas : primo, quoniam se mox moriturum asseruit; secundo, quia ab uno ipsorum se dixit tradendum; tertio, quia Petri negationem prædixit. Imo, ut alii referunt Evangelistæ, quando Petro hoc dixit, ceteris quoque discipulis loquebatur, Omnes vos scandalum patiemini nocte ista in me. (Matth. XXVI, 31; Marc. XIV, 27.) Hinc igitur turbabantur vehementissime, intimeque dolebant, præsertim quoniam Christi mox futuram resurrectionem, suamque ab illo consolationem non attenderunt. Mitigans ergo Christus eorum mœrorem, *ait*
1 *discipulis suis : Non turbetur cor vestrum.*
Supra dixit Christus, Nunc anima mea turbata est; et in Cœna turbatus est spiritu. (Joann. XII, 27. Ibid. XIII, 21.) Quomodo ergo nunc ait discipulis, Non turbetur cor vestrum, præsertim quum ejus actio sit nostra instructio, et ipse cœpit facere et docere? (Act. I, 1.) Dicendum, quod ibi dictum est de turbatione inferioris partis animæ sponte assumpta, quæ sequitur rationem, nec actum intellectivæ C partis obfuscat, nec mentis tranquillitatem diminuit. Christus vero nunc admonet de turbatione inordinata, rationem præveniente et impediente, quæ paci et tranquillitati opponitur : quæ turbatio consurgit ex passione animi immoderata, puta tristitia, dolore, ira. Talis igitur turbatio est abjicienda in omni adversitate, per veram ac stabilem patientiam, et studendum est paci internæ.

Creditis in Deum verum et vivum, omnium Creatorem. Forte discipuli nondum D habuerunt explicitam resolutamque fidem de Trinitate, sicut nec de divinitate Christi, quamvis Christus utrumque frequenter insinuaverit eis : rudes quippe fuerunt, non intelligentes quæ dicebantur. *Et in me credite,* quoniam ego sum Deus. Consequens enim est, ut qui credunt in Deum, credant in me. Imo qui non credunt in Christum, non habent fidem formatam, nec credunt in Deum, sed infideles censentur. His verbis Christus suam divinitatem demonstrat, quoniam non est

credendum in aliquem, nisi in verum Deum, quum fides sit virtus theologica, cujus objectum est Deus seu veritas prima : quamvis alicui vel per aliquem possit credi, quemadmodum de Præcursore
Joann. I, 7. inductum est : Hic venit in testimonium, ut omnes crederent per illum. Denique his verbis ostendit se Christus sic occidendum, ut tamen incessanter permaneat vivus, potens se ipsum suscitare, suosque discipulos, quos corporaliter deseruit, conservare : per quod consolatur mœstos discipulos, quos rursus consolatur commemoratione et pollicitatione futuræ felicitatis.

2 *In domo Patris mei,* id est in Ecclesia triumphanti, in cœlesti beatitudine, in patria Beatorum, *mansiones multæ sunt,* id est diversi gradus præmiorum, variæ dignitates et distinctiones in participando fruitionem bonitatis divinæ, secundum quod in præsenti vita fuerint gradus atque distinctiones meritorum, quibus præmia correspondent. Et caritatis fervori correspondet ac datur præmium essentiale, quod est visio Dei per speciem. Propter quod visio Dei in mentibus comprehensorum distinguitur quantum ad gradum perfectionis, secundum quod unus in via ferventius dilexit Deum quam alter. Unus enim clarius intuetur, ac dulcius atque perfectius fruitur Deo quam alter, quoniam caritatis affectio aperit capacemque efficit mentem amantis amanti. Unde qui ardentius Deum dilexit, plenius eum participat, possidet, retinet.

Oportet scire, quod beatitudo ista seu divina fruitio dupliciter consideratur : Primo, per comparationem ad suum objectum, quod est Deus : et sic una est, æqualis et indistincta, quia ex parte Dei non habet gradum aut differentiam. Unde omnibus in vinea Dei laborantibus, dicitur
Matth. XX, 9, 10. idem denarius dari diurnus, per quem vita designatur æterna. Secundo, per comparationem ad subjectum, quod est mens creata Deo unita : sicque diversificatur, multiplicatur, distinguitur, secundum mo-
A dum prætactum. Porro in patria, ex spiritibus angelicis et humanis, seu angelis et hominibus, una constat et resultabit Ecclesia, quæ vocatur triumphans, ita quod singuli hominum electorum ad aliquem pertinebunt chorum seu ordinem angelorum. Sicque secundum differentiam angelicorum ordinum, accipi potest diversitas cœlestium mansionum, quæ non est corporaliter accipienda. Ubi vitandus est error Eustachii, qui dixit ex hominibus prædestinatis decimum chorum constitui,
B ita quod præter Christum et ejus beatissimam Genitricem, nullus hominum posset ad angelicæ beatitudinis parilitatem, imo nec ad angelorum infimi ordinis æqualitatem pertingere, quantumcumque proficeret.

De his differentibus mansionibus domus Patris æterni accipi potest quod dicit Salvator : Facite vobis amicos de mammona Luc. XVI, 9.
iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quemadmodum enim viatores in quibus Deus per fidem
C et gratiam habitat, dicuntur domus, templum et Ecclesia Dei, dicente Apostolo, Templum Dei sanctum est, quod estis vos; I Cor. III, 17.
rursusque, Christus fidelis fuit in domo Hebr. III, 5, 6.
sua, quæ domus sumus nos : sic comprehensores, in quibus habitat Deus per gloriam, dicuntur domus et templum, atque triumphatrix Ecclesia Patris, de qua in Apocalypsi habetur : Civitas non eget sole Apoc. XXI, 23.
neque luna, nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus. Et ad Galatas Apostolus ait : Illa quæ sursum est Galat. IV, 26.
D Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. In hac domo multæ sunt mansiones, quoniam mentes istorum Deus diversis modis inhabitat. Nihilo minus potest per domum Patris intelligi ipsum cœlum empyreum, quod est summi Regis palatium, locusque Beatorum : in quo sunt multæ mansiones, quia in civibus hujus loci sunt distinctæ præmiorum participationes.

Si quo minus, id est, si aliter esset, seu minus quam vobis nunc dixi, videlicet, si jam in domo Patris mansiones multæ

Digitized by Google

non essent, *dixissem vobis* quod subditur : *Quia,* id est quod, *vado parare vobis locum,* id est mansionem in domo Patris cœlestis. Sed hoc dicendum non fuit, quoniam jam paratæ sunt mansiones istæ ex parte Dei, qui tantæ bonitatis, potestatis et sapientiæ est, quod paratus est omnibus cor mundum habentibus dare mansionem in domo sua cœlesti. Hinc in
Matth. xxv, 34. Matthæo inducitur : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

3 *Et si abiero,* id est, in ascensione a vobis corporaliter recessero cœlum introeundo, *et præparavero vobis locum.* Quomodo intelligendum est hoc? Jam enim dixit mansiones esse paratas : qualiter ergo vadit ut præparet eas? Dicendum, quod mansiones paratæ sunt quantum est ex parte Dei, sed qui ad eas pervenient, indigent præparari a Christo, ut digni sint ad illas perduci. Est itaque sensus : Et præparavero vobis locum, id est, Spiritum Sanctum misero vobis, per cujus virtutem et gratiam præparabimini ad adipiscendum locum mansionis cœlestis. Vel
Hebr. vii, 25. præparat Christus locum electis, interpellando secundum quod homo est, Deum Patrem pro ipsis, quemadmodum ad He-
Ibid. ix, 24. bræos dicit Apostolus : Non in manufacta sancta Jesus introiit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat
Rom. viii, 34. nunc vultui Dei pro nobis; et alibi, Qui etiam (inquit) interpellat pro nobis. *Iterum venio,* id est, in morte cujuslibet vestrum redibo ad vos, saltem invisibiliter seu per effectum, et per angelos quos mittam ut animas vestras adducant ad meum tribunal; *et accipiam vos ad me ipsum,* id est, mihi vos copulabo loco et gloria, transferendo animas vestras de via, peregrinatione atque exsilio, ad patriam, *ut ubi sum ego,* id est in regno cœlesti, in
Joann. iii, 13. quo ego jam sum per divinitatem. Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Vel, Ubi ego sum, id est, in tali beatitudine, qualem anima mea nunc ha-

A bet videndo Deum per speciem. *Et vos sitis,* quantum ad animam ante diem judicii. Animæ enim quum fuerint ab omni reatu immunes, mox perducuntur ad patriam, juxta illud divi Pauli : Scimus quo- II Cor. v, 1.
niam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. — Quidam exponunt sic : Iterum venio, id est, in fine mundi visibiliter redibo : secundum quod in Actibus Apostolorum angeli dicunt,
B Quemadmodum vidistis eum euntem in Act. i, 11.
cœlum, sic veniet; et accipiam vos ad me ipsum, id est, in corpore et anima glorificatos transferam vos ad aulam cœlestis palatii.

Et quo ego vado, id est terminum as- 4
censionis meæ, videlicet Patrem, *scitis,* saltem per fidem implicitam, imo explicitam, loquendo de paternitate in generali. Sæpissime enim Apostoli audierunt ab ore Christi quod vocavit Deum Patrem, dicendo : Pater meus qui est in cœlis; Matth. vii, x, xii, xv, xvi, xviii.
C et, Gratias ago tibi, Pater; et, Pater, clarifica nomen tuum. Sed quod Deus esset Joann. xi, 41.
Pater Christi paternitate naturali, ita quod Ibid. xii, 28.
Jesus esset Filius Dei naturalis et unicus, verusque Deus, et Patri consubstantialis, nondum stabiliter cognoverunt. *Et viam scitis,* id est, viam qua itur ad Patrem aliquo modo, quamvis imperfecte, cognoscitis, scilicet me, vel passionem meam, per quam vado ad Patrem.

Dicit ei Thomas, loquens in persona 5
sui et condiscipulorum, saltem quorum-
D dam : *Domine, nescimus quo vadis,* id est terminum tuæ abscessionis a nobis; *et quomodo possumus viam* qua itur ad Patrem *scire?* Videtur Thomas verbis magistri directe contradicere. Non tamen putavit Jesum aliquid falsi dixisse, nec intendebat verba ejus reprobare; sed æstimavit dictum Christi et suum posse simul stare, quoniam Christus sæpe loquebatur figuraliter et obscure. Denique utrumque verum fuit. Sciebant enim viam et terminum confuse et incomplete; ne-

Digitized by Google

sciebant autem determinate et proprie. A Rursus, sciebant viam et finem seu terminum materialiter, non formaliter. Sciebant enim ea per fidem quoad id quod sunt, non tamen sub propria eorum ratione formali qua hujusmodi sunt. Sciebant nempe, sed nesciebant se scire. Nam noverant Christum et Patrem eo modo quo dictum est; sed quod Christus esset via, et Pater terminus itineris Christi, ignoraverunt.

6 *Dicit ei Jesus,* ostendens quod utique noverant viam, quoniam noverant Jesum : B
I Tim. II, 5; I Joann. II, 1; Hebr. IX, 11. *Ego,* secundum quod homo, Dei et hominum mediator, advocatus et pontifex hominum, et Dei placator, *sum via* qua itur ad Patrem spirituali accessu, amando, contemplando et obediendo, *veritas, et vita,* secundum naturam divinam. Ego enim et Pater sumus una, æterna, infinita exemplarisque veritas, quæ est divina essentia, omnis veritatis creatæ origo fontana, mensura, finis et causa; sumus quoque una vita supersubstantialis, superplena, incomprehensibilis et perfecta. Ergo co- C gnoscendo Filium, cognoscebant quodammodo Patrem, qui est id quod Filius. Ex quo ultra elicitur, quod Christus sit terminus nostræ tendentiæ, utpote finis noster et vera felicitas. Imo, quemadmodum ivit ad Patrem, secundum naturam assumptam, a quo missus fuit; sic ivit ad se ipsum, secundum quod Deus est, quoniam et a se ipso ut Deus missus est. Ivit nempe ad Patrem, quasi sessurus ad dexteram ejus, id est in potioribus bonis Patris. Illa autem sunt etiam bona Filii D secundum ejus divinitatem, quemadmodum infra testatur : Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. (Joann. XVI, 15.) Itaque Christus est via qua imus, veritas in qua ambulamus, vita ad quam pertingimus. Via est, in quantum nos Deo reconciliat; veritas, in quantum nos sua visione felicitat; vita, in quantum nos sua fruitione perfundit.

Deinde ostendit quod sit via. *Nemo venit ad Patrem,* in præsenti per gratiam, nec in futuro per gloriam, *nisi per me,* id est me salvatorem mundi credendo et imitando. Imo nunquam aliquis adultus est salvatus, nisi habendo fidem saltem implicitam de Christo. Unde superius dixit se ostium ovium et pastorem. Ipse ergo (Joann. X, 7, 9, 11, 14. Dan. IX, 25.) Christus est dux noster, ipse porta, via et janua, ipse medius inter Patrem et nos, per cujus incarnationem deificamur, per cujus passionem et mortem vivificamur, cujus merito, virtute et gratia Deo Patri conjungimur.

Si cognovissetis me, et Patrem meum 7
utique cognovissetis. Jam dixerat Christus, Et quo ego vado scitis, et viam scitis, videlicet, quia Patrem et Filium cognoscebant : quomodo ergo nunc ait, Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, quasi nec Filium nec Patrem cognoverint? Dicendum, quod aliquo modo noverunt, et aliquo modo non noverunt, ut sit sensus : Si cognovissetis me, fide illuminata atque distincta, secundum deitatem meam, et Patrem meum utique cognovissetis, eodem modo et tam clare ut me : primo, propter Patris et Filii substantialem identitatem seu unitatem; secundo, quoniam Pater et Filius sunt correlativa, quorum natura est ut uno cognito, cognoscatur et reliquum; tertio, quoniam Pater et Filius adeo similes sunt, ut uno cognito, alius cognoscatur; quarto, quoniam Filius est naturalis et perfecta Patris imago, in qua quidquid Patris est, plenissime splendet. *Et amodo,* id est ex hoc tempore, scilicet post passionem meam, *cognoscetis eum* magis perfecte quam modo, præsertim quum misero vobis Spiritum Sanctum; in patria vero cognoscetis eum sicuti est; *et vidistis eum* (I Joann. III, 2.) visione interiori, confusa et imperfecta, eo modo quo vidistis me secundum naturam divinam. Crediderunt enim Apostoli omnia verba Christi esse vera : et quoniam Christus dixit se Patri consubstantialem, dicendo, Ego et Pater (Joann. X, 30.) unum sumus, ac multa similia; idcirco discipuli cognoverunt aliquo modo Christum secundum divinitatem, quamvis illa

cognitio fuerit instabilis, imperfecta, obscura.

8 *Dicit ei Philippus* frater Nathanaelis : *Domine, ostende nobis Patrem,* quem dicis jam visum a nobis. Quasi dicat : Tu dicis quod vidimus Patrem, quod intelligi non potest nisi de visione imperfectæ notitiæ : ideo, precor, ostende nobis Patrem, id est, ad perfectam et claram perduc nos Patris notitiam. *Et sufficit nobis,* id est, nil amplius appetemus, quoniam visio ista est finis noster ac vera felicitas, nec Pater seorsum cognoscitur, sed una divina Persona nota, tota superbenedicta agnoscitur Trinitas. Quidam asserunt, quod Philippus putabat Patrem posse corporalibus oculis conspici, quemadmodum Christus sensibiliter videbatur. Sed non puto hoc verum. Sic enim Philippus fuisset de numero hæreticorum qui posuerunt Deum in sua natura esse corporeum; nec opinor quod Christus tantam Dei ignorantiam inesse permisit cordibus discipulorum suorum amantissimorum, præsertim quum superius dixerit Joann. IV, 24. mulieri Samaritanæ : Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet. Talem utique Matth. VI, 5 et seq. modum orandi instruxit Apostolos.

9 *Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum,* id est, tam diu conversatus sum inter vos, et multa de Deo vos docui, *et non cognovistis me* distincte, scilicet, quod sum Deus Dei Unigenitus et homo in una persona : quod toties vobis insinuavi? In quo patet maxima ruditas vestra. Sed quum Philippus dixerit, Ostende nobis Patrem, cur Christus increpat eos de hoc quod ipsum necdum cognoverunt? Dicendum quod ideo, quoniam causa ignorandi Patrem fuit ignorantia Filii, qui ideo venit in mundum ut homines ad Dei Patris cognitionem perduceret (juxta illud Joan- I Joann. V, 20. nis : Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum); et quia per idem est ignorare Filium et Patrem. Propter quod subditur : *Philippe, qui videt me,* id est, vere A cognoscit me secundum divinitatem, *videt et Patrem* oculo mentis, eo modo quo conspicit me : qui enim videt me per fidem, videt et Patrem per fidem, et qui videt me per speciem, videt et Patrem per speciem. Hoc est quod jam paulo ante disseruit : Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. Rationes autem hujus jam assignatæ sunt quatuor : quarum unam solam tangit Augustinus, scilicet, quod istud dictum sit propter omnimodam similitudinem Filii cum Pa- B tre : sicut de duobus valde similibus dicimus, Vidistis istum, illum vidistis. *Quomodo tu dicis* in persona discipulorum, *Ostende nobis Patrem,* quasi nullo modo videritis eum, et quasi seorsum cognosceretur sine me, et quasi cognitio Patris dignior esset quam notitia mei? Hæc quippe videtur Philippus in sua prece præsupposuisse : quæ erronea sunt. Ideo pius magister increpat discipulum sic precantem, Ostende nobis Patrem : non quod hoc orandum non sit, sed quia orandum C non est secundum æstimationem qua id oravit Philippus.

Non credis quia ego secundum divinitatem sum *in Patre, et Pater in me est* 10 per identitatem substantiæ? Quum enim Pater sit sua essentia, Filius quoque sit eadem essentia, ubi est essentia Patris, et ibi Pater; et ubi essentia Filii, ibi et Filius. In tribus vero divinis Personis est una essentia : ideo singulæ earum in singulis sunt. Hunc modum ponit vir magnus S. Hilarius. Damascenus ait unam- D quamque divinam Personam esse in alia per circumincessionem. Insuper palam est quod Pater est in Filio sicut in naturali imagine Patrem perfecte repræsentante ; Filius quoque in Patre tanquam in proprio sempiternoque fonte, a quo immanenter egreditur, et inegressibiliter oritur. Certum enim est quod quælibet divina Persona est in alia sicut amatum et cognitum in amante et cognoscente. Sed quia hoc creatis prædestinatisque mentibus et Deo commune est, idcirco dicendum quod

Digitized by Google

quælibet divina Persona est in alia sicut amatum et comprehensum in amante et comprehendente plenarie, ita quod quælibet divina Persona cognoscit ac diligit aliam quantum amabilis cognoscibilisque consistit, utpote amore penitus infinito, immensum ardorem habente, et cognitione claritatis immensæ. Propter quod quælibet est in alia incomprehensibiliter, intime et superintimissime : quia quo amor ferventior, eo intimiorem efficit unionem.

Verba quæ ego loquor vobis per corpus assumptum, *a me ipso* secundum naturam assumptam *non loquor,* id est non sensu vel adinventione humana, sed ex inspiratione et regulatione æternæ et increatæ sapientiæ, quæ per meam humanitatem loquitur et operatur, sicut per instrumentum unitum, animatum et proprium, quod deviare non potest. Unde sicut lingua Christi movebatur ab ejus anima ad loquendum, sic anima ejus in omnibus dirigebatur a Divinitate ad intelligendum, et ad cetera omnia quæ peregit. Vel quod ait, A me ipso non loquor, intelligi potest de Christo secundum divinitatem, ut sit sensus : A me ipso non loquor, id est, a me ipso non habeo potestatem et sapientiam loquendi et operandi, quoniam a me ipso non sum, sed quidquid habeo et sum, accepi per generationem æternam a Patre. Unde superius dixit : A me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. (Joann. VIII, 28.)

Pater autem in me manens, ipse facit opera. Pater mansit in Filio secundum naturam assumptam, quia per summam singularemque gratiam habitavit in eo sicut in templo. Unde superius dixit Christus de corpore suo : Solvite templum hoc. (Ibid. II, 19.) Porro, secundum Filii divinitatem, ipse Pater mansit et manet in Filio, quia invariabiliter perseverat et est in eo per identitatem naturæ et circumincessionem, sicut nunc dixit Filius : Ego in Patre, et Pater in me est. Pater igitur facit opera, id est miracula et cetera universa Christi gesta : et hoc dupliciter : Primo, quia per A Christum ut hominem operabatur et egit, sicut per instrumentum atque ministrum, ita quod quidquid Christus homo fecit, fecit virtute Patris, Patre operante tanquam causa principali, et Christo homine tanquam causa instrumentali. Secundo, quoniam Pater omnia fecit per Filium secundum divinitatem ipsius, juxta illud : Omnia per ipsum facta sunt. (Joann. I, 3.) Itaque, per hoc quod ait Filius, Pater in me manens, ipse facit opera, innuit quod sua ac Patris tanta est similitudo et unitas, atque tam B intima unio seu exsistentia unius in alio, quod opera eorum sint eadem, seu operatio indivisa. Ex quo sequitur quod amborum sit una potestas et una essentia. Quæ enim substantialiter distinguuntur, in opere diversificantur. Hinc dictum est supra : Quæcumque facit Pater, hæc et Filius similiter facit. (Ibid. V, 19.)

Deinde Christus affatur discipulos in
communi. *Non creditis* (quasi dicat : Hoc 11
imo credere debetis) *quia ego in Patre, et*
Pater in me est? Alioqui, id est, si pro- 12
C pter verba mea non creditis hoc, *propter opera ipsa credite,* id est, ex consideratione totius vitæ meæ, quam scitis fuisse sanctam et irreprehensibilem, et miraculorum meorum, quorum aliqua totam facultatem naturæ excedunt, ceterorumque magnalium meorum, scilicet, quod futura pure contingentia prænuntiavi, cordiumque reseravi arcana, credite quod ego in Patre sum, et ille in me, ita quod amborum sit una essentia et potestas, indivisaque opera. *Amen, amen dico vobis,* D *qui credit in me* per fidem perfectam, *opera* miraculosa *quæ ego facio, et ipse faciet* similia eis, non sua virtute, sed mea. Unde Marcus ait : Signa eos qui crediderint hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, etc. (Marc. XVI, 17, 18.) *Et majora horum faciet.* Hoc constat in Apostolis adimpletum, quoniam sua prædicatione plures converterunt quam Christus. Ipsi quoque converterunt eos qui nec legem scriptam receperunt. Rursus, Christus prædicavit in una plebe

Digitized by Google

Matth. xv, 24. et uno idiomate, secundum quod ait : Non sum missus nisi ad oves, etc. Apostoli vero transierunt de gente in gentem, et Act. II, 6-11. omnium loquebantur gentium linguis. Iterum, Matth. IX, 25; Luc. VII, 14, 15; Joann. XI, 43, 44. Christus non legitur suscitasse nisi tres mortuos ; aliqui autem discipulorum plures suscitaverunt. Iterum, præcipuum quoddam inter opera Christi fuit, quod Matth. XIV, 36. ad tactum vestimenti ejus sanabantur infirmi ; sed de Petro inducitur, Act. V, 15. quod ejiciebant infirmos in plateas, quatenus Petro veniente, umbra ejus obumbraret quemquam ex illis, et curaretur. Denique, quod Apostoli dicuntur majora fecisse quam Christus, secundum Augustinum intelligendum est, non quoad opus operatum, quoniam Christus suscitavit mortuos, quod est maximum, nec majus miraculum fecerunt Apostoli; sed quoad modum agendi.

Causa vero cur credentes operarentur majora quam Christus, a Christo subjungitur : *Quia ad Patrem vado,* id est, quia ad Patrem ascendendo plenarie glorificabor in me ipso et in omnibus gentibus, ad quarum conversionem decet majora fieri a vobis, quam ego feci ; et item decet ut quum glorificatus fuero in corpore, majora fiant in nomine meo, quam feci ego quum essem mortalis. Vel sic : Quia ad Patrem vado, id est, per hoc quod ascendo, fiet ut mittam vobis Spiritum Sanctum, quem ante ascensionem meam non potestis recipere : secundum quod Joann. VII, 39. dictum est, Spiritus nondum erat datus, quoniam Jesus nondum erat glorificatus. Ibid. XVI, 7. Et infra dicetur : Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos. Quum vero Spiritum Sanctum in tanta plenitudine receperitis, facietis majora quam ego per me feci : non quod major erit virtus et gratia Spiritus Sancti in vobis quam in me, sed quoniam decens est ut quum ad Patris dexteram ascendens pervenero, per majora signa glorificer per meos fideles, quam antea per me ipsum.

Sed quum Christus simpliciter dicat, Qui credit in me, opera quæ ego facio et A ipse faciet, et majora horum faciet, videtur quod nullus sit veraciter christianus, nisi miracula operetur, et majora quam molitus est Christus. Et respondendum, quod Christus ad litteram loquitur maxime de perfectis fidelibus tempore primitivæ Ecclesiæ, certisque personis credentibus, electis ad hoc ut gratiam signorum sortiantur, sicque per eos alii convertantur. Si vero universaliter accipiatur sententia Christi, intelligenda est spiritualiter, quoniam devoti spiritualiter agunt B miracula quæ Christus corporaliter gessit. Mortuos nempe resuscitant, dum mortalibus vitiis implicatos convertunt ad Christum, reducendo eos ad vitam gratiæ in præsenti. Talibus enim dicit Apostolus : Filioli quos iterum parturio. Galat. IV, 19. Et hoc quodammodo majus est, quam corporaliter suscitare defunctum : ut asserit Augustinus, quod majus est impium justificare, quam cœlum et terram creare. Et juxta Gregorium, miracula ista spiritualiter exhibita, tanto sunt ampliora, quanto et spiritualiora. C Melius tamen puto dicendum, quod verbum Christi quo ait, Qui credit in me, etc., intelligendum sit particulariter tam de credentibus quam de operibus. Præterea rationabiliter dici potest, quod Christus hæc dixerit ad insinuandum inæstimabilem potestatem fidei christianæ, si fuerit consummata : quia ut alio in loco ait Salvator, Omnia possibilia sunt Marc. IX, 22. credenti ; et, Si habueritis fidem sicut Matth. XVII, 19; XXI, 21; Marc. XI, 23. granum sinapis, dicetis monti huic, Tollere, et jacta te in mare, etc. Tantam namque D efficaciam contulit Deus catholicæ fidei, ut sciamus quod Christi doctrina sit vere divina, quæ in se ipsa tam pura est atque perfecta ut digna sit fide absque miraculis.

Sed ne ex hoc quod dictum est, Majora horum faciet, crederet aliquis discipulos Christi Christo posse æquari, vel propria
potestate operari, adjecit Salvator : *Et* 13
quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, id est per me, seu per virtutem et merita eorum quæ pro humana salute

Digitized by Google

assumpsi, feci et pertuli. Nomen autem A Christi, est Jesus, quod interpretatur Salvator. *Matth.* I, 21. Idcirco in nomine Filii Dei et Christi Patrem petere, est illa rogare quæ vere expediunt animæ, scilicet bona spiritualia et honesta, quæ sunt virtutes, et dona, et gratia, vel etiam corporalia, in quantum necessaria sunt ad spiritualia bona adipiscenda, augenda, conservanda aut consummanda. Quodcumque ergo sic petieritis, *hoc faciam,* id est, exaudiam precem vestram, et implebo quod postulatis. Non dicit, Hoc faciet Pater, sed, Hoc B faciam, ut ostendat se simul cum Patre exaudire, gratiamque conferre, justificare et salvificare, ita quod ipse et Pater sunt unus exauditor. In quo declarat se esse Patri æqualem, consubstantialem, verumque Deum, quoniam preces fidelium exaudire, justificare et salvare, Deo est proprium.

Interea, si quis rite consideret, sciet quod ineffabilis prorsusque incomprehensibilis sit profunditas sacræ Scripturæ, præsertim in evangelio excellentissimi C evangelistæ deificati Joannis. Nam ubicumque aliquid de Christi humilitate in verbo vel facto ait Scriptura, mox aliquid de ejus sublimitate annectitur, et econtra frequenter, ne vel homo purus, vel Deus phantastice incarnatus putetur. Paris enim periculi est, secundum Leonem Papam, si illi vel nostræ naturæ humilitas, vel divinæ naturæ majestas inesse negetur. Quoniam ergo Christus nunc dixit, quod credentes in ipsum majora facturi essent quam ipse, ne ex hoc aliud quidpiam mi- D nus dignum sentiretur de Filio Dei, subjecit, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam ; et non dixit, Hoc faciet Pater : *Joann.* XVI, 23. et tamen hoc infra ait, Si quid (inquiens) petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Ut glorificetur Pater in Filio, id est, ad hunc finem principaliter vos exaudiam, quatenus Deus Pater gloriosus, pius atque omnipotens agnoscatur, et a fidelibus digne honoretur in Filio, id est per gratiam a Filio datam. Sed quoniam exaudire competit Christo ratione divinæ naturæ, in qua Patri æqualis est, advertendum quod Christus sic exaudit ut Pater per Filium glorificetur, id est ad gloriam Patris, ut etiam exaudiat ad gloriam sui ipsius ac Spiritus Sancti. Nam quidquid fit ad gloriam unius divinæ Personæ, ad totius supergloriosissimæ fit gloriam Trinitatis ; et quidquid una divina Persona agit ad gloriam alterius, agit ad gloriam propriam. Non enim sic operatur ad gloriam alterius, quasi una sit dignior alia ; sed quidquid efficit Deus, facit et ordinat ad gloriam suam finaliter, ut ejus perfectio in creaturis resplendeat, et ipse honoretur ab intellectualibus rebus. Hinc scriptum est : Omnia propter se ipsum *Prov.* XVI, 4. operatus est Dominus. Et per Ezechielem Dominus ait : Non propter vos ego faciam, dicit Dominus Deus, notum sit vobis, sed propter nomen sanctum meum. *Ezech.* XXXVI, 22, 32.

Præterea Christus resumit quod dixit, aitque : *Si quid,* id est aliquid dignum, 14
quod in ordine ad ultimum finem alicujus dignitatis valeat reputari, *petieritis in nomine meo.* Hic non exprimit Patrem, quia jam eum expressit ; et item, quia a quacumque divina Persona petatur, Filius exaudit et tota Trinitas. *Hoc faciam.* Possent hic multa inquiri, quomodo intelligenda sint hæc, quum Paulus ter oraverit stimulum carnis sibi auferri, et exauditus non sit, *II Cor.* XII, 8, 9. sed legio dæmonum quæ petiit mitti in porcos, cognoscitur exáudita. *Matth.* VIII, 31, 32. Ad hoc atque similia breviter respondendum, quod quando oramus debito modo, seu cum conditionibus tribus ad orationis exaudibilitatem requisitis, indubitanter exaudimur. Quæ conditiones sunt tres : Prima, ut petamus instanter seu incessanter, juxta illud Lucæ : Oportet semper orare, et *Luc* XVIII, 1. non deficere. Secunda, ut petamus salubriter, prout Joannes habet : Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, *I Joann.* V, 14. quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Unde nunc dicitur : In nomine meo. Tertia, ut petamus pro no-

Digitized by Google

bismetipsis, quia pro aliis non semper A
audimur, eo quod obicem ponant gratiæ
Dei. Posset autem et quartum addi, vide-
Prov. licet, ut orans obediat Deo, servando præ-
xxviii, 9. cepta. Qui enim declinat aurem suam ne
audiat legem, oratio ejus erit exsecrabi-
lis. Idcirco ait in prima Canonica sua Jo-
annes : Carissimi, si cor nostrum non re- I Joann. iii,
prehenderit nos, fiduciam habemus ad 21, 22.
Deum, et quidquid petierimus accipiemus.

ARTICULUS XXXVI

EXPOSITIO HUJUS CAPITULI QUARTIDECIMI, AB EO LOCO QUO DICITUR : SI DILIGITIS ME, MANDATA MEA SERVATE.

MULTIPLICITER jam consolatus fuit B
Christus discipulos de suo recessu
passioneque mœstos. Nunc vero denuo
consolatur eos, promittendo ipsis conso-
latorem perpetuum atque dulcissimum,
scilicet Spiritum Sanctum, cujus delecta-
tio seu consolatio omnem corporalem con-
solationem vehementer excedit.

15 *Si diligitis me* vere et spiritualiter, ut
Matth. v, 43, 44, 22. dicitis, *mandata mea,* quibus præcepi ami-
Ibid. xxii, 37, 38. cos inimicosque diligi, non irasci, Deum
Ibid. vi, 1-18. diligere, vanam gloriam abhorrere, *ser-
vate* usque in finem. Qui enim usque in C
Ibid. x, 22; xxiv, 13. finem perseveraverit, salvus erit. Signum
namque dilectionis, est observatio præ-
ceptorum et exhibitio operis, juxta illud
I Joann. ii, 5. Joannis : Qui servat verbum Christi, vere
in eo caritas Dei perfecta est. Non enim
otiosa est caritas, sed voluntatem aman-
tis unit atque parificat voluntati amati,
ut quod velit unus, velit et faciat alius.
Joann. xv, 14. Ideo alibi dicitur : Vos amici mei estis,
si feceritis quæ præcipio vobis. Monet er-
go et imperat Christus, ut si diligamus
eum, impleamus ejus præcepta : Primo, D
ne ejus dilectionem et gratiam per negli-
gentiam et torporem perdamus : oportet
enim ut per opera nutriatur et conser-
vetur. Secundo, ut in dilectione profici-
amus, quoniam teste Augustino, caritas
meretur augeri, ut aucta mereatur et per-
fici. Tertio, ne quis fallat se ipsum. Vix
nempe est quis ita perversus, qui non
blandiatur atque persuadeat sibi ipsi quod
utique diligat Deum, præsertim quum na-
turaliter diligatur ab omnibus. Ut ergo
omnes cognoscant an diligant Deum di-
lectione supernaturali, meritoria, gratuita
et infusa, audiunt a Christo : Si diligitis
me, mandata mea servate. Tanquam di-
cat : Non se existimet me amare, qui meis
non paret præceptis ; vult enim contra-
ria meæ voluntati, nec pleno affectu mihi
unitur.

Et ego, secundum humanam naturam, 16
rogabo Patrem, tanquam majorem, *et ali-
um Paracletum,* id est consolatorem et
advocatum personaliter a me distinctum,
scilicet Spiritum Sanctum, *dabit vobis,* in-
fundendo cordibus vestris dona illius. Di-
citur autem Spiritus Sanctus consolator,
quoniam animam recreat, delectat, læti-
ficat ; itemque, advocatus, non quod sit
minor Patre et Filio, sed quoniam corda
eorum quos replet, facit Deum jugiter in-
vocare et mitigare. Juxta quem sensum
dicit Apostolus : Ipse Spiritus postulat pro Rom. viii,
nobis gemitibus inenarrabilibus. Denique 26.
Christus dicendo, Alium Paracletum da-
bit vobis, insinuat quod et ipse sit nobis
a Patre datus consolator et advocatus : de
quo asserit Paulus, Per Christum abun- II Cor. i, 5.
dat consolatio nostra ; et Joannes, Advoca- I Joann. ii,
tum habemus apud Patrem, Jesum Chri- 1, 2.
stum justum, et ipse est propitiatio pro
peccatis nostris.

Digitized by Google

Sed quid est quod Christus præmittit, A Si diligitis me, mandata mea servate, et postea subdit, Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, quasi aliquis possit Christum diligere ejusque præcepta implere, antequam Spiritum Sanctum susciperet? Et respondendum, quod Christus loquitur de donatione Spiritus Sancti a Patre, non quoad primam Spiritus Sancti infusionem, sed quantum ad pleniorem suorum charismatum communicationem, sicut ait Apostolus : *Rom.* xv, 13. Deus spei repleat vos omni pace et gaudio in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti; et alibi, *1 Cor.* xii, 31. Æmulamini charismata meliora. Porro ad litteram, præcipue loquitur Christus Apostolis et de donatione ac missione Spiritus Sancti in signo visibili, *Act.* ii, 2-4. et plenitudine illa abundanti quæ facta est in die Pentecostes, ad quam amor Christi et obedientia mandatorum disponunt. De qua supereffluenti Spiritus Sancti receptione dicit Salvator discipulis apud Lucam : *Luc.* xxiv, 49. Vos autem sedete in civitate, quousque induamini virtute ex alto.

Ut maneat vobiscum, id est, corda vestra per sua dona inhabitet, *in æternum,* utpote nunc in via per gratiam, et in futuro per gloriam. Non enim recedet a vobis per corporalem sui a vobis elongationem, sicut ego, quum non sit incarnatus; sed jugiter intra vos erit, quantum est ex parte sui. Si verba ista ad Apostolos referantur, possumus dicere quod Christus his verbis promisit atque prædixit Apostolis, quod per adventum Spiritus Sancti in die Pentecostes confirmandi D essent in bono, sic quod deinde nunquam peccarent mortaliter, et per consequens nunquam amitterent gratiam gratum facientem Spiritus Sancti, seu Spiritum Sanctum, qui tunc amitti atque recedere perhibetur, dum ejus dona perduntur, illa præcipue quæ gratiam gratum facientem concernunt, et per peccatum mortale tolluntur. Si vero generaliter referantur ad omnes, dicendum quod Deus Pater, quantum in se est, dat omni fideli Spiritum Sanctum, quatenus in eo permaneat in æternum, id est, ut habendo gratiam Spiritus Sancti, crescat maneatque in ea quousque perducatur ad gloriam. Postremo, quamvis Spiritus Sanctus non semper maneat in electis et virtuosis hominibus, quantum ad gratias gratis datas, quæ non sunt de necessitate salutis, cujusmodi sunt prophetia, gratia miraculorum; jugiter tamen manet in eis, quantum ad dona gratiam gratum facientem concernentia, ut sunt caritas, humilitas, mansuetudo.

B *Spiritum veritatis.* Spiritus Sanctus dicitur Spiritus veritatis : 17 Primo, quia est Spiritus Filii, cui veritas appropriatur. Procedit quippe a Filio sicut a Patre. *Joann.* xv, 26. Unde ait Apostolus : Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus; *Rom.* viii, 9. rursusque, Misit Deus Spiritum Filii sui in corda *Galat.* iv, 6. nostra clamantem, Abba (Pater). Secundo, quoniam Spiritus Sanctus est substantialiter veritas ipsa : nam tota Trinitas est una, summa, simplexque veritas. Tertio, quoniam instruit veritatem, omnemque errorem repellit. *Joann.* xvi, 13. C *Quem mundus non potest accipere,* id est amatores mundi, homines carnales, vani et ambitiosi, qui terrena magis quam cœlestia amant et agunt. Talium enim amor contrariatur Spiritui Sancto, juxta quod scriptum est : Adulteri, *Jacob.* iv, 4. nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo? *Quia non videt eum* oculo mentis, id est, cordis intuitum ad eum non dirigit, disponendo se ad gratiam ejus, sed sensibilibus istis immergitur; *neque scit eum* cognitione diligenti, vel per gustum divinorum et experientiam spiritualium exercitiorum. Animalis etenim homo *1 Cor.* ii, 14. non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, secundum Apostolum. Nihilo minus multi sunt subtiles et eruditi in theologia, qui utique vident et sciunt Spiritum Sanctum fide informi; sed non recipiunt eum, quia non vident eum per cordis sui ad eum directionem, nec sciunt eum per diligentem ac debitam considerationem. Nec enim convertuntur ad cor, et Deum quem se *Ps.* lxxxiv, 9. dicunt cognoscere, negant operibus. *Tit.* i, 16. Qui

Digitized by Google

ergo vult Spiritum Sanctum recipere vel servare, affectum suum a mundo et his quæ sunt in mundo avertat, non se per exteriora diffundat, non circa vana et curiosa cognoscenda se occupet; sed redeat ad se ipsum, divina studeat videre et scire. I Joann. II, 15. Hinc Joannes ait : Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt, quia si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.

Per hoc quod dictum est, Quem mundus non potest accipere, non est intelligendum quod peccatores et sæculares nequaquam possint accipere Spiritum Sanctum. Sic enim converti non possent, essetque desperandum de eorum salute. Sed sic intelligendum est, quod in quantum tales, non sunt capaces Spiritus Sancti, quamvis Spiritus Sanctus possit eos misericorditer prævenire, incapacitatem auferre, se ipsum infundere. Sic enim Pater dat Spiritum Sanctum, ut Spiritus Sanctus præstet se ipsum.

Vos autem cognoscetis eum, id est, Spiritus Sanctus se ipsum vobis revelabit, agnoscetisque eum, non solum per fidem illuminatam et sapientiam specialem, sed insuper per suæ dulcedinis gustum, per suæ potestatis et pietatis experientiam. Nonne Paulus cognovit Spiritum Sanctum, I Cor. XII, 8-10. de quo tam multa conscripsit? Alii (inquiens) per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ; alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, etc. Ratio hujus cognitionis subjungitur : *quia apud vos manebit* tanquam familiaris director, *et in vobis erit* quasi gratiosus inhabitator.

18 *Non relinquam vos orphanos,* id est patre privatos : hoc est, quamvis ad modicum tempus recedam a vobis, ego qui Joann. XIII, 14. sum non solum Dominus et magister vester, sed etiam pater, quia paternam sollicitudinem gero de vobis, paterno affectu vos diligo, paterna vos pietate custodio (nisi enim Christus esset pater fidelium, et suorum discipulorum pater fuisset, non diceret apud Matthæum : Matth. IX, 15. Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus?) : quamvis, inquam, sic recedam a vobis, et interim sitis similes orphanis, quia mea præsentia atque solatio destituti, non tamen diu sic desinam vos. Propter quod subditur : *Veniam ad vos* post resurrectionem, per sensibilem apparitionem, spiritualem consolationem, internamque visitationem.

Adhuc modicum tempus restat, *et mundus me jam non videt,* id est, illo tempore consummato, homines mundani me ultra non videbunt in sæculo isto. Hoc modicum, fuit usque ad sepulturam, quoniam Christo sepulto, amplius non viderunt eum amatores mundi. *Vos autem videbitis me* post resurrectionem, oculo corporali et intellectuali. Hoc dicit Christus, quia post resurrectionem apparuit solis discipulis : propter quod Petrus ait, quod Deus dedit eum manifestum fieri, Act. X, 40. non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo. Ideo autem videbitis me, *quia ego vivo,* id est, statim post passionem, ad immortalem vitam resurgo, et indesinenter vivo secundum divinitatem, per quam possum suscitare me ipsum, et ostendere vobis. *Et vos vivetis,* id est, interim non occidemini, tunc quoque reviviscet spiritus vester : sicut de Jacob in Genesi legitur, quod audiens Joseph vivere, revixit spiritus ejus. Gen. XLV, 26, 27. Vel, Vivetis per gratiam specialem, per quam digni eritis me videre. 19

20 *In illo die,* videlicet post resurrectionem, quum Spiritum Sanctum receperitis per insufflationem meam, Joann. XX, 22. Luc. XXIV, 45. et aperuero vobis sensum ad intelligendum Scripturas, *vos cognoscetis* per fidem *quia,* id est quod, *ego* secundum divinitatem *sum in Patre meo,* per consubstantialitatem et circumincessionem (ut sæpius dictum est), *et vos in me,* sicut membra in capite, sicut contentum in continente, ut palmes in vite, ut amans in dilecto, Joann. XV, 5. ut effectus in exemplari atque fontali principio. Electi autem sunt in Christo secundum utramque ejus naturam : et in quan-

Digitized by Google

tum Christus est homo, sumus in eo per communionem naturæ; in quantum vero est Deus, sumus in eo sicut in causa salvante et conservante, et sicut in ultimo fine. *Et ego in vobis,* per caritatem et gratiam, et gratiosam inhabitationem, quasi in templo et sede. (Cf. *Prov.* XIV, 33; *Sap.* VII, 27.) Nam anima justi est sedes sapientiæ, et congregatio electorum est templum domusque Christi. (*Ephes.* III, 17.) Hinc secundum Apostolum, Christus per fidem habitat in cordibus nostris. Et in (*Deut.* XXXIII, 12.) Deuteronomio Moyses ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter, et in eo quasi in thalamo tota die commorabitur, et inter humeros illius requiescet. Præterea Christus secundum divinitatem, est in Patre inegressibiliter, sicut rivus in fonte, sicut verbum in dicente, sicut conceptus in intelligente. Secundum humanitatem quoque, est in Patre sicut in (I *Cor.* XI, 3.) capite. Caput enim Christi Deus, juxta Apostolum. Est etiam Christus in nobis per sacram Eucharistiæ communionem.

21 *Qui habet mandata mea,* id est, divina præcepta cognoscit, *et servat ea* per obedientiam, sicut de justo ait Psalmista : (*Ps.* I, 2.) In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte; *ille est qui diligit me :* quoniam argumentum dilectionis est operatio, quum caritas non sit otiosa aut negligens. Unde Joannes di- (I *Joann.* V, 3.) cit : Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus. *Qui autem diligit me,* sive ut hominem pro se passum, sive ut Deum pro se incarnatum atque salvantem, *diligetur a Patre meo,* id est, merito suæ dilectionis dona Patris recipiet, eique placebit. Advertendum quod dilectio Patris seu Trinitatis ad nos, est æterna : idcirco per omnem differentiam temporis explicatur. Nam supra dictum est, verbo (*Joann.* III, 16.) præteriti temporis : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. (*Ephes.* II, 4.) Et Paulus : Propter nimiam (inquit) caritatem qua dilexit nos Pater. Infra quoque ait Christus per verbum temporis præsen- (*Joann.* XVI, 27.) tis : Ipse Pater vos amat. Nunc vero futuro utitur, dicens : Diligetur a Patre meo.

A Omnes autem prædestinatos diligit Deus æternaliter atque simpliciter, etiam tunc quando non diligunt, sed iniqui sunt : nam ipse prior dilexit nos. (I *Joann.* IV, 10.) Diligit, inquam, eos secundum suæ prædestinationis intuitum. Quum autem convertuntur et diligunt, impendit eis suæ dilectionis effectum, quem plene ac finaliter impendit quum cœlestem beatitudinem sortiuntur. Non prædestinatos autem nunquam diligit absolute vel simpliciter, quia non vult eis simpliciter gloriam felicitatis æter- B næ; sed quum diligunt Deum, et in statu salutis sunt, diligit eos secundum præsentem justitiam. Quum ergo ait Salvator, Qui diligit me, diligetur a Patre meo, intelligi potest, vel de electis qui perseverant et consummantur in bono, atque in Christi dilectione discedunt, et hi diligentur a Patre simpliciter atque finaliter, a quo veram beatitudinem consequentur ; vel de præscitis qui diligunt Christum ad tempus, et tunc diliguntur a Patre secundum præsentem justitiam. C Verumtamen verba ista hoc loco sic intelligenda non sunt, sed de prædestinatis dumtaxat, qui diligunt usque in finem. Subjungit enim Salvator :

Et ego diligam eum, id est, æternaliter eum amabo, et veræ dilectionis signa ei ostendam, dando ei gratiam salvificam in præsenti, gloriamque in futuro. Custodit (*Ps.* CXLIV, 20.) enim Dominus omnes diligentes se. Et in Proverbiis Salomonis æterna Sapientia loquitur : Ego diligentes me diligo. (*Prov.* VIII, 17.) Deinde Christus declarat suæ dilectionis præ- D mium ultimatum. *Et manifestabo ei me ipsum,* id est, dabo ei claram divinitatis meæ notitiam, seu beatificam visionem, quæ est tota merces, ut infra habetur : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te ve- (*Joann.* XVII, 3.) rum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Potest tamen referri ad apparitionem Christi post resurrectionem, qua se manifestavit discipulis in humanitate glorificata, quamvis non manifestaverit se in specie corporis glorificati. Sed prima expositio aptior est, quoniam Christus ge-

neraliter loquitur de amante et mercede amantis.

22 *Dicit ei Judas, non ille Iscariotes,* hoc est non oriundus de vico nomine Carioth, qui tradidit Dominum, sed Judas frater Jacobi Minoris (cujus Judæ est ultima septem canonicarum epistolarum), consanguineus Christi, quoniam filius materteræ ejus : *Domine, quid factum est,* id est, cur accidit, *quia manifestaturus es nobis te ipsum, et non mundo?* hoc est, cur tantum præfers nos ceteris, quum simus abjectæ personæ? Mirabatur hinc Judas, quia humilibus mirum videtur dum aliis præferuntur, quum ipsi alios præferant sibi. Et sicut patebit, causa hujus fuit, quia discipuli in spiritualibus bonis excellentiores fuerunt mundo, qui pertinet ad massam perditionis.

23 *Respondit Jesus, et dixit ei : Si quis diligit me :* non sola dilectione naturali, qua et reprobi diligunt Deum, et angeli apostatæ Deum dilexerunt ante ruinam, etiam plus quam se ipsos, secundum Thomam et Scotum, imo secundum Augustinum, qui dicit quod intellectualis creatura naturali dilectione plus diligit Deum quam se ipsam (aliter aliquid naturale esset inordinatum, quum tamen peccatum non sit nisi recessus ab eo quod est secundum naturam, secundum Damascenum, vel recessus ab ordine, juxta magnum atque divinum Dionysium); sed qui diligit me dilectione gratuita et infusa, quæ est actus virtutis theologicæ quæ caritas appellatur (quandoque tamen dilectio pro habitu sumitur, id est pro caritate); *sermonem meum servabit,* hoc est, evangelicam doctrinam custodiet, præceptis obediet, testimoniis credet. Amator enim voluntati dilecti se ipsum conformat : idcirco qui vere diligit Christum, approbat quæ approbat Christus, odit quæ reprobat ille, facit quod Christo placet, vitat quod displicet illi. Unde in Proverbiis dicitur : Serva mandata et legem quasi pupillam oculi tui; et Psalmista, In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Et certe quicumque cordialiter diligit aliquem, verba ejus memoriter retinet, ejus sermonibus in licitis acquiescit. Ex caritate ergo procedit obedientia.

Prov. vii, 2. — Ps. cxviii, 11.

Et Pater meus diliget eum. Qui enim diligit unam divinarum Personarum, diligit omnes tres, et qui ab una illarum diligitur, simul a tribus amatur : quia sicut nos diligimus Trinitatem eadem dilectione, ita a singulis divinis Personis eadem caritate amamur. Quomodo autem amans Christum et ei obediens diligetur a Patre, jam dictum est plenius super illud : Qui diligit me, diligetur a Patre meo. Dominus enim diligit justos. Imo, secundum Aristotelem, vir contemplativus atque theoricus, est amantissimus Deo.

vers. 21. — Ps. cxlv, 8.

Et ad eum veniemus, non per loci mutationem, vel corporalem accessum, sed per gratiæ augmentationem, per dilectionis incrementum, per omnium spiritualium bonorum multiplicationem. Istud enim intelligendum est, non de primævo adventu Patris et Filii ad cor amantis, quoniam nemo diligit vel obedit, nisi primo tota Trinitas eum prævenerit, et per gratiæ infusionem mentem ejus intraverit. Sed qui diligit, gratiis potioribus adimpletur. Habenti enim dabitur. Et amor facit omnia esse communia. Unde quo Deum amamus ardentius, eo omnia bona sua copiosius nobis communicat et infundit. Et si timentibus Deum nihil deest, quid poterit deesse amanti? Vel quid poterit Deus negare suo fervido amatori, quum juxta Apostolum, Qui adhæret Deo, unus spiritus est? Porro, si aliquid negat, hoc facit ex magna caritate, videlicet, quia amanti non expedit impetrare quod orat, vel ipsa dilatio utilis ei consistit.

Matth. xiii, 12; xxv, 29. — Ps. xxxiii, 10. — I Cor. vi, 17.

Et mansionem apud eum faciemus, hoc est, mentem ejus gratiose et pie inhabitabimus. Si enim teste Apostolo, corpora nostra sunt templum Dei, quanto magis animæ? Et si debemus Deum glorificare et portare in corpore nostro, quanto magis in anima per jugem memoriam,

Ibid. 19. — Ibid. 20.

Digitized by Google

verum amorem, contemplationemque sinceram? Præterea, ubique et in omnibus est Deus, sed illos inhabitat in quibus est per dona gratiæ gratum facientis, et tamdiu inhabitat, quamdiu perseverant in gratia. Qui autem tempore tentationis succumbunt, non stabiliter inhabitantur a
Apoc. xxi, 3. Deo. Hinc in Apocalypsi Joannes ait : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.

24 *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Interdum tamen servat eos memoriter, nec ut obediat, sed ut prædicando, loquendo, docendo seu disputando, doctus appareat, vel temporale lucrum sortiatur. Et quia non servat per obedientiam verba mea, idcirco non diligetur a Patre meo, nec veniemus ad eum. *Et sermonem quem audistis* ex ore meo, *non est meus,* secundum quod homo sum, tanquam principalis doctoris vel locutoris, *sed ejus qui misit me Patris,* qui per me
Is. ix, 6, juxta LXX. loquitur tanquam per legatum et magni consilii angelum, secundum quod homo
Joann. vii, 16. sum. Simile est quod supra dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Augustinus et Gregorius sic exponunt : Quoniam Christus est verbum et sermo Patris, ideo sermo quem loquitur Christus, non est Christi, sed Patris, qui genuit Verbum. Sed hoc verum est de Verbo increato et sermone æterno, non sonanti vel transitorio. Christus autem nunc maxime loquitur de sermone quem protulit, et qui aures discipulorum immutavit, tanquam objectum auditus immediatum ac proprium. Persona vero loquens non auditur per se, vel tanquam objectum auditus, sed mediante sono.

25 *Hæc locutus sum vobis, apud vos ma-*
26 *nens* corporaliter et visibiliter. *Paracletus autem,* id est advocatus et consolator,
vers. 16. propter causas paulo ante inductas, *Spiritus Sanctus.* Constat quod unaquæque hypostasis sit spiritus et sanctus. Sed quum tertia Persona dicitur proprio nomine Spiritus Sanctus, hoc quod dicitur, Spiritus Sanctus, pro una dictione accipitur. *Quem mittet Pater :* non missione locali vel motu corporali, quum Spiritus Sanctus sit Deus immensus, omnia implens, nec loco, nec tempore, nec actione mutabilis; sed missione spirituali, per infusionem donorum Paracleti, ut mitti dicatur ratione sui effectus quem Patre volente causat in rationali creatura; *in nomine meo,* id est in me, per me et propter me. Pater enim omnia operatur per Filium secundum Filii divinitatem, et per Filium secundum naturam assumptam, id est, per merita unigeniti Filii sui, dat nobis virtutem, et gratiam, et dona Spiritus Sancti ad gloriam Christi, et ut perducamur ad Christum nostræ beatitudinis fontem. *Ille vos docebit omnia,* non simpliciter omnia, sed omnia de quibus subjungitur, *et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis :* id est, universa quæ vobis nunc prædico vel prædicavi proprio ore, quæ non potestis modo intelligere propter eorum profunditatem, et vestri ingenii tarditatem, vestræque animæ multiplices passiones actionem intellectus impedientes, videlicet propter magnam tristitiam, timorem, dolorem, instruet vos Spiritus Sanctus per supernaturalem mentis vestræ illuminationem
(quemadmodum dicit Apostolus : Dabit II Tim. ii, 7.
tibi Dominus in omnibus intellectum); et suggeret, id est, commemorabit seu ad memoriam reducet, vobis omnia quæcumque dixero vobis. Hæc enim pro maxima parte obliti erant Apostoli, quia et quum dicebantur, non intellexerunt ea perfecte, nec firmiter impresserunt memoriæ, variis afflictionibus impediti; sed veniens in eos Spiritus Sanctus reduxit oblita ad eorum memoriam, adjiciens oblitorum et rememoratorum intelligentiam luculentam.

Pacem internam et spiritualem, pacem 27
gratiæ, pacem viæ, non perfectam neque continuam, sed perficiendam et perpetuandam, *relinquo vobis,* id est, habendam et custodiendam præcipio, imo et confero, et si non modo, tamen post resurre-

Digitized by Google

Joann. xx, 21, 26. ctionem, quando dicturus sum : Pax vobis. A Unde se ipsum exponens, adjecit : *Pacem meam,* id est veram mentis tranquillitatem, *do vobis* nunc inchoative, quam dabo vobis in patria perfective seu consummate. Philipp. iv, 7. De qua pace dicit Apostolus : Pax Christi, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras ; Coloss. iii, 15. itemque, Pax Christi exsultet semper in cordibus vestris. Denique pax est tranquillitas ordinis, quæ consistit in hoc quod caro obedit spiritui, sensualitas rationi, et ratio Deo. B Dum ergo anima ab inquietudine passionum est libera, et divinæ fuerit legi rite subjecta, pacem habet in se et cum Deo, imo et cum proximo, quantum in se est. Non enim contra aliquem passionibus agitatur, non invidia stimulatur, non ira turbatur. Interdum tamen proximus cum homine tam pacato atque pacifico pacem non habet propter suam perversitatem. Unde ad Romanos Rom. xii, 18. dicit Apostolus : Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. C

Vel sic : *Pacem* gratiæ *relinquo vobis* in via, pro dono præcipuo; *pacem* gloriæ *do vobis* in futuro, pro præmio. Hinc enim, secundum Augustinum, dicendo, Pacem relinquo vobis, non addit, Meam, quia pax electorum in via, est multis tribulationibus et peccatis admixta, qualis Is. liii, 9. non fuit pax Christi, qui caruit omni culpa. Sed dicendo, Pacem do vobis, addit, Meam, quoniam pax Sanctorum in patria assimilatur perfectæ paci Christi, quoniam caret omni malo culpæ et pœnæ. D Tunc nempe perfecte implebitur quod per Isa- Ibid. xxxii, 18. iam Dominus pollicetur : Sedebit (inquiens) populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

Non quomodo mundus dat, id est non pacem carnalem et sæcularem, qualem dant et procurant sæculi hujus vanissimi amatores, *ego do vobis.* Illa etenim pax, est quieta quædam fruitio temporalium divitiarum, carnalium deliciarum, et ceterorum bonorum mundi hujus, qualem habet anima vitiosa cum propria carne. De qua apud Matthæum ait Salvator : Non Matth. x, 34. veni pacem mittere in terram, sed gladium. Huic malæ paci opponitur bona discordia : quam inter Pharisæos et Sad- Act. xxiii, 6, 7. ducæos misit Paulus. De hac inordinata perniciosaque pace, quæ est consensus aliquorum in malo, ait Psalmista : Quia Ps. lxxii, 3. zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Porro de pace ordinata jam dicta, quam ad Galatas ponit Apostolus inter Galat. v, 22. fructus Spiritus, quum e regione scriptum sit, Non est pax impiis, dicit Do- Is. xlviii, 22; lvii, 21. minus (hæc etenim pax ex caritate procedit, quoniam caritas ordinat hominem ad Deum et proximum, et sic facit concordiam : propter quod dicit Propheta, Pax multa diligentibus legem tuam); pax Ps. cxviii, 165. ista maxime expetenda et observanda est famulis Christi. Beati enim pacifici, quo- Matth. v, 9. niam filii Dei vocabuntur. Et juxta Apostolum, In pace vocavit nos Deus ; et, I Cor. vii, 15. Non est Deus dissensionis, sed pacis. Ibid. xiv, 33. Hinc ad Ephesios hortatur : Solliciti servare Ephes. iv, 3. unitatem spiritus in vinculo pacis.

Non turbetur cor vestrum, id est, non inordinate afficiatur affectione pacem internam impediente, *neque formidet* humano vel carnali timore : de quo dicitur, Nolite timere eos qui corpus occidunt ; et Matth. x, 28. Salomon in Proverbiis, Justus quasi leo Prov. xxviii, 1. confidens, absque terrore erit. De quo rursus dicit Scriptura : Qui timet Deum Eccli. xxxiv, 16. nihil trepidabit. Est autem alius timor bonus et virtuosus, de quo in Proverbiis habetur : Beatus homo qui semper est Prov. xxviii, 14. pavidus. Apostoli autem habuerunt inordinatum timorem. Metuebant namque Judæos, ne Christum et ipsos occiderent. Admonet igitur Christus eos ad fortem et inconcussam cordis constantiam.

Cur autem ex sua passione turbari non
debeant neque pavere, subjungitur. *Au- 28*
distis quia ego dixi vobis : Vado, id est, per passionem secundum humanitatem a vobis recedo ad modicum tempus, *et venio ad vos,* id est, cito post resurrectio-

Digitized by Google

nem vos denuo visitabo. *Si diligeretis me* A dilectione pure spirituali et perfecta : qualis non est dilectio vestra ad me, sed est pro magna parte sensualis et naturalis, unde et Spiritum Sanctum non potestis recipere nisi a vobis recessero; *gauderetis utique, quia vado ad Patrem* per passionem, id est, congratularemini mihi propter glorificationem corporis quam acquiro per mortem, quoniam moriendo, mereor mox resurgere, glorificari in corpore, ad cœlos ascendere, ad Patris dextram residere. Quamvis ergo de passione B secundum se accepta, non sit gaudendum, tamen in quantum est causa tantæ felicitatis, est utique causa materiaque lætandi : et ad amicitiam pertinet, ut de bono dilecti ejusque prosperitate, cordialiter jucundemur. *Quia Pater major me est.* Hoc verbum vivificum, fuit inimico Filii Dei superbissimo Ario occasio mortis, ita ut diceret Filium Dei puram creaturam a Patre substantialiter differentem, quum tamen ex circumstantia textus apertissime pateat quod Christus hoc loco C dicat Patrem ipso majorem, secundum id quod competit sibi mori. Est igitur sensus : Gauderetis quia vado ad Patrem, quia Pater major me est secundum naturam assumptam : idcirco eundo ad eum, glorificor magis quam ante, cui glorificationi congaudere debetis. Porro, quod Filius sit Patri vere æqualis, constat ex eo quod ait Apostolus : Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. (*Philipp.* II, 6, 7.)

29 *Et nunc dixi vobis* quod mihi futurum est in passione, resurrectione et ascensione, *priusquam fiat, ut quum factum fuerit,* id est, quum verba mea videritis vere impleta, *credatis* quod ego sum Christus Filius Dei, quem me esse affirmo : quoniam nisi is essem, non possem vobis futura pure contingentia et supernaturalia quæ fieri nequeunt nisi a Deo, qualia sunt resuscitatio et glorificatio mortui, tam vere ac certe prædicere.

Jam non multa loquar vobiscum in carne ista mortali ante passionem. Cujus causa annectitur : *venit enim princeps mundi hujus,* id est diabolus dominus iniquorum, qui mundi nomine designantur. Unde de ipsis dæmonibus ait Apostolus ad Ephesios : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, contra mundi rectores tenebrarum harum. (*Ephes.* VI, 12.) Venit quippe diabolus, quia jam instigavit Judam ut traderet Jesum, (*Joann.* XIII, 2.) et principes sacerdotum ut eadem nocte facerent eum comprehendi et die sequenti occidi. (*Matth.* XXVI, 47, 50, 57.) Venit quoque (ut reor) ad tentandum Jesum, si forte esset Christus, vel ad peccandum posset induci. (*Ibid.* XXVII, 1 *et seq.*) Nondum enim diabolus certus fuit de hoc : aliter non instigasset Judæos ad Christi occisionem. Quod autem diabolus post tentationem factam in deserto, in pinnaculo et in monte, redierit ad tentandum Jesum, (*Ibid.* IV, 1 *et seq.*) elici potest ex hoc quod scriptum est apud Lucam : Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo ad tempus. (*Luc.* IV, 13.) *Et in me non habet quidquam,* id est, nihil culpæ invenit in me : de quo scriptum est per Isaiam, Iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. (*Is.* LIII, 9; I *Petr.* II, 22.) Vel, In me non habet quidquam, id est aliquid potestatis vel juris, quia nil nocumenti vel pœnæ potest mihi inferre per suos vel per se, nisi quantum ego ipse permisero, præsertim quum pœna infligatur pro culpa, et mors sit pœna peccati. (*Rom.* VI, 23.) 30

D Sed quia ex hoc dubitari posset, cur Christus pati voluerit, qui non habuit culpam, adjecit : *sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem,* id est, ideo pati 31
volo, ut innotescat hominibus quantum diligo Patrem, propter cujus honorem recuperandum mori volo pro hominum salvatione, ut redempti atque salvati laudent et honorent Patrem seu totam Trinitatem in præsenti et in futuro; *et sicut mandatum dedit mihi* secundum quod homo sum, *Pater* vel Trinitas, *sic facio.* Præce-

Digitized by Google

pit enim Deus Christo homini, ut omnia A illa faceret, prædicaret et consummaret, per quæ Deus ab æterno decrevit salvare genus humanum. Huic autem præcepto Christus ut homo plenissime atque promptissime obedivit, dicente Apostolo : Factus est obediens usque ad mortem. (Philipp. II, 8.) Hinc beatissimus Dionysius operationem Christi appellat theandricam, id est deivirilem, quoniam quidquid fecit ut homo, fecit quasi Divinitatis instrumentum.

Surgite a mensa, *eamus hinc*. Solet quæri, quorsum tunc ivit Christus cum B Apostolis. Ad quod respondent Hilarius, Beda, et alii Sancti, quod ivit ad locum in quo fuit tradendus. Sed hoc improbat Lyra, quoniam infra in principio capituli octavidecimi, habetur : Hæc quum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit Jesus et discipuli ejus. (Joann. XVIII, 1.) Et ibi captus est Jesus. (Ibid. 12.) Verum istud facile solvitur, ut dicamus quod Jesus cum discipulis surrexit a loco convivii, et ivit versus villam et hortum ubi noscitur comprehensus. Non tamen pervenit ad locum illum, nisi sermone isto (qui usque ad octavumdecimum capitulum protrahitur) consummato : quem fecit in via, vel stando, vel procedendo; et forte, nunc stando, nunc ambulando. Denique aliqui dicunt, quod Jesus videns discipulos timore mortis sic concussos quod non adverterunt sensum verborum suorum, quia erant in civitate adversariorum, etiam tempore noctis, sicque continue direxerunt oculos suos ad januam, timentes ingressum Judæorum; ideo eduxit eos ad locum securiorem, qui ignoratur. Quod non videtur multum probabile : quia ut alii referunt Evangelistæ, Petro dicente, Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo; et omnes discipuli similiter dixerunt. (Matth. XXVI, 35; Marc. XIV, 31.) Ex quo patet quod erant quasi animati ad moriendum cum magistro, quamvis postea, instante et viso periculo, succubuerint.

ARTICULUS XXXVII

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : EGO SUM VITIS VERA, ET PATER MEUS AGRICOLA EST.

1 EGO *sum vitis vera*. Christus se dicit C vitem per similitudinem, propter multa. Primo, quoniam sicut vitis habet ramos seu palmites multos, sic Christus quum sit caput Ecclesiæ, habet membra quamplurima, puta fideles, quorum collectio est mysticum corpus Christi. (Ephes. I, 22; V, 23; Coloss. I, 18.) Secundo, quoniam sicut vitis est arbor optimos fructus producens, sic Christus merito suæ conversationis et passionis, copiosissimum protulit fructum, innumerabiles salvans et convertens ad Deum, quemadmodum ad Hebræos dicit Apostolus, quod D multos filios adduxit in gloriam (Hebr. II, 10); et Psalmista, Benedicentur (inquit) in ipso omnes tribus terræ. (Ps. LXXI, 17.) Unde ad insinuandum innumerabilitatem eorum qui per Christum salvantur, qui sunt quasi botri et germina ejus, Deus Pater vel Trinitas ait ad eum per Isaiam : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas; dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ. (Is. XLIX, 6.) Tertio, quoniam sicut lignum vitis est despectum, et tamen perutile, sic Christus despectus fuit, quum esset omnium salus. (Ibid. LIII, 3. Act. IV, 12.) Et non solum Christus, sed et ipsa Ecclesia dicitur vinea, quum sit fecunda in bonis, et multos continens filios; estque boni odoris atque saporis, laudabilem famam habendo, et divina gustando, ac filios suos spiritua-

Digitized by Google

libus poculis reficiendo. Unde Isaias dicit
Is. v, 7. de Synagoga : Vinea Domini Sabaoth domus Israel est, et vir Juda germen dele-
Osee x, 1. ctabile ejus. Et in Osee : Vitis frondosa domus Israel. Unde apud Matthæum dicit
Matth. xxi, 33. Salvator : Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam, etc.

Sed quum Christus non sit vitis, nisi per similitudinem, quomodo loquitur, Ego sum vitis vera? Dicendum, quod dicitur vitis vera propter veram similitudinem, non propter veram naturæ communionem
Is. xl, 7. cum vite, sicut in Isaia inducitur : Vere fœnum est populus. Et item, ut se distinguat a prava ac sterili vinea, cui apud
Jer. ii, 21. Jeremiam Dominus protestatur : Ego te plantavi vineam electam, quomodo ergo conversa es in pravum, vinea aliena? Non enim est vitis vera, quæ talis est de qua
Is. v, 4. per Isaiam ait Dominus : Exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas. Sic ergo Christus dicitur vitis, quomodo appellatur
Joann. i, 29; *Apoc.* v, 5; I *Cor.* x, 4. agnus, leo, petra.

Porro, quum vitis et palmites sint ejusdem naturæ, ipsaque vitis sit sub agricola, indigens ejus cultura vel influentia, constat quod Christus dicat se vitem secundum naturam assumptam, secundum
Joann. xiv, 28. quam ait : Pater major me est. Secundum divinitatem vero, ipse agricola est, quemadmodum Pater : imo tota Trinitas superbenedicta et superdignissima, est unus agricola. Subdit ergo : *et Pater meus agricola est,* id est agricolæ similis : Primo, quoniam sicut agricola mittit semen in terram, et plantat arbusta; sic Deus infudit animæ Christi gratiam, quæ est quasi semen virtutum, plantavit quoque in ea omnem scientiam ac virtutem. Secundo, quoniam colit corda fidelium, ea a sentibus vitiorum purgando, per gratiam fecundando, semen verbi cœlestis in eis spargendo, et tandem in horreum patriæ introducendo. Hinc Corinthiis scribit Apo-
I *Cor.* iii, 9. stolus : Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

2 *Omnem palmitem in me non ferentem fructum,* id est omnem infructuosum fi-

A delem, qui fide informi, non caritate et bonis operibus, mihi conjungitur, unde non fert fructum in me, id est, opera bona et sancta desideria non producit in caritate et gratia mea ; *tollet,* id est, a consortio electorum separabit *eum* Pater, nunc gratiam subtrahendo seu non influendo, et in futuro gloria eum privando. Huic simile est quod Joannes Baptista as-
serit : Omnis arbor quæ non facit fructum *Matth.* iii, 10.
bonum, excidetur et in ignem mittetur. Quod si sola sterilitas condemnatur, ipsa
B iniquitatis exsecutio quantum torquebitur? Istud intelligendum est de his qui in negligentia finaliter perseverant.

Et omnem qui fert fructum, id est om-
nem fidelem qui habet fidem quæ per *Galat.* v, 6.
dilectionem operatur, et Deo obedit, ac profert fructus de quibus ad Galatas di-
cit Apostolus : Fructus Spiritus est, ca- *Ibid.* 22, 23.
ritas (id est actus caritatis), gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, mansuetudo, etc.; *purgabit eum* Pater, saltem a venialibus et a reatu præteritorum mor-
C talium, si habuit ea. In multis enim of- *Jacob.* iii, 2.
fendimus omnes; et justus septies cadit *Prov.* xxiv, 16.
in die; omnes quoque justitiæ nostræ sunt *Is.* lxiv, 6.
quasi pannus menstruatæ. Purgat etiam Deus justos in via ab habitu dissimilitudinis et minoratione perfectionis, quemadmodum juxta Dionysium, angeli inferiores dicuntur purgari per hoc quod lumen intellectuale in eis augetur seu confortatur. Purgat autem Deus diversis modis fideles, videlicet : per pœnitentiam, per lacrimarum effusionem, per adversa, vi-
D delicet per tentationes, persecutiones et infirmitates. Nec dubium quin per cari-
tatis fervorem, qui operit multitudinem I *Petr.* iv, 8.
peccatorum, continuamque in divinis diligentiam, maxime deleantur peccata quantum ad maculam et reatum. *Ut fructum plus afferat,* id est, in bonis operibus magis abundet. Nam in via Dei non proficere, est deficere. Unde oportet incessanter
agere bona, et de virtute in virtutem pro- *Ps.* lxxxiii, 8.
cedere. Sed si ita est, quid est quod multi quum cœperint agere bona, mox deci-

dunt, et non solum non purgantur, sed A
pristinam gratiam perdunt? Dicendum, quod Christus loquitur de proficientibus et electis. Vel distributio præinducta intelligenda est pro generibus singulorum, non pro singulis generum, sicut et illa
Dan. VII, 14. quæ est in Daniele : Omnes populi, tribus et linguæ servient ei.

3 *Jam vos mundi estis* a labe mortalium vitiorum, et ab incredulitatis errore, *propter sermonem*, id est audiendo et observando doctrinam evangelicam, *quem lo-*
Luc. XI, 28. *cutus sum vobis*. Beati enim qui audiunt B
verbum Dei, et custodiunt illud. Et verba Christi animam purgant, illustrant, per-
Baruch IV, 4. ficiunt. Propter quod scriptum est : Beati sumus nos, quia quæ placita sunt Deo, manifesta sunt nobis.

4 *Manete in me* per fidem et caritatem, perseverando usque in finem : quod si feceritis, *et ego* manebo *in vobis* per gratiosam inhabitationem, benignam custodiam et singularem providentiam. Nunquam enim Deus recedit a nobis, nisi primo recesserimus ab ipso. Et quum C
aversi fuerimus, invitat ut redeamus; semperque paratus est pœnitentes suscipere. Idcirco impœnitentium pravitas nullum habet excusationis colorem.

* *ferre* *Sicut palmes non potest facere* fructum*, scilicet uvas, *a semetipso, nisi manserit in vite*, non præcisus, sed humorem atque pinguedinem a stipite vitis trahens; *sic nec vos* Apostoli, nec aliquis alius, potestis in bonis et meritoriis actibus fructificare, *nisi in me manseritis* per fidem et gratiam, non innitentes propriis viri- D
bus, sed pietati et gratiæ meæ, præsertim
I *Cor.* VI, 15. quum sitis membra mea. Quemadmodum ergo si palmes vel membrum abscindatur, statim arescit, putrescit, et pristina virtute, fecunditate et operatione privatur; sic fideles, nisi Christo per caritatem inhæserint, nil possunt meritorie operari, sed peccati vetustate corrumpuntur, vitiis implicantur, tentationibus superantur.

Quum enim beatitudo hominis sit omnino supernaturalis, videlicet visio Dei per speciem, non potest intellectualis creatura ex suis naturalibus aliquid agere quod sit meritorium beatitudinis hujus, sed indiget supernaturalibus mediis, quibus ad finem hunc perducatur. In quo damnatur hæresis Pelagii, asserentis hominem propriis viribus posse justificari ac promereri. Quocontra dicit Apostolus : Fiduciam II *Cor.* III, 4, 5.
talem habemus ad Deum, non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; et iterum : Deus est qui operatur in *Philipp.* II, 13.
vobis et velle et perficere, pro bona voluntate, hoc est ex sua voluntate benigna. Hinc apud Osee perhibet Dominus : Perdi- *Osee* XIII, 9.
tio tua, o Israel, ex te; in me tantummodo auxilium tuum. Nemo ergo præsumat, nullus se jactet, vel alteri præferat, aliumve contemnat. Unde monet Apostolus : Itaque qui stat, videat ne cadat. I *Cor.* X, 12.

Ego sum vitis, vos palmites, non per 5
essentiam, sed per similitudinem, sicut ostensum est. Denique, sicut fidelis dicitur palmes et arbor, sic appellatur oliva, juxta illud Jeremiæ : Olivam uberem, pulchram, *Jer.* XI, 16.
fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum; et in Psalmo, Ego quasi *Ps.* LI, 10.
oliva fructifera in domo Dei. Hoc quoque sciendum, quod sicut palmes quamdiu manet in vite, pretiosus, speciosus ac nobilis est; si vero præcidatur, vilissimus est, ad nullum usum conveniens nisi ut comburatur, prout Dominus ait Ezechieli, Fili hominis, quid fiet de li- *Ezech.* XV, 2 *et seq.*
gno vitis? etc.; sic Christianus quamdiu manet in Christo per caritatem et gratiam, cunctis rite gentibus præfertur dignitate et merito. Quid enim Christiano tali felicius, cui regna sunt parata cœlorum, qui Christo incorporatus est et deificatus in eo? Si vero se avertat a Christo, et evangelicæ legis obedientiam deserat, fit prorsus contemptibilis atque vilissimus. Hinc Christianorum dignitatem insinuans Petrus : Vos (inquit) genus electum, re- I *Petr.* II, 9.
gale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. De aversis autem et recidivantibus ait, vilitatem eorum declarans :

II Petr. II, 22; Prov. XXVI, 11. Contigit illis illud veri proverbii, Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti.

Qui manet in me, modo jam dicto, cujus videlicet intellectus mihi unitur per fidem, voluntas per dilectionem, memoria per stabilitatem, *et ego in eo* permaneo, conservando dona gratiæ meæ in anima ejus; *hic fert fructum multum,* id est, in operibus bonis abundat, et crescit in gratia. Quemadmodum enim caput influit membris vitam et motum, et sicut vitis suis palmitibus influit pinguedinem et humorem; sic Christus fidelibus influit vitam gratiæ et motum actionum sanctarum, humorem recepta dona alentem, itemque charismatum divinorum pinguedinem. Unde orat Psalmista : Sicut adipe (Ps. LXII, 6.) et pinguedine repleatur anima mea. *Quia sine me,* id est sine gratia mea gratum faciente, *nihil* meritorium *potestis facere.* Propter quod dicit Apostolus : Gratia Dei (I Cor. XV, 10.) sum id quod sum; et, Omnia possum in (Philipp. IV, 13.) eo qui me confortat. Hinc apud Jeremiam legitur : Scio, Domine, quia non est (Jer. X, 23.) hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos. Nemo ergo sibi ipsi blandiatur, vel in se ipso glorietur, (Ibid. IX, 23, 24. I Cor. IV, 7.) quum nil habet boni a se, et hoc ipsum quod habet, nec ad momentum potest servare, nisi conservetur a Christo. Denique ipsa prima mentis ad Deum conversio, Dei donum est, et a Deo. Propter quod Jeremias precatur : Converte nos, (Thren. V, 21.) Domine, ad te, et convertemur.

6 *Si quis in me,* id est in fide, caritate et obedientia mea, *non manserit, mittetur foras,* id est, ab electorum grege segregabitur, nunc, voto et merito, et in futuro, loco et præmio, atque in tenebras (Matth. VIII, 12; XXII, 13; XXV, 30.) exteriores mittetur, quemadmodum scriptum est : Tollatur impius, ne videat gloriam Dei; (Is. XXVI, 10, juxta LXX.) *sicut palmes* inutilis; *et arescet* per sterilitatem ab opere bono, id est, humore gratiæ roreque gloriæ destituetur; nec erit tanquam lignum quod plantatum (Ps. I, 3; Jer. XVII, 8.) est juxta decursus aquarum, sed sicut arbor quæ aruit, quoniam non habebat humorem. *Et colligent,* id est, reprobis adunabunt *eum* angeli sancti exsecutores divini judicii : de quibus scriptum est, In consummatione sæculi exibunt angeli, (Matth. XIII, 49, 50.) et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. Ideo subditur : *et in ignem mittent,* id est, in ignem infernalem projicient eum, quum dixerit Judex : Ite, maledicti, in ignem (Ibid. XXV, 41.) æternum. Istud quoque particulariter adimpletur in morte singulorum. De quo igne ait Præcursor apud Lucam : Paleas (Luc. III, 17.) comburet igne inexstinguibili. Isaias quoque ait : Vermis eorum non morietur, et (Is. LXVI, 24.) ignis eorum non exstinguetur. *Et ardet.* Cur non ait, Et ardebit? Quod si dixisset, verum dixisset; sed verbo præsentis temporis usus est, quoniam id quod fiet, Deo præsentialiter constat, et in ejus præscientia jam fit, quod in exsecutione futurum est. Ardebit ergo, et non consumetur; optabit mortem, et æternaliter punietur, quemadmodum in Apocalypsi dicitur : Cruciabitur iniquus igne et sulfure in (Apoc. XIV, 10.) conspectu angelorum sanctorum et Agni, et fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum; et Psalmista, Cadent (Ps. CXXXIX, 11.) super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.

Si manseritis in me, conformando voluntatem vestram voluntati meæ per caritatem et obedientiam veram, *et verba mea in vobis manserint* per jugem memoriam et stabilem verborum adimpletionem; *quodcumque volueritis petetis,* id est, quidquid placuerit animæ vestræ postulabitis a Patre vel a me, *et fiet,* id est dabitur, *vobis,* dummodo orando maneatis in me, orando vere salubria, prout mihi est placitum, orando quoque instanter. Sed quoniam justi non exaudiuntur semper pro aliis, quamvis petant salubriter et instanter pro illis, ideo ait, Fiet vobis : quia non semper fit aliis, eo quod ponant gratiæ obicem. 7

In hoc clarificatus est Pater meus, id est, in hoc Patris cœlestis honor consistit et gloria, non ob suam indigentiam, sed 8

ad nostram utilitatem, *ut fructum plurimum afferatis,* id est, multa opera meritoria perpetretis, aliosque convertatis ad Deum, ut sint filii vestri in Christo renati. In fructificatione ergo et optima conversatione fidelium glorificatur Deus, quoniam honoratur in eis, ejusque majestas et sanctitas in tali conversatione relucet : et tales Deus ad gloriam suam creavit,
Is. xliii, 7. secundum quod ait apud Isaiam, Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum. *Et efficiamini mei discipuli,* credendo et obediendo, nec solum servando præcepta, sed etiam adimplendo consilia : et in hoc consistit glorifica-
Joann. v, 23. tio Patris. Qui enim honorificat Filium, honorificat Patrem.

9 *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.* Pater diligit Filium secundum utramque ejus naturam : quia secundum naturam divinam, diligit eum tam perfecte et fervide sicut se ipsum, videlicet amore immenso; secundum naturam vero assumptam, diligit eum amore præcipuo, magis videlicet quam cuncta simul creata. Amare quippe est alicui bonum velle. Majus autem bonum voluit et dedit Deus Christo homini, quam toti universo, utpote personalem unionem cum Verbo. Christus quoque diligit nos secundum utramque suam naturam : quia ut Deus, diligit nos amore æterno, non tamen immenso, sed ampliori quam aliqua pura creatura diligit aliam ; porro, ut homo, diligit nos amore creato, infuso, valde ardenti atque
I Joann. iii, 16. præcipuo, quoniam animam suam posuit pro nobis, et tantum nostram concupivit salutem, quod ad eam retulit quidquid fecit aut pertulit. Quemadmodum itaque Pater diligit Filium, sic Filius diligit nos : quoniam ut amor Patris ad Filium est gratuitus, sic amor Filii ad nos gratuitus est. Rursus, quemadmodum Pater diligit Filium ut hominem, sic Filius diligit nos : sic enim Pater diligit Filium, volendo ei felicitatem æternam ; Filius quoque nos amat ad idem. Iterum, sicut Pater diligit
Rom. viii, 32. Filium, non tamen pepercit ei, sed manibus impiorum tradidit eum ; sic Filius diligit suos fideles, non tamen parcit eis, sed quanto sunt cariores, tanto pluribus tribulationibus illos exercet, prout Sapiens ait, Tanquam aurum in fornace probavit Sap. iii, 6.
electos ; et Judith, Omnes qui placuerunt Judith viii, 23.
Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Propterea non debemus in adversitatibus contristari, sed juxta Jacobi documentum, omne gaudium æstimare, quum Jacob. i, 2.
in diversas tentationes incidimus. Hinc nempe in Proverbiis Salomon loquitur : Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, Prov. iii, 11, 12.
et ne deficias quum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corrigit, et quasi pater in filio complacet sibi.

Manete in dilectione mea, quæ est animæ vita : in qua perseverandum est jugiter, quoniam sola perseverantia coronatur; Matth. x, 22; xxiv, 13.
nec aliquid præferendum aut comparandum est divino amori, sed Deus præ creaturis amandus est in infinitum. Idcirco, secundum doctores, potius deberet homo mortem corporalem subire, quam unum veniale committere. Quam autem beatum et sanctum sit in divina dilectione manere, patet ex verbo Joannis in sua Canonica : Deus caritas est, et qui I Joann. iv, 16.
manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.

Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea : et tamdiu in dilectione manemus, quamdiu obedimus. 10
Quemadmodum enim observatio præceptorum procedit ex caritate, sic conservat eamdem, quoniam operatio perficit habitum, gratiamque meretur majorem, qua habitus caritatis confortatur. *Sicut et ego præcepta Patris mei servavi,* secundum quod homo sum. Nam quæ placita sunt Joann. viii, 29.
illi facio semper ; et quidquid jussit mihi per inspirationem facere pro hominum salvatione, feci hucusque, eroque ei obediens usque ad mortem. *Et maneo in ejus* Philipp. ii, 8.
dilectione plenissima, quia plus diligo eum quam omnes electi.

Hæc moralia documenta *locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit,* id 11

Digitized by Google

est, spiritualiter gaudeatis in Deo quemadmodum ego. Vel, Ut gaudium meum in vobis sit, id est, beatitudo et gloria mea vobis communicetur in patria : prout
II Tim. II, 12; Rom. VIII, 17. Apostolus dicit, Si compatimur, et conregnabimus. Vel, Ut gaudium meum in vobis sit, id est, ut ego de vobis quasi
Ps. CXLIX, 4. de bonis filiis glorier, quia beneplacitum
II Esdr. VIII, 10. est Domino in populo suo, et gaudium Domini est fortitudo vestra. Quod non est sic intelligendum, quasi gaudium Dei aut Christi ex nobis augeatur; sed quod Deus vel Christus in se delectetur, propter se ipsum approbans bonum nostrum, et gaudendo in nobis, gaudium suum infundens ac tribuens nobis. *Et gaudium vestrum,* id est spiritualis consolatio quam habetis in via, *impleatur* in patria : juxta illud,
Ps. XVI, 15. Satiabor quum apparuerit gloria tua; et,
Ps. XV, 11. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Nec enim aliud implet nostri intellectus capacitatem et sciendi aviditatem, nisi veritas prima immensa per speciem cognita; aliud quoque non implet nostræ voluntatis desiderium, nisi bonitas summa et infinita, per fruitionem possessa. Patet ergo quod finis nostræ creationis est gaudium plenum, tamque exuberans et perfectum, ut eo adepto, majus non cupiatur.

12 *Hoc est præceptum meum,* id est præceptum præcipuum, quod specialiter recolo, et diligenter servari volo, *ut diligatis invicem* dilectione divina, infusa et spirituali, *sicut dilexi vos,* id est ordinate ad adipiscendum vitam æternam, et item ferventer atque stabiliter. Nullus tamen diligere potest æqualiter Christo. Qui autem sic diligit proximos, propter nullam injuriam ad odium concitatur, nec ob alicujus rei temporalis damnum sibi illatum caritatem relinquit, quum ejus amissio sit maximum damnum. Quamvis ergo multa sint Christi præcepta, et præceptum
Matth. XXII, 37, 38. diligendi Deum sit primum et maximum; tamen de præcepto mutuæ dilectionis proximorum ait Salvator, Hoc est præceptum meum, quoniam dilectio proximi includit dilectionem Dei, quum Deus sit causa et finis diligendi proximos. Et teste Apostolo : Qui diligit proximum, legem implevit. Nam : Non adulterabis, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Rom. XIII, 8, 9; Exod. XX, 14-16; Lev. XIX, 18.

Deinde Christus ostendit quæ sit summa dilectio proximi, et quomodo aliquis diligit proximos sicut Christus dilexit nos.
Majorem hac dilectionem nemo habet, ut 13
animam suam, id est vitam corporalem aut se totum, *ponat,* id est, morti corporali exponat, *quis pro amicis suis.* Vita enim est maxime appetibilis atque amabilis; mors autem est omnium horribilium horribilissimum. Ideo vitam propriam contemnere mortemque subire pro proximorum salute, est maximæ caritatis effectus ac signum. Quum enim sint quatuor ex caritate amanda, quorum unum alio exstat præstantius, scilicet Deus, anima propria, proximus, et proprium corpus; ideo propter Deum despicienda et exponenda sunt alia tria, et proprium corpus pro proximo. Verumtamen nemo debet animam suam spirituali morti exponere, vel ejus salutem postponere propter proximorum profectum aut felicitatem : quamvis opera bona non debita, sint sæpe omittenda ad vitandum scandalum pusillorum. Unde apud Matthæum Dominus ait : Quid prodest homini, si uni- Matth. XVI, 26.
versum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua? Hanc autem dilectionem habuit Christus, qui pro suorum electorum salute mori ex caritate dignatus est.

Sed videtur quod pro amicis animam ponere non sit dilectio maxima, quoniam pro inimicis mori majus censetur. Rursus videtur Christus passus pro inimicis. Quorum utrumque patet ex his quæ ad Romanos dicit Apostolus : Commendat au- Rom. V, 8-10.
tem caritatem suam in nobis Deus, quoniam quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, et quum

adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Dicendum, quod quicumque pro alio moritur, maxime diligit illum, quamvis odio habeatur ab eo : et sic est amicus ejus ex parte sui, quoniam diligit eum. Sicque loquitur Christus, ut per amicum intelligatur quilibet proximus dilectus, quamvis non diligens. Vel dicendum, quod dilectio qua quis animam ponit pro inimico, non est major quam illa qua moritur pro amico, quantum ad interiorem affectum, quum inimicus non sit amico plus diligendus, quamvis major appareat seu evidentius ostendatur in effectu. Ad secundum dicendum, quod pro omnibus, amicis et inimicis, et reprobis et electis, occisus est Christus, eosque redemit sufficienter, seu quantum in se fuit; pro solis vero electis efficaciter, qui fructum dominicæ passionis consequuntur : qui licet fuerint inimici secundum præsentem Dei justitiam et propriam culpam, erant tamen amici secundum æternam prædestinationem.

14 *Vos amici mei,* id est mihi dilecti et dilectores mei, *estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis,* ut non solum amicos, sed et inimicos in me et propter me cordialiter diligatis, optando eis, saltem in generali, bona animæ. Impletio enim præceptorum, est amicitiæ certum indicium.

15 *Jam non dicam vos servos,* servitute
I Joann. IV, 18. procedente ex timore servili, quem perfecta caritas mittit foras. Non enim servitis timore pœnæ, sed amore justitiæ atque intuitu gloriæ. Ad hanc servitutem pertinet quod dictum est octavo capitu-
Joann. VIII, 35. lo : Servus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Verum omnes electi et virtuosi, sunt servi servitute procedente ex timore casto et filiali, qui caritatem consequitur, vel ex ipsa caritate. Ad quam servitutem perti-
Matth. XXV, 21, 23. net illud Matthæi : Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium domini tui. Hic servus, est amicus et filius. De illa prima servitute atque timore servili scribit Apo-
A stolus ad Romanos : Non accepistis spi- Rom. VIII, 15.
ritum servitutis iterum in timore ; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). De hac servitute caritativa et sancto timore, Dominus ait apud Isaiam : Ecce servi mei lau- Is. LXV, 14.
dabunt præ exsultatione cordis ; et alibi, Ad quem respiciam, nisi ad trementem Ibid. LXVI, 2.
sermones meos ? Cur autem Apostoli non dicantur servi, subjungitur : *quia servus* servitute timoris servilis, *nescit quid faciat dominus ejus,* id est secretiora facta
B domini sui. Hoc nempe videmus quotidie, quod homines in potestate et dominio constituti, non revelant servis qui puri servi sunt, sua secreta ; servis tamen fidelibus, quorum probitatem experti sunt, committunt panduntque secreta. Tales etenim servi non sunt puri servi, sed aliquid de proprietate filiorum participant, quum amorosi sint ad dominos suos. Unde in Ecclesiastico dicitur : Servus fidelis sit Eccli. XXXIII, 31.
tibi quasi anima tua ; et alibi, Servus sa- Prov. XVII, 2.
piens dominabitur filiis stultis.

C *Vos autem dixi amicos* Dei et mei, hoc est dilectos, familiares et communicantes bonis nostris, *quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Certum est quod Christus quando hæc dixit, nondum patefecit Apostolis omnia quæ audivit a Patre, quum infra testetur : Multa Joann. XVI, 12.
habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Augustinus ergo exponit hæc verba per modum propheticæ denuntiationis, ut ponatur præteritum pro futuro, et sit sensus : Omnia illa nota feci, id
D est, notificabo vobis in patria, quando I Cor. XIII, 10.
venerit quod perfectum est, et evacuabitur quod ex parte est. Tunc enim videbimus Deum per speciem, et in illo cetera omnia conspiciemus. Porro superius dictum est sæpius, quomodo Christo secundum utramque naturam conveniat audire seu audivisse a Patre.

Quod autem nulla pura creatura omnia noscat quæ Christus cognoscit, vel a Patre audivit secundum quod Deus, certissimum est. Sic enim cognoscit actualiter infini-

Digitized by Google

ta, imo et infinities infinita. Rursus, nulla intellectualis creatura citra Christum, cognoscit distincte et particulariter omnia quæ Christus ut homo, quia quæcumque cognoscit Verbum notitia visionis, cognoscit anima Christi. Itaque, quod ait, Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis, intelligendum est, non de omnibus absolute, sed de omnibus quæ Christus a Patre audivit notificanda esse discipulis secundum exigentiam status eorum, et secundum utilitatem Ecclesiæ. Juxta quem modum scriptum est in pri-
I Joann. II, 27, 20. ma Joannis Canonica : Non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed unctio docet vos de omnibus, et nostis omnia. Talis namque distributio accommoda frequens est in Scripturis, ut quum ait Psal-
Ps. XXXIII, 10, 11. *Sap.* VII, 11. mista : Nihil deest timentibus Deum. Et in libro Sapientiæ legitur, Venerunt mihi omnia bona simul cum illa, puta cum sapientia : et tamen pauca sunt omnia bo-
Matth. XXV, 21, 23. na vitæ præsentis, juxta illud, Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te
I Cor. I, 5, 7. constituam. Sic quoque ait Apostolus : In omnibus divites facti estis in Christo, ita ut nihil desit vobis in ulla gratia.

16 *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Sive intelligatur hoc de electione æterna, quæ est prædestinatio, qua Christus secundum naturam divinam quosdam ab æterno elegit, sive de electione temporali, qua Christus in mundo conversans, quosdam ad gratiam et apostolatum vocavit : verum est quod ipse nos elegit
I Joann. IV, 10. antequam eum elegimus, sicut et nos dilexit antequam eum dileximus. Elegit ergo Apostolos ceterosque salvandos, id est, ex sua liberalitate præ ceteris ordinavit eos ad vitam æternam, et de gratia ad hoc necessaria ipsis providit. Quosdam quoque ex multitudine discipulorum suorum elegit in Apostolos. Ex quo sequitur quod gratia Dei non est ex meritis præviis. Nec ideo Deus quemquam elegit, quoniam vidit illum se electurum, quum nemo pos-

A sit Christum meritorie eligere sine prævia fide, quæ est donum Dei, et mentis suæ aversione a rebus caducis ejusque conversione ad Deum, quod non fit sine gratia speciali et gratum faciente. Propter quod frequenter orat Psalmista : Domine *Ps.* LXXIX, 4, 8, 20; LXXXIV, 5.
Deus, converte nos. Et Apostolus ad Ephesios : Gratia salvati estis per fidem; et *Ephes.* II, 8, 9.
hoc, non ex operibus, Dei enim donum est, ne quis glorietur. Itemque ad Titum : Apparuit benignitas et humanitas Salva- *Tit.* III, 4, 5.
toris nostri Dei; non ex operibus justitiæ B quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

Et posui, id est, ad hoc institui atque paravi, *vos, ut eatis* per totum mundum, *et fructum afferatis,* id est, spirituales filios generetis, baptizando, docendo, ædificando, quatenus impleatur quod dictum est : In omnem terram exivit sonus eo- *Ps.* XVIII, 5.
rum. *Et fructus vester maneat,* id est, Ecclesia per vos conversa atque in Christo renata, usque in finem sæculi perseveret, et deinde ad æternam hereditatem pertin- C gat. — Vel spiritualiter sic : *Posui vos* in vita præsenti, in via hujus exsilii, in corpore isto mortali, *ut eatis* de bono in melius, de fide in opus, de statu animali ad spiritualem, *et fructum afferatis,* id est, tanquam bona arbor fecundi sitis in actibus virtuosis : juxta illud in Psalmo, Justus ut palma florebit; et illud Osee, *Ps.* XCI, 13.
Israel germinabit sicut lilium; *et fructus* *Osee* XIV, 6.
vester maneat, id est, æterna mercede præmietur. Opera enim illorum sequuntur il- *Apoc.* XIV, 13.
los. — *Ut quodcumque* vere expediens et D salubre, *petieritis Patrem* meum *in nomine meo* instanter, *det vobis.* Superius dixit : Quodcumque petieritis Patrem in *Joann.* XIV, 13, 14.
nomine meo, hoc faciam. Hic dicit : Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Ex quo concluditur, quod Pater et Filius sunt idem dator gratiarum, unusque auditor precum nostrarum, et per consequens unus Deus. Quorum enim una est operatio, eadem est natura.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXVIII

EXPLANATIO SEQUENTIS PARTIS HUJUS CAPITULI QUINTIDECIMI, AB EO LOCO : HÆC MANDO VOBIS, UT DILIGATIS INVICEM.

FREQUENTER magister unitatis, totius caritatis exemplar, Dominus Jesus, suos discipulos, et sub illorum persona totam Ecclesiam, provocat ad caritatem fraternam, propter rationes præmemoratas.
17 *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* (I *Joann.* II, 10.) Qui enim diligit fratrem suum, in lumine permanet.

18 *Si mundus,* id est homo mundanus et impius, vel congregatio talium, *vos odit,* imo, quia sic est : nunc enim odiunt vos adversarii mei, Scribæ et Pharisæi, et post meam ascensionem, quum prædicare cœperitis, magis vos odient; deinde principes terræ et multi gentilium odio vos habebunt. Unde apud Matthæum ait Salvator : (*Matth.* XXIV, 9.) Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. *Scitote,* ad consolationem vestram, et ut servetis patientiam, *quoniam me priorem vobis odio habuit.* Hoc dupliciter legi potest. Primo sic : Me priorem, qui prior ac major sum vobis, odio habuit. Unde superius dixit Salvator : (*Joann.* VII, 7.) Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo quoniam opera ejus mala sunt; et in Psalmo, (*Ps.* LXVIII, 5.) Multiplicati sunt, inquit, super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Secundo sic : Me priorem vobis, id est me prius quam vos, odio habuit mundus, id est populus iste Judaicus carnalis ac reprobus. Nam ex odio quo odit me, concepit rancorem adversum vos.

19 *Si de mundo fuissetis,* id est, per imitationem culpæ ad societatem sæcularium hominum pertineretis, et illis in vita conformes essetis, *mundus quod suum erat diligeret,* hoc est, tunc isti terrenorum amatores vos amarent carnali et vitioso amore, tanquam aliquid sui, et quasi ad eamdem perditionis massam, seu idem corpus diaboli, pertinentes. Similitudo enim est causa amoris, et omne animal diligit sibi simile : (*Eccli.* XIII, 19.) sicque amatores mundi amant suos amatores. Verumtamen non est sic intelligendum, quod quilibet mundanus amet quemcumque mundanum, præsertim quum inter superbos semper sint jurgia, (*Prov.* XIII, 10.) et filii hujus sæculi jugiter contra se dimicent eo quod unus habeat quod appetit alter. Sed mundanus amat mundanum sibi convenientem. Et quamvis similitudo sit per se causa amoris, per accidens tamen est causa rancoris.

Quia vero de mundo non estis, id est, ad gregem reproborum non pertinetis, *sed ego elegi vos de mundo,* hoc est, a mundanis et vanis hominibus vos gratiose et pie separavi, *propterea odit vos mundus,* tanquam sibi dissimiles, et suis desideriis contrariantes. Verumtamen non omnes mundani odiunt bonos. Videmus quippe, quod multi sæcularium libenter conversantur cum devotis, et eleemosynas eis communicant, nec tamen corrigunt vitam. Christus ergo loquitur de hominibus prorsus mundanis, in quibus ratio penitus excæcatur, et induratur voluntas in tantum, ut odiant Religionem, et quidquid religiosum adspexerint quasi supervacuum judicent. De talibus dicit Joannes : (I *Joann.* III, 1.) Propterea mundus non novit nos, quia non novit Deum. Et iterum ait Joannes : (*Ibid.* 13.14.) Nolite mirari si odit vos mundus; nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam.

20 *Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis* (ut ait Joannes) : (*Joann.* XIII, 16.) *Non est servus ma-*

Digitized by Google

ior domino suo. Hoc Christus commemo- A
rat, ut discipuli omnesque Christiani ex-
emplo Christi discant pati adversa, et in
omni tribulatione gaudere. Propter quod
Petrus hortatur in prima sua epistola :
I Petr. iv, 14. Si exprobramini in nomine Christi, bea-
Ibid. 13. ti eritis; et deinde, Communicantes Chri-
sti passionibus, gaudete, ut in revelatione
gloriæ ejus gaudeatis. Non ergo se putet
regnaturum cum Christo, qui jam non
vult odio haberi et tribulari a mundo. *Si,*
pro quia, *me persecuti sunt* Judæi verbis
Joann. x, 20. et factis, dicentes, Insanit, dæmonium ha- B
Matth. ix, 3; Joann. x, 36. bet, blasphemat; et nunc me præcipita-
re, nunc lapidare volentes; *et vos perse-*
Luc. iv, 29. *quentur*. Hoc patet impletum in Actibus
Joann. viii, 59; x, 31. Apostolorum, quomodo clauserunt et fla-
Act. v, 18, 40. gellaverunt Apostolos. *Si sermonem meum*
servaverunt, et vestrum servabunt : id
est, sicut prædicationem meam spreve-
runt, quia nec credere nec obedire vole-
bant, sic vestram despicient pro majori
parte. Quamvis enim nonnulli Judæorum
per Christum, et multi per Apostolos sint
conversi, tamen comparatione aliorum, C
quasi nulli fuerunt. Propter quod ait Chri-
Is. xlix, 5. stus per Isaiam : Hæc dicit Dominus ad
me, ut reducam Jacob ad eum, et Israel
Osee vii, 15, 16. non congregabitur. Osee quoque : Ego,
inquit, erudivi eos, et in me cogitaverunt
malitiam; reversi sunt ut essent absque
jugo.

21 *Sed hæc omnia facient vobis,* id est,
odio vos habebunt, persequentur, sermo-
nem vestrum despicient, *propter nomen*
meum exstinguendum, id est, ut fidem et
famam meam exstinguant : juxta illud Je- D
Jer. xi, 19. remiæ, Nomen ejus non memoretur ultra.
Vel, Propter nomen meum, quasi ob cau-
sam meritoriam tantæ persecutionis, id
est propter fidem, confessionem et præ-
dicationem nominis mei. *Quia nesciunt*
eum qui misit me, id est Deum Patrem.
Quamvis enim Divinitatis unitatem agno-
Ps. lxxv, 2. verunt, secundum illud Psalmi, Notus in
Judæa Deus, non tamen cognoverunt Per-
sonarum trinitatem, nec Patrem sub pro-
prietate relativa. Sed nec Deum cognove-
runt formata notitia, de qua dicit Joan-
nes : Qui se dicit nosse Deum, et mandata I Joann. ii, 4.
ejus non custodit, mendax est. Hæc vero
ignorantia nequaquam excusat, quum sit
affectata et juris; atque ex odio emana-
vit. Sæpe enim prædicavit eis Christus de
Patre cœlesti, sed noluerunt attendere.
Similiter gentiles Christianorum persecu-
tores non excusantur per nescientiam,
quoniam prædicatores Christi pertinaciter
repulerunt, et a veritate averterunt au- II Tim. iv,
res quasi aspides surdæ. 4; Ps. lviii, 5.

Si non venissem in propria persona per 22
incarnationis mysterium ad Judæos, pro-
ut prænuntiaverunt Prophetæ, *et locutus*
eis non *fuissem* proprio ore, *peccatum*
non haberent tam enorme ac multiplex
ut nunc. Itaque dicendo, Peccatum non
haberent, non abnegat cetera peccata, sed
peccatorum tam grandem enormitatem :
quemadmodum supra dixit de cæco, Ne- Joann. ix, 3.
que hic peccavit, neque parentes ejus.
Augustinus tamen exponit sic : Pecca-
tum, id est infidelitatis culpam, quæ est
magnum valde et virtualiter omne pec-
catum, non haberent. Christus enim fuit
eis specialiter repromissus : idcirco non
poterunt de perfidia Christi redargui, nisi
Christo eis misso atque locuto. *Nunc au-*
tem excusationem non habent de peccato
suo, id est infidelitate et ceteris excessi-
bus in me commissis, quoniam tot visis
miraculis, et Prophetarum scripturis tam
evidenter impletis, credere contempserunt
ex sua malitia, quæ eorum animas obnu-
bilavit. Propterea venit super eos ira Dei Ephes. v, 6.
usque in finem, secundum Apostolum.
Qui me odit, et Patrem meum odit, quo- 23
niam Patris et Filii est una essentia, una
voluntas, unaque veritas. Qui igitur odit
Christum propter opera ejus ac documen-
ta, odit et Patrem, cujus sunt opera illa
et documenta, quemadmodum Filii. Imo,
qui non credit in Filio, mendacem facit I Joann. v, 10.
Patrem.

Insuper adhuc ostendit Christus gravi-
tatem et inexcusabilitatem peccati Judæo-
rum. *Si opera non fecissem in eis,* hoc 24

est supernaturalia facta omnem creatam potestatem transcendentia, *quæ nemo alius fecit,* id est tam magna et multa, quanta et qualia nullus præcedentium Prophetarum vel Patriarcharum peregit. Quamvis enim quidam illorum magna fecerint, [Cf. in IV Reg. II, 9.] scilicet Moyses, Josue, Elias et Eliseus, non tamen comparari queunt Christo, qui [Matth. XIV, 19-21.] de quinque panibus duobusque piscibus, quinque millia satiavit, [Ibid. XV, 34-38.] de septem quoque panibus ac paucis pisciculis quatuor millia; [Joann. IX, 1, 6, 7.] qui cæcum a nativitate illustravit, [Ibid. XI, 17, 39, 43, 44.] quatriduanum mortuum reduxit ad vitam, [Matth. XIV, 25.] super pelagi undas transivit, et alia innumerabilia fecit prodigia; [Ibid. XXVII, 45.] in cujus passione supernaturaliter eclipsatus est sol, et luna solitum cursum vehementer mutavit; [Ibid. 52, 53.] cum quo multa Sanctorum qui dormierant corpora surrexerunt, et venientes in sanctam civitatem, apparuerunt multis. *Peccatum non haberent. Nunc autem et viderunt* me præsentem, quem exspectabant futurum, et opera mea miraculosa : [Is. XXX, 20.] sicut Isaias prædixit, Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum; *et oderunt me, et Patrem meum.* Me enim voluerunt et volunt occidere, Patrisque æterni honorem et cultum auferre. Cur autem Deus permiserit tantum malum, et quid boni consecutum sit illud, subjungitur.

25 *Sed ut* (dictio ista, *ut,* sumitur jam concomitanter, non causaliter) *adimpleatur sermo* propheticus *qui in lege eorum,* scilicet in libro Psalmorum, in psalmo qui [Ps. LXVIII, 2.] incipit, Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ : qui psalmus ad litteram scriptus est de Christi passione et Judæorum excæcatione; *scriptus est* (hic sumitur lex, pro tota veteris Testamenti [Ibid. 5.] Scriptura) : *Quia odio habuerunt me gratis* dupliciter : Primo, quoniam sine rationabili causa oderunt me. Ego enim multa [Joann. X, 32.] beneficia contuli eis, sed retribuerunt [Ps. XXXIV, 12. Ps. CVIII, 5.] mihi mala pro bonis, odium pro dilectione, persecutionem pro liberatione, mortem pro veritatis testificatione. Secundo, quoniam ex hoc quod me oderunt, nullum consecuti sunt commodum, sed maximum [A] detrimentum. Illud autem gratis oditur, ex cujus odio nullum emolumentum acquiritur. Unde et Jeremias prædixit : Attende, Domine, et audi voces adversariorum meorum, numquid redditur pro bono malum? [Jer. XVIII, 19, 20.] Porro in psalmo præallegato sic scriptum est : Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis. [Ps. LXVIII, 5.] Idem quoque habetur in psalmo in quo legitur : Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et annuunt oculis. [Ps. XXXIV, 19.] Ex quo in expositione libri Psalmorum probavi, quod [B] psalmus ille cujus exordium est, Judica, Domine, nocentes me, [Ibid. 1.] sit ad litteram exponendus de Christo. Lyra vero exponit eum litteraliter de David. Et tamen hoc loco dicit Christum allegare scripturam hujus psalmi : quo dato, psalmus iste exponendus est ad litteram de Christo, quum probatio non valeat, nisi ex sensu litterali, secundum Augustinum. Illi ergo oderunt me gratis, quasi non sim Christus, sed seductor.

26 [C] *Quum autem venerit,* non locum mutando, sed in signo visibili, de novo operando, et maximam gratiam infundendo, *Paracletus,* hoc est consolator Spiritus Sanctus, qui spem veniæ imprimendo lætificat pœnitentem, et divinorum sapidam cognitionem præstando exhilarat contemplantem, *quem ego mittam vobis a Patre,* dando et influendo mentibus vestris munera ejus : imo et ipsum, juxta illud Apostoli, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui [Rom. V, 5.] [D] datus est nobis. Porro, per quod Christus asseruit, Quem ego mittam vobis, ostendit quod Spiritus Sanctus ab ipso procedat. Non enim uni divinarum Personarum competit dare vel mittere aliam secundum naturam divinam, nisi ratione originis seu auctoritatis ad illam : ideo nunquam legitur Pater missus a Filio vel Spiritu Sancto, sed econtra. Non itaque congrueret Filio mittere Spiritum Sanctum, nisi esset in Filio auctoritas respectu Spiritus Sancti, videlicet, nisi a Filio

Digitized by Google

emanaret. Quod vero adjecit, *a Patre,* accipi potest dupliciter. Primo sic : Quem mittam vobis a Patre, quasi a fonte de quo profluit Spiritus Sanctus, vel quem procedentem a Patre mittam vobis. Secundo sic : Quem mittam vobis a Patre, hoc est virtute divina quam suscepi a Patre, a quo habeo quod Spiritus Sanctus procedit a me processione æterna, et mittitur a me missione temporali.

Spiritum veritatis, hoc est Spiritum
Joann. XIV, 6; I Cor. I, 24. meum, qui sum veritas et sapientia Patris. Dicit enim Apostolus de Spiritu Sancto ad Romanos : Si quis Spiritum Christi (Rom. VIII, 9.) non habet, hic non est ejus. Vel Spiritum qui est examen et doctor totius veritatis. *Qui a Patre procedit.* Hoc addit Salvator, ne putaremus quod a Filio dumtaxat procederet Spiritus Sanctus, eo quod dixit : Quem ego mittam vobis. Procedit ergo a Patre et Filio, non quasi a distinctis personis, sed in quantum sunt unum in natura et voluntate. Est namque Spiritus Sanctus amor. Amor vero est germen atque processio voluntatis. Quemadmodum ergo mundus creatus est a tribus Personis, non in quantum sunt distincta supposita, sed ut sunt unus Deus, in essentia atque potentia indistinctæ, ita quod tres Personæ sunt unus Creator; sic Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio per id in quo idem sunt, scilicet per voluntatem. Propter quod sunt unus spirator, unus fons unumque principium Spiritus Sancti.

Ille testimonium perhibebit de me per opera sua miraculosa. Hoc in die sancto Pentecostes constat impletum. Per hoc siquidem quod Spiritus Sanctus infudit formidolosis illis idiotis rudibusque discipulis (Act. IV, 13.), invincibilem fortissimamque constantiam, divinarum Scripturarum copiosam notitiam, omnium quoque linguarum notitiam, aperte monstravit quod Jesus, pro cujus honore hoc factum fuit, esset verus Christus. Unde tam forte testimonium perhibuit Christo Spiritus Sanctus, quod multi qui ante crucifixionem eum

A oderunt, post, viso prædicto opere Spiritus Sancti, compuncti sunt corde, et conversi ad Christum, quemadmodum in Actibus Apostolorum plenius recitatur, ubi legitur : Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. (Act. II, 4, 6, 12.) Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est. Stupebant autem omnes, et mirabantur ad invicem dicentes : Quidnam vult hoc esse? Et post pauca : His auditis, compuncti sunt corde, et (Ibid. 37.) dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apo-
B stolos : Quid faciemus, viri fratres ?

Et vos testimonium perhibebitis de me, 27
virtute Spiritus Sancti efficaciter prædicando. Unde in Actibus probat Petrus in (Ibid. 16, 17.) hac missione Spiritus Sancti impletam esse prophetiam Joelis, per quem Dominus ait : Effundam de spiritu meo super omnem carnem. (Joel II, 28.) Hinc Petrus et Joannes, qui in passione fugerunt, accensi Spiritu Sancto, principibus sacerdotum Christi te- (Matth. XXVI, 56.) stificationem perhibentibus, cum ingenti auctoritate dixerunt : Obedire oportet Deo (Act. V, 29.)
C magis quam hominibus ; non enim possumus quæ audivimus et vidimus non loqui. (Ibid. IV, 20.) *Quia ab initio mecum estis,* id est, ab exordio prædicationis meæ vel conversionis vestræ ad me, mihi inseparabiliter adhæsistis : propter quod estis idonei testes, quasi certissimi de re gesta, et digni estis recipere gratiam testificandi de me. Hinc apud Lucam Christus ait Apostolis : Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. (Luc. XXII, 28.) Joannes quoque in principio primæ suæ Canonicæ, certitudinem
D apostolicæ prædicationis insinuans, ita exorsus est : Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et (I Joann. I, 1, 3.) manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ, quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis.

Hæc de adventu Spiritus Sancti, et ceteris multis, *locutus sum vobis, ut non* 1 (cap. XVI.)
scandalizemini, id est, ne tempore persecutionis cadatis per impatientiam vel infirmitatem, cedendo tormentis. Per prædicta enim confirmavit eos in fide, fu-

Digitized by Google

turaque mala seu adversa prædixit, atque A exemplo sui discipulos ad patientiam incitavit : quæ omnia præservant a scandalizatione, quia et jacula prævisa minus lædunt, et qui ante persecutionem sagaciter pensat quanta sint tribulationum fructus, merces atque utilitas, cum omni alacritate ipsas amplectitur, eo quod purgent a culpa, disponant ad gratiam, Christo conforment, ab æternis pœnis eripiant, purgatorii pœnas abbrevient, et ad gloriam introducant cœlestem.

2 *Absque synagogis facient vos,* id est, B infideles Judæi a societate sua et communione, ac materialibus suis synagogis, vos repellent tanquam excommunicatos et hæreticos. Hoc in Actibus Apostolorum

Act.xiii,50. legitur adimpletum in Paulo et Barnaba. *Sed venit hora,* id est, tempus propinquat et prope est, *ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo,* id est rem Deo placitam facere. Si hoc quod ait, Deo, intelligatur de Deo vero, locus iste de solis Judæis persecutoribus discipulorum Christi erit intelligendus. Sola C enim plebs Judæorum habuit veri Dei notitiam. Infideles ergo Judæi, quoniam Jesum pro seductore et ejus discipulos pro hypocritis tenuerunt, quasi sub specie boni vellent cultum Dei Israel impedire, legem destruere, homines ad pseudochristum convertere, ideo æstimabant occisionem discipulorum esse sacrificium Deo. Si vero quod ait, Arbitretur obsequium se præstare Deo, intelligatur de quocumque deo persecutorum, intelligi potest hic locus communiter, quia qui- D cumque tyranni et æmuli fidei christianæ occiderunt discipulos Christi, putabant se suo deo rem gratissimam facere.

Quæritur, quum dicat Ambrosius, Intentio imprimit speciem operi tuo; estque commune dictum, Si finis sive intentio bona sit, opus est bonum : quomodo persecutores Apostolorum, qui persequendo eos putabant se obsequi Deo, et ei honorem facere intendebant, non excusantur a culpa. Dicendum, quod verbum Ambrosii intelligendum est de intentione operi correspondente, non de intentione operantis dumtaxat. Quemadmodum ergo non excusatur qui hostem occidit ut vivat pacifice, sic non excusantur prædicti. Porro commune dictum, intelligendum est de fine proportionato, non extorto et abusivo. Hinc patet error periculumque multorum delinquentium, qui quædam illicita perpetrantes, excusant se, dicentes, Nil mali intendimus, quum tamen opus eorum sit tale ut bono fine fieri nequeat, loquendo de fine proportionato ac proprio.

Et hæc mala *facient vobis, quia non noverunt Patrem* secundum proprietatem relativam. Non enim noverunt generationem æternam, vel emanationem divinarum Personarum ad intra. Vel, Non noverunt Patrem notitia salutari, quæ caritate ornatur, et obedientia comprobatur. *Neque me* Unigenitum Patris, secundum naturam meam divinam et propriam ; vel, Neque me, secundum naturam humanam ut a Verbo assumptam, quamvis facie tenus noscant me. Qui enim ignorat Patrem, et Filium nescit, quum Pater et Filius sint correlativa, quorum unum definitur per reliquum. Hæc tamen ignorantia non eos excusat, quum fuerit affectata et juris, procedens ex obstinatione vel perversitate qua veritatem recipere contempserunt. Hæc dicta sunt sæpe : idcirco illa prætereo. 3

Sed hæc de vestra futura persecutione *locutus sum vobis,* præmuniendo vos contra mala futura, *ut quum venerit hora eorum,* id est tempus persecutorum, quo vos aggredientur, *reminiscamini quia,* id est quod, *ego dixi vobis* ista antequam facta sunt, hocque recolendo confirmemini in fide, et talia non velut inopinata et improvisa vos obruant, sed tanquam diu præcognita æquanimiter tolerentur. 4

Hæc autem vobis ab initio quo mecum conversari cœpistis, *non dixi.* Quod Salvator dicit, Hæc vobis, etc., non est referendum ad immediate præcedentia, sci- 5

Digitized by Google

licet ad prænuntiationem persecutionum, quia ut alii Evangelistæ testantur, Christus *Matth.* x, 17, 18, 21, 22; xxiv, 9, 10; *Marc.* xiii, 9, 12; *Luc.* xxi, 12, 16, 17. *Joann.* xv, 26. diu ante hoc tempus, prædixit Apostolis sui ipsius ac ipsorum multiplicem persecutionem futuram; sed referendum est, secundum Augustinum, ad ea quæ paulo ante præmisit de adventu et consolatione Spiritus Sancti. De talibus enim nunc primo edocuit eos. Cujus subditur causa : A *quia vobiscum eram* per corporalem sensibilemque præsentiam, ex qua magnam consolationem habuistis, et adeo magnam, sed sensualem partim et imperfectam, quod spiritualis consolationis non fuistis capaces, nec vobis tam necessaria [fuit] ut modo : ideo nunc ista retuli vobis, quatenus de meo corporali recessu seu passione non nimium doleatis.

ARTICULUS XXXIX

EXPOSITIO CAPITULI SEXTIDECIMI : ET NUNC VADO AD EUM QUI ME MISIT.

ADHUC Christus fons pietatis, compassionis amator, condolens mœstissimis suis discipulis, consolatur eos de corporali suo recessu, eo quod hoc ipsum expediat eis. *Et nunc vado,* id est, per passionem et ascensionem revertor secundum *Philipp.* ii, 7. formam servi quam indui, *ad eum qui me misit,* hoc est ad Patrem cœlestem, adipiscendo beatitudinem pleniorem quantum ad præmium accidentale, videlicet corporis glorificationem, in cœlestibus mansionem, ad Patris dexteram consessionem. Et quamvis Christus ut homo non redierit motu locali ad Patrem, qui vere ubique est, tamen ad locum in quo Pater specialiter esse asseritur, reversus est motu *Ephes.* iv, 10. locali, ascendendo super omnes cœlos. Porro quod ait, Vado, ideo dicit, quia in proximo fuit ut rediret ad Patrem. Quædam tamen restabant, videlicet occisio pro mundi salute, et resurrectio; sed Christus ante passionem interdum sic loquitur, quasi jam talia fuissent completa, eo quod in proximo erant complenda.

Et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Supra capitulo tertiodecimo, in hujus sermonis exordio, legitur Petrus Jesum quæsisse : Domine, quo vadis ? Et *Joann.* xiii, 36. sequenti ibi capitulo, locutus est Thomas : *Ibid.* xiv, 5. Domine, nescimus quo vadis. Quomodo B ergo nunc Veritas dicit, Nemo ex vobis interrogat me, etc. ? Ad quod respondetur dupliciter : Primo, secundum Augustinum, quod hæc verba Christi ad tempus ascensionis sunt referenda, ut sit sensus : Vado, id est, prope est ut ascendam, ad eum qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me, hoc est, tunc nullus vestrum inquiret quo pergam, quia tam manifeste ascendam ad cœlos, quod non erit dubium vel quæstio quo ascendam. Videntibus enim illis elevatus est, et nubes *Act.* i, 9. C suscepit eum ab oculis eorum. Secundo, dicendum quod in principio hujus sermonis, aliqui (ut dictum est) sciscitabantur Jesum quo iret. Sed postea egressi *Joann.* xiv, 31. sunt de loco cœnaculi, et Christo cœptum sermonem continuante in alio loco, ibique dicente, Vado ad eum qui me misit, nullus Apostolorum interrogavit quo iret. Et hoc fuit ex magnitudine admirationis, timoris atque mœstitiæ, propter ea quæ audierunt a Christo, videlicet, quod omnis *Ibid.* xvi, 2. qui interficeret eos, arbitraretur se D obsequium Deo præstare, etc. Obmutuerunt itaque vehementer attoniti. Quam dejectionem eorum Christus quodammodo exprobrando : Nemo (inquit) ex vobis interrogat, etc.

Sed quia hæc de vestris futuris per- 6

Digitized by Google

secutionibus, et recessu meo corporali a
vobis, *locutus sum vobis, tristitia* aliqua-
liter indiscreta ac immoderata *implevit*
cor vestrum, quod ex sua imperfectione
nondum vere paratum est ad sustinenda
mundi adversa, neque me diligit dilecti-
one pure spirituali, sed partim sensuali :
unde et corporalem præsentiam nimium
cupitis, quam Præcursor, tanquam vir
perfectus, non curavit. Non enim legitur
Christum corporaliter assecutus, quoniam
Joann. vi, 64. caro non prodest quidquam.

Præterea, per hoc quod ait, Tristitia
implevit cor vestrum, innuit quod vehe-
mentissime tristabantur : ideo eos beni-
Ibid. xiv,6. gnissime consolatur. *Sed ego* qui sum
7 veritas increata, *veritatem* proportionalem
dico vobis. Expedit vobis, id est, anima-
bus vestris salubre est, tanquam disposi-
tivum ad vestram sempiternam salutem,
ut ego vadam ad Patrem (modo præindu-
cto). *Si enim non abiero, Paracletus non*
veniet ad vos in tanta plenitudine, atque
Act. ii, 1-4. in signo visibili, ut in die Pentecostes.
Joann. xiii, 10; xv, 3. Jam tamen Apostoli quibus dixit, Vos
mundi estis, habebant Paracletum, secun-
dum quod requiritur ad salutem. *Si autem*
abiero, mittam eum ad vos, id est, co-
piosissima dona ejus vobis infundam. Cur
autem Spiritus Sanctus hoc modo mit-
tendus non fuit nisi post Christi ascen-
sionem, præhabitum est, scilicet, quia
Apostoli Christum aliqualiter sensualiter
diligebant quamdiu cum ipso corporaliter
conversabantur, quia revera etiam in na-
turalibus pulcherrimus atque dulcissimus
homo fuit, et valde affectuose, suaviter
ac humiliter habuit se ad Apostolos, quasi
sponsus ad filios suos. Quantum autem
affectio hominis habet de carnalitate, tan-
tum impedit de Spiritus Sancti recepti-
one. Hinc Paulus perfectionem sortitus,
Christumque purissime amans ac specu-
II Cor. v,16. lans : Et si novimus (inquit) Christum
secundum carnem, tamen nunc jam non
novimus. Secundo, quoniam Spiritus San-
cti tam eximia plenitudo danda non fuit,
nisi reconciliatis per passionem domini-

A cam. Tertio, quoniàm Christus rex no-
ster, tam excellenter dona distribuere non
debebat, nisi quum reversus fuit ad pa-
triam suam, et sedit in sede regni sui.
Quarto, quoniam membra tanta gratia ad-
ornanda non erant, nisi ipso capite glori-
ficato. Propter quod dictum est : Spiritus Joann. vii, 39.
nondum erat datus, quia Jesus nondum
erat glorificatus.

Et quum venerit, id est, postquam Spi- 8
ritus Sanctus vobis cum tanta plenitudi-
ne fuerit datus, ita quod abstulerit vobis
B omnem inordinatam formidinem, atque
infuderit veram animi libertatem, incon-
cussam constantiam, justitiæ tenacitatem,
et fervidam Dei ac proximi dilectionem :
quod totum factum est in die Penteco-
stes ; *ille arguet mundum,* id est, per
vestram prædicationem increpabit mun-
danos et reprobos, *de peccato* infidelita-
tis quod habuerunt, *et de justitia* quam
omiserunt, id est de contemptu et omis-
sione justitiæ. Justitia nempe non incre-
pationem, sed laudem meretur ; verum
C omissio et contemptus justitiæ meretur
redargui. *Et de judicio* eorum temera-
rio, vel de judicio divino, quod non timu-
erunt. Arguet ergo mundum de judicio,
id est de temeritate suæ præsumptionis,
qua non timuerunt divinum judicium.
Erant enim mundani homines his tribus
vitiis specialiter implicati, quoniam in-
fideles, injusti, et temerarii exstiterunt.

Deinde Christus verba sua exponit. *De* 9
peccato quidem arguet Spiritus Sanctus
mundum, *quia non crediderunt* amatores
D mundi *in me,* primo Judæi, deinde qui-
dam gentilium, quum tamen tanta signa
a me vel a vobis fieri conspexissent :
propter quod sunt inexcusabiles. — *De* 10
justitia vero omissa ab eis arguet eos,
quia ad Patrem vado : propter quod mihi
glorificato et super omnes cœlos exaltato,
magis quam ante obedire debuerant, quum
vidissent atque audissent sufficientia fi-
dei argumenta de mea ascensione. Post
ascensionem enim, per Apostolos demon-
stravit Deus Trinitas hominibus excellen-

Digitized by Google

Matth. xxviii, 18. tiam Christi, videlicet, quod data ei esset A
omnis potestas in cœlo et in terra, et
Act. iv, 12. quod non esset in aliquo alio salus : id-
eo obediendum fuit ipsius præceptis. Vel
sic : Arguet mundum de justitia Christi,
quam non acceptaverunt iniqui, quia ego
ad Patrem vado : per quod patet justitia
mea, videlicet quod dicta Prophetarum
verificavi, Patri in omnibus obedivi, ir-
reprehensibiliter vixi. Ideo acceptanda et
imitanda fuit justitia mea, videlicet justa
conversatio mea. Tertio sic : Arguet mun-
dum de justitia credentium, præsertim B
Apostolorum : id est, comparatione justi-
tiæ fidelium magis damnabiles erunt, et
ideo arguentur quod justitiam credenti-
um non sunt secuti ; quia ego ad Patrem
vado, id est, in vestro conspectu ascen-
do : propterea imitari debebant justitiam
fidei vestræ. Omnes expositiones istæ vi-
dentur satis redire in idem. *Et jam non
videbitis me* ad tempus, nec eo modo ut
nunc, scilicet in carne mortali, nec tam
infrequenter et continuate ut ante, quando
conversatus sum inter vos. C

11 *De judicio autem* discretionis, quod
abjecerunt, vel divinæ discussionis, quod
non timuerunt, arguet eos, *quia princeps
hujus mundi,* id est diabolus cum satel-
litibus suis mundanis hominibus præva-
lens ac dominans, *jam judicatus est,* id
est reprobatus atque damnatus a me, et
item de corde fidelium electorum eje-
ctus. Et hoc judicium homines debuerunt
attendere cum vera discretione, itemque
diabolo tanquam ejecto et victo fortiter
reluctari, divini quoque judicii rigorem D
ac potestatem vereri, eo quod Deus prin-
Luc. xi, 21. cipem hujus mundi tam potentem, for-
Job xli, 25, 24. tem armatum, regem filiorum superbiæ,
cujus potestati non est potestas aliqua
super terram comparabilis, tam districte
damnaverit : ex quo patet quod fragiles
imbecillesque homines facillime possit
damnare. Et utique, si pensemus quam
horrende et festinanter Deus a principio
Is. xiv, 12-14. principem dæmonum cum suis fautori-
bus dejecit et condemnavit, propter unum

cogitationis tumorem, valde timere debe-
mus divinæ justitiæ judicialem rigorem.
Hinc enim Petrus habet : Si Deus pec- II Petr. ii, 4, 9.
cantibus angelis non pepercit, sed ru-
dentibus inferni detractos, in tartarum
tradidit cruciandos, novit Dominus ini-
quos in diem judicii cruciandos servare.
Denique, licet diabolus a principio suæ
ruinæ sit judicatus, et in fine sæculi quo-
dammodo judicandus, specialiter tamen
judicatus fuit a Christo conversante in
mundo : qui quum tentaretur, dixit dia-
bolo, Vade retro, Satana ; et alias, Si for- Matth. iv, 10.
tior illo supervenerit, universa vasa ejus Luc. xi, 22;
diripiet ; rursusque, Nunc princeps hujus Matth. xii, 29.
mundi ejicietur foras. Joann. xii, 31.

Adhuc multa de credendis et obser-
vandis, de mysteriis Christi et Ecclesiæ, 12
de statu sæculi futuri consummationeque
mundi, *habeo vobis,* quasi futuris totius
mundi doctoribus, *dicere,* ut possitis et
alios informare ; *sed non potestis* omnia
illa *portare* in corde, id est capere, in-
telligere, retinere, *modo :* quoniam inqui-
eti, tristes et pavidi estis. Passiones enim
quum fuerint vehementes, actum ratio-
nis multum impediunt. Unde anima qui-
escendo fit prudens. Et Job ait : Neque Job ix, 35.
possum metuens respondere. Ideo quo-
que non poterant capere, quoniam car-
nales et rudes fuerunt et impræparati.
Quum autem venerit ille Spiritus veri- 13
tatis, docebit vos omnem veritatem, non
simpliciter omnem, sed omnem de qua
nunc loquor, videlicet omnia quæ habeo
vobis dicere ad vestram salutem atque
Ecclesiæ instructionem, quomodo dixi (ca-
pitulo præcedenti) : Omnia quæcumque Joann. xv, 15.
audivi a Patre meo, nota feci vobis. Hoc
fuit in die Pentecostes impletum, quando
Spiritus Domini replevit primitivam Ec- Act. ii, 4
clesiam in omnibus ad ipsam spectan-
tibus.

Deinceps Christus ostendit cur Spiritus
Sanctus sit ad instruendum tam perfecte
idoneus. *Non enim loquetur a semetipso,*
hoc est, non vos illuminabit per allocu-
tionem internam, virtute aut scientia non

recepta, sed sibi a Patre communicata, ita quod locutio ejus erit tam vera sicut locutio Patris, vel potius eadem numero cum locutione Patris, eo quod operatio Trinitatis sit indivisa. Itaque Spiritus Sanctus non loquetur a semetipso, quia non est a semetipso, sed potestatem atque scientiam, imo quidquid habet et est, recepit a Patre et Filio, tanquam ab uno principio. *Sed quæcumque audiet, loquetur.* Verba hæc sanum ac sobrium exigunt intellectum. Quum enim Spiritus Sanctus sit verus Deus, et per consequens infinitam plenitudinem scientiæ habens a Patre et Filio, non est opinandum quod revelavit alicui hominum absolute omnia quæcumque audivit, hoc est, per spirationem passivam seu procedendo cognovit a Patre et Filio. Rursus, quum Spiritus Sanctus sit Deus, et per consequens simplex et penitus immaterialis, non est putandum quod aliquid corporaliter audiat. Iterum, quum sit Deus æternus, non est arbitrandum quod aliquid auditurus sit, auditurusve fuerit in futuro. Est igitur sensus : *Quæcumque* vobis necessaria seu utilia ad informationem Ecclesiæ *audiet,* id est, se per æternam processionem cognovisse ostendet. Vel, Audiet, id est, in æternitatis momento omne tempus includente audit, seu spirando cognoscit. Quum enim processio Spiritus Sancti sit æterna, per verba omnium temporum explicatur, quoniam omne tempus comprehendit æternitas. *Loquetur,* id est, cordibus vestris inspirabit locutione interna : de qua ait Propheta, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; et Job, Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit.

Ps. LXXXIV, 9. *Job* XXXIII, 14.

Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ex quo constat quod Apostoli erant prophetæ, imo summi prophetæ : quod maxime patet in evangelista Joanne, qui in Apocalypsi describit totum militantis Ecclesiæ processum, a tempore Apostolorum usque in finem mundi. Prædixit quoque Spiritus Sanctus Apostolis futura quæ erant pro Christo passuri, itemque præmia quæ fuerant sortituri : sed et ceteris credentibus nuntiavit futura gaudia electorum atque supplicia reproborum.

14 *Ille me clarificabit,* hoc est, Spiritus Sanctus per vestra documenta atque miracula me clarum, gloriosum et sanctum esse ostendet, dando hominibus veram notitiam de me secundum utramque naturam. Tanta enim gratia decoravit Spiritus Sanctus Apostolos, quod per eos totus pene mundus conversus est, et Christi claritatem novit ac honoravit. *Quia de meo accipiet,* id est, essentiam et sapientiam a me procedendo habet. Sic enim de Spiritu Sancto per modum futuri ait, Accipiet, quum tamen ab æterno susceperit a Filio quidquid habet et est, sicut jam paulo ante prædixit, Quæcumque audiet : quia quum Sancti Spiritus processio sit æterna, per verba omnium temporum designatur. Græci dicunt, quod Christus idcirco non ait, De me accipiet, sed, De meo, quia Spiritus Sanctus non procedit a Persona Filii, sed ab eo quod est Filii, puta de substantia Patris, quæ communicata est Filio. Hoc autem confingunt, quoniam in verbis sequentibus Christus probat quod Spiritus Sanctus a se vere procedit. *Et annuntiabit vobis* futura, et cetera nunc commemorata.

15 *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt,* non solum per fruitionem, ut dixerunt hæretici, sed et per substantialem identitatem, continentiamque realem, hoc est, totam suam essentiam, potestatem et perfectionem Pater mihi communicavit. Imo quidquid convenit Patri, competit Filio, sola relatione, seu proprietate notionali in qua distinguuntur, excepta : ideo virtus spirativa communicata est et competit Filio. *Propterea dixi : Quia de meo accipiet,* hoc est de plenitudine divinitatis meæ, seu de me procedit. Quasi dicat : Quum in Patre et in me sit una essentia, una voluntas unaque virtus, quemadmodum Spiritus Sanctus procedit a Patre, sic et a me, quoniam id per quod

competit Patri spirare, est in me : sicut A
tres Personæ sunt unus Creator, quoni-
am id per quod competit Patri creare,
est in Filio et Spiritu Sancto, nec aliud
obstat. Porro Spiritus Sanctus est amor,
ideo procedit a voluntate. Voluntas au-
tem in Patre et Filio est una numero. De
hac materia multa inducit Anselmus in
libro de Processione Spiritus Sancti. *Et
annuntiabit vobis* quæ dicta sunt, per se
vel per angelos sanctos.
16 *Modicum, et jam non videbitis me :* id
est, pauco tempore tollar a vestro adspe- B
ctu, videlicet ab hora comprehensionis
jam imminentis, usque ad diem resurre-
ctionis, in quo vobis denuo apparebo;
et iterum modicum, et videbitis me : hoc
est, prædicto tempore passionis ac se-
pulturæ meæ completo, rursus modico
tempore ero vobiscum corporali præsen-
Act. I, 3. tia, scilicet a die resurrectionis usque ad
ascensionem. Propter quod subditur : *quia
vado ad Patrem,* id est, cœlos mox as-
cendam, ubi Deus Pater specialiter esse
ac habitare asseritur : ideo videbitis me, C
sed non diu, corporali intuitu. Vel sic :
Quia ad Patrem vado, id est, per passio-
nem tendo ad plenam glorificationem :
ideo modico tempore non videbitis me.
17 *Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad
invicem.* Per hoc quod Evangelista ait,
Ex discipulis ejus, videtur innuere quod
non omnes Apostoli, sed quidam eorum,
dixerunt quæ subsequuntur : et puto quod
illi qui tardioris erant ingenii, præsertim
quum verba hæc Christi sint multum ad
intelligendum facilia. *Quid est hoc quod* D
*dicit nobis, Modicum, et non videbitis
me, et iterum modicum, et videbitis me,*
18 *et, Quia vado ad Patrem? Dicebant er-
go : Quid est hoc quod dicit nobis, Mo-
dicum?* id est, quid intelligit dicendo no-
bis, Modicum, cum additione oppositorum?
quasi dicant : Videtur contrarietas esse
in verbis ejus. *Nescimus quid loquitur.*
Forsitan ex reverentia Christi vel timore,
non audebant Christum interrogare, sed
inter se quasi secrete conferebant, et con-
quirebant si forte unus eorum posset sa-
tisfacere alteri. Verum, quum hoc non pos-
sent, decreverunt interrogare Magistrum :
qui sciens secreta cordis eorum, prævenit
eosdem, quemadmodum subditur. *Cogno-* 19
*vit autem Jesus quia volebant eum in-
terrogare.* Christus, non solum ut Deus,
sed insuper ut homo, cognovit universo-
rum cordium abdita, et quidquid in tota
creatura unquam fuit, est, aut erit. *Et
dixit eis : De hoc quæritis inter vos,
quia dixi : Modicum, et non videbitis
me; et iterum modicum, et videbitis me:*
id est, horum verborum intellectum inve-
stigatis. Ad quod Christus respondet :
Amen, amen dico vobis, quia plorabi- 20
tis et flebitis vos, id est, intus et foris
plangetis illo modico tempore quo non
videbor a vobis. Tanquam dicat : Per id
quod dixi, Modicum, et non videbitis me,
significo tempus passionis meæ et sepul-
turæ. *Mundus autem gaudebit,* id est,
mundani Judæi, sacerdotes, Scribæ et Pha-
risæi gloriabuntur de mea occisione et
sepultura, militumque custodia, quasi cer-
ti de hoc, quod resurrecturus non esset,
qui tanto lapide fuerat clausus, militibus- Matth.
que vallatus. Unde fertur in Psalmo : Ad- xxvii, 60; Marc. xvi,
versum me lætati sunt et convenerunt, 4.
congregata sunt super me flagella. *Vos* Matth. xxvii, 66.
autem contristabimini triduo mortis meæ, Ps. xxxiv,
propter meam occisionem, vestram a me 15.
separationem et desolationem inhonestam-
que fugam. Hæc tristitia non fuit illicita,
quamvis quantum ad aliquid fuerit inor-
dinata, videlicet, quia de corporali recessu
Christi nimis dolebant, nec ejus passio-
nem considerabant quasi salutem mundi
atque introitum vitæ æternæ. *Sed tristitia
vestra vertetur in gaudium,* id est, præ-
dicto mœrori succedet consolatio magna
in die resurrectionis et deinceps, quum
apparuero vobis. Gaudium quoque infeli- Joann. xx,
cium Judæorum cito versum est in mœ- 20.
rorem et luctum, quoniam vehementer
doluerunt et erubuerunt, quando in die
Pentecostes et postea cœperunt Apostoli
in nomine Christi tam insuperabiliter præ- Act. II-IV.

Digitized by Google

dicare, tot millia Judæorum convertere, tanta quoque prodigia operari. Postea a Romanis dejecti sunt penitus; tandemque in æternam prolapsi sunt pœnam.

Denique, non solum Apostoli, sed cuncti electi nunc in hoc mundo plorant et flent, amore dilecti super omnia Jesu Christi, item præ desiderio exsistendi cum Deo, et ex gloriæ dilatione; propria in-
Ps. xli, 4. super et aliena deflent peccata. Et ita sunt
Ps. vi, 7. eis lacrimæ panes die ac nocte; et lavant cum David per singulas noctes lectum suum. Mundus vero, videlicet reprobi, mo-
Prov. ii, 14. do gloriatur quum malefecerit; ducunt in
Job xxi, 13. bonis dies suos, et in puncto descendunt
Luc. vi, 25. in infernum. Quibus ait Salvator : Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis et flebitis. Electorum quoque tristitia cito in gaudium convertetur, juxta quod dicunt in
Ps. lxv, 12. Psalmo : Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Hinc scri-
Tob. iii, 22. ptum est : Post tempestatem tranquillum facis, et post fletum exsultationem infun-
Nahum i, 7. dis. Et Nahum primo : Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. Magis ergo optemus nunc cum electis utiliter contristari et plangere, quam cum mundo inaniter jucundari
Eccle. vii, 3. intimorataque mente ridere. Melius enim est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.

Præterea adducit Christus exemplum ad hoc quod dixit discipulos contristandos
21 et cito lætificandos. *Mulier quum parit, tristitiam habet* ex dolore qui instat, *quia venit hora ejus ; quum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ,* id est pœnæ ac tristitiæ præcedentis, quoniam non attendit nec curat ea, *propter gaudium,* id est præ gaudio concepto ex hoc, *quia natus est homo,* id est filius, *in mundum.* Magis enim solet pariens ex-
22 sultare nato filio, quam filia. *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis* de meo recessu et passione ; *iterum autem* post resurrectionem *videbo vos,* ita quod simul a vobis videbor, *et gaudebit cor vestrum,* mihi congratulando, et de propria consolatione ac salvatione lætando : quemadmodum infra habetur, Gavisi sunt discipuli viso Domino. Joann. xx, 20.

Moraliter, mulier est Ecclesia, vel anima fidelis : quæ quum parit, id est, opera pœnitentiæ facit, vel aliorum conversioni intendit, tristitiam habet de suis et alienis peccatis, et propter labores et afflictiones vitæ præsentis, prout Apostolus
testatur : Nullam requiem habuit caro no- II Cor. vii, 5; i, 8.
stra sed supra modum gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere. Quum autem pepererit puerum, id est, aliquem ad Christum converterit, vel ad regnum cœlorum præmiserit, vel opus bonum perduxerit ad perfectionem, vel se ipsam perfecte reformaverit ad Christi imitationem, jam non meminit pressuræ præhabitæ, propter gaudium fructus consecuti, quoniam natus est homo, id est per gratiam reformatus, spiritualem vitam sortitus, vel esse gloriæ sempiternæ adeptus. Unde Paulus filiis suis quos spiritualiter peperit, scri-
bens : Quæ est (inquit) gloria nostra? non- I Thess. ii, 19.
ne vos? — Potest quoque moralitas ista referri ad primitivam Ecclesiam, collectionem videlicet Apostolorum : quæ tunc peperit cum tristitia, quando de Christi passione ingemuit ; postquam vero pepererat puerum, id est, flendo et ejulando Christi purissimi præsentiam fuit adepta, non meminit prioris tristitiæ propter gaudium quod habebat, quia natus est homo in mundum, id est, Christus ad immortalem vitam fuerat suscitatus, et mundo exhibitus.

Et gaudium vestrum spirituale *nemo tollet a vobis,* quia non solum in prosperis, sed etiam in adversis gaudebitis : sic-
ut in Actibus dicitur, quod ibant gauden- Act. v, 41.
tes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam
pati ; et Apostolus, Quasi tristes, semper II Cor. vi, 10.
autem gaudentes. Verumtamen Christus ideo dicit hoc, quoniam gaudium Apostolorum omniumque devotorum fidelium, licet in hac vita interdum interrumpatur, et mœrori commisceatur, non tamen au-

Digitized by Google

fertur omnino, sed cito post hanc vitam A perficitur, atque internam stabilitatem sortitur.

23 *Et in illo die me non interrogabitis quidquam.* Si per hoc quod ait, In illo die, intelligatur totum tempus a resurrectione usque ad ascensionem, non videtur posse salvari hoc verbum. Nam inter diem resurrectionis et ascensionem dominicam, Apostoli interrogaverunt : quia et
Joann. xxi, 21. Petrus dixit ad Christum de Joanne, Domine, hic autem quid? quando Christus apparuit eis ad mare Tiberiadis. In ascen- B
Act. i, 6. sione quoque, qui convenerant interrogabant, dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Si autem textus dicatur habere, Et in illo die me non *rogabitis* quidquam, rursus instanti-
vers. 26. am patitur, quia paulo post dicitur : In illo die in nomine meo petetis. Nec dubium quin inter resurrectionem et ascensionem Apostoli deprecati sint Patrem in nomine Christi. Si vero quod ait, In illo die, referatur ad diem determinatum, probabile videri potest quod aliquo certo C die quo Christus eis apparuit, non eum interrogaverunt. Nam et Evangelistæ non referunt Apostolos interrogasse Christum, nisi quod apud Joannem legitur Petrus interrogasse, et disciputi in Actibus Apostolorum. Secundum hoc, sensus esset : In illo die tantam illuminationem vel certitudinem dabo vobis de mea resurrectione, quod non erit necesse aliquid interrogare. Quidam vero referunt ad diem æternitatis, in quo gaudium electorum consummatur, nec aliquid ultra molestiæ patitur. Tunc enim Beati nihil interrogant, neque rogant, quantum ad ea quæ ad essentiale præmium pertinent. Orant tamen pro aliis; et de quibusdam operibus Dei, unus alium, et omnes Christum interrogare possunt, quemadmodum Christo ascendente, angeli inter se conquirebant : Quis est iste qui venit de Edom? *Is.* lxiii, 1.
Et, Quis est iste rex gloriæ? Christum *Ps.* xxiii, 8, 10.
quoque interrogabant : Quare ergo rubrum est indumentum tuum? etc., secun- *Is.* lxiii, 2.
dum quod Dionysius et Hieronymus verba Isaiæ exponunt.

ARTICULUS XL

EXPOSITIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI SEXTIDECIMI : AMEN, AMEN DICO VOBIS, SI QUID PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO, DABIT VOBIS.

AMEN, *amen dico vobis, si quid* salubre et decens *petieritis* instanter et pro vobis *Patrem* cœlestem *in nomine* D
1 *Tim.* ii, 5. *meo,* id est per me Dei ac hominum mediatorem, per virtutem passionis meæ, et merita omnium quæ pro humana salute assumpsi, feci ac pertuli, per incarnationem, conversationem, obedientiam, patientiam meam; *dabit vobis :* et si non statim, tamen tempore opportuno; vel si non id quod petitis, tamen aliquid melius.

Ad exaudibilitatem nempe orationis, ut dictum est, hæc tria requiruntur atque sufficiunt : Primo, ut vere salutaria requirantur. Unde secundum Damascenum, oratio est petitio decentium a Deo. Secundo, ut indesinenter cum plena fiducia oret quis, dicente Apostolo : Sine intermissi- 1 *Thess.* v, 17.
one orate; et Jacobus : Postulet (inquit) *Jacob.* i, 6.
in fide, nihil hæsitans. Tertio, ut oret pro se. Quod dico, non quasi non sit orandum pro aliis, quum Jacobus dicat, Orate *Ibid.* v, 16.
pro invicem, ut salvemini; sed quia oratio, etiam justi, quamvis salutaris atque assidua, interdum non exauditur pro aliis, propter indignitatem et incapacitatem eorum, quoniam indesinenter obicem ponunt gratiæ Dei. Propter quod Dominus

Digitized by Google

ait ad Jeremiam de populo Judæorum pra- A
Jer. xv, 1. vissimo : Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.

Oremus ergo cum omni reverentia Deum Patrem per unicum Filium ejus, certissimi quod exaudiet nos ultra et amplius quam meremur, quum sit nostræ salutis amator. Si consideremus quanta Pater fecit pro nobis, quantum dilexit nos, quanta beneficia contulit, quanta promissa spopondit, dubitare nequaquam poterimus quin libentissime preces nostras susci- B
piat. Sed omnino decens et justum est, ut cum cordis custodia, cum ingenti diligentia, cum puritate mentis et stabilitate Dominum majestatis oremus, ne quem orando mitigare studemus, impie conversando exacerbemus. Verumtamen hoc implere, maximo eget labore ad refrenandum animi evagationem. Propter quod abbas Agathon dixit : Non est labor sicut orare Deum. Itaque quantumcumque videmur a Deo repelli, non exaudiri, non adspici, nullatenus desperemus, nec fran- C
gatur spes nostra; sed veritatem Scripturæ pensantes, sciamus sperantem in Domino non posse repelli. Ideo dicit Psalmi-
Ps. civ, 3, 4. sta : Lætetur cor quærentium Dominum ; quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper.

24 *Usque modo non petistis quidquam in*
Joann. xiv, 8. *nomine meo.* Supra oravit Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Porro, ut in aliis Evangelistis invenitur, discipuli ante hanc cœnam multa saluberrima deprecati sunt Christum, D
Luc. xvii, 5. dicendo : Adauge nobis fidem. Filii quo-
Matth. xx, 21. que Zebedæi petierunt, ut unus eorum ad dexteram Christi, aliusque ad sinistram sederet in regno. Orationem quoque dominicam legerunt frequenter. Quomodo ergo hucusque nil petierunt in nomine Christi? Dicendum, quod nullus petit in nomine Christi, nisi Christum vere cognoscat, eumque Salvatorem esse perpendat. Apostoli autem hucusque nullam fidei stabilitatem habuerunt de Christi divinitate et de ceteris ejus mysteriis. Præterea Christus non negat se exoratum ab Apostolis, sed quod nil petierunt Patrem in nomine suo, quia non recte senserunt de Christo in omnibus, præsertim quantum ad ejus divinitatem.

Petite in nomine meo indesinenter, *et accipietis* quod petitis. Omnis enim qui *Matth.* vii, 8.
petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Hinc fertur in Psalmo :
Sperent in te qui noverunt nomen tuum, *Ps.* ix, 11.
quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. Sic veraciter est. Si nosceremus nomen Dei nostri, id est, formatam, expertam et illuminatam notitiam de eo haberemus, nullatenus diffideremus, nec fatigaremur aut cessaremus, scientes suæ bonitatis abyssum, suæ misericordiæ pelagus, suæ caritatis ardorem. Hoc itaque postuletis, *ut gaudium vestrum* spirituale, quod post resurrectionem habituri estis de me, *sit plenum,* id est, perficiatur in patria, ut gaudeatis de me, non solum secundum quod homo sum, passus pro vobis, sed insuper ut Deus creator vester et beatificator, ut bonitas infinita, Deus immensus, fons totius beatitudinis vestræ. Nunquam poterit gaudium nostrum esse plenum, nisi primum veritatem per speciem contemplemur, atque divina bonitate in se ipsa immediate fruamur : ex qua contemplatione et fruitione tanta delectatio oritur, quod majorem Sancti in patria nequeunt affectare. Habent enim et possident possessione secura ac sempiterna, quidquid absolute desiderant, quum felicitas sit bonum perfecte contentativum atque quietans, utpote status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Hæc in proverbiis locutus sum vobis, 25
id est cum quadam obscuritate, et similitudine parabolica. Sic enim Christus loqui solitus fuit ante passionem. Unde et nunc similitudinem mulieris parientis induxit. *Venit hora,* id est, tempus propinquat, *quum jam non in proverbiis,* id est obscure sicut hucusque, *loquar vobis.* Quamvis autem Christus discipulis loque-

Digitized by Google

batur hoc modo obscure, nihilo minus exposuit eis sensum. Propter quod ait ad eos : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis. Ideo Marcus testatur, Seorsum discipulis suis disserebat omnia : non tamen tam clare ut post resurrectionem. Idcirco nunc subditur : *sed palam de Patre meo annuntiabo vobis,* id est, clariorem quam ante dabo vobis notitiam Dei Patris. Quod factum est in die Pentecostes, quando Apostoli, recepto Spiritu Sancto, limpida quadam acie mentis cognoverunt de Patre totaque superbeatissima Trinitate, quæ ante audierunt a Filio, sed parum vel nihil intellexerunt de eis. Verumtamen, quod ait, Palam, non est intelligendum de visione clara et immediata per speciem, sed singulariter evidenti per fidem : de qua dicit Apostolus, Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes. Denique ante diem Pentecostes Christus proprio ore clare docebat discipulos de divinis, quando aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas ; insufflavitque in eos, et ait, Accipite Spiritum Sanctum. *In illo die in*
26 *nomine meo petetis,* id est, Patrem per Filium vere ac rite orabitis, quia tunc cognoscetis Filium spiritualiter ac sincere, quomodo sit Dei et hominum mediator, per quem omnia gratiæ dona hominibus impertiuntur a Patre seu Trinitate.

(Luc. VIII, 10. — Marc. IV, 34. — II Cor. III, 18. — Luc. XXIV, 45. — Joann. XX, 22. — I Tim. II, 5.)

Quidam exponunt hunc locum ab illo verbo, Venit hora quum jam non in proverbiis loquar vobis, de visione et illuminatione Sanctorum a Christo in patria, ubi omnia vident in Verbo, et Deum palam conspiciunt, non per speculum in ænigmate, sicut modo. Quam expositionem reprobat Augustinus per id quod adjectum est : In illo die in nomine meo petetis. Sancti autem in patria non petunt, ut dicit, quum petitio sit indigentiæ, quæ in patria locum non habet. Ad quod dici potest, quod orant pro aliis, et pro certis punctis ad accidentale præmium pertinentibus.

(I Cor. XIII, 12.)

Et non dico vobis quia ego rogabo Pa-
A *trem de,* id est pro, *vobis.* Quomodo intelligendum est hoc, quum supra in hoc ipso sermone dixerit Christus Apostolis, Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis ? Rursus, sine mediatore Christo nullus habet accessum ad Deum, nec aliquid promeremur vel exaudimur, nisi virtute et merito Christi. Ad hoc quidam respondent, quod Christus rogat ut homo, et non rogat ut Deus. Quamvis autem hoc verum sit, tamen non videtur ad propositum satisfacere, quoniam Christus cau-
B sam cur non rogabit Patrem pro discipulis suis assignans, adjecit : Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis. Insuper, paulo post, in hoc ipso sermone, Christus rogat Patrem pro Apostolis : Pater, inquiens, serva eos in nomine tuo ; et, Pater, sanctifica eos in veritate. Non ergo vult dicere, quod nequaquam orabit pro eis, sed quod tantæ perfectionis et gratiæ erunt, quod non indigebunt Deo reconciliari, sed ei amantissimi erunt, familiares et præaccepti, tanquam confirmati
C in gratia, ita quod post Spiritus Sancti susceptionem nunquam peccabunt mortaliter, ideo actus et preces ipsorum erunt Deo placentes sine speciali adjutorio intercessionis reconciliatoriæ. Non tamen excluditur Christi subsidium, sed insinuatur quam familiariter et secure possint Patrem accedere. Ideo addit :

(Joann. XIV, 16. — Ibid. XVII, 11. — Ibid. 17.)

Ipse enim Pater amat vos amore æter- 27
no, *quia,* id est cujus causa a posteriori vel signum, est quod *vos me amastis* actu caritatis infusæ. Certum sæpeque dictum
D est, quod amor Dei prævenit et causat omne meritum nostrum, et quidquid boni habemus. Idcirco amor discipulorum ad Christum non est causa a priori quod Pater diligit eos, sed signum : quoniam amor eorum ad Christum, est effectus amoris Dei Patris vel Trinitatis ad eos. Propter quod in epistola Joannis habetur : Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Quia igitur Pater nos primo amavit, idcirco amamus unicum Filium ejus. *Et credidistis* fide formata, *quia a Deo exivi,*

(I Joann. IV, 19.)

Digitized by Google

id est, a Patre æternaliter genitus sum,
sicque exivi ab eo emanatione immanente,
sicut egreditur notitia a mente, et verbum
ab intelligente. Vel : Exivi, id est, in
mundum directus sum, a Deo Trinitate,
qui me hominibus visibilem præbuit ac
socium dedit.

28 *Exivi a Patre :* juxta illud Ecclesiasti-
Eccli. xxiv, 5. ci, Ego ex ore Altissimi prodivi, primo-
genita ante omnem creaturam ; *et veni
in mundum* per humanæ naturæ assum-
ptionem, atque cum hominibus piam con-
versationem. *Iterum relinquo mundum,*
id est, ab hominibus et loco terrestri
recedo quantum ad naturam assumptam,
Ephes. iv, 10. per victoriosam ascensionem. Qui enim
descendit, ipse est et qui ascendit super
omnes cœlos. *Et vado ad Patrem* per
humanæ naturæ collocationem in cœlo
empyreo : in quo Pater specialiter esse et
commorari censetur, quoniam ibi excel-
lentius operatur, et se ipsum clarius ma-
nifestat, quamvis secundum se nullam
habeat habitudinem vel determinationem
ad locum, sed in se ipso invariabiliter
æternaliterque subsistat, tanquam ens ve-
re incircumscriptum, simpliciterque et
perfective infinitum.

29 *Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc
palam loqueris,* dicendo quod Pater amet
nos, quia dileximus te, etc., *et proverbi-
um nullum dicis,* loquendo de exitu tuo
a Patre et adventu in mundum, sed ipsam
veritatem nude sine parabola loqueris.
Christus namque non semper parabolice
loquebatur discipulis : et licet paulo ante
vers. 25. jam dixerit, Venit hora quum jam non in
proverbiis loquar vobis (quod ad tempus
post resurrectionem relatum est); non ta-
men negavit quin etiam ante passionem
loqueretur eis quædam de Deo sine pro-
30 verbiis. *Nunc scimus* per fidem et expe-
rientiam quamdam, *quia scis omnia.* Hoc
ideo asserunt, quoniam Christus præve-
nit interrogationem eorum, et cogitatio-
nes eorum cognovit, sicut jam patuit :
imo, ex diversis verbis et factis Christi,
cognoscere poterant quod nil eum lateret.
A *Et non opus est tibi,* id est, ad hoc quod
respondeas non oportet nec indiges, *ut
quis te interroget,* quia tu nosti dubita-
tiones atque proposita cordium : unde
non oportet tibi aliquid notificari, sed
universa mentium noscis arcana. *In hoc
credimus quia a Deo existi,* ut dicis, per
generationem æternam, ita quod omnia
scis quæ scit Pater, sisque Deus : quoni-
am omnia noscere modo jam dicto, Deo
est proprium. Secundum Augustinum, Apo-
stoli non intellexerunt verba Christi qui-
B bus se dixit exisse a Patre, sed putabant
se scire quod ignorabant. Verumtamen
certum est quod credebant eum exisse a
Patre, ita quod divinitus directus seu mis-
sus esset in mundum ; sed an verba præ-
inducta de exitu generationis divinæ ac-
ceperint, non est adeo certum.

Respondit eis Jesus : Modo creditis 31
clarius et magis explicite quam ante. Ta-
men et ante crediderunt. Sed ne Apostoli
de sua quasi perfectione gloriari incipe-
rent, quoniam dixit eis quod Pater ip-
C sos amaret, nec ipse pro eis rogaret, eo
quod essent Deo amabiles; mox de eorum
ruina et instabilitate adjecit : *Ecce venit* 32
hora, id est, indesinenter propinquat, *et
jam venit,* id est, in proximo est : unde
quasi præsens reputatur, quia quod mo-
dicum est, non computatur ; *ut disper-
gamini unusquisque in propria,* id est,
fugiatis a me, et quilibet suum latibulum
vel commodum quærat, quomodo possit
salvare se ipsum de manibus Judæorum.
Quod in comprehensione Christi imple-
D tum est, quando discipuli relicto eo om- Matth.
nes fugerunt, quemadmodum per Zacha- xxvi, 56.
riam fuit prædictum : Percute pastorem, Zach. xiii,
et dispergentur oves gregis. *Et me solum* 7; Matth.
relinquatis, id est, vestro consortio de- xxvi, 31.
stitutum, atque humana ope privatum :
juxta illud in Psalmo, Longe fecisti notos Ps. lxxxvii,
meos a me, et elongasti a me amicum 9, 19.
et proximum. *Et non sum solus,* id est
sine consorte seu pari natura, nec sine
adsistente et adjuvante, *quia Pater me-
cum est.* Pater enim et Filius insepara-

biles sunt natura et operatione, loquendo de Filio secundum divinam naturam. Sic quoque sunt naturæ consortes seu pares. Sunt enim non solum unius essentiæ, sed et una essentia, unumque esse. Loquendo autem de Dei Filio secundum naturam assumptam, sic Pater fuit cum Filio tempore passionis, tanquam adjutor et liberator, animam ejus in omnium virtutum stabilitate conservans, eumque a morte celeriter ad immortalem vitam resusci-
Is. L, 9. tans. Propterea apud Isaiam : Dominus (inquit) Deus auxiliator meus.

33 *Hæc* omnia quæ in hoc sermone effatus sum, *locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis,* id est veram animæ tranquillitatem, et pacem internam ac spiritua-
Coloss. III, 15. lem, de qua dicit Apostolus : Pax Christi exsultet semper in cordibus vestris. Hanc pacem habemus in Christo, id est in contemplatione et in dilectione ipsius, quoniam Christum, ejusque opera et persecutiones, beneficia et promissa pensando, pacem cordis habemus, quantumcumque
Ps. CXVIII, 165. foris turbemur. Sed et pax multa diligentibus legem Dei. Idcirco dicit Psalmi-
Ibid. 143. sta : Tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est. Hoc nempe est sanum optimumque consilium, ut in omni persecutione seu tribulatione demus nos ad considerationem legis divinæ, et eorum quæ Christus pro nobis sustinuit.

In mundo pressuram habebitis, id est persecutiones, tentationes et adversitates
II *Tim.* III, 12. innumeras. Omnes enim qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Quod maxime verum fuit in primitiva Ecclesia, præsertim in Apostolis, quando
vers. 2. omnis qui occidit Christianum, arbitrabatur se obsequium præstare Deo. *Sed confidite,* id est, spem prævalendi per gratiam meam habete, nam *ego vici mundum,* id est amatores terrenorum, persecutores justorum, videlicet sacerdotes,
A Scribas ac Pharisæos : quos verbis et factis confudi et vici, quia nec sapientiæ meæ potuerunt resistere, nec miracula abnegare, nec me a via æquitatis avertere, sed et per patientiam vici universam eorum malitiam. Imo tunc Christus vicit mundum, quum eum mundus occidit : tunc sapientia vicit malitiam, et ipse sua morte meruit mundi principatum atque judiciariam potestatem, deditque suis militibus fiduciam, formam et potestatem vincendi hunc mundum. Meruit enim per suam
B persecutionem cunctis fidelibus gratiam superandi ac triumphandi in omnibus. Quam Deus per Christum nobis largitur, dicente Apostolo : Gratias agimus Deo, qui I *Cor.* XV, 57.
dedit nobis victoriam per Jesum Christum. Itemque : In omnibus (ait) trium- II *Cor.* II, 14.
phat nos in Christo Jesu ; et, Omnia pos- *Philipp.* IV, 13.
sum in eo qui me confortat.

His verbis consolatur nos Christus, ne in adversis pusillanimes aut debiles efficiamur, sed clamemus in cœlum ad eum qui pro nobis vicit mundum, et misere-
C bitur nostri Deus noster, pugnans et expugnans pro nobis. Rursus, quoniam Christus vicit mundum, debilitata est mundi potestas, nec plus potest in nos quam Christus permiserit. Hinc ergo monemur in omni adversitate esse constantes, confidendo in Christo, et ejus persecutiones considerando, quemadmodum ad Hebræos
scribitur : Per patientiam curramus ad *Hebr.* XII, 1, 2.
propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, susti-
D nuit crucem. Et Petrus : Christo (inquit) I *Petr.* IV, 1.
passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.

Hic finitus est præclarissimus, admirabilis et prolixus Christi sermo, factus vel potius inchoatus in Cœna. Post hæc Evangelista describit orationem et gratiarum actionem Christi pro suis discipulis et universis fidelibus.

Digitized by Google

ARTICULUS XLI

ELUCIDATIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : HÆC LOCUTUS EST JESUS, ET SUBLEVATIS OCULIS IN CŒLUM, DIXIT : PATER, VENIT HORA.

COMPLETO sermone profundissimo, doctrinali atque prophetico, subjungit Filius Dei orationem sublimem, pro sui ipsius glorificatione quantum ad præmium accidentale, pro Dei Patris clarificatione in cordibus hominum, pro Apostolorum omniumque credentium salute et conservatione. Et quia orando debemus Dei laudem et gratiarum actionem miscere, ipse Salvator orando, ad Patris sui laudem itemque gratiarum actionem sæpe convertitur.

Ait itaque sanctissimus Evangelista :
1 *Hæc,* id est sermonem in quatuor præcedentibus capitulis jam descriptum, *locutus est Jesus* Apostolis : partim sedendo, usque ad id, Surgite, eamus hinc ; (Joann. xiv, 31.) partim stando vel ambulando, usque ad locum præsentem. Quem plane sermonem fecit non solum ad Apostolorum, sed universorum quoque instructionem fidelium, quamvis hic sermo pro magna parte ad solos sit referendus Apostolos.

Et sublevatis oculis corporalibus *in cœlum,* de quo in Genesi habetur : In principio creavit Deus cœlum et terram. (Gen. i, 1.) Verum, sive hoc intelligatur de cœlo visibili seu stellato, quod dicitur firmamentum, sive de cœlo empyreo, quod est locus et mansio Beatorum, et unum de quatuor coæquævis, secundum Strabum et Bedam : cur Christus, qui secundum naturam assumptam vidit indesinenter Deum Patrem et Trinitatem æque perfecte per speciem, clarius quam omnes electi, cur, inquam, oculos corporales levavit in cœlum, quasi per hoc oculi sui interiores juvarentur vel excitarentur ad contemplationem sublimiorem aut ferventiorem affectionem ad Deum? Et respondendum, quod fecit hoc, non ad suum profectum, necessitatem vel indigentiam, quia quomodocumque corpus ejus fuerat situatum, anima ejus semper æque perfecte ferebatur ad Deum, non in vigilia tantum, sed et in somno, qui contemplationem dilectionemque animæ Christi nequaquam impedivit ; sed ad nostram informationem, ut edoceret nos quod in orando debemus oculum mentis ad Deum dirigere cum magna intentione. Atque ut hoc perfectius faciamus, debemus et oculos corporales ad cœlum materiale levare, quatenus inspiciendo magnificum opus Dei et habitaculum ejus, excitemur ad speculationem divinæ creatricis atque in cœlo habitantis majestatis, cœlestium quoque gaudiorum memoriam : quia ad mentis nostræ elevationem ad Deum, plurimum confert industria exteriorum actuum, situum, applicationum, quoniam corporalia ad spiritualia ordinantur, et bonus corporalium usus spiritualibus suffragatur. Porro, inter hæc corporalia ad internam devotionem provocantia, sunt oculorum elevatio, pectoris tunsio, corporis prostratio, genuflectio, brachiorum extensio, manuum complicatio, multiformis inclinatio. Propter quod in Threnis loquitur Jeremias : Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos; (Thren. iii, 41.) et Psalmista, Levavi oculos meos in montes. (Ps. cxx, 1.) Denique publicanus percutiebat pectus suum. (Luc. xviii, 13.) Et Salomon in libris Regum fertur orasse genibus flexis, et manibus in cœlum levatis. (III Reg. viii, 54.)

Erigamus ergo cum Christo oculos cordis ad Deum ubertim, secundum quod scriptum est, Oculi mei semper ad Do- (Ps. xxiv, 15.)

Digitized by Google

minum : quia oratio est ascensus mentis A in Deum. *Is.* xxxviii, 14. Hoc egit Ezechias, qui ait : Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Unde qui orat corde vago, intimorato et dissoluto, non orat veraciter, nec exauditur.

Dixit : Pater naturalis et consubstantialis, *Ephes.* iii, 15. a quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, cui nomen et ratio patris propriissime ac verissime competit, *venit hora* passionis meæ ; vel, Venit hora, id est, tempus jam imminet faciendi quod precor, videlicet clarificandi me : B quam horam tu ipse et ego ab æterno determinavimus atque præfiximus. *Clarifica Filium tuum.* Tripliciter Pater clarificavit Christum post hanc orationem : Primo, per signa facta in passione, videlicet quod ad unam Christi responsionem, omnes adversarii ejus qui venerant capere *Joann* xviii, 6. eum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram; item, per solis obscurationem *Matth.* xxvii, 45, 51-53. tam longam et supernaturalem, per terræ motum, veli templi scissionem, et suscitationem multorum Sanctorum in die C Paschæ, qui venerunt in sanctam civitatem, apparueruntque multis. Secundo, per glorificationem corporis Christi, quæ facta est per resurrectionem, ascensionem, et quatuor dotium collationem, videlicet impassibilitatis, claritatis, subtilitatis, et agilitatis. Tertio, clarificavit eum in cordibus hominum quos convertit ad Christum, ita quod ejus majestatem cognoscere ac venerari cœperunt. Pro omnibus clarificationibus istis oravit nunc Christus. — Sed cur ista precatus est Jesus, D quum sciret certissime Patrem sic decrevisse ut clarificaret taliter Filium suum? Dicendum, quod non est inconveniens ea postulare a Deo, quæ scimus danda esse ab eo, quia et Deus sic prædestinavit ut daret ea per preces servorum suorum.

Quoniam vero glorificatio Christi hominis ordinatur finaliter ad gloriam Patris, subjungitur : *ut Filius tuus clarificet te,* id est, per prædicationem Apostolorum clarum te faciat in cordibus hominum, dando eis notitiam et venerationem nominis tui altissimi. Nisi enim Pater clarificasset Christum, mundus non credidisset in eum, et per consequens nec Patrem cognovisset. Ideo Christus petit se clarificari, quatenus homines credant Evangelio ejus, sicque Christus per sui Evangelii annuntiationem clarificaret et Patrem.

Sicut dedisti ei ab incarnationis prin- 2
cipio, *potestatem omnis carnis,* id est virtutem et dominationem super totum genus humanum. Ponitur ergo pars pro toto, videlicet caro pro homine, quemadmodum in Psalmo, Ad te omnis caro veniet; *Ps.* lxiv, 3. atque in Isaia, Videbit omnis caro quod *Is.* xl, 5. os Domini locutum est. Denique, ut dictum est sæpe, eo ipso quo Christi humanitas unita est Verbo hypostatica unione, prælata est omni creaturæ, habuitque a principio incarnationis potestatem omnis naturæ creatæ. Potest quoque ad Christum secundum divinitatem referri, quia per hoc quod Pater dedit Filio divinam essentiam, dedit etiam ei omnipotentiam, seu potestatem omnis carnis omnisque creaturæ, hoc est potestatem per quam ipse unigenitus Filius universa creavit, gubernat et possidet. Itaque, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, sic clarifica eum, *ut omne* genus hominum, *quod dedisti ei* per prædestinationem æternam, per temporalem vocationem et fidei sinceritatem. Quos enim prædestinavit, hos *Rom.* viii, 30. et vocavit, secundum Apostolum. Qui iterum ait : Elegit nos in ipso ante mundi *Ephes.* i, 4. constitutionem. Nemo quippe venit ad Filium, *Joann.* vi, 44. nisi Pater traxerit eum. Illos ergo Pater dat Filio, quos decrevit salvari per eum, et convertit ad fidem catholicam, vivam et perseverantem. *Det eis vitam æternam,* id est, pro eorum salute moriatur, eisque æternam beatitudinem mereatur ut homo, et largiatur ut Deus. Ex hoc innotescit, quod Christus nunc loquitur de datione potestatis omnis carnis temporali, quæ competit sibi secundum naturam assumptam, quoniam illa fina-

Digitized by Google

liter ordinatur ad redemptionem humanam. Datio vero hujus potestatis æterna competens Christo secundum divinam naturam, non ordinatur ad aliud creatum, sed potius finis est omnis creaturæ.

3 *Hæc est autem vita æterna,* id est, vera atque cœlestis felicitas consistit in hoc, *ut cognoscant,* clare per speciem : quod
I Cor. xiii, 12. Apostolus dicit, Facie ad faciem ; *te* Patrem *solum Deum verum,* qui es Deus
Deut. xxxii, 39. verus, præter quem non est alius Deus : ita quod dictio illa exclusiva, *solum,* determinat Deum, excludens omnem aliam deitatem, quoniam non est deitas præter eam quæ est in Patre et Pater, quæ eadem numero est in tribus Personis, quæ sunt unus solus verus Deus : estque hoc modo unaquæque earum solus Deus verus. Ex quo elucescit perfidia Arii atque Eunomii, arguentium ex hoc loco, quod Filius et Spiritus Sanctus sint puræ creaturæ, quasi *solus,* determinaret personam, et personæ excluderet consortium. Sic ergo cognoscant te, *et* item *quem misisti Jesum Christum :* id est, in claro et fruitivo adspectu Patris et Filii secundum ejus divinitatem, haud dubium quin et Spiritus Sancti, beatitudo omnis mentis creatæ essentialiter sita est. Trinitas namque superbenedicta, est unum beatificum objectum omnium Beatorum. In cognitione autem Christi secundum ipsius humanitatem, beatitudo consistit, quantum ad præmium accidentale, et ex consequenti vel secundario.

Ex his constat, quod beatitudo consistit in actu intellectus essentialiter ac directe, ita quod contemplatio summæ ac primæ veritatis clara et immediata, est essentia beatitudinis, seu ipsa felicitas : tamen in quantum contemplatio habet fruitionem adjunctam. Non enim cognitio sine dilectione atque fruitione perfecta est. Hinc dicit Augustinus, quod visio est tota merces. In qua utique Joannes nostram deiformem et summam perfectionem, et per consequens veram felicitatem, constituit, dicens in prima sua Canonica : Carissimi, nunc filii Dei sumus, I Joann. iii, 2.
et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Præterea omnes Sancti Dei visionem quasi summum finaleque bonum desideraverunt. Hinc Moyses Domino loquens : Si Exod. xxxiii, 13.
inveni (inquit) gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te ; et Psalmista, Ostende faciem tuam, et Ps. lxxix, 4, 8, 20.
salvi erimus. Sed et Aristoteles naturali ratione inductus, decimo Ethicorum felicitatem constituit in speculatione optimi speculabilis. Ex quibus patet, quam rudis sit Sarracenorum Judæorumque cæcitas, qui felicitatem ponunt in exterioribus bonis deliciisque carnalibus, scilicet in voluptatibus gustus et tactus, atque similibus. Corporalia enim non sunt bona simpliciter, neque finalia, sed ad spiritualia ordinantur. Carnales insuper voluptates nobis et bestiis sunt communes, et in se viles sunt. Beatitudo autem consistit in summis honestisque bonis, et felicitas est bonum prædignum, spirituale, divinum, videlicet optima operatio optimæ potentiæ secundum virtutem perfectam.

Ego te clarificavi, id est, sanctum et 4
summum ostendi ac honoravi, *super terram,* id est inter homines viatores habitantes in terra, quibus manifestavi majestatem tuam, docendo, signa agendo, omne bonum tibi attribuendo, alios ad cognoscendum ac honorandum inducendo, tibi usque ad mortem obediendo, item Philipp. ii, 8.
in omnibus sanctissime conversando. *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam,* id est, quidquid ad humani generis redemptionem præcepisti me facere, docendo, inter homines conversando, persecutiones ferendo, nunc ad effectum perduxi; et quod restat, videlicet, ut mortem crucis sustineam, nunc tam prope est, ut quasi factum reputetur. De quo opere
ait Christus per Isaiam : Opus meum cum Is. xlix, 4.
Deo meo. *Et nunc clarifica me tu, Pa-* 5
ter, apud temetipsum, id est, in conspectu tuo glorifica me quantum ad præ-

mium accidentale, et ad dexteram tuam A
exalta et pone me secundum naturam as-
sumptam, *claritate quam habui prius-
quam mundus fieret, apud te :* id est, bea-
titudinem meam seu gloriam sempiternam
quæ competit mihi secundum divinita-
tem, communica corpori meo per redun-
dantiam quamdam. Vel sic : Clarifica me
in cordibus hominum apud temetipsum,
id est vere sicut bonum et justum vide-
tur in oculis tuis, claritate quam habui
priusquam mundus fieret, æternam bea-
titudinem meam revelando hominibus. Vel B
sic : Clarifica me apud temetipsum, id
Ephes. I, 20, 21. est in patria collocando me super om-
nem principatum, potestatem, virtutem
et dominationem, claritate quam habui, id
est gloria ista accidentali quam habui se-
cundum quod homo sum, ante mundi
creationem in tua dispositione invariabili
atque æterna : hoc est, fac et da mihi
nunc, quod in æternitate dare et facere
decrevisti.

Porro Salvator dicendo ad Patrem, Ego
te clarificavi, et opus consummavi quod C
dedisti mihi, ostendit orationem suam ex-
I Reg. II, 30. auditione condignam. Deus enim glorifi-
cantes se glorificat, obedientes remune-
Ps. CXLIV, 19. rat, voluntatem istorum faciet, exaudiens
deprecationem eorum, juxta Psalmistam.
Quod vero ait, Priusquam mundus fieret
apud te, sic intelligendum est : Ab æterno,
antequam totum universum crearetur, ut
esset in esse rato, seu creatæ ac propriæ
subsistentiæ, ubi tu æternaliter es, qui
Jer. XXIII, 24. cœlum et terram imples.

6 *Manifestavi nomen tuum,* id est te ip- D
sum, *hominibus quos* per fidem *dedisti
mihi de mundo,* puta discipulis meis, quos
de mundo eduxisti, id est de vita et com-
munione hominum impiorum, et conver-
tisti eos ad me, quos utique decrevisti
salvare per me. Unde Paulus testatur :
Galat. I, 4; *Coloss.* I, 13. Eripuit nos de præsenti sæculo nequam,
et transtulit in regnum Filii dilectionis
suæ. Horum corda Christus edocuit ver-
bis et signis atque operibus, de divinis,
de Trinitate, de Patre cœlesti. Et quam-
vis Apostoli antequam Christo adhære-
rent, habuerunt notitiam aliqualem de
Deo Patre secundum ea quæ dicuntur ab-
solute de ipso, ut quod esset verus Deus,
Creator omnipotens, etc.; non tamen co-
gnoverunt eum secundum proprietatem
relativam, per quam dicitur Pater natu-
ralis unigeniti Filii. Primam quoque no-
titiam Patris perfecit in eis Christus :
sicque manifestavit eis Patrem, secundum
quod ea quæ ei absolute conveniunt, ma-
gis clare quam antea cognoverunt. De
quibus Christus ait per Isaiam : Ecce ego *Is.* VIII, 18.
et pueri mei quos dedit mihi Dominus.
Tui erant per creationem, gubernationem
et prædestinationem, *et mihi eos dedisti*
per temporalem vocationem seu piam eo-
rum conversionem, infundendo eis gra-
tiam meritis meis, ut sint membra mea,
fructumque passionis meæ finaliter sorti-
antur; *et sermonem tuum servaverunt,* id
est, doctrinam tuam memoriter tenuerunt
et impleverunt quantum requiritur ad
salutem. Vel, Sermonem tuum, id est me
Verbum tuum, servaverunt per fidem et
caritatem.

Et nunc cognoverunt per fidem, quam- 7
vis nondum perfectam. Vel, secundum
Augustinum, Christus ponit præteritum
pro futuro, dicens tales fuisse et esse Apo-
stolos, quales erant futuri, recepto Spi-
ritu Sancto. *Quia omnia quæ dedisti mi-
hi,* hoc est, universa quæ habeo, *abs te
sunt,* id est, mihi a te collata sunt, ita
quod non operor arte magica, nec ope *Matth.* IX, 34; XII, 24.
diabolica, prout imposuerunt mihi Judæi,
sed virtute divina. *Quia verba quæ dedi-* 8
sti mihi, hoc est, quæ animæ meæ infu-
disti ac revelasti a suæ creationis prin-
cipio, vel quæ mihi Verbo tuo dedisti per
generationem æternam, per quam dedisti
mihi universorum scientiam, omniumque
verborum intellectum, et exemplarem ra-
tionem de omnibus, quum sim ars ratio-
nibus plena, *dedi eis,* prædicando eis do-
cumenta cœlestia; *et ipsi acceperunt* ea,
diligenter advertendo atque credendo, *et
cognoverunt vere quia a te exivi* per ge-

nerationem æternam : sic tamen, quod mansi in te per substantiæ identitatem; *et crediderunt* fide formata ac viva, *quia tu me misisti* de cœlo ad homines per incarnationis mysterium.

9 *Ego pro eis* tanquam carissimis *rogo* tuam paternam bonitatem, oratione ex deliberata ratione procedente, quam semper exaudis ex me : sicut superius dictum est, Ego sciebam quoniam semper me audis. (*Joann.* xi, 42.) *Non pro mundo,* id est reprobis amatoribus hujus sæculi, *rogo*. De quo mundo dicit Jacobus : Quicumque voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituetur. (*Jacob* iv, 4.)

Si Christus non oravit pro mundo, quomodo dixit in cruce pro crucifixoribus suis, Pater, ignosce illis, (*Luc.* xxiii, 34.) et in Psalmo, Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam? (*Ps.* cviii, 4.) Itemque Jeremias : Recordare, inquit, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis. (*Jer.* xviii, 20.) Quod apud Isaiam legitur prophetatum : Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. (*Is.* liii, 12.) Joannes etiam profitetur in prima sua Canonica : Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris tantum, sed et pro totius mundi. (I *Joann.* ii, 2.) — Dicendum, quod Christus non solum ut Deus per scientiam increatam, sed item ut homo per scientiam inditam, novit distincte et plene qui et quot essent salvandi, qui etiam et quot essent damnandi. Rursus, quoniam Christus ut homo, comprehensor fuit quoad superiorem animæ partem, voluntas animæ ejus superior, erat voluntati divinæ perfectissime conformata. Quemadmodum ergo Sancti in patria non orant simpliciter pro eorum salute quos Deo revelante sciunt præscitos, imo nec absolute atque simpliciter desiderant eorum salutem; sic Christus non oravit oratione ex deliberata ratione prodeunte, pro reprobis. Fecit tamen pro eis quod in se fuit, et ex naturali amore, pietate vel affectione, vel forte alio modo, oravit pro eis in generali, vel in speciali, sicut et aliquo modo voluit eos salvari, hortans eos ad pœnitentiam : quemadmodum ex naturali ac inferiori appetitu, quo refugiebat mortem, oravit, Transeat a me calix iste. (*Matth.* xxvi, 39.) Et per hanc distinctionem, faciliter solverentur auctoritates præallegatæ. Quæ et aliter solvi possunt. Nam oratio ejus fusa in cruce, pro quibusdam occisoribus suis per consensum creditur exaudita; sed illi non erant finaliter pertinentes ad mundum perditionis. Similiter orationes ejus ante passionem pro Judæis fusæ, in aliquibus illorum sortitæ sunt effectum, quando post resurrectionem nonnulli conversi sunt, qui usque ad Christi mortem contra eum sævierunt. Insuper, quod ait Joannes in sua epistola, verum est quod Christus quantum in se est, est propitiatio pro totius mundi delictis, quamvis in multis non adipiscatur effectum, quoniam ponunt obicem gratiæ Salvatoris.

Sed pro his quos dedisti mihi, hoc est, quos per me salvare disposuisti, atque per gratiam convertisti ad me, *quia tui sunt,* id est a te ab æterno dilecti ac prædestinati. De quibus ait Apostolus : Novit Dominus qui sunt ejus. (II *Tim.* ii, 19.) Sed si erant sic Patris, et a Patre Filio dati, ita quod perire non poterant, quid necesse fuit orare pro eis? Et respondendum, quod sine præviis meritis erant prædestinati, sic tamen quod prædestinationis effectum sine meritis Christi et precibus obtinere non debuerunt. Prædestinatio namque universa includit quæ ad salutem prædestinati concurrunt, ideo comprehendit et preces quæ pro prædestinatis funduntur.

Et hæc *mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* 10 Hoc dupliciter intelligi potest : Primo, de increatis et infinitis divitiis Patris et Filii. Pater enim se totum communicat Filio, dans ei per generationem æternam divinitatis plenitudinem. Est itaque sensus : Omnia mea, hoc est quidquid absolutæ perfectionis, quidquid beatitudinis, essentiæ et majestatis in me est, vel competit mihi, est in te, et convenit tibi :

quoniam unum sumus, et indistincti in his quæ absolute dicuntur; per solam vero relationem distinguimur. Secundo, exponitur de bonis creatis, quia omnia creata sicut sunt opus et possessio Filii, ita et Patris, imo Pater et Filius sunt unus possessor, factor et Dominus totius entis creati. Lyra exponit aliter, dicens quod propter inseparabilem unionem divinitatis et humanitatis in Christo, fit idiomatum communicatio, quia humana adscribenda sunt Deo, et divina homini Christo. Quamvis autem hoc verum sit, non tamen videtur ad propositum. Christus enim nunc loquitur Patri : certum autem est quod propter communicationem idiomatum, ea quæ sunt Christi hominis non conveniunt Patri, neque econtra. Non enim Pater est passus, quamvis Deus sit passus; nec Pater est incarnatus, nec Filius est innascibilis. *Et clarificatus sum in eis,* hoc est, claritatem meam et dignitatem jam partim cognoscunt, dicentes : Nunc scimus quia scis omnia, et credimus quia a Deo existi. (Joann. xvi, 30.) Post infusionem vero Spiritus Sancti, plenius clarificatus est Christus in discipulis suis et per eos, quando et Petrus dixit de Christo : Hic est omnium Dominus; (Act. x, 36.) et, Non est in aliquo alio salus. (Ibid. iv, 12.)

11 *Et jam non sum in mundo,* hoc est, propinquum est valde ut corporalem præsentiam subtraham hominibus, *et hi* discipuli mei *in mundo sunt* diutius permansuri, variasque tribulationes passuri; *et ego ad te venio* per passionem et ascensionem, secundum naturam assumptam : ideo indigent tua pia custodia. Propter quod oro :

Pater sancte, qui es essentialiter sanctus, purus ac superpurissimus, sanctitas infinita, omnisque sanctitatis origo causalis, indeficiens et fontana, *serva eos in nomine tuo,* id est, in te ipso eos gratiose custodi ne pereant, quamvis ad horam cadant, fugiendo a me. Itaque, serva eos in nomine tuo in fide et caritate nominis tui, ut perseverent in te, et quum ceciderint non collidantur, te manum suppo- (Ps. xxxvi, 24.) nente, *quos dedisti mihi,* convertendo eos ad me; *ut sint unum* per caritatem, sintque unum mysticum corpus per sanctæ dilectionis coagulum : quemadmodum in Actibus Apostolorum habetur, Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. (Act. iv, 32.) Unde apud Jeremiam Dominus prænuntiavit : Dabo eis cor unum et animam unam. (Jer. xxxii, 39.) Sicut enim invidia conjunctos dissociat, sic caritas disjunctos unificat. *Sicut et nos,* id est tu et ego, *unum sumus* in essentia, voluntate et veritate. Itaque dictio illa, Sicut, non denotat jam omnimodam parilitatem, sed aliqualem assimilationem, secundum quod dici solet : Omne simile est dissimile. Aliqui vero, ut abbas Joachim, verba hæc male intelligentes, dixerunt quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, sicut sunt tres personæ, ita et tres substantiæ seu essentiæ, unum per caritatem in voluntate.

Quum essem cum eis corporali præsentia, *ego servabam eos in nomine tuo,* id est in tua fide et caritate. 12 Christus nempe secundum naturam assumptam, servavit discipulos quasi instrumentaliter, docendo, hortando, exemplariter conversando, et increpando; secundum naturam autem divinam, servavit eos efficienter ac principaliter, operando intus per gratiam. Sed in hac servatione, non differt a Patre et Spiritu Sancto, quoniam tota Trinitas est unus electorum custos et conservator : de quo legitur, Custodiens parvulos Dominus, etc. (Ps. cxiv, 6.)

Quos dedisti mihi, ego custodivi, id est, discipulos a periculis erui, in bono retinui, atque hucusque perduxi, tanquam pastor bonus, pius magister, et Dominus potens; (Joann. x, 11, 14.) *et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* (Ps. xxiii, 8; lxxxviii, 9.) Loquitur Christus, ac si nunc quum hæc dixit, cum discipulis corporaliter non fuisset, eo quod mox recessurus fuit ab eis. Similiter loquens de Juda, dicit eum jam perisse, quamvis adhuc viveret : quoniam in proximo suspensurus erat se ipsum, æternaliterque damnandus; vel jam periit, gratiam amittendo, mor-

Digitized by Google

tem animæ incurrendo, atque æternam pœnam promerendo. Dicitur autem Judas proditor, filius perditionis, hoc est æternæ damnationis, quia tam copiose et enormiter fecit digna morte æterna. Unde de II Thess. II, 3. Antichristo dicit Apostolus : Nisi revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis. *Ut Scriptura* libri Psalmorum, loquens de proditore, et ejus pœna ac maledictionibus, *impleatur*. Psalmus enim centesimus octavus, qui incipit, Deus, laudem meam ne tacueris, de Juda traditore conscriptus est. Ps. CVIII, 2. Unde quod ibi habetur, Episcopatum ejus accipiat alter, Petrus in Actibus Apostolorum allegat de Juda. Ibid. 8. Act. I, 20. In hoc autem psalmo, de perditione proditoris multa scribuntur, quæ oportebat impleri.

ARTICULUS XLII

PROSECUTIO ELUCIDATIONIS PRÆSENTIS SEPTIMIDECIMI CAPITULI : NUNC AUTEM AD TE VENIO, ET HÆC LOQUOR IN MUNDO.

13 N*UNC autem ad te venio,* hoc est, tempus nunc imminet quo veniam ad te per corporalem ascensionem, et corporis mei glorificationem; *et hæc,* videlicet sermonem præscriptum et orationem præsentem, *loquor in mundo* inter discipulos meos, *ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis,* id est, quatenus spiritualem lætitiam, veramque beatitudinem, quæ est gaudium consummatum, adipiscantur nunc inchoative, atque in patria plene. Hoc quippe est finis doctrinæ Christi, et omnium quæ fecit pertulitque pro nobis. Apostoli autem post resurrectionem et Spiritus Sancti missionem, ubertim experti sunt quamdam futuræ beatitudinis prælibationem, gustando quam dulcis est Dominus; sed gaudium illud non potuit esse completum in vita præsenti, in qua II Tim. III, 12. omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur. Ideo consolatio præsens, tribulationibus permiscetur.

14 *Ego dedi eis sermonem tuum,* hoc est, evangelicæ legis doctrinam docui eos, ut et ipsi eam observent ac prædicent aliis. Matth. X, 7. Misit enim Christus Apostolos prædicare regnum Dei ante passionem, ut habetur apud Matthæum. *Et mundus eos odio habuit,* id est vitiosi Scribæ et Pharisæi cum suis amatoribus. Oderant enim Apostolos propter Christum : nam et timore Judæorum, sedebant Apostoli clausi in conclavi. Joann. XX, 19, 26. Sed post resurrectionem dominicam, quando ubique prædicaverunt Evangelium Christi, odio habiti sunt a Judæis ac gentibus, Marc. XVI, 20. secundum quod Christus apud Matthæum legitur prædixisse : Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Matth. XXIV, 9. Propterea dicit Apostolus : Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Galat. I, 10. Hujus odii causam subjungit : *quia non sunt de mundo,* id est, ad sortem et societatem hominum mundanorum non pertinent, nec illorum conversationi se conformant : imo vitia talium detestantur et arguunt, ideo odiuntur ab eis. Nam dissimilitudo parit rancorem, et perversi odio habent eos a quibus veraciter redarguuntur. Amos V, 10. Itaque non sunt de mundo per operum sæcularium imitationem, quia per gratiæ adspirationem cor suum averterunt ab istis terrenis, amantes cœlestia. *Sicut et ego non sum de mundo,* id est de numero hominum mundanorum qui terrena cœlestibus præferunt.

15 *Non rogo ut tollas eos de mundo,* hoc est, de hac vita mox auferas eos, transferendo eos ad Beatorum patriam statim

post resurrectionem meam. Primo enim [A]
oportet christianam fidem prædicari per
eos, et gentilitatem converti, Ecclesiam-
que firmari : unde mors eorum esset in
detrimentum Ecclesiæ. Ipsi quoque multo
amplius promerebuntur manendo in mun-
do, quousque publicata sit fides. Hinc
apostolus Paulus ad Philippenses, primo
[*Philipp.* I, 24.] capitulo : Permanere (dicit) in carne ne-
cessarium est propter vos. *Sed ut serves
eos a malo* culpæ, secundum ordinem præ-
destinationis æternæ. Non oravit Christus
ut a malis pœnalibus vitæ hujus serva- [B]
rentur, quum hoc saluti eorum non ex-
[*Matth.* V, 10.] pedierit (beati enim qui persecutionem
patiuntur propter justitiam), sed ne per
impatientiam, inconstantiam vel timorem
16 deficerent in adversis. *De mundo non
sunt, sicut et ego non sum de mundo.*
Hoc Christus resumit, ut nobis commen-
det gratiam Dei, qui electos gratiose dis-
cernit, ac separat a mundanis.

17 *Sanctifica eos in veritate.* Superius di-
[*Joann.* XIII, 10; XV, 3.] xit Christus Apostolis : Vos mundi estis;
[*Ibid.* XVI, 27.] et, Ipse Pater amat vos; itemque, De mun- [C]
[vers. 14, 16.] do non sunt. Cur ergo nunc deprecatur
Patrem ut eos sanctificet, quasi sancti non
essent? Et respondendum, quod mundi
erant carendo mortalibus, et de mundo
non fuerunt per opera scelerata; non ta-
men sine venialibus erant, nec perfecti
in gratia : ideo Christus petit ut Pater
sanctificet eos, hoc est, ab omni immun-
ditia, defectu et imperfectione expurget,
in gratia quoque perficiat. Quod post re-
surrectionem cœpit impleri, quando Chri-
[*Joann.* XX, 22.] stus insufflavit in eos, dicens : Accipite [D]
Spiritum Sanctum. In die autem Pente-
costes penitus purificati et confirmati fu-
[*Rom.* VIII, 23.] erunt in bono, adeptis primitiis Spiritus
Sancti. Denique, quis est in hac vita sic
mundus, ut non habeat amplius sancti-
[*Philipp.* III, 13.] ficari? quum dicat Apostolus : Quæ qui-
dem retro sunt oblitus, in anteriora ex-
[*Ibid.* I, 6.] tendo me ipsum. Idcirco precatur : Qui
cœpit in vobis opus bonum, perficiet us-
que in diem Jesu Christi. Itaque, Sancti-
fica eos in veritate, hoc est veraciter dan-
do eis puritatem mentalem, veritatemque
triplicem, utpote vitæ, justitiæ, et do-
ctrinæ.

Sermo tuus veritas est, id est, prædi-
catio quam loquor in nomine tuo et ex
te, omni caret mendacio, estque tam pura
et sancta, ut potius dicenda sit veritas
quam vera. Unde dicit Psalmista : Prin- [*Ps.* CXVIII, 160.]
cipium verborum tuorum veritas. Incre-
atus etiam sermo Dei, videlicet Verbum
æternum, est veritas, juxta quod ait : Ego [*Joann.* XIV, 6.]
sum via, veritas et vita. Superius Chri-
stus oravit : Sanctifica eos in veritate;
moxque quasi expositive, adjecit : Sermo
tuus veritas est. Tanquam dicat : Hoc est
sanctificari in veritate, servare et opere
adimplere sermonem Dei, seu sacram Scri-
pturam. — Præterea, sermo Dei, sacra
Scriptura, Evangelium Christi, in tantum
est veritas, ut ad Galatas dicat Apostolus :
Licet angelus de cœlo evangelizet vobis [*Galat.* I, 8.]
præterquam quod evangelizavimus, ana-
thema sit. Nil igitur falsius, nil prorsus
detestabilius, quam quod fidei dissonat
christianæ.

Sicut tu me misisti in mundum, id est 18
ad populum Judæorum : quia non sum [*Matth.* XV, 24.]
missus nisi ad oves quæ perierunt domus
Israel; *et ego misi eos,* puta Apostolos, *in
mundum,* id est ad eumdem populum
instruendum, præcipiens eis : In viam [*Ibid.* X, 5, 6.]
gentium ne abieritis, sed ad oves quæ
perierunt domus Israel. Quemadmodum
ergo Pater misit Filium ex caritate et pie-
tate, ut hominibus æternam salutem an-
nuntiaret, sic Christus pie et caritative
destinavit Apostolos ad prædicandum re-
gnum cœleste. Quidam dicunt, quod Chri-
stus ponit hic præteritum pro futuro, quo-
niam ante passionem non misit Apostolos
in mundum, sed ad Judæos dumtaxat.
Sed hoc modici ponderis est. Sicut enim
Christus dicit se missum in mundum, qui
tamen perhibet se ad solum populum Is-
raeliticum missum; sic intelligi potest,
quod asserit se misisse Apostolos in mun-
dum, quia ad populum Israeliticum mi-
sit eos. Post passionem autem locutus est

Digitized by Google

Marc. xvi, 15. eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. A

19 *Et pro eis,* id est pro salute eorum, *ego sanctifico me ipsum,* id est, opera sancta facio, per quæ mereor eis gratiam et gloriam, non mihi, nisi gloriam præmii accidentalis. Omnia enim opera sua, persecutiones et mortem, retulit Christus ad nostrum profectum atque subsidium; nec opera sua auxerunt gratiam vel sanctitatem suæ mentis, sed nobis meritoria erant. Vel sic : Pro eis, hoc est ad ædificationem et informationem eorum, sanctifico, B id est, sanctum ostendo et fateor me ipsum, quia ut credant in me, dico et factis ostendo quod sim Christus Filius Dei, Sanctus Sanctorum et mundi Salvator. Sancti enim frequenter suam perfectionem declarant ad Dei honorem vel proximorum instructionem, vel ad propriæ spei sublevationem : secundum quod II Cor. xii, 11; xi, 5. Paulus ait, Nihil minus me arbitror fecisse ab his qui sunt supra modum Apostoli; IV Reg. xx, 3. et Ezechias, Memento (ait) Domine, quomodo ambulaverim coram te in corde C perfecto. Tertio sic : Ego pro eis sanctifico, id est, sanctum sacrificium ago, et offero me ipsum in ara crucis : quemadmodum Ephes. v, 2. scriptum est ad Ephesios, Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Cuilibet autem harum expositionum consonant verba sequentia : *ut sint et ipsi sanctificati,* hoc est ab omni macula culpæ mundati, *in veritate,* id est in me, qui veritas sum, vel in veritate fidei, quæ est fundamentum totius D sanctificationis æternæ. Hanc quippe veram sanctificationem meruit nobis Christus in sua conversatione et passione, quam per sacramentum Ecclesiæ obtinemus primum omnium, in Baptismo, deinde in Pœnitentia.

Deinceps orat Christus, non pro Apostolis tantum, ut hucusque ab eo loco, vers. 6. Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi; sed pro omnibus membris
20 suis seu universis fidelibus. *Non pro eis autem,* hoc est Apostolis, *rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me,* id est pro cunctis ad fidem convertendis, qui vel immediate vel mediate convertentur et credent per prædicationem Apostolorum. Qui enim non audierunt immediate ipsos Apostolos, audierunt successores vel discipulos Apostolorum : sicque per verbum Apostolorum crediderunt mediate. Sed si Christus oravit pro credituris, ergo non oravit pro ceteris discipulis suis, qui tempore hujus orationis defuerunt, et tamen credebant in eum, nec oravit pro Maria Magdalene, Martha, Joanna, etc. Dicendum, quod omnium horum fides in passione defecit. Unde et postea quasi iterum credere inceperunt, et si non per prædicationem Apostolorum, tamen per verbum fidei, quod commissum est Apostolis primo et maxime ut illud evangelizarent.

Ut omnes credentes *unum sint* per fi- 21
dem catholicam et individuam caritatem, per ejusdem finis appetitionem; sintque unum mysticum corpus, unum templum et habitaculum Spiritus Sancti : quemadmodum ad Philippenses hortatur cum omni affectu sanctus Apostolus : Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, idem sentientes. Philipp. ii, 1, 2. *Sicut tu, Pater,* es *in me,* sicut in naturali imagine, sicut in carissimo ac unico Filio, sicut in Verbo tuo tibi consubstantiali, æquali et coæterno, *et ego in te,* in sinu tuo, in corde paterno, in supersplendidissimo fonte de quo sic emano ut invariabiliter perseverem in eo; *ut et ipsi in nobis unum sint,* non per consubstantialitatem, quemadmodum ego et tu unum consistimus, sed per caritatem et gratiam, et item sicut media uniuntur in fine. — Ecce quomodo Magister caritatis et unitatis, finaliter cupit unitatem sanctæ dilectionis inesse suis fidelibus. Propter quod ait Vas electionis : Id ipsum dicatis I Cor. i, 10. omnes, et non sint in vobis schismata.

Ut credat mundus, id est ceteri qui

nondum conversi sunt quemadmodum isti : non enim omnes simul conversi sunt per Apostolos; *quia,* id est quod, *tu me misisti :* hoc est, rogo ut qui primo credent, tantam habeant unitatem et caritatem in omni perfectione et gratia, quod ceteri nondum credentes, ex consideratione sanctitatis illorum convertantur ad fidem. Tanta quippe debet in christiano homine, præcipue religioso viro, esse perfectio, ut quicumque, sive infidelis, sive iniquus, conversationem illius inspexerit, fateatur veram esse fidem catholicam, et sanctam consistere evangelicam legem, quæ talem edocet vitam. Propter quod
I *Petr.* II, 12. Petrus in sua monet epistola : Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. Hoc quoque in Apostolis et primitiva Ecclesia adimpletum legitur in Actibus Apo-
Act. II, 47; v, 13. stolorum, ubi habetur, quod habebant gratiam ad omnem plebem, et magnificabat eos populus.

22 *Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis.* Quidam per claritatem istam intelligunt immortalitatem, quam Christus jam dedit discipulis suis in spe. Vel ponit præteritum pro futuro, propter certitudinem prædestinationis divinæ. Alii nomine claritatis, intelligunt virtutem miraculorum, per quam clarificatur Divinitas. Quam virtutem et gratiam dedit Christus
Luc. x, 19. discipulis : Ecce, inquiens, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones. Videtur autem per claritatem hanc Christo collatam significari perfectio scientiæ, vel dignitas gratiæ inditæ Christo, quam ipse suis jam discipulis cœpit communicare, et plenius fuit communicaturus, quemadmodum dixit superius :
Joann. xv, 15. Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Cui expositioni magis consonare videntur sequentia. *Ut sint unum* per caritatem, *sicut et nos unum sumus* per naturam.

23 *Ego in eis,* sicut caput in membris, per A influentiam vitæ ac motus, quia per fidem et gratiam mentes eorum inhabito; *et tu in me* per consubstantialitatem et circumincessionem, secundum quod Deus sum; sed secundum quod homo sum, es in me per gratiam summam et singularem. *Ut sint consummati in unum,* id est, ad perfectionem mutuæ unionis quæ habetur in patria, perducantur, ubi inseparabili caritate connexi sunt, et ubi est Deus omnia in omnibus; *et cognoscat* I *Cor.* xv, 28.
mundus per fidem in via, atque per spe-
B ciem in patria, *quia tu me misisti :* ex qua cognitione maxime inflammatur electorum dilectio ad Patrem et Filium, eo quod Pater Unigenitum suum miserit propter I *Joann.* IV, 9.
nos in hunc mundum, ipseque Filius in hoc et in aliis, usque ad mortem Patri *Philipp.* II, 8.
consensit vel obedivit pro nobis; *et dilexisti eos* ab æterno et gratis, *sicut et me dilexisti,* non tamen in tantum ut me, quem secundum naturam divinam diligis amore prorsus immenso, secundum naturam autem assumptam, ampliori quam
C universitatem creaturarum. Vel, Dilexisti eos sicut et me, id est ad eumdem finem seu beatificam Dei fruitionem ad quam me dilexisti, secundum quod homo sum. Tertio sic : Dilexisti eos sicut me, id est, quemadmodum diligis me ut Filium naturalem, sic diligis eos ut filios adoptivos.

Pater, quos dedisti mihi, hoc est electos 24
meos, quos meritis meis decrevisti salvari, *volo* imperialiter, secundum quod Deus; et ut homo, volo, deprecor atque
D desidero; *ut ubi sum ego,* id est in patria, in qua nunc actualiter sum, quantum ad naturam atque hypostasim Verbi, prout testatus sum Nicodemo : Filius ho- *Joann.* III, 13.
minis qui est in cœlo. Sic enim Christus omnia vere ac substantialiter implet, juxta illud in Jeremia : Numquid non cœ- *Jer.* XXIII, 24.
lum et terram ego impleo? Vel, Ubi sum ego, hoc est in regno cœlesti, quo statim per ascensionem futurus sum secundum naturam humanam; aut certe, Ubi sum ego, hoc est, in beatifica visione seu vera

Digitized by Google

beatitudine, in qua anima mea nunc actualiter est. *Et illi sint mecum* post vitæ hujus curriculum. Quamvis enim fideles sint jam cum Christo per fidem et gratiam, quum ipse promiserit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi; nihilo minus aliquo modo nunc distant ab eo, dicente Apostolo : Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, et non per speciem.

Matth. xxviii, 20. — II *Cor.* v, 6, 7.

Ut videant oculis cordis *claritatem,* id est gloriam *meam,* videlicet increatam beatitudinem, veram divinitatem; vel, Gloriam meam, id est creatam felicitatem animæ meæ et corporis mei glorificationem, quæ corporalibus oculis conspicietur. *Quam* claritatem increatam *dedisti mihi* ab æterno per generationem divinam; claritatem vero creatam dedisti mihi in tempore, utpote beatitudinem animæ in incarnatione, glorificationem corporis in resurrectione; *quia dilexisti me ante constitutionem mundi,* secundum naturam divinam, tanquam tibi æternaliter subsistenter præsentem atque simillimum. Secundum naturam vero humanam Pater dilexit Filium ab æterno, non quasi ut sic exsistentem, sed quia naturam ejus humanam ad tantam beatitudinem præordinavit, volens ei tantum bonum, ut Verbo uniretur ac frueretur a suæ creationis principio. Porro, si hoc quod ait, Quia dilexisti me, accipiatur ut causa proprie dicta ejus quod dixit, Quam dedisti mihi, tunc verba præinducta, videlicet, Ut videant claritatem meam, non erunt intelligenda de increata claritate Christi. Hanc enim Pater non dedit Filio ob hoc quia dilexit eum ante constitutionem mundi, quia non ex prævia dilectione, sed naturali emanatione, generat Filium. Si vero accipiatur ut signum, intelligi possunt verba præhabita de claritate Filii increata.

25 *Pater juste,* fons universæ justitiæ, regula æquitatis, atque mensura totius rectitudinis. Justus enim Dominus, et justitias dilexit. Unde in Sapiente scriptum est : Quum sis justus, omnia juste disponis; virtus enim tua, justitiæ initium est. *Mundus te non cognovit* notitia salutari formata. Evangelista Joannes accipit mundum nunc pro reprobis ac mundanis hominibus. Unde et apud Matthæum dicitur, Væ mundo a scandalis. Hic mundus in maligno positus est. Interdum vero, pro electis in hoc mundo versantibus : de quibus nunc dixit, Ut cognoscat mundus quia tu me misisti. Denique, licet philosophi per naturalem rationem, Judæi quoque per Scripturas, et mali Christiani per fidem informem, agnoverunt Deum; tamen philosophi non cognoverunt Patrem secundum proprietatem paternitatis et relationem realem, neque Judæi, nisi forte per fidem implicitam. Tamen, ut dictum est, Prophetæ et aliqui eruditiores in lege, habuerunt notitiam Trinitatis. Mali quoque Christiani, licet agnoscant Patrem et Trinitatem per fidem informem, non tamen habent de eo cognitionem formatam, quæ requiritur ad salutem. *Ego autem cognovi te* comprehensive, secundum quod Deus sum. Nemo enim novit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius. Cognovi etiam te, secundum naturam assumptam, beatifica visione ab initio incarnationis.

Ps. x, 8. — *Sap.* xii, 15, 16. — *Matth.* xviii, 7. — I *Joann.* v, 19. — *Matth.* xi, 27.

Et hi Apostoli *cognoverunt* jam *quia tu me misisti,* id est, in hunc mundum direxisti.
26 *Et notum feci eis nomen tuum* per fidem, docendo eos quod tu sis Pater æternus a quo exivi; *et notum faciam* eis nomen tuum post resurrectionem, quum per insufflationem et ignearum linguarum apparitionem infudero eis Spiritum Sanctum, ad intelligendum Scripturas ac mysterium Trinitatis; clarissime vero seu per speciem notificabo te eis, quum ad patriam perducentur, ubi omnia intuebuntur in Verbo. Ibi enim quælibet divina Persona se ipsam et singulas notificat facie ad faciem cuilibet Beatorum. Nihilo minus notificatio illa appropriatur Filio, quum ipse sit veritas et sapientia Patris. Unde Beati asseruntur cuncta videre in

Joann. xx, 22; *Act.* ii, 3, 4.

Verbo, quum immediate conspiciant su-
pergloriosissimam Trinitatem quasi unum simplicissimum beatificumque objectum. *Ut dilectio qua dilexisti me*. Certum est quod dilectio Dei sit ipsemet Deus diligens. Verumtamen Pater dicitur diligere Filium Spiritu Sancto, secundum sensum quo hoc exponendum est. Potest itaque sic exponi : Ut dilectio qua dilexisti me, id est tu ipse me diligens, vel Spiritus
A Sanctus quo diligis me, *in ipsis sit* per lumen gratiæ in præsenti, et item per lumen gloriæ in futuro. Sic autem sit in eis, ut et ipsi diligantur a te, et tu seu amor tuus ad me, diligatur ab eis. Ad hoc enim ordinatur cognitio, ut amemur a Deo, eumque amemus. *Et ego in ipsis* sim quasi in templo, inhabitando corda eorum, ut uniti suo capiti, vitam gloriæ sortiantur.

ARTICULUS XLIII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI, IN QUO INCIPIT PASSIO CHRISTI JESU.

HÆC *quum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron*. Passionem Salvatoris, per quam vivificatus est mundus, singuli Evangelistarum describunt tanquam unum inter præcipua opera Christi. Mori namque et ab impiis crucifigi dignatus est Jesus, ut merito obedientiæ suæ ac mortis, totum genus humanum ab originali peccato per inobedientiam contingente, et a morte æterna hinc consecuta, eriperet; imo ab omni peccato salvaret, ab omni liberaret pœna atque miseria, tandemque plena-
C riam animæ et corporis glorificationem præstaret. Item, ut suæ dilectionis fervorem et immensitatem nobis insinuaret; ut formam daret vincendi adversa, et ab inordinata mortis curaret formidine; ut patientiam demonstraret. Rursus, ut innotescat quam enorme et grave sit peccatum, pro cujus expiatione oportuit pati unicum Filium Dei; ut justitia Dei appareat, qui maluit occidi Filium suum dilectum et innocentem, quam peccatum manere inultum aut inexpiatum; ut mi-
D sericordia Dei resplendeat, qui sic compassus est suæ creaturæ, quod pro ejus
Rom. VIII, 32. salvatione proprio Filio non pepercit; ut demum magnitudo divini amoris ad nos
B elucescat, dum propter nimiam caritatem Ephes. II, 4.
suam qua dilexit nos, Filium suum sic affligi, sic turpissima atque pœnalissima Sap. II, 20.
morte permisit occidi, ut nos sempiternam obtineamus lætitiam.

Ait igitur felix Evangelista : *Hæc*, hoc 1
est sermonem et orationem præscriptos, et etiam alia multa quæ ab aliis Evangelistis describuntur, *quum dixisset Jesus*, partim in cœnaculo, ad minus usque ad illud, Surgite, eamus hinc; et partim (ut Joann. XIV, 31.
aliqui dicunt) in via locum versus capti-
onis. Quibusdam vero apparet quod omnia hæc dixerit in cœnaculo, quia subjungitur : *egressus est cum discipulis suis* undecim Apostolis, quibus et dixit in Cœna : Vos estis qui permansistis mecum in Luc. XXII, 28.
tentationibus meis. Judas vero jam abiit. *Trans torrentem Cedron*, id est ultra flumen sic dictum (et dicitur torrens Cedron, id est cedrorum ibi crescentium), currensque per vallem Josaphat inter Jerusalem et montem Oliveti. *Ubi*, id est ultra quem torrentem, *erat hortus, in quem introivit*
ipse et discipuli ejus. Hortus iste fuit in villa Gethsemani, situs ad radices montis Olivarum. Unde Matthæus dicit Jesum ve- Matth. XXVI, 36.
nisse in villam Gethsemani; Lucas vero, quod exivit in montem Olivarum : quæ Luc. XXII, 39.

omnia simul stant, quia per montem istum venit ad hortum.

Convenienter autem Dominus Jesus omnium virtutum floribus adornatus, vigore et viriditate sapientiæ atque scientiæ decoratus, cujus anima a suo vigore et viriditate nusquam aruit, ingressus est hortum viriditatis ubertatisque locum. Utinam et cor nostrum sit hortus deliciosus, virtutum scientiarumque graminibus plenus, redolens quasi Christi odor bonus, (II Cor. II, 15.) in quem Christus intrare dignetur, quemadmodum Sponsa orat in Canticis : Veniat (Cant. V, 1.) dilectus meus in hortum suum.

2 *Sciebat autem et Judas qui tradebat,* et tunc traditurus fuit, *eum,* utpote Jesum, *locum* istum, videlicet hortum, nec latuit Judam quod Jesus jam illuc fuisset profectus. Cujus causa subjungitur : *quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis,* etiam tempore nocturno, quoniam erat locus quietus orationi contemplationique aptus. Ideo apud Lucam scriptum est, quod exivit secundum consuetudinem suam in montem Olivarum. (Luc. XXII, 39.) Ex quo patet quod Jesus tempus nocturnum in oratione et actibus sanctis expendit. Locumque solitarium et quietum, a civitate competenter distantem, expetiit : non quod indigeret adminiculo loci, quem nil ab actibus intellectivæ partis animæ potuit impedire, vel ad eorum exercitium promovere, quoniam jugiter fuit in eadem perfectissima mentis dispositione subsistens; sed ut daret nobis exemplum sic faciendi, quatenus a strepitu hominum elongati, Deum libere et attente cum cordis stabilitate precemur. Porro, in hoc horto fecit Jesus trinam orationem, factusque in agonia sudorem emanavit sanguineum; ubi et angelus ei apparuit, ipsum confortans. (Matth. XXVI, 36-44. Luc. XXII, 43, 44.)

3 *Judas ergo quum accepisset cohortem,* hoc est multitudinem militum Romanorum sub tribuno consistentium, *et a pontificibus,* id est principibus sacerdotum, *et Pharisæis,* haud dubium quin et a Scribis, *ministros,* qui erant Judæi. Munivit enim se proditor familia utriusque curiæ, ne quis auderet vel posset defendere Jesum. Cohortem autem cum tribuno misit Pilatus præses ad instantiam Judæorum. *Venit illuc cum laternis et facibus, et armis,* videlicet lignis, gladiis et fustibus. (Marc. XIV, 43; Matth. XXVI, 47. Joann. XLII, 30.) Erat enim profunda nox, ideo ne errarent in persona, et ne Jesus latenter diffugeret, venerunt cum lumine.

Jesus itaque sciens omnia quæ ventura 4
erant super eum, hoc est injurias et tormenta sibi mox inferenda, *processit* obviam eis intrepidus. Finita enim trina oratione, dixit discipulis : Surgite, eamus; (Matth. XXVI, 46.) ecce appropinquat qui me tradet. *Et dixit ad eos : Quem quæritis?* Non quærit quasi ignorans, sed ut ostendat se capi ac mori paratum, et ex illorum responsione convenienter respondeat, ordinate-
que veniat ad sequentem effectum. *Re-* 5
sponderunt ei : Jesum Nazarenum. Non enim cognoverunt Jesum, quamvis lumen adesset, et ante eum novissent. Imo nec Judas eum cognovit, quousque placuit Christo. Quemadmodum enim divina virtute fecit se sæpe invisibilem hostibus suis, quando voluerunt eum præcipitare et lapidare, sic nunc fecit se eis incognoscibilem, donec punctum suæ captionis instaret. (Luc. IV, 29, 30; Joann. VIII, 59.) *Dicit eis Jesus : Ego sum* Jesus Nazarenus, imo et verus Deus, qui olim locutus sum Moysi : Ego sum qui sum; hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. (Exod. III, 14.) *Stabat autem et Judas qui tradebat eum, cum ipsis* in acie, quia dux fuit, atque præcessit, ut primitus accedendo et osculando, ostenderet virum quem quærebant.

Ut ergo dixit eis Jesus, *Ego sum, abie-* 6
runt retrorsum, et ceciderunt in terram, nec surrexerunt, nisi Domino Jesu annuente. Ecce quanta est virtus Christi, qui uno verbo omnes illos ita prostravit. Quod utique miraculose factum est divina virtute, mediante verbo quod dixit, Ego sum, quod terribiliter auribus illorum insonuit (tanta namque fuit vis verbi illius, quantam voluit Christus eam esse); item, me-

Digitized by Google

diante sui vultus apparatu, quem eis ostendit in timore et majestate. Quemadmodum
Matth. xxi, 12.
enim ejecit de templo omnes ementes et vendentes, quoniam terruit eos egredientibus igneis radiis ex oculis ejus, atque divino quodam fulgore in ejus facie radiante; sic nunc istos dejecit in terram. Et si illa ejectio, secundum Origenem et Hieronymum, tam mira fuit quod suscitatio Lazari ei vix præferatur, multo utique mirabilior exstitit ista armatorum, pugnatorum, atque turbarum tantarum dejectio. Merito quoque cadebant retrorsum, qui stabant ex adverso Christi, et ut miserabiliores apparerent ac penitus victi, tanquam qui Filio Dei se opponere præsumpserunt.

7 *Iterum ergo interrogavit eos : Quem quæritis ? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum.* Non enim pœnituerunt viso tam insigni miraculo Christi, propriamque infirmitatem experti, quoniam obsti-
Eccle. vii, 14.
nati erant, et quem Deus contemnit, nemo
8 corrigere potest. *Respondit eis Jesus : Dixi vobis, quia ego sum. Si,* pro quia, *ergo me quæritis* ad capiendum et occidendum, non ad contemplandum, diligendum et perfruendum, quomodo me quærunt electi, *sinite hos* discipulos meos *abire.* Omnia hæc operatus est Christus : Primo, ad majestatis suæ declarationem. Secundo, ad infidelium illorum commonitionem, videlicet, ut suam infirmitatem et Christi virtutem attenderent. Voluit enim Christus eos, quantum in se erat, commonere : unde et auriculam amputatam restituit
Luc. xxii, 51.
proprio loco. Tertio, ut penitus inexcusabiles fierent, persistentes in malo. Denique Christus dicendo, Si me quæritis, sinite hos abire, dedit hostibus suis licentiam quamdam, hoc est non prohibitionem, sed permissionem capiendi se; non tamen dedit eis admonitionem vel jussionem faciendi tantum piaculum. Jussit vero ut Deus, ne caperent suos discipulos; et necessario obedierunt, non valentes voluntati jubentis resistere : alias mirum esset quod non comprehenderunt

A Apostolos, maxime Petrum, qui Malchum tam graviter vulneravit.

Cur autem Christus jussit ne discipulos tangerent, subdit Evangelista. *Ut imple-* 9
retur sermo quem dixit Jesus (capitulo Joann. xvii, 12.
præcedenti) : *Quia quos dedisti mihi,* o Pater, *non perdidi ex eis quemquam,* id est, nullum electorum Apostolorum perire permisi. Hoc dixerat Christus his verbis : Quos dedisti mihi, ego custodivi. Possunt autem hæc verba exponi dupliciter : Primo, de corporali conservatione, eritque B sensus : Non perdidi ex eis quemquam, id est, nullum Apostolorum mecum occidi permisi, sed de manu hostium illos eripui. Secundo sic : Non perdidi ex eis quemquam, id est, nullum illorum damnari permisi. Si autem Christus permisisset Apostolos hac vice capi, perissent, secundum Augustinum, quia infirmi erant, et ad moriendum pro Christo imparati. Nam et princeps eorum sola interrogatione concussus, ter negavit. Dilata est ergo eo- Matth. xxvi, 69-74.
rum occisio, quousque confirmati fuerunt C in fide, et evangelicam legem disseminaverunt; tuncque moriendo pro Christo non perierunt, nec perdidit eos Christus, sed ampliorem sunt consecuti salutem.

Simon ergo Petrus habens gladium. 10
Apud Lucam legitur Christus dixisse Apostolis : Qui non habet, vendat tunicam Luc. xxii, 36.
suam, et emat gladium. Cui responderunt : Domine, ecce duo gladii hic. Ibid. 38.
Horum duorum gladiorum unum detulit Petrus. Porro gladii isti, secundum quosdam, fuerunt magni cultelli, quibus uti solent D piscatores; alii dicunt, quod erant gladii proprie dicti. *Eduxit eum* de vagina, *et percussit pontificis servum,* ex magno amoris fervore, quo Jesum dilexit præ ceteris, volens ulcisci Filium Dei, bono zelo, sed indiscreto, *et abscidit auriculam ejus dexteram.* Forte putavit eum occidere. Imo, secundum Chrysostomum, intendebat ei caput amputare. *Erat autem nomen servo Malchus :* quem Petrus stans juxta Jesum non magis læsisset quam alium, nisi ille primo cœpisset mittere manum

Digitized by Google

sacrilegam in Filium Dei. Hoc equidem A
fecit Petrus quando cœperunt compre-
hendere Christum : qui, secundum Lu-
Luc. XXII, 51. cam, tetigit locum vulneris, et restituit
aurem atque sanavit.

11 *Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium*
tuum in vaginam. Christus, patientiæ do-
Matth. V, 44. ctor, qui docuit et præcepit adversarios
diligi, et persecutoribus bona impendi,
implevit quod docuit. Per quod damna-
tur ira et impatientia nostra, qui nec
unum verbum durius prolatum possumus,
vel potius nolumus sustinere, et inter- B
dum nec contenti sumus æquale damnum
rependere, sed modice læsi, volumus of-
fensorem nostrum prorsus deprimere. Quo
Rom. XII, 21. contra dicit Apostolus : Noli vinci a ma-
lo, sed vince in bono malum. Et Psal-
Ps. VII, 5. mista : Si reddidi, inquit, retribuentibus
mihi mala, decidam merito ab inimicis
meis inanis. *Calicem quem dedit mihi*
Pater, id est mortem quam Pater vult
me sustinere pro mundi salute, *non vis*
ut bibam illum, id est, mortem hanc gu-
stem? tanquam dicat : Erras hoc volendo. C
Matth. XVI, 21, 22. Unde et alio loco, quum Christus passio-
nem suam prædixisset, cœpissetque Petrus
increpare eum, dicens, Domine, propitius
esto tibi, nam hoc non erit; respondit
Marc. VIII, 33. ei Jesus : Vade retro me, satana, quia non
sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ homi-
num. — Quæritur, si Pater dedit Christo
hunc calicem, quid peccaverunt Judæi qui
eum Christo dederunt, intulerunt et pro-
pinaverunt. Dicendum, quod Pater ideo
dicitur calicem Christo dedisse, quia per
ejus passionem decrevit humanum genus D
redimere, et quia permisit eum occidi.
Voluit ergo Christum mortem patienter
et caritative sufferre; non tamen voluit
Judæos tantum crimen committere : un-
de nec excusantur, quia nec ea inten-
tione Christum occiderunt qua Pater vo-
luit eum mori. Hinc in Actibus Petrus
Act. III, 18. testatur : Deus qui prænuntiavit per os
omnium Prophetarum pati Christum su-
um, implevit sic.

12 *Cohors ergo et tribunus* princeps co-
hortis, qui erant gentiles a Pilato trans-
missi, *et ministri Judæorum,* præsertim
pontificum, *comprehenderunt Jesum,* vio-
lentiam inferentes ei, qui non habebat *I Petr.* II, 22.
peccatum. Est autem et alia comprehen-
sio Christi bona ac spiritualis, per amo-
rem et contemplationem : de qua dicit
Apostolus, Sequor autem, si quo modo *Philipp.* III, 12.
comprehendam in quo et comprehensus
sum; Sponsa quoque in Canticis, Appre- *Cant.* VIII, 2.
hendam (ait) te, et ducam in domum
matris meæ. *Et ligaverunt eum* in ma-
nibus. Fertur quoque quod ferream ca-
tenam miserunt in collum ejus. Dixerat
enim eis Judas : Ducite eum caute. *Marc.* XIV, 44.

Et adduxerunt eum ad Annam pri- 13
mum, id est, priusquam ducerent eum
ad Caipham : nam primo occurrit eis ab
extra venientibus, domus Annæ. Volue-
runt ergo eum lætificare, præsentando ei
ligatum quem oderat; item, ut ei reve-
rentiam exhiberent tanquam affini Cai-
phæ, quemadmodum subditur. *Erat au-*
tem socer ipse Annas *Caiphæ,* qui habuit
filiam Annæ, *qui* Caiphas *erat pontifex*
anni illius. Quamvis enim secundum le-
gem debuit esse unus summus sacerdos *Num.* XXXV, 28.
usque ad finem vitæ suæ, cui succederet *Exod.* XXIX, 29.
filius ejus, jam tamen per ambitionem
Judæorum, quolibet pene anno mutaban-
tur pontifices. Annas vero et Caiphas,
tanquam pecuniosiores, frequentius præ-
sidebant vicibus alternatis. *Erat autem* 14
Caiphas qui consilium dederat Judæis :
Quia expedit unum hominem mori pro
populo. Hoc dictum est supra. Hoc ideo *Joann.* XI, 50.
puto repetere Evangelistam, ut Christi oc-
cisionem retorqueat maxime in principes
sacerdotum, qui secundum Augustinum,
voluerunt quasi immunes videri a morte
Christi. Propter quod in Actibus Aposto-
lorum dixerunt Apostolis : Implestis Je- *Act.* V, 28.
rusalem doctrina vestra, et vultis super
nos inducere sanguinem hominis istius.

Sequebatur autem Jesum Simon Pe- 15
trus, et alius discipulus, qui communiter
fertur fuisse Joannes. Sed si ita est, cur
more solito non adjecit, Quem diligebat *Joann.* XIII, 23; XXI, 7, 20.

Digitized by Google

Jesus? Forsitan ideo, quia nunc recitat A
Matth. xxvi, 56. factum in quo infideliter egit, primo, fu-
Ibid. 58. giendo a Christo, deinde a longe sequen-
do : propterea reputat se indignum solito
titulo. Hi ergo præ ceteris secuti sunt
Christum, quia in ejus amore magis ar-
Ibidem. serunt, concupieruntque videre quem ex-
itum res ipsa haberet. Quamvis itaque
primo cum aliis Apostolis aufugissent, ta-
men assumpta quadam fiducia, rursus se-
cuti sunt Jesum. Marcus evangelista de
sequela Joannis nil refert, sed ait quod
Marc. xiv, 51. adolescens quidam amictus sindone se- B
cutus sit Christum. Quem adolescentem
aliqui asserunt fuisse Joannem : quam-
Ibid. 54. vis postea de solo Petro dicat, quod a
longe secutus sit eum. *Discipulus autem
ille erat notus pontifici.* Causam notitiæ
diversi diversimode tradunt : quidam,
quod frequenter portavit pisces ad do-
mum Annæ; alii, quod propter nobilita-
tem suæ prosapiæ fuerat ei notus, quia
de tribu Juda et semine David. *Et intro-
ivit cum Jesu in atrium pontificis.* An-
nam vocat pontificem, non quia tunc erat, C
sed quoniam et ante et postea fuit.

16 *Petrus autem stabat ad ostium* atrii
foris, non audens, vel non permissus in-
trare. *Exivit ergo ille discipulus alius
qui erat notus pontifici, et dixit ostia-
riæ,* rogans eam ut intromitteret Petrum;
et introduxit Petrum, annuente precibus
suis ostiaria. Discipulus iste, quando in-
travit cum aliis, putavit quod Petrus se
sequeretur : quem quum videret deesse,
17 egressus est ut introduceret eum. *Dixit
ergo Petro ancilla ostiaria : Numquid et* D
tu ex discipulis es hominis istius? Hoc
mulier suspicabatur, quoniam vidit Pe-
trum timide introeuntem : et forte ex
dispositione habitus sui notavit quod es-
set de consortio Jesu. Videtur autem hæc
mulier quasi compassive locuta, dicendo,
Hominis istius : quod nihilo minus intel-
ligi potest quasi despective dictum. *Di-
cit ille : Non sum.* In quo patet infirmi-
Joann. xv, 5. tas Petri, et verum esse quod dixerat
Christus : Sine me nihil potestis facere.

Ubi enim, o Petre, ubi jam verba tua
quæ paulo ante tam secure dixisti : Qua- *Joann.* xiii, 37.
re non possum te sequi modo? Animam
meam pro te ponam. Etsi omnes scanda- *Matth.* xxvi, 33.
lizati fuerint, ego nunquam scandalizabor.
Itemque : Paratus sum tecum et in mor- *Luc.* xxii, 33.
tem et in carcerem ire. Et ecce una voce
ancillæ dejectus es! Nemo ergo se jactet,
nullus præsumat, nullus propriis viribus
innitatur. *Stabant autem servi et mini-* 18
stri. Hoc forsitan dicit, quia et quidam de
servis tribuni adfuerunt, et forte cum ser-
vis Judæorum steterunt. *Ad prunas, quia
frigus erat,* quemadmodum sæpe est in
vernali æquinoctio, *et calefaciebant se,*
quia post mediam noctem tempus est ma-
gis frigidum. *Erat autem cum eis et Pe-
trus stans et calefaciens se :* cui interior
ignis sanctæ dilectionis exstinguebatur.
Stetit autem inter ministros quasi auda-
cter, ne notaretur.

Pontifex ergo interrogavit Jesum de 19
discipulis suis, cur vel quomodo eos col-
legisset, et ubi jam mansissent, qui et
quales essent, *et de doctrina ejus.* Exa-
minavit itaque Annas Jesum de duobus,
videlicet de discipulis suis, ac documen-
tis, ut aliquid calumniæ inveniret in Chri-
sti responsis. Quærebat igitur Jesum quid
docuisset.

Respondit ei Jesus : Ego palam locutus 20
sum mundo. Ad primam quæstionem ni-
hil respondit, quia discipuli ejus laude
pro nunc digni non erant. Ad secundam
vero respondet : Ego palam, id est in lo-
cis publicis, voce expressa, in communi
audientia locutus sum mundo, videlicet
bonis et malis, doctis atque indoctis. Non
tamen loquebatur Christus semper pa-
lam, id est plane ad intelligendum tur-
bis, quemadmodum ait discipulis : Vobis *Marc.* iv, 11, 12; *Luc.* viii, 10.
datum est nosse mysterium regni Dei;
ceteris autem in parabolis omnia fiunt,
ut videntes non videant, et audientes non
intelligant.

*Ego semper docui in synagoga et in
templo, quo omnes Judæi conveniunt.* His
videtur contrarium quod secundum alios

Digitized by Google

Evangelistas, Christus frequenter docuit alibi quam in synagoga et templo, puta
Matth. v-viii; xiii; xii; *Luc.* x, 38-42. in monte, in navi, in via, in domo Marthæ, aliisque locis diversis. Et respondendum, quod per synagogam, intelligere possumus congregationem Judæorum. Christus autem raro vel nunquam legitur docuisse aliquem solum privatе : quamvis interdum hoc fecerit, ut quando lo-
Joann. iv, 6 *et seq.* cutus est mulieri Samaritanæ ad puteum. Dum ergo prædicavit discipulis, docuit in synagoga. Secundo, nomine synagogæ, intelligi potest quælibet domus Judæorum ordinata ad cultum divinum, non ad sacrificia, in qua convenerunt ad orandum ac audiendum lectionem legis et Prophetarum. Et quamvis non habuerunt nisi unum templum in quo licuit sacrificia immolare, habuerunt tamen in singulis urbibus synagogas, in quibus legitur Chri-
Matth. iv, 23; ix, 35; xiii, 54. stus frequenter prædicasse. Sit igitur sensus : *Ego semper,* temporibus aptis (quo-
Luc. xviii, 1. modo alibi dicitur, Oportet semper orare, id est omni tempore deputato vel debito), *docui,* loquendo de prædicationibus magis solennibus et protractis, *in synagoga,* id est materiali, vel congregatione populi, *et in templo* Jerusalem, *quo omnes Judæi conveniunt,* certis temporibus secundum legem.

Et in occulto locutus sum nihil. Quomodo verum est hoc, quum apud Marcum
Marc. iv, 10. dicatur, Quum esset in domo singularis, interrogaverunt eum discipuli? Dicendum, quod sensus verborum est iste : In occulto, id est susurratorie, seu latenter, animo occultandi, quasi non audens apparere et a communitate audiri, locutus sum, id est prædicavi, nihil. Hinc enim
Matth. x, 27. dicit Apostolis : Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine ; et quæ auditis in aure, prædicate super tecta. Sed his rursus obviare videtur quod apud Isaiam de
Is. xlii, 2. Christo prædictum est : Non clamabit, nec audietur foris vox ejus. Respondendum, quod verbis illis aufertur a Christo inordinata elevatio vocis, et vana ad plebem vociferatio. De quo clamore ait Apostolus : Omnis ira et indignatio et clamor *Ephes.* iv, 31.
tollatur a vobis. Fuit ergo sermocinatio Christi modesta, non ex impetu passionis clamorosa.

His verbis Christus ostendit veram esse suam doctrinam. Suspecta namque et falsa documenta, prædicantur in angulis atque latibulis. Unde supra dictum est :
Omnis qui male agit, odit lucem, et non *Joann.* iii, 20, 21.
venit ad lucem, ne manifestentur opera ejus ; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt.

Quid me interrogas, animo reprehen- 21
dendi, non proficiendi, cui nec credis? *Interroga eos qui audierunt, quid locutus sim ipsis.* Quasi dicat : Illorum testimonio volo stare. Quod non faciunt seductores, sed negant in manifesto, præsertim coram judicibus, quod prædicant in secreto. *Ecce hi sciunt quæ dixerim ego,* et ideo debes ab eis inquirere, quia plus credis eis quam mihi. Non erat hic Annas dignus veritatem prædicatam ab ore Christi audire, quoniam ad calumniandum quæsivit.

Hæc quum dixisset Jesus, *unus adsi-* 22
stens ministrorum pontificis, volens placere domino suo, *dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes pontifici?* id est, quomodo audes tam præsumptuose et reprehensive respondere tanto patri ac principi, non præmittendo verba reverentiæ ? Videtur huic facinorosissimo servo, quod Christus nimis audacter respondisset summo sacerdoti, eumque de imperita interrogati-
one reprehendisset. *Respondit ei Jesus :* 23
Si male locutus sum, id est false et indiscrete. Quandoque enim aliquis loquitur male, nec loquens malum aut falsum, sed verum et bonum, quia quod bonum et verum est non loquitur cum debitis circumstantiis actus virtutum. *Testimonium perhibe de malo,* id est, ostende in quo male dixi. *Si autem bene,* id est, prudenter et juste respondi, *quid me cædis* quasi temerarium, quum pœna infligatur pro culpa ? Ex hoc patet, quia quod alibi

Digitized by Google

Matth. v, 39. docet Salvator, Si quis te percusserit in A unam maxillam, præbe ei alteram, intelligendum sit secundum animi præparationem, quando videlicet expedit vel oportet ad Dei honorem, vel proximorum ædificationem, vel aliam piam causam, non secundum operis exhibitionem, nisi pro tempore, loco et causa.

ARTICULUS XLIV

PROSECUTIO EXPOSITIONIS HUJUS CAPITULI OCTAVIDECIMI : ET MISIT EUM ANNAS LIGATUM AD CAIPHAM PONTIFICEM.

POSTQUAM Joannes narravit quod alii B Evangelistæ omiserunt, videlicet quid passus sit Jesus in domo Annæ, procedit ad ea quæ alii quoque descripserunt, quæ pro magna parte omittit Joannes, tanquam sufficienter recitata per illos.

24 *Et misit eum*, scilicet Jesum, *Annas ligatum ad Caipham pontificem*. Præsentatus enim fuit Christus Annæ ligatus. Unde et Annas judicans eum vinculis dignum, misit eum sic ad Caipham, tanquam ad principalem : in cujus domo erant collecti sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi, et C seniores, ut Christus a Caipha in audientia talium examinaretur.

25 *Erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se*. Secundum Augustinum et ejus imitatores, qui dicunt trinam negationem Petri in domo Annæ completam, Evangelista nunc redit ad describendum quod cœpit narrare de Petri negatione. Propter quod verba paulo ante inducta resumit, dicendo : Erat autem Petrus. Alii dicunt trinam negationem Petri factam in domo Caiphæ, et per anticipationem D esse intelligenda quæ scribit Joannes de negatione præfata. Quorum assertioni videntur alii tres Evangelistæ favere, qui nil scribunt de perductione Christi ad Annam, sed quod Petrus secutus sit Christum usque in atrium Caiphæ, et ibi ter Christum negaverit. Quidam vero affirmant, quod Petrus negavit semel in domo Annæ, bisque in habitaculo Caiphæ : et

Matth. xxvi, 57, 58, 69-74 ; Marc. xiv, 53, 54, 66-71 ; Luc. xxii, 54-60.

ita, quod nunc ait Evangelista, referendum esset ad stationem Petri in domo Caiphæ.

Dixerunt ergo ei ministri qui stabant
ad ignem : *Numquid et tu ex discipulis*
ejus es, hujus videlicet deceptoris ? Quod
conjiciebant forte ex dispositione ac habitu Petri, et quia cum verecundia, timore et compassione sedebat. *Negavit*
ille, et dixit : Non sum. Christus prædixit
Petro, quod ter negaturus se esset ; nunc Matth.
autem asserit Evangelista, quod Petrus xxvi, 34.
negaverit se esse discipulum Jesu. Sed
hoc negando, negavit et Christum. *Dixit* 26
unus ex servis pontificis, cognatus ejus
cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne
ego te vidi in horto quo cepimus Jesum,
cum illo ? quasi dicat : Facialiter te cognosco, quoniam recolo quod vidi te in
horto cum illo. *Iterum ergo negavit Pe-* 27
trus. Postremo, quomodo in descriptione
negationis Petri differant inter se Evangelistæ, dixi super Matthæum : idcirco In Matth.
nunc pertranseo. *Et statim gallus cantavit* xxvi, 72.
secunda vice : quia secundum Marcum,
Christus prædixerat Petro, In hac nocte, Marc. xiv,
antequam gallus bis vocem dederit, ter 30.
me es negaturus.

Adducunt ergo Judæi *Jesum a Caipha* 28
in prætorium. Prætorium appellatur sedes
vel domus in qua residebant ad discernendas populi causas ipsi prætores : qui dicuntur quasi præceptores, quia præcepta dabant subjectis. Hoc loco multa omit-

tit Joannes quæ alii Evangelistæ scripse-
Matth. runt, videlicet quomodo Caiphas Christum
xxvi, 65, 66; *Marc.* xiv, discussit blasphemum, morteque dignum
63, 64. judicavit. *Erat autem mane.* Nam hora
prima Dominum Jesum ducebant ad Pilatum.
Ex aviditate enim suæ occisionis,
tam mane obtulerunt eum Pilato vinctum,
quoniam consuetudo eis fuit illos offerri
præsidi vinctos, quos judicabant morti
obnoxios. *Et ipsi non introierunt in prætorium*
præsidis, *ut non contaminarentur,*
Act. x, 28; ingrediendo domum viri gentilis contra
xi, 3. legem, fierentque immundi ad edendum
cibum paschalem, de quo subjicitur, *sed*
ut manducarent pascha, id est azymos
Num. ix, 11; panes, non agnum paschalem, qui in ve-
Deut. xvi, 6, 7. spere præcedentis diei fuit comestus. —
Græci vero, putantes hoc loco per pascha
intelligi agnum paschalem, dicunt
quod Jesus passus sit feria quinta, in
qua agnus typicus offerebatur, ut sit figuratum
seu veritas correspondens figuræ
etiam quantum ad tempus. Sed hoc
est manifeste contra alios Evangelistas,
In Matth. xxvi, 17. quemadmodum super Matthæum plenius
Matth. xxiii, 24. declaravi. — Ecce hypocritæ isti excolantes
culicem, et camelum glutientes ;
timentes parvum peccatum, non maximum;
formidantes maculari ingrediendo
domum pagani, et non verentes effundere
sanguinem Christi.
29 *Exivit ergo Pilatus ad eos foras,* in
hoc cedens observationi eorum, *et dixit :*
Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?
tanquam dicat : Præsentatis
mihi istum vinctum quasi morte dignum,
quid ergo objicitis ei? Pilatus quippe a
rege Romanorum judex Judææ constitutus,
voluit Romanorum legem servare,
Act. xxv, 16. quibus consuetudo non erat quemquam
damnare, nisi præsentes haberet accusatores,
locumque defendendi acciperet ad
abluenda crimina, ut habetur in Actibus
30 Apostolorum. *Responderunt* [*et dixerunt*
ei] *: Si non esset hic malefactor,* id est
enormis transgressor morti obnoxius, *non*
tibi tradidissemus eum ita ligatum ut
morti adjudicetur. Quasi dicerent : Tales

A et tanti sumus, quod suspicari non decet
velle nos innocentem morti exponere. *Dixit* 31
ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et
secundum legem vestram judicate eum,
damnando eum ad mortem, si secundum
legem vestram id meruit, vel dimittendo,
seu minori pœna torquendo, si mortem
non promeruit juxta legem. Quasi dicat :
Si tantæ auctoritatis atque justitiæ estis,
ut nudis verbis vestris credendum sit, ergo
et juste judicate eum, et nolite me
in tali negotio prægravare.

B *Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non*
licet interficere quemquam. Quidam dicunt,
quod Judæi hoc vere dixerunt, eo
quod Romani abstulerunt eis judicium
sanguinis, quamvis minora judicia reliquerint
eis. Sed huic dicto obviare videtur,
quod Judæi paulo ante frequenter
tentaverunt occidere Christum, lapidando *Joann.* viii, 59; x, 31;
aut præcipitando ; eodem quoque anno *Luc.* iv, 29.
occiderunt Stephanum. Denique, ut habetur *Act.* vii, 57, 58.
in Actibus Apostolorum, principes
sacerdotum cogitaverunt interficere ipsos *Ibid.* v, 33.
C Apostolos, quando Gamaliel eos compescuit. *Ibid.* 34 et seq.
Imo Judæi lapidaverunt Paulum, et *Ibid.* xiv,
traxerunt eum extra civitatem, putantes 18.
quod mortuus esset. Probabilior ergo videtur
assertio dicentium, videlicet, quod
non licuit Judæis interficere quemquam
in festivitate paschali, ne sanguinis effusione
tantæ solennitatis sanctitatem fœdarent.
Vel potius opinandum est cum
Augustino, quod callide hoc dixerunt, quatenus
Christo a judice reprobato, ipsi videren-
tur immunes. *Ut sermo Jesu imple-* 32
D *retur, quem dixit significans qua morte*
esset moriturus : id est, ob hoc concomitanter
Judæi renuerunt propria auctoritate
occidere Christum, atque dixerunt,
Nobis non licet interficere quemquam, ut
verbum Christi quo prædixit qualiter et a
quibus occideretur, sortiretur effectum.
Dixit enim Apostolis : Ecce ascendimus *Matth.* xx,
Jerusalem, et Filius hominis tradetur prin- 18.
cipibus sacerdotum et Scribis ; et tradent
eum gentibus ad illudendum, et flagellandum,
et crucifigendum. Quibus verbis

Digitized by Google

significavit se a gentibus exsecutive interficiendum.

33 *Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum.* Judæi enim cum clamore et strepitu magno instabant ut Jesum damnarent : idcirco Pilatus non potens Jesum examinare in tanto tumultu, introivit locum secretum in propria domo, puta prætorium, ut ibi quiete et diligenter inquireret facta Jesu. *Et dixit ei : Tu es rex Judæorum,* ut dicunt te dixisse? id est, estne verum quod tibi objiciunt, scilicet, quod dixeris te regem Judæorum? Hoc namque imposuerunt Christo Judæi, imo et duo alia, juxta illud Lucæ (*Luc.* XXIII, 2.) : Cœperunt illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. Pilatus autem duo prima non advertit, quia quum esset gentilis, non curavit quomodo Jesus doceret Judæos. Secundum quoque agnovit falsum, quia percepit Christum dixisse (*Matth.* XXII, 21.) : Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. Tertium vero videbatur imperatori Romanorum contrarium, qui præcepit ne quis sine suo consensu appellaret se regem, ut dicitur. Specialiter autem dicitur imperator abstulisse Judæis regium nomen, propter eorum superbiam atque frequentem rebellionem. Hinc ergo Pilatus sollicite sciscitabatur an esset rex Judæorum.

34 *Respondit Jesus : A temetipso hoc dicis,* videlicet quod sim rex Judæorum, *an alii tibi dixerunt de me?* Non ex ignorantia quærit hoc Christus, sed ut hac occasione responsionis Pilati, aliquid dicat salubriter ad nostram instructionem proficuum.

35 *Respondit Pilatus : Numquid ego Judæus sum?* tanquam dicat : A me ipso ista non quæro, quia Judæus non sum, unde nec curo de quæstionibus legis eorum, nec ista concipio ex me, quasi peritus in lege illorum. *Gens tua,* videlicet populus iste Judaicus, de quorum numero atque progenie es, *et pontifices tui tradiderunt te mihi :* ex quo apparet quod aliquid magnum sit in causa, eo quod tui tradunt te alieno ad condemnandum. *Quid fecisti?* quasi dicat : Verba illorum et quid tibi opponunt audivi; sed eis non credo, sciens partim falsa esse quæ asserunt, et item quod per invidiam tradiderunt te mihi (*Matth.* XXVII, 18.) : ideo tu ipse dic veritatem; paratus sum credere tibi, propter ea quæ audivi de te, utpote quod tanta mirabilia perpetrasti.

36 *Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo,* id est mundiale, terrenum et temporale, sed cœleste ac spirituale. Per quod Christus satisfecit Pilato zelanti pro Cæsare. Per hoc enim quod Christus non quæsivit dominationem terrenam et temporalem, patet quod non derogavit imperatori, qui tunc mundi monarchiam tenebat. — Sed potest quis dicere, Regnum Christi est Ecclesia militans, degens in sæculo isto : quomodo ergo regnum ejus non est de hoc mundo? Rursus, Christus est princeps regum terræ, ut dicitur in Apocalypsi (*Apoc.* XVII, 14; XIX, 16.) : ergo et omnium terrenorum regnorum. Iterum, dictum est supra (*Joann.* III, 35.) : Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus; itemque (*Ibid.* XVII, 2.), Dedisti ei potestatem omnis carnis. Ex quibus sequitur, quod omnia regna mundi hujus sint ejus. Regna autem mundi sunt de mundo. Dicendum, quod sive per regnum intelligatur principatus seu gubernatio regis, sive subjecti illius, verum est quod regnum Christi non est de hoc mundo, id est tale quale est regnum mundi hujus, vel pertinens ad mundanorum sortem regnorum. Gubernatio enim mundana, est cum pompa et gloria, cum divitiis atque deliciis, vel saltem cum familia multa et magnificentia eorum quæ ad mundum respiciunt. Similiter subditi mundanorum regum sæcularibus occupantur negotiis, et in exterioribus subjiciuntur regibus suis. Porro gubernatio Christi est interna, per fidem, caritatem seu gratiam in cordibus electorum suorum : de quibus dixit supra (*Ibid.* 16.), De mundo non sunt, sicut

et ego non sum de mundo : intelligendo per mundum homines terrenos, carnales, mundanos. (*Zach.* IX, 9; *Matth.* XI, 29.) Christus quoque in paupertate et humilitate, in afflictione et adversitate præfuit suis, qui potius sunt cœlestes quam mundiales, dicente Apostolo : Nostra conversatio in cœlis est; (*Philipp.* III, 20.) et, Qui in carne sunt, placere Deo non possunt. (*Rom.* VIII, 8.)

Si ex hoc mundo esset regnum meum, id est mundanum et temporale, consistens in exterioribus et dominatione terrena ac virtute armorum, *ministri mei,* quos tunc haberem, sed modo non habeo, utpote homines sæculares similes satellitibus atque militibus regum mundanorum; vel, ministri mei quos nunc habeo, videlicet angeli sancti ceterique credentes; *utique decertarent,* id est, pugnarent pro me, *ut non traderer Judæis.* Tales etenim reges nolunt opprimi, capi, aut hostibus subjici, subditi quoque eorum usque ad mortem pugnant pro eis. *Nunc autem regnum meum non est hinc,* id est de hoc mundo, ut patuit. Primus enim Christi adventus promissus prænuntiatusque fuit in paupertate, abjectione et humilitate, ut (*Zach.* IX, 9.) pateretur pro mundi salute. Secundus vero erit in majestate et gloria, ut judicet mundum, et omnes adversarios suos dejiciat et condemnet. (*Matth.* XXIV, 30.) Ex quo elucescit cæcitas Judæorum præstolantium primum Christi adventum in tanta majestate et gloria, quod omnia mundi regna ipsis subjiciet, mundique monarcha consistet, non attendentes quod Jeremias Christum alloquens prophetavit : Quare quasi colonus venturus es in terra, et sicut viator declinans ad manendum? (*Jer.* XIV, 8.)

37 *Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu?* Pilatus audita Christi responsione, notavit quod admisit se esse regem, quamvis non terrenum : ideo sollicite inquisivit de hujusmodi regno, quod secundum verba Christi non pertinuit ad Judæos.

Respondit Jesus : Tu dicis, quia rex sum ego, id est, veritatem quam a me interrogas, tu ipse profers, quia vere sic est, quod rex sum. Quamvis enim interrogatio interrogative proposita, non sit vera nec falsa, tamen hoc ipsum quod significat, est verum vel falsum, si simpliciter proferatur, videlicet assertive vel negative : sicque verbum Pilati quo dixit, Ergo rex es tu? verum fuit simpliciter sumptum, seu assertive prolatum. Christus autem talem habuit modum respondendi. Nam quum Judas dixisset : Numquid ego sum, Domine? respondit : Tu dixisti. (*Matth.* XXVI, 25.) Porro, quod Christus sit rex utriusque Testamenti, testantur Scripturæ. Scriptum est enim de eo apud Jeremiam : Regnabit Rex, et sapiens erit. (*Jer.* XXIII, 5.) Zacharias quoque ait : Ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus. (*Zach.* IX, 9.) Item Lucas : Regnabit, inquit, in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis; (*Luc.* I, 32, 33.) Joannes quoque in Apocalypsi, Agnus Dominus dominorum est et Rex regum. (*Apoc.* XVII, 14.) De cujus regno quod non est hinc, contestatur Apostolus : Quum tradiderit regnum Deo et Patri. (I *Cor.* XV, 24.)

Ego in hoc, id est propter hoc, *natus sum* temporali nativitate ex Virgine : de æterna quippe generatione modo non loquitur; *et ad hoc veni in mundum* per incarnationis mysterium, non per divinitatis mutationem, vel descensum localem, *ut testimonium perhibeam veritati,* id est, vera affirmem, veritatem prædicem, falsa reprobem, injusta condemnem. Venit enim Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. (I *Joann.* III, 8.) Perhibuit autem Christus testimonium veritati doctrinæ, evangelicam legem docendo; veritati justitiæ, opera Judæorum redarguendo, prout supra dixit, Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo quia opera ejus mala sunt; (*Joann.* VII, 7.) veritati quoque vitæ, quia quod docuit, adimplevit. Denique testimonium perhibuit veritati, utpote sibimetipsi, ut dictum est supra : Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso. (*Ibid.* VIII, 18.) Ipse autem est via, veritas et vita. (*Ibid.* XIV, 6.) *Omnis qui est ex veritate* æterna et increata, non solum per creationem, ut omnia, sed per prædestinationem et imitationem, hoc est, qui perti-

Digitized by Google

net ad Deum, quasi electus ab eo, et filius A
ejus per adoptionem, *audit vocem meam,*
id est, doctrinæ meæ tandem aliquando,
atque finaliter antequam hinc recedat, cre-
dit et acquiescit : et tales sunt regnum
meum. Hoc est quod alibi scriptum est :
Joann. VIII, 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit; propter-
ea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

38 *Dicit ei Pilatus : Quid est veritas?* Pi-
latus quia judex erat, audito nomine ve-
ritatis, sciscitatur quid sit veritas, quæ
maxime respicit judices, quorum est in-
ter vera ac falsa discernere. Possunt au- B
tem verba Pilati dupliciter accipi : pri-
mo, ut intelligatur quæsisse in communi
definitionem veritatis; secundo, ut intel-
ligatur specialiter interrogasse, quid sit
veritas de qua audivit a Christo, Omnis
qui natus est ex veritate : ex quibus ver-
bis pensavit quod veritas esset quoddam
principium hominum. *Et quum hoc di-
xisset, iterum exivit ad Judæos.* Non ex-
spectavit Christi responsionem, præ nimio
desiderio liberandi et excusandi eum. Jam
enim percepit innocentiam Christi. Et for- C
te sic festinavit, quia repente occurrit
memoriæ ejus, modus eripiendi Christum
de manibus Judæorum : qui modus sub-
jungitur.

*Et dixit eis : Ego nullam invenio in
eo causam* mortis, diligenti ac debita in-
39 quisitione præmissa. *Est autem consuetudo
vobis, ut unum* reum *dimittam vobis,* id
est ad vestrum honorem atque instantiam,
in Pascha, id est in festivitate pascha-
li. Hanc consuetudinem habuerunt Judæi,
non ex legis præcepto, sed ex prædeces- D
soribus suis, qui et hoc impetraverunt ab
imperatore, ut judex ab illo constitutus in
Jerusalem et Judæa, dimitteret eis unum
vinctum in Pascha, quemcumque petis-
sent, in recordationem liberationis patrum
suorum de servitute Pharaonis : quæ li- Exod. XII, 21, 28, 29, 31.
beratio fuit in Pascha. *Vultis ergo dimit-
tam vobis regem Judæorum?* Pilatus Ro-
mano imperatori obediens, vocat Jesum
regem Judæorum derisorie et jocose. Non
enim assertive dixit eum regem Judæo-
rum, quia imperator prohibuit aliquem
sine suo consensu Judæorum regem vo-
cari, et quia audivit a Christo : Regnum
meum non est de hoc mundo. Sed idcirco
sic loquitur, ut ostendat quam vana et
frivola fuerat Judæorum objectio, qui hoc
Christo imponebant, quod dixit se regem
Judæorum. Quasi dicat : Qualem apparen-
tiam habet hoc, quod iste pauper dixerit
se regem Judæorum, quantum ad regi-
men de quo imperatori et mihi est cura?

Clamaverunt ergo rursum omnes Ju- 40
dæi adversarii Salvatoris, non tamen om-
nes simpliciter. Aliqui etenim aderant
amici Christi, videlicet Nicodemus, Joseph,
etc. *Dicentes : Non hunc, sed Barabbam*
nobis dimitte. *Erat autem Barabbas latro,*
qui ut Lucas refert, propter seditionem Luc. XXIII, 19.
factam in civitate et homicidium, missus
fuit in carcerem. Hunc locum ponit Jo-
annes truncate, sciens quod alii Evange-
listæ eum descripserint plenius. Adverten-
dum ergo, quod Pilatus ex corde cupiens
Jesum eripere, excogitavit industriose ;
proposuitque Judæis duos, quorum alte-
rum eligerent sibi dimitti. Et ne alium
magis quam Jesum peterent sibi dimitti,
proposuit Jesum et Barabbam latronem se-
ditiosum et homicidam, arbitrans quod
nequaquam tam sceleratum ac odiosum
eligerent. Pontifices vero et Pharisæi per- Matth. XXVII, 20.
suaserunt populo ut eligerent Barabbam,
et Jesum crucifigi deposcerent : quod et
fecerunt. Unde et merito venit super Ju- I Thess. II, 16.
dæos ira Dei usque in finem, quia latro-
nem præposuerunt Filio Dei.

Digitized by Google

ARTICULUS XLV

DECLARATIO CAPITULI NONIDECIMI : TUNC ERGO APPREHENDIT PILATUS JESUM.

UNUS Evangelistarum omittit quædam quæ alii descripserunt. Joannes itaque hoc loco omittit quod recitat Lucas, (*Luc.* xxiii, 7-16.) quomodo scilicet Pilatus misit Jesum ad Herodem, qui quum Jesum alba veste indutum, spretum, illusum remisisset, ipse Pilatus rursus instabat quomodo Jesum eriperet. Quumque Judæorum furore pensato, considerasset quod non posset Jesum omnino immunem dimittere cum pace illorum, cogitavit eum castigare ad satisfaciendum illorum furori, non ut Christum persequeretur, quem noverat innocentem, sed ut cæsum dimitteret. Fecit ergo quod subditur.

1 *Tunc ergo,* dum vidit se verbis nihil proficere, sed Judæos latronem præ Christo eligere, *apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit* eum, id est, per suos servos fecit exspoliari vestibus, alligari columnæ, flagellis crudeliter percuti : quod erat tenerrimo, naturalissimo ac nobilissimo corpori Christi inæstimabiliter pœnale. — Nos quoque jugiter recordemur quæ et quanta pro nobis sustinuit Agnus sine macula, ejusque exemplo discamus libenter ferre adversa ; pro ejus amore omnia dura ac aspera affectuose toleremus, corrigamus quoque et castigemus nos ipsos ; meditemur quam erubescibile fuit in regia civitate, in die solenni, in tot millium præsentia, in adversariorum conspectu, sic nudari, ligari ac flagellari, et cetera quæ subsequuntur sufferre, sicque discamus contemnere omnem humanum honorem, et esse parati ad contumelias, irrisiones, confusiones pro Christo.

2 *Et milites* præsidis, *plectentes coronam de spinis,* id est juncis marinis longis, acutis, et valde punctivis, *imposuerunt ca-* A *piti ejus* cum illusione, quia dixit se regem ; *et veste purpurea circumdederunt,*
id est vestiebant, *eum.* Matthæus vocat
chlamydem coccineam : et forte fuit ali- (*Matth.*
quid rubeum simile purpuræ. *Et venie-* xxvii, 28.) 3
bant ad eum, et dicebant irridendo : *Ave,*
rex Judæorum. Quasi dicerent : O miser et stulte, qui te jactasti esse regem Judæorum ! propter hoc meruisti has pœnas. *Et dabant ei alapas :* quemadmodum Sibylla legitur prædixisse, Dabunt Deo alapas manibus incestis. Et in Job : Aperuerunt (*Job* xvi, 11.) B super me ora sua exprobrantes ; percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Denique milites hæc fecerunt congregata ac præsente universa cohorte, (*Matth.* xxvii, 27. *Ibid.* 29, 30.) secundum Matthæum ; ponentesque genua sua adoraverunt eum, et surgentes conspuerunt vultum ipsius, percutiebant quoque caput ejus benedictum arundine. — Hæc omnia intentissimam exigunt meditationem, cruciformem imitationem, amoris inflammationem, itemque perennem gratiarum actionem. Ille coronatus est spinis, ut C nos coronemur corona de lapide pretioso, (*Ps.* xx, 4.) danda electis in patria, juxta quod scriptum est : Accipient regnum decoris, (*Sap.* v, 17.) et diadema speciei de manu Domini. Ille purpureo indumento pro illusione indui non negavit, ut nos vestibus gloriæ, duplici stola vestiamur. Unde per Isaiam inducitur : Induit me vestimentis salutis, (*Is.* lxi, 10.) et indumento justitiæ circumdedit me ; in Proverbiis quoque, Omnes domestici (*Prov.* xxxi, 21.) ejus vestiti sunt duplicibus. Denique tantas illusiones, consputationes, contemptus D sustinuit, ut ab illusione diaboli, a confusione æterna, a vilificatione perpetua liberemur.

Exivit iterum Pilatus foras, de præ- 4

torio ad Judæos stantes ante domum su-
am, *et dixit eis : Ecce adduco vobis eum*
foras, ut cognoscatis quia nullam invenio
in eo causam, propter quam occidi me-
ruerit. Quasi dicat : Educo eum castiga-
tum, si forte in verbis offendit, ex quo
potestis attendere quod nullam causam
mortis in ipso comperio : quia si sic, non
flagellassem eum, sed morti mox adjudi-
5 cassem. *Exivit ergo Jesus portans* in ca-
pite *spineam coronam* capiti sacratissimo
dire infixam, *et purpureum vestimentum.*
O quantus dolor apprehendit et penetra-
vit cor maternum dulcissimæ ac virgineæ
Matris, quum Filium suum unicum atque
carissimum, quem plus amavit quam se
ipsam, sic vidit egredientem, taliter cru-
entatum in vultu, sic crudelissime con-
trectatum, tam miserabiliter apparentem !
Non recedat a memoria nostra dispositio
Domini Jesu taliter egredientis. Tunc uti-
Ps. xliv, 3. que speciosus forma præ filiis hominum,
Is. liii, 2. visus est non habens speciem neque de-
corem, quum vultus ejus clarissimus spu-
to et sanguine fuit perfusus. Obsecro te,
Domine Jesu, rex Christe, ut hujus tuæ
apparitionis merito, detur mihi nunc gra-
tia taliter conversandi, ut post vitæ præ-
sentis incolatum, tibi præsenter sine omni
labe peccati, ornatus splendore virtutum,
ne tuo tribunali oblatus confundar.

Et dixit Pilatus *eis,* puta Judæis : *Ecce*
homo qui dixit se regem, id est, cernitis
nunc quam dire et supersufficienter cor-
reptus sit, quam miserabilis appareat, ita
ut merito contentari et compati debeatis,
non graviorem vindictam expetere. Hac
nempe de causa eduxit Pilatus Jesum tam
lamentabiliter sauciatum, ut ad compassi-
onem emollirentur corda Judæorum, ces-
sarentque persequi innocentem.

6 *Quum ergo vidissent eum pontifices et*
ministri fautores eorum speciales, *clama-*
bant, dicentes : Crucifige, crucifige eum.
In quo patet quam lapidea, sæva et in-
vidissima erant illorum corda, qui homi-
ni innocenti sic læso et deformato, quod
adamantina pectora in ejus compassione
A potuerunt mollescere, nequaquam com-
passi sunt, sed voce repetita præ nimio
desiderio, clamabant, Crucifige, crucifige,
quasi illa tormenta insufficientia fuerint.
Et, o beatissima genitrix, dulcis Maria,
quam pœnalissimum erat benignissimæ
animæ tuæ audire verbum illud crude-
lissimum atque asperrimum ! Tunc vere
impletum est quod Psalmista prædixit :
Exacuerunt ut gladium linguas suas; et *Ps.* lxiii, 4.
denuo, Filii hominum dentes eorum ar- *Ps.* lvi, 5.
ma et sagittæ, et lingua eorum gladius
B acutus.

Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et
crucifigite ; ego enim non invenio in eo
causam necis seu crucifixionis. Illi qui
dicunt Judæos vere dixisse Pilato, Nobis
non licet interficere quemquam, quasi om-
nino ablatum fuerit eis judicium sangui-
nis, dicunt quod Pilatus ista respondit ex
indignatione et irrisorie, quasi dicat : Si
audetis vel potestis, occidite eum. Alii di-
cunt quod Pilatus idcirco hæc dixit, quia
Judæi voluerunt immunes videri a morte
C Christi. Propterea commisit eis judicium,
quasi dicat : Si imo justum est eum oc-
cidi, facite hoc per vos, et non imponatis
mihi hoc onus. Vel ideo dixit ista Pila-
tus, ut acciperent Jesum, tenerentque li-
gatum usque post festum, et tunc facerent
secundum quod vellent. *Responderunt ei* 7
Judæi : Nos legem habemus divinitus da-
tam, *et secundum legem debet mori, quia*
Filium Dei se fecit, id est, esse perhi-
buit. Nam ipsa nocte passionis adjuratus *Matth.*
a Caipha, an esset Christus Filius Dei be- xxvi, 63.
D nedicti, manifeste respondit, quod imo. *Ibid.* 64.
Imposuerunt ergo Christo quod nomen et
gloriam Divinitatis sibi usurpavit, sicque
secundum legem occidendus esset tan-
quam blasphemus. Lex tamen præcepit
tales lapidari, non crucifigi. Mira perver- *Lev.* xxiv,
sitas ac cæcitas Judæorum, quasi ideo 16.
mentitus sit Jesus, quia dixit se Filium
Dei, quum tamen per Scripturas et signa
ostenderit se esse Christum, et per con-
sequens Filium Dei.

Quum ergo audisset Pilatus hunc ser- 8

Digitized by Google

monem, videlicet, quod Jesus dixit se Fi- A
lium Dei, *magis timuit,* non propter legem
Judæorum, sed formidavit ne sic esset
quemadmodum Jesus ferebatur dixisse, et
per consequens gravissimum facinus com-
misisset flagellando Filium Dei ; magis
quoque quam antea timuit Jesum occide-
re, ne occidendo hominem, simul occide-
ret Deum. Sed quomodo Pilatus vir gen-
tilis atque idololatra, expers notitiæ veri
Dei, timuit audito quod Jesus dixit se Fi-
lium Dei ? Dicendum, quod multi gentili-
um idololatrarum cognoverunt esse unum B
summum Deum. Imo, secundum Dama-
scenum, omnibus naturaliter insertum est
esse Deum. Rursus probabile est, quod
Pilatus inter Judæos habitans, aliqua au-
divit de Deo Israel, et de judiciis ac om-
nipotentia ejus : unde et plagam Dei potuit
9 abhorrere. *Et ingressus est in prætorium
iterum,* ducens Jesum secum, ut eum se-
cretius diligentiusque discuteret, *et dicit
ad Jesum : Unde es tu ?* Secundum quod
recitat Lucas, antequam Pilatus flagellavit
Luc. xxiii, 6, 7. Jesum, audivit quod Galilæus esset : pro- C
pter quod misit eum ad Herodem. Cur
ergo nunc sciscitatur, et ait, Unde es tu ?
Dicendum, quod quia audivit Jesum di-
xisse se esse Filium Dei, quærit diligen-
tius de loco et principio suæ nativitatis,
an scilicet vere de Deo natus sit, an ex
hominibus.

Jesus autem responsum non dedit ei, ut
Is. liii, 7. impleret quod de ipso cecinit Isaias, Qua-
si agnus coram tondente se obmutescet ;
item, quia Pilatus capax non erat divinæ
generationis Christi ; et rursus, quoniam D
Christus noluit passionem propriam im-
pedire, quam facillime impedisset, si Pila-
to atque Herodi respondisset ad singula.
10 *Dicit ergo ei Pilatus,* vehementer admi-
rans taciturnitatem Christi in tali articulo,
et quia se ipsum poterat faciliter excusare
atque a manibus Judæorum excutere :
Mihi non loqueris ? tanquam dicat : Stul-
te et mirabiliter habes te in hoc quod
judici non respondes prout melius vales,
loquendo mihi cum reverentia et timore,
ut moris est captivorum jam judicando-
rum. *Nescis quia potestatem habeo,* tan-
quam præses et judex rite institutus, *cru-
cifigere te, et potestatem habeo dimittere
te ?* imo, per eamdem potestatem possum
utrumque : et quia hoc scis, merito re-
sponderes.

Respondit Jesus : Non haberes potesta- 11
*tem adversum me ullam, nisi tibi esset
datum desuper,* hoc est a Deo omnipo-
tente, a quo derivatur et datur omnis po-
testas, dicente Apostolo : Non est potestas Rom. xiii, 1.
nisi a Deo. Ab ipso enim est omne bonum Jacob. i, 17.
omneque donum. Præterea, nisi potestas
iniquorum principum et judicum esset a
Deo, scriptum non esset in libro Sapien-
tiæ : Præbete aures, vos qui continetis Sap. vi, 3, 4, 6.
multitudines, quoniam data est vobis po-
testas a Deo, et virtus ab Altissimo, qui
scrutabitur cogitationes vestras ; cito et
horrende apparebit vobis. Dat ergo Deus
potestatem etiam impiis, per se vel per
alios, sed illi abutuntur. Potest quoque
sic accipi : Non haberes potestatem con-
tra me, nisi datum tibi esset desuper, a
superiori principe, scilicet imperatore Ro-
mano. *Propterea,* quia hæc dicis studio
dimittendi me, et ea quæ fecisti in me,
fecisti humano timore, non ex invidia ut
Judæi, vel ex cupiditate ut Judas, *qui me
tradidit tibi,* videlicet populus Judæorum,
maxime sacerdotum, vel Judas originali- Matth. xxvii, 1, 2.
ter, *majus peccatum habet,* id est, gravius Ibid. xxvi, 14-16.
peccat in me quam tu, propter causam
prædictam, et etiam quoniam prima cau-
sa, quæ alias movet et provocat ad opera
prava, plus peccat quam causa secunda
et proxima. Itaque amplius peccat, qui
tradit innoxium judici, scienter et ex ran-
core, quam judex qui ex superioris po-
testatis timore illum dijudicat. Verumta-
men Pilatus propriis verbis damnavit se
ipsum. Dicens enim se habere potestatem
dimittendi Christum, nec tamen eum di-
mittens, quem sciebat innoxium, demon-
stravit se potestate concessa abusum ; nec
debuit timore humano relinquere æqui-
tatem, sed usque ad mortem agonizare Eccli. iv, 33.

Digitized by Google

pro illa, præsertim quum judex debeat esse quasi animata justitia.

12 *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum,* etiam magis quam ante. Intellexit enim ex verbis Christi, quod non sine peccato posset occidere quem novit innoxium. *Judæi autem clamabant, dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris,* qui te ad istam præsidentiam promovit, hoc est, honorem Cæsaris non defendis, nec ejus præcepto obedis. Judæi videntes se non proficere per allegationem suæ legis, quam Pilatus tanquam alienigena non curavit, astute objiciunt ei transgressionem imperialium statutorum, scientes quod non auderet contra Cæsarem agere. Imperatores namque Romani prohibuerunt quod aliquis sine eorum consensu assumeret sibi regium nomen. Propterea subditur : *omnis enim qui se regem facit* propria auctoritate, *contradicit Cæsari,* qui poscit oppositum. Possumus autem per Cæsarem intelligere Tiberium, sub quo passus est Dominus. Nihilo minus Cæsares qui ante eum fuerunt, jusserunt hoc ipsum.

13 *Pilatus ergo quum audisset hos sermones,* timens offendere imperatorem, et accusari apud illum, atque privari officio et in exsilium mitti, *adduxit Jesum foras,* extra prætorium, coram frequentia populi, *et sedit pro tribunali,* id est in sede ad judicandum, *in loco qui* Græce *dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha.* Lithostrotos, secundum Bedam, fuit locus sublimis, habens lapideum pavimentum : unde Lithostrotos dicitur, quasi lapide stratus.

14 *Erat autem parasceve Paschæ,* id est feria sexta ante solennissimum diem festivitatis paschalis, qui fuit sabbatum ; vel, Parasceve Paschæ, hoc est sexta feria quæ fuit una ac prima dierum paschalium. Parasceve autem est nomen Græcum quod interpretatur præparatio, quia in eo parabant Judæi duplices cibos, videlicet pro ipsa feria sexta, et sabbato subse-
Exod. xvi, 23. quenti, in quo secundum legem, non licuit coquere. *Hora quasi sexta.* Contrarium

A videtur, quoniam apud Marcum legitur : Erat hora tertia, et crucifixerunt eum. Marc. xv, 25.
Ergo ante tertiam Pilatus sedit pro tribunali, quum certum sit primo judicatum esse Jesum quam cruce appensum. Iterum, in Luca dicitur, quod erat hora fere Luc. xxiii, 44.
sexta, quando crucifixus est Christus. Matthæus autem scribit, quod ab hora sexta Matth. xxvii, 45.
usque nonam tenebræ factæ sunt super universam terram : et toto tempore illo pendebat Salvator in cruce. Dicendum, quod hora sexta elevatus est Jesus in B cruce, vel parum ante sextam, ut innuit Lucas : ideo Pilatus sedit ad judicandum, secundum Joannem, ante sextam. Marcus vero, qui dicit Jesum hora tertia crucifixum, retulit hoc ad animum Judæorum, qui hora tertia clamaverunt : Tolle, crucifige eum. Vel ideo dicit hoc Marcus, quia crucifixus fuit infra tertiam et sextam; medium autem per utrumque extremorum exprimitur.

Et dicit Judæis : Ecce rex vester. Quemadmodum tactum est, hoc ait Pilatus derisorie, et ad verecundiam Judæorum, quasi C dicat : Quid apparentiæ habet hoc quod dicitis, istum egenum et miserabilem voluisse usurpare regnum Judæorum temporale contra imperatoris decretum? *Illi* 15
autem implacabili invidia ac furore repleti : quibus et gravis fuit ad videndum ; Sap. ii, 15.
clamabant : Tolle, tolle, hoc est, a terra et consortio hominum aufer, *crucifige eum :* quod genus mortis ignominiosissimum fuit, et sceleratissimis deputatum.

Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? D quasi dicat : Hoc cedit in confusionem vestram, si illum suspendo in ligno, qui secundum populi opinionem, fuit et est rex vester. Tamen, ut dixi, Pilatus non vocat Jesum regem Judæorum ex animo, ne contra Cæsarem agat. *Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem.* O infelices pontifices, non pastores, sed devoratores gregis vestri ! Si enim non habetis regem nisi Cæsarem, ubi est quod loquitur Isaias,
Dominus judex noster, Dominus legifer Is. xxxiii, 22.

Digitized by Google

noster, Dominus rex noster, ipse veniet A
et salvos nos faciet? Ubi insuper est quod
Ps. LXXI, 8. de Christo Psalmista prædixit, Et dominabitur a mari usque ad mare? Et Za-
Zach. IX, 9. charias : Exsulta satis, filia Sion ; ecce
rex tuus venit tibi mansuetus, ipse pau-
Is. IX, 7. per. Rursusque Isaias : Super solium David et super regnum ejus sedebit. Quo-
Sap. II, 21. modo excæcavit vos malitia vestra? Nonne Cæsar rex alienus fuit et alienigena, opprimens vos et dominans vobis propter peccata vestra? Nonne promissus fuit vobis rex verus ex populo vestro surrectu- B
rus, rex Messias? Cur ergo alienæ potestati subjicitis vos in æternum, et verum promissumque principem abnegatis? Tunc
Jer. V, 12. impletum est illud Jeremiæ : Negaverunt Dominum, et dixerunt, Non est ipse; il-
Dan. IX, 26. lud quoque Danielis, Non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Denique Christum respuendo atque dicendo, Non habemus regem nisi Cæsarem, meruerunt usque in finem mundi Romano imperio subjugari, prout videmus impleri, et Daniel
Ibid. 26, 27. prophetavit : Finis (inquit) ejus vastitas, C
et usque in finem perseverabit desolatio.

16 *Tunc ergo*, quando videlicet vidit se nihil proficere, et illos implacabiles esse, se quoque si non acquiesceret petitioni illorum, imperatorem posse offendere, quem pontifices in tantum honoraverunt, ut dicerent se regem non habere nisi illum; *tradidit* Pilatus *eis illum*, utpote Jesum flagellis cæsum et spinis coronatum, *ut crucifigeretur* auctoritate suæ sententiæ latæ contra Jesum. Nam ante jam
vers. 6. tradidit eis illum, dicendo : Accipite eum D
vos, et crucifigite. Sed hoc modo non dixit definiendo judicium contra Jesum ;
Luc. XXIII, 24. nunc vero adjudicavit fieri petitiones eorum. *Susceperunt autem Jesum*, milites
Matth. XXVII, 31. præsidis in manibus suis nefariis, exuentes eum chlamyde coccinea, et propria indumenta eum induentes; *et eduxerunt* eum extra Jerusalem; vel, Susceperunt eum Judæi, quia Pilatus tradidit eis Jesum, id est, suæ voluntati expositum acceptaverunt.

Et bajulans Jesus *sibi crucem* propriis 17
humeris, *exivit*. Tunc juxta Isaiæ vaticinium, factus est principatus ejus super Is. IX, 6.
humerum ejus, quoniam crucem propriam bajulando, meruit principatum omnis terræ. Egrediendo itaque urbem, portavit crucem ad aliquantulum spatium. Postea dederunt crucem Christi ad deferen- Marc. XV, 21.
dum Simoni Cyrenensi, patri Alexandri et Rufi discipulorum Christi, ne Jesus in via moreretur sub onere crucis, sed ut eum diutius duriusque affligerent.

Consideremus præterea malignitatem Judæorum, quorum machinatione milites præsidis posuerunt lignum crucis super collum Christi : quod non fecerunt latronibus secum eductis. Turpissimam enim Sap. II, 20.
et acerbissimam ei mortem intulerunt, et quidquid confusionis, contemptus et crudelitatis excogitare potuerunt, fecerunt in eum. Pensemus quoque patientiam et mansuetudinem Salvatoris, qui omnia ista patientissime tulit, et sicut Jeremias prænuntiavit, quasi agnus innocens ductus Jer. XI, 19.
est ad immolandum : qui quum maledi- I Petr. II, 23.
ceretur, non maledicebat; nec faciem su- Is. L, 6.
am avertit ab increpantibus et conspuentibus in se. Attendamus etiam quare hæc pertulit, scilicet propter nos, quorum ini- Ps. XXXVII, 5.
quitates supergressæ fuerunt caput nostrum; et simus grati ei verbo ac opere, abnegando nos ipsos, tollendoque crucem Luc. IX, 23.
nostram quotidie, quatenus impleamus quod ad Hebræos monet Apostolus, qui quum dixisset, Jesus ut sanctificaret po- Hebr. XIII, 12.
pulum, extra portam passus est; addidit : Exeamus ergo ad eum extra castra, im- Ibid. 13, 14.
properium ejus portantes; non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Crucifigamus carnem nostram Galat. V, 24.
cum vitiis et concupiscentiis.

Exivit ergo *in eum, qui dicitur Calvariæ, locum*. Calvaria, est caput hominis mortui. Unde locus in quo crucifixus est Christus, appellatur locus Calvariæ : non quod caput Adæ sit ibi sepultum, ut quidam finxerunt, quum Adam legatur se- Josue XIV, 15.
pultus in Hebron; sed quia damnati ibi

Digitized by Google

occidebantur, sicque locus abundavit os-
sibus mortuorum. Sic ergo duxerunt Je-
sum in locum inhonestum atque turpis-
simum : in quo ipse mori elegit, ut nos
ad empyrei cœli splendidissimam man-
sionem feliciter transferamur. *Hebraice*
18 *autem* vocatus est *Golgotha. Ubi eum cru-*
cifixerunt milites ministri præsidis : erant-
que quatuor ; *et cum eo alios duos,* haud
Matth. xxvii, 38. Luc. xxiii, 32. dubium quin latrones, secundum Matthæ-
um : quos Lucas nominat nequam, Du-
cebantur (inquiens) cum eo et alii duo
nequam ; *hinc et hinc,* id est ex utroque
latere Christi, *medium autem Jesum.* Quod
idcirco fecerunt milites ex instigatione Ju-
dæorum, ut Jesus impius videretur, quasi
fuisset princeps latronum. Deo autem or-
dinante seu permittente factum est id, ut
impleretur quod per Isaiam de Christo
Is. liii, 12. invenitur prædictum : Et cum sceleratis
reputatus est.

19 *Scripsit autem et titulum Pilatus,* id
est, scribi fecit sermonem continentem
causam crucifixionis Jesu ; *et posuit super*
crucem, id est, superiori parti crucis jus-
sit affigi, forte cum aliquo assere. *Erat*
autem scriptum, id est, titulus verba hæc
continebat : *Jesus Nazarenus rex Judæo-*
rum. Jesus, est nomen personæ ; Nazare-
nus, est agnomen, locum conceptionis et
nutritionis significans ; rex Judæorum, est
complexum explicans cur crucifixus sit
Dominus, videlicet, quia dixit se regem
20 Judæorum. *Hunc ergo titulum multi Ju-*
dæorum legerunt, quia prope civitatem
erat locus Calvariæ *ubi crucifixus est Je-*
sus ; et erat scriptus Hebraice, Græce, et
Latine, id est in tribus principalibus idi-
omatibus mundi magis notis atque com-
munibus, ut legeretur ab omnibus. He-
braica namque loquela eminebat, quoniam
prima, et in ea scripta fuit lex et Pro-
phetæ, pertinuitque ad unius veri Dei
cultores. Græca vero lingua pollebat, pro-
pter naturalem sapientiam seu philoso-
phiam ingeniumque Græcorum ; Latina
21 vero, propter dominium Romanorum. *Di-*
cebant ergo Pilato pontifices Judæorum :

A *Noli scribere,* id est scriptum relinquere,
Rex Judæorum ; sed quia ipse dixit, Rex
sum Judæorum. Videbatur enim Judæis
titulus præscriptus, in eorum verecundi-
am redundare : qui tamen fuit verissi-
mus, quia specialiter datus est Jesus in
regem Judæorum, quemadmodum ait in
Psalmo : Ego autem constitutus sum rex Ps. ii, 6.
ab eo super Sion montem sanctum ejus.
Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi, 22
id est, firmum manebit, nec illud mutabo.

Milites ergo quum crucifixissent eum, 23
B *acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt*
quatuor partes de vestibus, *unicuique mi-*
liti partem ; et tunicam superiorem ac-
ceperunt. Ex quibus primo elicitur, quod
quatuor erant milites crucifixores ; secun-
do, quod Jesus nudus elevatus est in cru-
ce, imo tam nudus ut venit ex utero Ma-
tris, et sicut Adam quando peccavit in
paradiso, secundum Ambrosium. Unde et
Mater ejus creditur peplum suum invol-
visse loco virilium.

Omnia ista devotam et gratam memo-
C riam exigunt, et piam imitationem. Ecce
enim Sanctus Sanctorum, unigenitus Fi-
lius Dei, inter latrones suspenditur, cum
sceleratis reputatur, nudus in cruce leva-
tur, ut nos impii justificemur, cum San-
ctis annumeremur, et vestimentis virtu-
tum induamur. Non ergo quæramus in
hoc mundo magnificari sive laudari, non
inter doctos et eminentes locari, non pre-
tiosis vestibus atque superfluis indui, sed
Christum in vera humilitate et pauper-
tate jugiter imitari, velle contemni, pec-
D catores reputari.

Erat autem tunica inconsutilis, id est
non consuta, *desuper contexta per totum,*
id est artificiose elaborata per modum re-
tis atque cilicii, non incisa : quam Vir-
go benedicta creditur suo dilecto propriis
manibus operata. *Dixerunt ergo* milites 24
quatuor *ad invicem : Non scindamus il-*
lam, dividendo eam ut alias vestes : quo-
niam partes illius fuissent inutiles ; et
forte propter operis subtilitatem, rarita-
tem seu specialitatem, quilibet militum

desideravit eam integram adipisci ; *sed sortiamur de illa cujus sit,* id est, sortem mittamus ad quem tota pertineat. Unde patet quod super tunicam inconsutilem dumtaxat missa sit sors. Quomodo autem solvendum sit quod huic videtur contrarium, dixi super Matthæum. (In Matth. xxvii, 35.) Hæc ergo fecerunt atque dixerunt, *ut* (intelligendo per

A *ut,* concomitantiam, non causam directam) *Scriptura* Psalmi *impleretur, dicens* in persona Christi : *Partiti sunt vestimenta mea sibi,* (Ps. xxi, 19.) faciendo quatuor partes de illis, *et in vestem meam,* id est super tunicam inconsutam, *miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt,* implentes nescienter Prophetarum eloquia.

ARTICULUS XLVI

EXPOSITIO SEQUENTIS PARTIS HUJUS NONIDECIMI CAPITULI : STABAT AUTEM JUXTA CRUCEM JESU MATER EJUS.

DEINCEPS agit Evangelista de mutua compassione Christi Filii Dei, ejusque virgineæ Genitricis, quæ tanto intimior erat, cordialior atque pœnosior, quanto ferventior erat amor unius ad aliam. Certum est autem, quod incomparabili dilectione amaverunt se mutuo ultra omnem æstimationem.

25 *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* O verbum dolorosum et affectuosum ! Quid enim sustinuit mens illa dulcissima virgineæ Matris, quando tam prope adsistebat Filio patienti unico et prorsus carissimo, cujus teneritudinem ac innocentiam novit? Quem licet sciebat fructuosissime pati citoque resurrecturum, nihilo minus vehementissime ei condoluit, in tantum ut consideratio fructus dominicæ passionis et resurrectionis tolleretur ab intellectu ipsius, quoniam vis doloris omnino absorbuit animam ejus. Propter quod asserit Damascenus, quod dolor parturientium fuit tunc duplicatus in ea. *Et soror Matris ejus,* videlicet *Maria* uxor *Cleophæ,* quæ fuit mater Jacobi Minoris, *et Maria Magdalene,* item mater filiorum Zebedæi secundum Matthæum. (Matth. xxvii, 56.) Matthæus tamen affirmat quod mulieres (Ibid. 55.) istæ erant de longe stantes. Et Lucas : Stabant, inquit, omnes noti ejus a longe. (Luc. xxiii, 49.) Ad

B quod dicendum, quod ad tempus stabant propius, deinde remotius ; vel stabant prope et a longe, respectu diversorum.

Quum vidisset ergo Jesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat. 26
Per hanc circumlocutionem loquitur Joannes de se ipso quasi de alio. *Dicit Matri suæ : Mulier.* Non ait, Mater, ne illa audito nomine tam suavi, nimium cruciaretur atque deficeret. *Ecce filius tuus.* Hoc aliqui referunt ad ipsum Christum, qui ostendit se ipsum Matri suæ, tanquam diceret : C Ecce quid patitur homo quem peperisti ; ecce quid convenit mihi ex parte naturæ quam assumpsi ex te. Sed quia Mater piissima tota erat intenta ad considerationem et compassionem Filii sui, et Filius eam consolari volebat, non ad ampliorem excitare dolorem, propterea aliis magis apparet quod Christus demonstravit Joannem, dicendo, Ecce filius tuus. Quasi diceret : Hucusque me habuisti præsentem, et de meo adspectu jugiter consolationem sortita es, fuique ad obsequium D tuum intentus ; nunc subtrahor tibi, nunc unico dilectoque nato orbaris, nec tecum ero ut fui mortalis, humanam tecum conversationem efficiens : ideo ne penitus desolata remaneas, constituo tibi filium qui sit loco mei, tibi obsequiosus, conso-

Digitized by Google

lativus, familiaris, carissimus, ut Virgini
A
virgo cohæreat atque deserviat. Sed qualis est ista mutatio, o Domina benedicta, amantissima virgo Maria! Datur tibi pro Filio Creatoris, filius piscatoris; pro vero Deo, pura creatura; pro Domino, servus; pro Filio naturali, adoptivus. Verumtamen aptior et dignior post Christum non fuit, qui tibi relinqueretur pro illo.

27 *Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua,* id est, tibi eam committo, ut ei filialiter semper adsistas, obsequaris, provideas. O S. Joannes, quantus tibi est honor et
B
gloria, quod incomparabilis ille thesaurus, vas omnis sanctitatis, Domina mundi, Regina cœli, quæ cum Patre æterno habet ac genuit unum eumdemque Filium, a quo Spiritus Sanctus vere procedit, datur et mittitur, tibi committitur, mater tua efficitur, et tu filius ejus appellaris! Vere diligebat te Jesus, quem ad tantam gratiam præelegit. Denique ista commissio fuit Joanni valde consolatoria, qui in Matre Domini sui, de cetero quasi in illo lætabatur.
C

Ex hoc facto Christi, docentur filii habere ordinatam ac debitam curam suorum parentum, præsertim in tempore tribulationis et necessitatis. Propter quod di-
I *Tim.* v, 8. cit Apostolus : Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. — Insuper, ex hac commissione quidam eliciunt quod Joseph sponsus Mariæ jam obiit. Patet quoque ex hoc, quod Mater Christi alium natum non habuit nisi Dominum Jesum, ut confundantur hæretici.
D

Et ex illa hora, accepit eam discipulus in suam matrem, in suam fidem atque custodiam, obsequens ei cum omni reverentia et amore. Discipulus iste electus designat unumquemque fidelem. Quemadmodum ergo Christus dixit Joanni, Ecce mater tua; sic unicuique Christiano dedit Matrem suam in matrem, ita quod ipsa est mater et advocata omnium nostrum, quam post Deum summe amare et venerari debemus.

Denique quotidie passionem Domini recolentes, debemus simul revolvere quomodo Christo compassa sit Mater dulcissima, quomodo tunc gladius doloris perfo- *Luc.* II, 35.
dit animam ejus, secundum quod Simeon prophetavit. Pensemus ergo quid passa sit, dum unicum suum percepit jam captum, dum vidit eum præsentari Pilato, quando audivit eum tam mendaciter accusari, dum vidit eum ab Herode alba veste illudi, a Pilati satellitibus flagellari, ad locum passionis cum propria cruce educi, in patibulo erigi, inter latrones suspendi, dum insuper audivit ab eo verba nunc memorata, Mulier, ecce filius tuus, et cetera quæ alii Evangelistæ plenius recitant.

Postea, sciens Jesus quia jam omnia 28
consummata sunt, scilicet eloquia Prophetarum de sua passione prædicta. Pauca nempe restabant, quæ mox erant implenda : ideo omnia tunc consummata dicuntur, sicut communiter de re pene finita dicimus, Factum est. Verumtamen, quod ait Evangelista, Postea sciens Jesus, non est sic accipiendum, quasi aliquid tunc cœperit scire quod ante passionem nescivit. *Ut consummaretur Scriptura* psalmi quo legitur, Et dederunt in escam meam *Ps.* LXVIII, 22.
fel, et in siti mea potaverunt me aceto; *dixit : Sitio.* Ad litteram Christus corporaliter sitiebat ex diuturna afflictione, vehementi labore, et sanguinis effusione, in tantum ut dicat in Psalmo : Lingua mea *Ps.* XXI, 16.
adhæsit faucibus meis. Quæ utique sitis pœnalissima fuit. Spiritualiter vero multo ferventius sitiebat nostram salutem, pro qua omnia fecit ac pertulit.

Vas ergo positum erat aceto plenum. 29
Aliqui dicunt, quod piæ mulieres ex consuetudine contulerunt vinum damnatis ad mortem, et etiam Christo atque latronibus, dantes vasculum vini ductori eorum. Milites vero dederunt Christo acetum pro vino hujusmodi. Quidam etiam asserunt, quod potus aceti accelerat mortem : et ergo dederunt Christo acetum, ut citius moreretur, sicque de ejus in cruce cu-

Digitized by Google

stodia expedirentur. *Illi autem spongiam* A
plenam aceto hyssopo circumponentes, id
est ligno hyssopi, calamo sive arundini :
impleverunt etenim spongiam, et calamo
eam imposuerunt; *obtulerunt ori ejus.*
Quia enim erectus fuit in ligno, indigue-
runt hujusmodi instrumento, ut possent
30 eum attingere. *Quum ergo accepisset Je-*
Marc. xv, 23. *sus acetum.* Marcus dicit quod noluit bi-
bere. Concordia tamen liquet ex verbo
Matth. xxvii, 34. Matthæi dicentis : Quum gustasset, noluit
bibere. Parum igitur bibit, sicque acce-
pit; sed quia quod parum est pro nihilo B
computatur, Marcus affirmat quod noluit
bibere. *Dixit : Consummatum est* quod
de mea passione fuerat prophetatum, my-
sterium quoque humanæ redemptionis
jam exstat impletum. Mors etenim Chri-
sti erat vita salusque mundi. *Et inclina-*
Philipp. ii, 8. *to capite,* factus obediens usque ad mor-
tem, et quasi gratias agens Patri, *tradidit*
spiritum, id est, potestative animam su-
Luc. xxiii, 46. am a proprio corpore separavit, clamans
videlicet voce magna : Pater, in manus
tuas commendo spiritum meum. In quo C
Joann. x, 18. innotescit quam vere erat præfatus : Po-
testatem habeo ponendi animam meam;
et nemo tollit animam meam a me, sed
ego pono eam.

31 *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat,*
id est feria sexta proxima sabbato præ-
solenni, *ut non remanerent in cruce cor-*
pora crucifixorum, videlicet Christi atque
latronum, *sabbato,* viva. *Erat enim ma-*
gnus, id est multum celebris, *dies ille*
sabbati, puta dupliciter : primo, quia sab-
Exod. xxxi, 13-17. batum in se celebre fuit secundum le- D
gem; secundo, quoniam erat una dierum
paschalium : idcirco noluerunt corpora
illo die pendere in aris, ne diuturni hor-
rendique cruciatus suo horrore solenni-
tatem diei fœdarent, incutiendo transeun-
tibus tædium ac pavorem. *Rogaverunt*
Pilatum ut frangerentur, a suis militi-
bus crucifixoribus, *eorum crura, et tolle-*
rentur, non crura tantum, sed tota cor-
pora de patibulis. Huic preci consensit
Pilatus, quia subjungitur :

Venerunt ergo milites, famuli præsidis; 32
et primi quidem, id est latronis penden-
tis ad dexteram Christi; vel, Primi, id
est principalioris latronis; *fregerunt cru-*
ra, et alterius qui crucifixus est cum eo,
qui pendebat ex alio latere. *Ad Jesum* 33
autem quum venissent, id est ad corpus
ejus exanime, sumendo partem pro toto,
ut viderunt eum jam mortuum, non fre-
gerunt ejus crura. Crura siquidem fran-
gebantur, ut mors acceleraretur in eis
qui erant suspensi. *Sed unus militum* 34
lancea latus ejus aperuit. De hoc milite
multa dicuntur, ut constat. Cur autem
aperuerit latus ejus, diversæ causæ red-
duntur : una, ut certificaretur de morte
Christi; alia, quia Judæi induxerunt eum
ad hoc. *Et continuo* de latere Christi
aperto *exivit sanguis et aqua.* Commu-
niter dicitur, quia vera aqua exivit de la-
tere Christi, non utique naturaliter, sed
miraculose, propter mysticas rationes :
primo, ad ostendendum quod corpus Chri-
sti erat vere sumptum atque compositum
ex elementis, non de cœlo allatum; se-
cundo, ad designandum puritatem corpo-
ris Christi; tertio, ad insinuandum quod
sicut redemit nos suo sanguine, ita et la- Apoc. v, 9.
vit nos aqua lateris sui. Ibid. i, 5.

Et qui vidit, testimonium perhibuit, 35
scilicet ipse evangelista Joannes, qui vi-
dit omnia jam præfata, et testificans scri-
psit hæc; *et verum est testimonium ejus,*
quum sit per sensum et experientiam
notum. *Et ille scit,* Deo revelante, et
scientia experimentali contestante, *quia*
vera dicit, ut et vos credatis. Cognitio
enim evangelicæ legis concessa Joanni,
ordinabatur ad totius Ecclesiæ illumina-
tionem, quæ habetur in via per fidem,
in patria autem per speciem.

Facta sunt enim hæc, videlicet, quod 36
venientes ad Jesum, non fregerunt crura
ipsius, *ut Scriptura* Exodi *impleretur :*
Os non comminuetis ex eo. Nostra trans-
latio habet sic : Nec os ejus confringetis. Exod. xii, 46.
Sed quum hoc ad litteram dictum sit de
agno paschali Judæorum figurativo, quo-

Digitized by Google

modo Evangelista dicit hoc in Christi passione impletum? Iterum, quomodo hac auctoritate probat propositum suum, quum probatio non procedat nisi ex sensu litterali, secundum Augustinum? Dicendum, quod sicut Apostolus ad Hebræos allegat de Christo quod ad litteram dictum est Hebr. I, 5; II Reg. VII, 14. de Salomone, videlicet, Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium; sic hoc loco Joannes allegat de Christo quod constat ad litteram dictum de agno paschali. Utraque tamen allegatio efficax est ad probandum. Creatura etenim, sive rationalis sive irrationalis, considerari potest dupliciter : primo, secundum se; secundo, prout est figura Christi, qui non solum per homines, sed etiam per irrationalia figuratur, imo et per inanimata. I Cor. X, 4. Unde dicit Apostolus, Petra erat Christus : haud dubium quin figurative. Et quod Matth. XXI, 42; Ps. CXVII, 22. Christus ex Psalmo allegat de se, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, quidam exponunt ad litteram de lapide materiali in templo Salomonis. Hinc Christus Apoc. V, 5; Joann. I, 29, 36; Ephes. II, 20; Joann. XV, 1, 5. dicitur leo, agnus, lapis angularis, vitis. Dum ergo aliquid in Scripturis dicitur de hujusmodi creaturis secundum se, tunc talia principaliter exponuntur de eis. Quum vero litteraliter dicuntur quædam de eis ut sunt figura Christi, tunc talia principaliter, quamvis non primo, intelliguntur de Christo et verificantur in eo : ut est illud de Salomone, et lapide ab ædificantibus reprobato. Similiter in præsenti. Quod enim de agno paschali dictum est, Os ejus non confringetis, dictum est de eo in quantum fuit figura Christi ut immolati : quod Spiritu Sancto revelante agnoscens Joannes, dicit Scripturam illam impletam in Christo, de quo utique principaliter est sumenda.

37 *Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt.* Nostra translatio seu textus Hieronymi, talis est : Zach. XII, 10. Adspicient ad me quem confixerunt. Sed redit in idem. Propheta quippe loquitur in persona Christi. Joannes autem sensum magis quam formam verborum allegat. Quod autem Zacharias dixerit verba illa non de se, sed de Christo, patet per id quod protinus addit : Et plangent eum planctu quasi super unigenitum. — Zach. XII, 10. Quæritur, quid allegatio hujus auctoritatis spectat ad id quod immediate præmisit, quod non fregerunt crura Christi. Dicitur, quod ista auctoritas introducitur ad approbandum quod dixit superius, Unus militum lancea latus ejus aperuit, et quod crucifixerunt eum. Propheta namque dicendo, Vers. 18. Videbunt in quem transfixerunt, innuebat quod transfigerent Christum : et hoc Evangelista ostendit impletum.

Videbunt ergo infideles Judæi in die judicii Christum in quem transfixerunt, non per se, sed per milites præsidis, et eum qui latus Christi aperuit, quos induxerunt ad hoc. Ipsi quoque qui hoc fecerunt, conspicient Christum, qui cicatrices vulnerum conservavit in corpore, ad inflammationem electorum et confusionem reproborum. Videbunt igitur Christum in die novissimo, juxta illud Apocalypsis : Ecce venit cum nubibus, Apoc. I, 7. et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.

Insuper tractat Evangelista de Christi sepultura. Quam voluit Christus honorifice fieri : Primo, quoniam decuit. Ipso enim occiso, satisfactum fuit plenissime pro totius generis humani peccato, ideo decens fuit ut ex tunc inciperet glorificatio Christi, haberetque post ignominiosam mortem, venerabilem sepulturam. Secundo, ut impleretur quod per Isaiam erat prædictum : Erit sepulcrum ejus glo- Is. XI, 10. riosum.

Post hæc autem, Christo jam mortuo, 38
rogavit Pilatum, sine cujus licentia damnati et crucifixi non poterant sepeliri, *Joseph* oriundus *ab Arimathea* civitate Judææ. Arimathea, secundum Bedam, ipsa est Ramatha, de qua fuit Samuel natus, I Reg. VII, 17. ut legitur in libris Regum. Rogavit autem Pilatum *eo quod esset discipulus Jesu,* credens et partim obediens verbis ejus. Non tamen fuit perfectus discipu-

Digitized by Google

lus : subditur enim, *occultus autem pro-* A
pter metum Judæorum, videlicet, ne de
synagoga expelleretur. Nondum ergo im-
Matth. x, 28. plevit quod docuit Christus : Nolite time-
re eos qui corpus occidunt. Nihilo minus
Luc. xxiii, 50. Lucas evangelista appellat eum justum
et bonum. Nondum enim requirebatur ab
eo tota evangelicæ legis perfectio. *Ut tol-*
leret corpus Jesu de cruce, et sepeliret
illud, non ipse solus, sed adjuvantibus
eum justis qui aderant. *Et permisit Pi-*
latus hoc fieri, quoniam Joseph iste no-
Matth. xxvii, 57. tus fuit Pilato, et vir potens, dives ac B
nobilis (propter quod in Marco scriptum
Marc. xv, 43. est, quod fuit nobilis decurio), idque pro-
pter reverentiam ejus, et propter inno-
centiam Christi. Itemque propter rumorem
Luc. xxiii, 48. redeuntium de loco dominicæ passionis,
percutientium pectora sua atque dicen-
tium, quod mirabilia illa facta fuerunt
propter injustam Jesu occisionem, præser-
Matth. xxvii, 54; tim quum et centurio id ipsum testatus
Luc. xxiii, 47. sit, dedit Pilatus consensum.
39 *Venit ergo* Joseph, *et tulit,* hoc est, de
cruce deposuit, *corpus Jesu. Venit autem* C
Joann. iii, 1. *et Nicodemus* princeps Judæorum et Pha-
Ibid. 2. risæorum, *qui venerat ad Jesum nocte*
primum, id est tempore jam elapso, vide-
licet circa principium prædicationis Chri-
sti, *ferens mixturam myrrhæ et aloes,*
quasi libras centum, id est unguentum ex
talibus speciebus factum, quo corpora de-
functorum condiebantur ne putrefierent.
40 *Acceperunt ergo* Joseph et Nicodemus
corpus Jesu, et ligaverunt eum linteis,
id est, pannis lineis corpus ejus invol-
verunt, scilicet linteamine et sudario, etc., D
cum aromatibus jam prædictis. Unde vi-
dentur non habuisse plenam fidem de
Christi resurrectione, adhibentes ei istam
unctionem contra putrefactionem, igno-
rantes illud propheticum in Jesu complen-
Ps. xv, 10. dum : Non dabis Sanctum tuum videre
corruptionem. Joseph ergo et Nicodemus,
quamvis usque ad passionem Christi fu-
erunt occulti ejus discipuli, tamen in
passione, visis mirabilibus quæ fiebant,
animati fuerunt ad exhibendum corpori
ejus sepulturæ obsequium. *Sicut moris*
est Judæis sepelire : qui corpora defun-
ctorum aromatibus condiunt, et sumptuo-
sissimas sepulturas efficiunt. Unde patet
quod in sepeliendis mortuis observanda
est patriæ consuetudo, dummodo non sit
contra fidem et æquitatem.
Erat autem in loco, id est prope Cal- 41
variæ locum, *ubi crucifixus est* Jesus,
hortus, et in horto monumentum novum,
quod Joseph exciderat sibi in petra, se- *Matth.*
cundum Matthæum, *in quo nondum quis-* xxvii, 60.
quam positus fuerat. In tali enim sepulcro
voluit Christus poni, quia si alii in ejus
monumento jam sepulti fuissent, dixis-
sent forsitan Judæi, quod cadaver alterius
esset sublatum aut suscitatum. *Ibi ergo* 42
propter Parasceven Judæorum, id est pro-
pter exigentiam sextæ feriæ, in qua non
licuit operari, nisi usque ad vesperam,
in qua inchoabatur sequentis diei solen- *Exod.* xii,
nitas, durans usque ad vesperam subse- 6, 18.
quentem, *quia juxta erat monumentum,*
hoc est proximum loco passionis, *posue-*
runt Jesum, id est corpus ejus. Jam enim
dies cœpit occumbere : propter quod non
poterant corpus Christi longe portare, vel
ejus sepulturam differre, sed acceleraverunt;
alias oportuisset exspectare usque
ad finem festivitatis instantis.

Postremo, ex his elucescit quam de-
vote et reverenter Joseph et Nicodemus
sepelierunt Christum, sumptui non par-
centes; et quia in monumento quod Jo-
seph sibi ipsi jussit parari, posuit Jesum.
Debemus autem et nos cum venerabilibus
viris his Christum de cruce deponere,
hoc est de fine suæ passionis gaudere.
Quemadmodum enim in meditatione do-
minicæ passionis contristari et compati
debemus Domino Salvatori, sic in medi-
tatione finis hujus passionis, vel de hoc
quod terminata est passio Christi, et ejus
humanitas a tanta afflictione erepta, læ-
tari habemus : et hoc est Christum a
cruce deponere. Insuper debemus eum
mixtura myrrhæ et aloes condire, id est
mortificatione vitiorum et bono sanctæ

Digitized by Google

conversationis odore venerari et ungere, A et intra nos sepelire, imprimendo eum nostris præcordiis per beneficiorum suorum amorosam jugem memoriam, per suæ divinitatis contemplationem, per suæ bonitatis ferventem amorem, per suæ conversationis cruciformem imitationem,
Cant. VIII, 6. quemadmodum ait in Canticis : Pone me ut signaculum super cor tuum. Debemus quoque eum involvere linteis, id est sinceritate conscientiæ, et animi puritate, cordisque diligenti custodia, ut perseveret in nobis, sicut moris est Judæis, id B
Rom. X, 10. est veris confessoribus, qui corde credunt ad justitiam, et ore confitentur ad salutem, sepelire Dominum Jesum. Hæc autem maxime spectant ad sacerdotes, qui corpus et sanguinem Christi quotidie consecrant, tractant, manducant, ut sint purificati actu, ore et corde. Sed, heu! multi impudentissimi, ingrati, intimorati, irreverenter nimis accipiunt Filium Dei ac Virginis, non solum spiritualibus vitiis implicati, sed turpissimis quoque gulæ et luxuriæ culpis inquinantes corpus suum et animam, non attendentes nec formidantes verbum Apostoli :
Quicumque manducaverit panem hunc vel I *Cor.* XI, 27.
biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.

ARTICULUS XLVII

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI : UNA AUTEM SABBATI, MARIA MAGDALENE VENIT MANE.

DESCRIPTA dominica passione, stilum C convertit Evangelista ad describendum
1 resurrectionem illius. *Una autem sabbati,* id est prima die post sabbatum, seu septimam diem solennem apud Judæos, puta die dominica. Unum enim in Scripturis quandoque pro primo accipitur,
Gen. I, 5. sicut in Genesi : Factum est vespere et mane dies unus, id est primus. Quemadmodum autem pagani nominant dies hebdomadæ nominibus planetarum, Latini vero et Christiani, nomine feriæ; sic Judæi nuncupant eas a sabbato, tanquam a die D principaliori, ita quod prima dies post sabbatum, appelletur prima sabbati, secunda dies, secunda sabbati, sicque de-
Joann. XI, 1, 2. inceps. *Maria Magdalene,* soror Marthæ ac Lazari, *venit mane, quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum.*

Occurrunt hic duo dubia : primum, cur de sola Magdalena faciat mentionem Joannes; secundum, quomodo hic dicitur, Quum adhuc tenebræ essent, quum apud
Marc. XVI, 2. Marcum sit scriptum, quod venerunt orto jam sole. Ad primum dicendum, quod ideo quia Maria Magdalene ferventior erat atque instantior magisque operosa in isto negotio, ei quoque in primis apparuit *Marc.* XVI, 9.
Christus. Ad aliud respondetur, quod secundum Lucam, Maria Magdalene cum aliis beatissimis feminis venit ad monumentum summo diluculo, utpote in auroræ *Luc.* XXIV, 1.
initio, in quo certum est aliquid lucis esse et apparere in altioribus partibus terræ, aliquid quoque caliginis, præsertim in bassioribus locis. Sic ergo ortus fuerat sol quantum ad apices montium, non tamen visui hominum apparebat : propter quod tenebræ erant paucæ et tenues.

Et vidit lapidem revolutum a monumento, id est a loco in quo jacuit corpus Christi amotum. Monumentum autem quandoque accipitur pro domuncula illa in qua fuit petra in qua excisum erat *Matth.* XXVII, 60.
Christi sepulcrum; interdum vero pro solo sepulcro : sic modo accipitur. Vidit namque revolutum lapidem non a præ-

Digitized by Google

dicta domuncula, imo adhuc erat intra domunculam.

2 *Cucurrit ergo,* recedens a monumento, *et venit ad Simonem Petrum,* tanquam ad principaliorem inter Apostolos. Cucurrit autem ex magna admiratione et desiderio, cupiens aliquid certius de re ipsa cognoscere. Secundum diversas quippe affectiones passionesque animæ, corpus diversimode movetur. *Et ad alium discipulum quem diligebat Jesus,* puta Joannem, præsentis evangelii descriptorem. Hi enim duo Apostoli invicem familiariores fuerunt, et frequentius conjuncti et combinati fuisse leguntur. Unde et Christum
Joann. xviii, 15. comprehensum simul secuti sunt; simul
Act. v, 29. quoque principibus sacerdotum responderunt, Obedire oportet Deo magis quam
Ibid. iii, 1. hominibus ; simul ascenderunt in templum ad horam orationis nonam ; simul
Ibid. viii, 14, 15. missi sunt ad Samaritanos, orare pro eis ut acciperent Spiritum Sanctum. Denique, secundum aliorum Evangelistarum doctri-
Matth. xxviii, 1; *Marc.* xvi, 1, 2. nam, etiam aliæ mulieres venerunt cum Maria Magdalene ad monumentum, videlicet Maria Jacobi et Salome, itemque
Luc. xxiv, 9, 10. Joanna, secundum Lucam. Quæ omnes,
Ibid. 4-7. secundum Lucam, duos angelos conspexerunt, a quibus et didicerunt Christum resurrexisse ; atque ex præcepto angelo-
Ibid. 9. rum venerunt et nuntiaverunt undecim Apostolis quod audierunt ab angelo, scilicet quod Christus resurrexisset. Joannes autem nunc solum exprimit Petrum et se ipsum sub solita circumlocutione. Hæc enim nuntiatio Mariæ Magdalene, videtur
Matth. xxviii, 8 ; *Marc.* xvi, 10. alia ab illa quam alii Evangelistæ describunt, et prior illa. Tamen, quo ordine facta sint omnia quæ quatuor Evangelistæ enarrant, et consonantiam habeant, non est facile declarare. Propter quod expositores varios modos assignant circa hæc : quorum judicium aliis committo, ut teneat unusquisque quod Evangelio magis concordat.

Et dicit eis : Tulerunt Dominum de monumento. Putavit hæc Christi prædilecta discipula, quod milites præsidis, vel Judæi, abstulissent Christi corpus de tumulo, et alibi posuissent illud : et forsitan formidavit ne contumeliam aliquam corpori irrogarent. *Et nescimus ubi posu-*
erunt eum, id est corpus ipsius. *Exiit* 3
ergo Petrus a loco quo se propter Judæos abscondit, *et ille alius discipulus ; et venerunt ad monumentum.* Jam enim milites recessisse videntur, vel Maria nuntiavit Apostolis quod jacuerunt ut mortui. *Matth.* xxviii, 4.
Isti duo præ ceteris Apostolis profecti sunt ad sepulcrum, ex præcipua dilectione ad Christum ardentissime cupientes agnoscere quid accidisset eorum magistro. Porro, quod ait Joannes, Venerunt ad monumentum, dicit per anticipationem. Unde mox subdit quomodo venerunt.

Currebant autem duo simul, et ille 4
alius discipulus præcucurrit citius Petro. Erat namque junior atque agilior : et forsitan Petrus magis timuit notari quam
Joannes, quia jam ante negavit se esse *Ibid.* xxvi, 70, 72, 74.
Christi discipulum. *Et venit prius ad mo-*
numentum. Et quum se inclinasset, ut 5
per ostium speluncæ in qua fuit sepulcrum introspiceret, et quid contigisset intueretur, *vidit linteamina posita,* id est pannos lineos quibus involutum fuit corpus dominicum, ordinate repositos et plicatos, ad ostendendum quod corpus Domini non fuit furtim sublatum, vel ab adversariis asportatum, quia secum tulissent hujusmodi pannos, sed divina vir-
tute resuscitatum. Angelus etenim Domini *Ibid.* xxviii, 2.
qui descendit, lapidemque revolvit, etiam pannos præfatos disposuit, quos Christus a suo corpore resurgens potestative amovit. *Non tamen introivit* domunculam in qua erat sepulcrum, nolens ingredi ante Petrum ætate et dignitate majorem, forte propter reverentiam Petri, et ut ei nuntiaret quod vidit.

Venit ergo Simon Petrus sequens eum, 6
et introivit in monumentum, id est præmemoratam domunculam. Non enim suffecit ei a longe prospexisse, sed veritatem voluit certius perscrutari, locum quoque sepulcri intueri vacuum. Quum enim no-

Digitized by Google

va ac mira contigisse audimus, licet cre-
damus sic esse, nihilo minus accurrimus,
idque quod gestum est intueri satagimus.
Et vidit linteamina posita, id est ordina-
te composita, quemadmodum dictum est
7 de Joanne, *et sudarium quod fuerat su-
per caput ejus,* scilicet Christi, *non cum
linteaminibus positum, sed separatim in-
volutum in unum locum.* Quod totum
factum est dispositione divina, angelico
famulatu, ad declarandum quod corpus
Christi non esset furtive ab ejus discipu-
lis de monumento sublatum, prout Deus
Matth. novit Judæos dicturos. Discipuli enim, vel
xxviii, 13- quicumque alii, totis viribus festinassent
15. in furando corpus, propter custodum præ-
sentiam : unde non occupassent se tam
diu et curiose in removendo et compo-
nendo linteos quibus ligatum fuit corpus
8 dominicum. *Tunc ergo introivit* domun-
culam tumuli *et ille discipulus qui vene-
rat primus ad monumentum,* animatus
exemplo Petri, et conformans se majori.
Inferior enim facile imitatur actum su-
perioris; unus quoque amicorum et fami-
liarium, alium in suis operibus sequitur
celeriter et frequenter. *Et vidit* quæ di-
cta sunt de positione linteaminum atque
sudarii, *et credidit.*

9 *Nondum enim sciebat Scripturas, quia
oportebat eum a mortuis resurgere.* Hoc
Chrysostomus exponit dupliciter. Primo
sic : Credidit Christum resurrexisse, cujus
ratio subditur : nondum enim, etc. Quasi
dicat : Ideo tunc credidit Christum resur-
rexisse, visis his quæ dicta sunt, et non
ante credidit hoc auctoritate Scripturæ,
quoniam nondum sciebat Scripturas Pro-
phetarum, quia oporteret eum a mortuis
resurgere : quas si scivisset, non tunc
primo credidisset propter visa, sed ante
propter Scripturas. De Christi autem re-
Ps. xl, 11. surrectione habetur in Psalmo : Tu au-
tem, Domine, miserere mei, et resuscita
Ps. xv, 10. me, et retribuam eis ; et iterum, Non de-
relinques animam meam in inferno, nec
dabis Sanctum tuum videre corruptionem.
Soph. iii, 8. Et Sophonias : Exspecta me, inquit, in

A die resurrectionis meæ in futurum; Osee
quoque, Vivificabit nos post duos dies, *Osee* vi, 3.
in die tertia suscitabit nos.

Hanc expositionem Augustinus, Grego-
rius et Beda non acceptant : unde aliter
exponunt. Quam expositionem etiam tan-
git Chrysostomus. Credidit quod a Maria
Magdalene audivit, videlicet, quod corpus
Domini esset sublatum. Idcirco autem hoc
credidit : nondum enim sciebat Scriptu-
ras, quia oporteret eum a mortuis resur-
gere. In quo utique patet grandis discipuli
B hujus simplicitas, qui cum aliis Aposto-
lis tam frequenter audivit a Christo, quod
consummarentur jam omnia quæ scripta *Luc.* xviii,
erant de Filio hominis, quia tradendus 31-33; *Matth.* xx,
esset gentibus ad illudendum, flagellan- 18, 19.
dum, crucifigendum, et tertia die resur-
geret. In Cœna quoque asseruit : Postquam *Matth.*
resurrexero, præcedam vos in Galilæam. xxvi, 32.
Ut enim frequenter prætactum est, magna
erat Apostolorum hebetudo et ignorantia
ante Spiritus Sancti illustrationem. Quam-
vis ergo nequaquam putaverint Jesum fal-
C sa dixisse, non tamen attenderunt verba
ipsius, imo nec certam eorum cognitio-
nem habebant. Ista expositio melior est,
textui quoque conformior. Denique Joan-
nes non videtur prius credidisse quam
Maria Magdalene. Imo si ipsa vidisset Pe-
trum et Joannem credere quod Jesus re-
surrexisset, protinus illorum fidem fuisset
secuta. Sed immediate dicetur, quod Maria
hæc necdum credebat : quin potius, Jesu
sibi apparente, Domine, inquit, si tu sus- vers. 15.
tulisti eum, etc. Sed et in Luca scribi-
D tur, quod Petrus visis quæ dicta sunt, *Luc.* xxiv,
abiit, secum mirans quod factum est. Unde 12.
videtur non credidisse.

Abierunt ergo iterum discipuli Petrus 10
et Joannes *ad semetipsos,* id est ad sua
latibula, de quibus ad monumentum ve-
nerunt, vel ad condiscipulos, qui erant
unum cum eis in Domino.

Porro de moralitate hujus Scripturæ,
quomodo per Petrum Ecclesia ex gentibus
congregata designetur, per Joannem vero
Synagoga, multa jam dicta sunt : quæ

Digitized by Google

quum sint notissima, nunc relinquo, aliam moralitatem breviter tangens. Per Mariam itaque, quæ interpretatur amarum mare, exprimitur peccatrix et pœnitens anima : quæ quum fuerit gratiosa ac dulci Christi præsentia spoliata, se ipsam affligit amaritudine compunctionis et pœnitentiæ lacrimis, dicens cum Psalmista :
Ps. CXVIII, 136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Per monumentum figuratur mortificatio carnis, vel absconsio hominis qua se retrahit et abscondit ab his quæ mundi sunt, juxta illud Psalmistæ in psalmo quinquagesimo quarto : Ecce elongavi fugiens, et
Ps. LIV, 8. mansi in solitudine. Igitur anima nostra quæ Deum frequenter offendit, quærat Jesum in monumento, id est in vitiorum mortificatione, et sui ipsius sepelitione a sæculo isto, quemadmodum dicit Apo-
Galat. VI, 17. stolus : Ego stigmata Domini Jesu in cor-
Coloss. III, 5. pore meo porto ; rursusque, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.
Galat. V, 24. Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.

Quum vero anima non invenerit Jesum in tumulo isto, hoc est, quando in corporali afflictione et actibus pœnitentiæ non invenit consolationem et gratiam experimentalem, currat et nuntiet Petro, qui interpretatur firmus, agnoscens, vel principalis, id est viro forti in fide, docto et ad aliorum gubernationem idoneo, atque Joanni, qui interpretatur gratia Dei, id est ei qui veram sortitus est experientiam inter bonum et malum per gratiam specialem ac devotionem frequentem. His igitur dicat, Tulerunt Dominum de monumento, id est, in pœnitentiæ actibus ac lamentis Jesum non invenio (modo jam tacto). Tunc isti hoc audito, admirantes, current cursu mentali ad monumentum, considerando qualitatem operum animæ talis ; et non invento illic Jesu, videbunt linteamina posita et sudarium involutum, id est habitus gratiæ et donorum, cum laboriosis vitæ activæ operibus, quamvis præsentia Domini Jesu non percipiatur

A per devotionem experimentalem et consolationem internam. Solet nempe sæpe hujusmodi præsentiam suam abstrahere, animamque in afflictionibus magnis, in cordis ariditate, mentis quoque duritia quadam relinquere, abscondens ad tempus faciem suam, ut quæratur avidius, inveniatur affluentius, teneatur stabilius, possideatur felicius. Verumtamen adest indesinenter per occultum gratiæ habitum, per dona et opera quæ necessaria sunt ad salutem, quamvis putetur abesse

B et indignatus abiisse. Interdum quoque anima se affligens non invenit Jesum vel magnum profectum in corporali exercitatione, in pœnitentiali labore, in via rigoris, quia non quærit Jesum cum vera discretione et sancta humilitate, quando videlicet non est rationabile obsequium *Rom.* XII, 1.
ejus, vel propriis viribus et laboribus plus justo innititur, non ponens totam *Ps.* LXXVII, 7.
spem suam in Deo et meritis Christi, sed putans se aliquid fecisse aut esse, quum *Galat.* VI, 3.
ita non sit.

C Præterea, per cursum Petri et Joannis, designatur affectuosus accessus viri activi ac contemplativi ad Jesum, ut videant eum, qui est omnium finis. Currit autem Joannes seu contemplativus, citius Petro seu activo, quia ferventior solet esse atque stabilior in divinis ; sed non intrat in primis, donec Petrus ingrediatur, quia frequenter activi ante contemplativos pertingunt ad finem.

Abierunt ergo discipuli, non audentes diutius perseverare juxta sepulcrum, pro-
D pter Judæos. *Maria autem* Magdalene *sta-* 11
bat ad monumentum foris, id est in horto, prope domunculam in qua erat sepulcrum, *plorans* inconsolabiliter, quia non solum vivente magistro fuit privata, sed et corporis ejus solatio destituta, nec vidit modum recuperandi hoc damnum ; et esse aut vivere sine Jesu, in quem totaliter fuerat transformata per caritatem, erat ei tormentum. Stabat ergo ad monumentum. In quo elucescit ejus constantia, ardensque dilectio, quia Apostolis abeuntibus

Digitized by Google

non recessit. Erat autem unicum ei solatium, quod vel in loco esse potuit in quo Dominum suum reliquit, non valens ei amplius approximare. Hinc igitur mansit in loco dominicæ sepulturæ, beatam se reputans, si vel in tumulo illo mereretur sepeliri. Sed cur stetit foris, et non potius intus? Dicendum, ut oculos suos hinc inde circumduceret, si forte videndo aliquid de suo dilecto magistro perciperet, quemadmodum moris est his qui quærunt amissum.

Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum. Jam ante vidit monumentum dominici corporis spoliatum thesauro, idque intimavit discipulis; nunc rursus inclinat se, ut per ostium domunculæ monumentum inspiciat. Excessiva namque dilectio rationem non pensat, sed impetum sequitur affectionis impellentis, nec quiescentis. Ideo sæpe quærit amissum in loco ubi certissime vidit ip-
Rom. IV, 18. sum non esse, habens spem contra spem, et sæpe formidans ne visus in præceden-
12 tibus inquisitionibus sit deceptus. *Et vidit duos angelos in albis :* quos Lucas
Luc. XXIV, 4. nominat viros, dicens quod apparuerunt in veste fulgenti, videlicet alba et candida. Unde quibusdam videtur, quod Maria primo adspectu non scivit quod essent angeli. Apparuerunt ergo in splendidis stolis, quoniam gloriam resurgentis, claritatem supernæ solennitatis, et gaudium magnum nuntiaverunt. Hujusmodi quoque vestis, puritati naturæ angelicæ sanctitatique mentis supernorum spirituum correspondet. Sunt enim essentiæ simplices, in quibus nulla est labes peccati. *Sedentes, unum ad caput,* id est ad superiorem partem sepulcri dominici, *et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.* Sic angeli sancti sederunt propter reverentiam loci, et quoniam illum nuntiaverunt in quo est duplex natura, una summa, et alia bassa, imo et infima in in-
Matth. XXVIII, 2; Marc. XVI, 5. tellectualium ordine naturarum. Matthæus vero et Marcus loquuntur de uno angelo. Unde secundum Augustinum, apparuerunt ibi tres angeli, unus extra sepulcrum, et duo intra illud.

Dicunt ei illi duo angeli, vel unus ex 13
persona amborum : *Mulier, quid ploras?* Non ex ignorantia quærunt, sed ut consolentur Mariam. Quasi dicant : Potius gaudere te decet quam flere, quum Dominus tuus glorificatus surrexerit, et tibi mox apparebit. Fletus autem Mariæ partim increpabilis exstitit, quia processit ex fidei defectu atque errore, sicut subjungitur. *Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum,* id est, Judæi vel milites corpus Domini mei hinc portaverunt, *et nescio ubi posuerunt eum.* Tanquam dicat : Si hoc scirem, aliqualiter consolarer, quia auferrem corpus Domini mei, et illud mecum jugiter conservarem.

Hæc quum dixisset, conversa est re- 14
trorsum, id est, retrospexit : vel quia splendorem angelicorum vultuum atque vestituum diu ferre non poterat; vel ut ex impatienti amore hinc inde prospiceret, si quid de suo carissimo Domino ac magistro posset percipere. Vel, quod potius credendum est, secundum Chrysostomum, ideo retrospexit, quoniam angelos quorum colloquio fruebatur, vidit assurgere, seu magnam reverentiam et inclinationem exhibere cuidam retro eam, videlicet Christo, qui retro accessit, et angelis in specie Dominatoris apparuit. Volens igitur Magdalena agnoscere quisnam ille esset, conversa est retrorsum. *Et vidit Jesum stantem.* Quoniam etenim perseveravit, nullamque indignam consolationem admisit, meruit consolatorem et desideratum cordis sui invenire ac cernere. Perseverandum est ergo in opere bono usque in finem; estque implendum quod ait Psalmista : Renuit consolari anima mea. Ps LXXVI, 3.
Et nesciebat quia Jesus esset. Quia enim affectuose quærebat Jesum, meruit eum adspicere; sed quia minus bene de eo sensit, meruit ejus cognitione privari. Fidem namque resurrectionis illius non habuit, ideo nec eum cognovit, quia veraciter scriptum est : Nisi credideritis, non intelligetis. Is. VII, 9, juxta LXX.

15 *Dicit ei Jesus : Mulier*. Consuetudo est A
Hebraici idiomatis, quamcumque feminei sexus, mulierem vocari. Unde de Virgine
Galat. iv, 4. sancta dicit Apostolus : Misit Deus Filium suum natum ex muliere. *Quid ploras? quem quæris?* Idcirco Christus interrogavit, ut sui amorem in corde Mariæ accenderet, renovaret, augeret, sicque illa sui dilecti efficeretur capacior, quoniam amor aperit cor amantis ad susceptionem amati.

Illa existimans quia hortulanus esset. In specie enim tali apparuit ei Christus, vel ideo hoc æstimavit Maria, quoniam B
Jesus apparuit ei in horto, ad quem putavit neminem advenisse, nisi horti cultorem, ut illum excoleret. Spiritualiter quoque erat Jesus hortulanus cordi Mariæ, de ea eradicans germina mala dubitationis et ignorantiæ atque peccati, et inserens ei semen virtutum, fidei lumen, et ceteros fructus Spiritus Sancti. Quemadmodum itaque Jesus apparuit duobus
Luc. xxiv, 18. discipulis in specie peregrini, ita apparuit Magdalenæ in specie hortulani. Habet enim glorificatus in corpore potesta- C
tem exhibendi se visibilem et invisibilem, cognoscibilem et incognoscibilem, vel in forma qua placet. Verum de modo qualiter fiat hoc, et in quo subjective consistat hujuscemodi alia effigies, longa est disputatio, quam relinquo. Hoc tamen certum est, quod corpus glorificatum perfecte subjectum est imperio animæ, manetque jugiter glorificatum, quomodocumque appareat; visus autem intuentis diversimode immutatur. Potuit autem Christus similitudinem sibi placentem formare in D
adspicientium oculis. Non tamen decepit eos, nec fuit ex parte ejus illusio; sed nondum credentes, meruerunt eum sub alia intueri effigie, sicque a propria incredulitate oriebatur eorum deceptio. Christus vero talem se eis exhibuit, qualis fuit in corde ipsorum, utpote alterius dispositionis; sed ista alteritas ad veritatem ordinabatur, ut gradatim atque paulatim manifestam veritatis sortirentur notitiam. Idcirco non fuit ex parte Christi deceptio.

Dicit ei, puta Maria Christo, quem hortulanum materialis horti putavit, errans in hoc : *Domine.* Puto quod licet Jesus apparuit in similitudine hortulani, nihilo minus in veneranda quadam effigie se præsentavit Mariæ. Idcirco, quamvis ipsa esset dives ac nobilis, tamen appellavit eum dominum, præsertim quum vere humilis fuerit : cujus humilitas in hoc ipso commendatur, quod hunc quem putavit horticolam, appellaverat dominum.

Si tu sustulisti eum, hoc est, si corpus Jesu deportasti. Cur æstimavit hoc? Dicendum quod ideo, quoniam Jesus in forma hortulani apparuit, forsitan habens palam in manu. Quoniam ergo putavit curam illius horti pertinere ad eum, suspicata est quod corpus Domini asportasset, saltem cum adjutorio. Rursus investigatur, cur de eo cujus nomen non expressit, loquitur indistincte, Si tu sustulisti eum. Respondendum, secundum Gregorium, quoniam consuetudo est ferventer amantium, ut nullum putent ignorare quod ipsi indesinenter revolvunt in corde. Aliter respondetur, quod ideo nomen Jesu non exprimit, quia putavit illum cui loquebatur, ex circumstantia loci, temporis, causæ, et aliorum signorum, facillime posse conjicere quem ipsa notavit. Et forte dicendo, Eum, direxit oculos suos ad tumulum, quasi dicat : Illum noto quem scis ibi fuisse sepultum. — Denique, sicut Christus suscitavit se ipsum, sic sustulit se de monumento, quia per divinitatis naturam excitavit et abstulit se de morte ac monumento quoad naturam assumptam.

Dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam, portando corpus ejus ad domum meam, ut ibi in loco securo illud reponam. Maria hæc loquitur secundum ferventium amatorum morem, qui rationem et possibilitatem parum attendunt, æstimantes suam potestatem parificari dilectionis fervori. Si enim positum fuisset corpus Jesu in atrio principis sacerdotum, vel in medio Judæorum, quomodo illud

tulisset Maria? Et si alibi, quomodo illud per se solam bajulasset? Sed forte dicere voluit : Ego eum tollam auxilio aliorum. Loquitur tamen hæc beatissima Magdalena, quasi paratissima se exponere mortis periculo, ut corpus Domini sui possit acquirere.

16 *Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa, dicit ei, Rabboni : quod dicitur magister.* Statim ut Jesus dixit, Maria, cognovit magistrum discipula. Sic namque consueverat eam vocare; et in ipso nominis sono sensit Maria vim occultam, solitamque dulcedinem, quas experiri solebat ante passionem, dum Jesus dixit ad eam, Maria. Sensit ergo Maria quam affectuose ac dulciter Jesus dixit ad eam, Maria; moxque audito hoc nomine, et magistro cognito, immutata sunt omnia viscera ejus, liquefacta est quoque anima ejus, ut dilectus locutus est, et maximus dolor in ineffabile gaudium repente mutatus est. Quantum enim doluit de sui amantissimi magistri ac Domini occisione et sublatione, tantum gloriabatur de ejus apparitione, resuscitatione, glorificatione, conversa illa spiritualiter a mœrore ad gaudium, ab infidelitate quadam et dubitatione ad fidem ac certitudinem.

Cant. v, 6.

Chrysostomus vero imaginatur, quod Maria putans Jesum hortulanum, viso eo, mirabatur cur angeli ei tantam reverentiam exhibuissent : idcirco convertit se ad illos, interrogare volens de hoc. Quod quum facere ordiretur, Christus dixit ad eam : Maria. Quo audito, agnoscens magistrum in voce, sicut discipuli in panis fractione, rursus convertit se ad eum, et dixit : Rabboni. Sic quippe consueverat eum vocare, ad cujus pedes tam libenter sedere, cujusque verba tam diligenter audire solebat.

Luc. xxiv, 30, 31, 35. *Ibid.* x, 39.

Hoc dicto, Maria ex vehementi amore, qui intime et immediate cupit uniri amato, voluit pedes Christi amplecti et osculari, procidens ante eum, quemadmodum ante passionem solita fuit. Ideo subditur : *Dicit ei Jesus : Noli me tangere*
17

A tactu corporeo, nec spirituali indigno, id est, noli de me sentire nunc sicut hucusque, noli mihi uniri solum aut finaliter quoad naturam hanc meam visibilem; *nondum enim ascendi ad Patrem meum :* id est, ad Patris æqualitatem me pervenisse non credis, sed hominem purum existimas, idcirco non debes me tangere, sentiendo de me minus digne, amandoque me ut hominem tantum. Prohibuit ergo Christus a Maria se tangi, non quod post resurrectionem tactum mulierum vi-

B tavit, quum de duabus scriptum sit, Accesserunt, et tenuerunt pedes ejus; sed propter mysticam rationem, videlicet, quod nemo debet eum spiritualiter tangere, nisi habeat veram fidem de ipso : quam nullus habet, nisi qui credit eum Patri æqualem.

Matth. xxviii, 9.

Vade autem ad fratres meos, id est Apostolos, qui fratres Christi dicuntur propter naturæ assumptæ specificam convenientiam, conversationis mutationem*, amicitiæ singularitatem, æternæque glo-

* imitationem

C riæ hereditatem. De quibus ait in Psalmo : Narrabo nomen tuum fratribus meis. Unde ad Hebræos ait Apostolus : Non confunditur fratres eos vocare. Præterea, multas ob causas nominat eos fratres : primo, ut ostendat se veram carnem, integram totamque humanam naturam habere post resurrectionem sicut et ante; secundo, ut det illis fiduciam redeundi ad ipsum, qui propter fugam ab ipso poterant nimium formidare; tertio, propter nostram instructionem, ne exaltati, de-

Ps. xxi, 23. *Hebr.* ii, 11.

D spiciamus eos cum quibus tempore parvitatis nostræ conversabamur.

Et dic eis : Ascendo post dies paucos, secundum naturam assumptam, cui competebat ascendere, non divinæ, *ad Patrem meum et Patrem vestrum.* Distincte ait, Patrem meum et Patrem vestrum : quoniam Pater æternus, est Pater Christi per naturam, aliorum vero per gratiam. *Deum meum,* secundum quod homo sum, *et Deum vestrum,* secundum quod per meam incarnationem et passionem reducti

Digitized by Google

estis ad eum. Deus autem, qui utique A omnium Deus est, dicitur specialiter Deus illius cui specialiter providet, adest, communicat, et a quo specialiter amatur et honoratur, qui toto corde ad ipsum conversus est, omnemque spem suam in ipso fundavit. Hinc sancti homines dicere consueverunt, Deus meus, ut patet de Elia : quod imperfectis non competit. (III *Reg.* XVII, 20.) Propter quod B. Dionysius ex humilitate præcipua loquitur : Deus, et si fas est dicere, meus. Deus ergo Pater vel Trinitas, specialissime fuit Deus Christi se- B cundum naturam assumptam : quoniam gratiosissime eum prævenit, eique in omnibus adfuit, cooperabatur, et incomparabilia dona præstabat ; maxime quoque diligebatur ac honorabatur a Christo homine, quemadmodum ait superius : Ego quæ placita sunt ei, facio semper. (*Joann.* VIII, 29.) Ascendit autem Christus ad Patrem motu locali : non quod Pater loco distabat ab eo vel ejus humanitate, quum sit vere ubique ; sed quia localiter ascendebat ad cœlum empyreum, in quo Pater specia- C liter esse et habitare censetur, quoniam excellentius ibi operatur, seque evidentius manifestat. — Hac commissione, fecit Christus Mariam Apostolorum apostolam, mittens eam ad illos nuntiare resurrectionem dominicam. Decuit enim ut sicut per feminam oblata est viro mortis occasio, sic per feminam nuntiaretur viris facta redemptio. (*Gen.* III, 6.)

Venit Maria Magdalene, jussioni Chri- 18
sti obediens, *annuntians discipulis : Quia vidi Dominum. Et hæc dixit mihi* Joanni, qui recedendo a monumento ante eam, non merui simul cum ea vel primus videre Christum resuscitatum.

Denique in expositione hujus evangelii, pulchre atque dulcissime, multumque devote et affectuose loquitur Origenes. Et in fine sic exhortatur : Sequamur hujus mulieris affectum, ut perveniamus ad effectum ; ploret unusquisque ad Jesum, et quærat fideliter Jesum, apparebitque ei, quia non celavit se quærenti peccatrici. Disce, peccator, a peccatrice plorare propter Dei absentiam, desiderare ejus præsentiam, nullam consolationem extra Jesum recipere, nulla adversa timere, et omnia mundi prospera propter Christum contemnere. Audeo tibi confidenter promittere, si in his perseveraveris, Jesum quem quærebas, invenies et cognosces.

ARTICULUS XLVIII

PROSECUTIO EXPOSITIONIS PRÆSENTIS VICESIMI CAPITULI : QUUM SERO ESSET DIE ILLA, UNA SABBATORUM.

HOC loco describit Evangelista quin- D tam Christi apparitionem, factam in die Paschæ, et etiam sextam, quæ facta est præsente Thoma, in octava Paschæ. Quinquies enim apparuit Christus in die Paschæ : Primo, Magdalenæ, quemadmodum in Marco legitur : Surgens Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene. (*Marc.* XVI, 9.) Secundo, mulieribus redeuntibus a sepulcro, juxta illud Matthæi : Ecce Jesus occurrit illis, dicens, Avete. (*Matth.* XXVIII, 9.) Tertio, Petro, quamvis locus ignoretur ; creditur tamen quod redeunti a monumento. (*Luc.* XXIV, 34; I *Cor.* XV, 5.) Quarto, duobus discipulis euntibus in Emmaus, secundum quod recitat Lucas. (*Luc.* XXIV, 13 *et seq.*) Quinto, undecim Apostolis in conclavi, sicut nunc contestatur Joannes.

Quum sero esset, hoc est hora vesper- 19
tina, et nocte incipiente, *die illa,* in qua apparuit Magdalenæ, *una sabbatorum,* id

est, quæ dies fuit una dierum illius hebdomadæ, qui omnes dicebantur sabbata, quia festivi, *et fores,* id est januæ, *essent clausæ, ubi erant discipuli,* hoc est Apostoli, et etiam alii, secundum Lucam, (*Luc.* xxiv, 33.) *congregati propter metum Judæorum :* in quo patet eorum infirmitas, qui timebant eos qui corpus potuerunt occidere. (*Matth.* x, 28.) Dicunt quidam, quod Apostoli erant dispersi in die propter metum Judæorum, sed de sero conveniebant ad locum unum. Evangelista vero nunc dicit, quod erant congregati propter metum prædictum. Lucas quoque habet, quod mulieres regressæ a monumento, nuntiaverunt quæ audierunt illis undecim : (*Luc.* xxiv, 9.) quod fuit clara die, quia post hoc Petrus et Joannes cucurrerunt ad monumentum. (*Ibid.* 12.) Ex quibus patet, quod discipuli etiam in die sederunt collecti januis clausis, propter metum Judæorum : imo minus audebant exire diebus quam noctibus.

Venit Jesus ostio clauso, per penetrationem dimensionum. Corpora enim glorificata omnia penetrant per dotem subtilitatis, secundum quosdam : non tamen sine grandi miraculo, prout Thomas super quartum Sententiarum satis demonstrat. Quemadmodum igitur Jesus exivit uterum Matris, ea integra remanente, sic intravit et exiit domum non apertam, divina omnipotente virtute. *Et stetit in medio* discipulorum. Ipse namque est mediator, doctor reconciliatorque noster, ideo competebat ei esse in medio, sicut et ante passionem locutus est : Ego in medio vestrum sum. (*Ibid.* xxii, 27.) Magister quippe virtutum, medium semper elegit, quia in medio virtus consistit. Quomodo autem factum sit quod nunc refert Joannes, Lucas plenius edocet : quo legitur, quod quum Jesus cognitus fuisset a duobus discipulis in fractione panis, et disparuisset, (*Ibid.* xxiv, 30, 31.) illi surgentes regressi sunt in Jerusalem eadem hora, inveneruntque undecim congregatos, et eos qui cum illis erant, (*Ibid.* 33-35.) quibus dixerunt quomodo Jesus apparuisset eis in via, et qualiter eum cognoverunt : quibus ista narrantibus, venit Jesus, et stetit in medio discipulorum. (*Luc.* xxiv, 36.)

Et dixit eis : Pax vobis. Quod docuit Christus, hoc fecit. Præcepit autem discipulis : In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui. (*Ibid.* x, 5.) Hinc ipse domum ingrediens in qua erant carissimi sui electissimique discipuli, ait : Pax vobis. Rursus, sic eos salutavit, quoniam paulo ante, in qua nocte tradebatur, disseruit : Pacem relinquo vobis. (*Joann.* xiv, 27.) Quod igitur tunc reliquit, nunc attulit, dedit et auxit. Discipuli quoque pace maxime indigebant, quoniam multipliciter conturbati erant, ac territi, videlicet propter præteritam Christi passionem, propter Judæorum crudelitatem, et proprii cordis quamdam hæsitationem de Christi resurrectione, de cujus veritate nondum fuerant roborati. Insuper sic salutavit discipulos, quoniam pax est maximum bonum, omnique Christiano præcipue appetendum : per quam homines fiunt filii Dei, quemadmodum scriptum est : Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. (*Matth.* v, 9.) Propter quod ait Dionysius, quod omnia appetunt pacem, et propter hanc agunt omne quod agunt. Ex quo concluditur, quod pax est vel ipsa beatitudo, vel proxima ad beatitudinem dispositio.

Christus autem præsertim nunc loquitur de pace interna, quæ est tranquillitas animi, utpote quies a motibus propriis inordinatis, videlicet a timore immoderato, a tristitia sæculi, quæ secundum Apostolum, mortem operatur, (II *Cor.* vii, 10.) a dolore rationem impediente. Non enim optavit discipulis quietem ab exterioribus persecutionibus ad tempus, quos in medio luporum erat missurus, (*Matth.* x, 16.) sed ut in omni turbatione extrinseca conservarent pacem internam. Propterea ad Hebræos monet Apostolus : Pacem sequimini et sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit. (*Hebr.* xii, 14.)

20 *Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus,* forte et pedes : imo et pedes, ut infra ex verbis Lucæ evangelistæ patebit. In his quinque vulnerum remanse-

Digitized by Google

runt cicatrices, in testimonium identitatis
corporis passi, resuscitati, et glorificati,
itemque in signum victoriæ Salvatoris.
Ostendit ergo discipulis manus perfossas,
et latus lancea perforatum, ut scirent
quod ipse esset qui paulo ante pendebat
in ligno, et quod idem numero corpus
resumpsisset. — Multa hoc loco omittit
Joannes, quæ recitat Lucas; ea quoque
quæ Lucas omisit, supplevit Joannes. Ita-
que Luca testante, Christus discipulis di-
Luc. xxiv, 39. xit : Videte manus meas et pedes meos;
palpate et videte, quoniam spiritus car-
nem et ossa non habet, sicut me videtis
habere. Et alia multa in hac apparitione
Ibid. 36 *et seq.* dicta et facta recitat Lucas.

Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domi-
Apoc. xix, 16. *no* dominorum, qui in femore suo scri-
ptum habet : Rex regum et Dominus
dominantium. Gaudium nempe est dif-
fusio animi in conceptione boni, oritur-
que ex unione potentiæ cum bono con-
venienti. Quoniam ergo discipuli viderunt
Jesum, summum et convenientissimum
bonum, quem maxime diligebant, de cu-
jus passione vehementer dolebant, cujus
beatitudini cordialiter congratulabantur;
ideo viso eo, ultra quam æstimari posset
aut exprimi, lætabantur. Gavisi sunt au-
tem propter Jesum, et propter se ipsos :
quia magistro suo intime congaudebant;
et de suo profectu exhilarati sunt, viden-
tes se non esse deceptos sequendo Jesum,
Matth. xix, 27. propter quem omnia sua reliquerunt, et
multa perpessi fuerunt ac patiebantur.

21 *Dixit ergo eis iterum : Pax vobis.* Si-
Luc. xxiv, 37. quidem viso Domino Jesu, conturbati fu-
erunt atque conterriti, juxta Lucam : ideo
repetit, Pax vobis. Quæ etiam repetitio,
confirmationis indicium est, dilectionis-
que signum, et admonitio discipulorum
ut pacem jugiter appetant, præcipueque
exquirant. Vel, ideo bis ait, Pax vobis,
quia optavit eis pacem gratiæ in præsen-
ti, et pacem gloriæ in futuro. *Sicut mi-*
sit me Pater, et ego mitto vos : id est,
quemadmodum Pater misit me ex vera
caritate et pietate, ad prædicandum Evan-
A gelium vitæ Judæis, a quibus multas per-
secutiones, et tandem amarissimam per-
pessus sum mortem, quorum tamen ho-
minum nonnullos converti; sic ego nunc
mittam vos ad prædicandum evangeli-
cam legem Judæis ac gentibus, ex cari-
tate et pietate ad vos, et item ad illos, a
quibus multa adversa et mortem sustine-
bitis, quosdam vero eorum convertetis.

Hæc quum dixisset, insufflavit, et dixit 22
eis : Accipite Spiritum Sanctum. Post-
quam Salvator dixit discipulis, Sicut mi-
B sit me Pater, et ego mitto vos, infudit
discipulis Spiritum Sanctum, quia offi-
cium prædicationis quod eis commisit,
sine speciali gratia Spiritus Sancti ex-
pleri non valuit. Oportet enim ut prædi-
cator verbi cœlestis, in se ipso abundet
caritatis fervore, et sapientia divinorum,
quatenus ignita proferat verba, motiva et
penetrativa, sitque sententiosus, discretus
et instructivus in sermonibus suis. De-
nique, per corporalem illam insufflatio-
nem et inspirationem, evidenter signavit
C superintellectualem atque æternam pro-
cessionem seu spirationem qua Spiritus
Sanctus ab ipso procedit, prout plenius
probat Anselmus in libro de Processione
Spiritus Sancti. Rursus, dicendo, Accipi-
te Spiritum Sanctum, insinuavit se per
auctoritatem dare Spiritum Sanctum :
quod nequaquam sic esset, nisi Spiritus
Sanctus ab ipso procederet. Sed nonne
Apostoli ante hanc horam habuerunt Spi-
ritum Sanctum? Habuerunt utique, non
autem tam copiose et efficaciter, seu ad
D tot tantosque effectus, ut ex hac hora,
quia et nunc data est omnibus eis po-
testas ligandi atque solvendi, sicut mox
introducetur.

Augustinus facit hic grandem quæstio-
nem, cujus se solutionem nescire fate-
tur. Quærit ergo, cur Christus bis dedit
Spiritum Sanctum, semel in terra ante as-
censionem, et semel de cœlo post ascen-
sionem. Tangit autem Augustinus quam-
dam solutionem sub dubio, puta quod
ideo, quoniam duo sunt præcepta carita-

Digitized by Google

tis. Quam rationem Gregorius et Beda af- A firmant esse hujus rei causam, videlicet, quod in terra dedit, ut diligatur proximus, deinde de cœlo, ut diligatur Deus. Sed quia per eamdem gratiam utrumque præceptum impletur, nec unum sine alio valet impleri, imo et unus est habitus caritatis qua Deus proximusque diligitur, ideo potest alia ratio assignari. Ut enim Dionysius docet, Natura non procedit a distanti in distans, nisi per medium. Quem processum auctor naturæ Deus sublimis et benedictus, observat frequenter, præ- B
Rom. xiii, 1. sertim quum teste Apostolo, Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Unde et admonet :
I Cor. xiv, 40. Omnia decenter et secundum ordinem fiant in vobis. Hinc ergo Christus sapientia Ibid. i, 24.
Sap. viii, 1. Patris, disponens universa suaviter, suos discipulos paulatim ad sublimiora attollens, ac pedetentim ad perfectionem perducens, primo dedit eis Spiritum Sanctum in terra per insufflationem, non in tanta plenitudine, nec in signo tam evidenti, ut postea, quatenus per istam ad illam exuberantissimam Spiritus Sancti susce- C ptionem quæ facta est in die sancto Pentecostes, disponerentur.

23 *Quorum remiseritis peccata,* eos legitime absolvendo, et divinæ virtuti, quæ sola dimittit peccata ut causa principalis, instrumentaliter vi clavium cooperando, *remittuntur eis* a Deo, saltem quoad culpam, non tamen semper aut totaliter quantum ad pœnam. Tamen, per orationem sacerdotis virtutemque clavium, et per pudorem ac contritionem confitentis, aliquid pœnæ dimittitur, tanto utique am- D plius, quanto pudor et contritio fuerint fortiores. Possent enim esse tam magni, quod tota pœna dimitteretur. *Et quorum* peccata *retinueritis,* id est, non dimiseritis, sed retinenda judicaveritis, eo quod non vere pœniteant, nec dignos se præbeant ad indulgentiam obtinendam, *retenta sunt,* id est, Deus illa imputabit hominibus talibus. Oportet itaque ut judicium Ecclesiæ conformetur divino judicio, servando videlicet rectum processum, et debitum clavium usum. Unde ultimo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo, ait Theologus : Sacerdotes hierarchicis sibi collatis virtutibus uti oportet, prout Deitas moverit eos. Agens enim instrumentale non sortitur efficaciam, nisi secundum quod a principali causa movetur. Propter quod profitetur Apostolus : Secundum potesta- II Cor. xiii, 10.
tem quæ data est mihi in ædificationem, et non in destructionem.

Itaque Christus nunc ait et confert universis Apostolis, quod ante passionem Petro singulariter dixit : Quodcumque, in- Matth. xvi, 19.
quiens, ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Ideo autem Petro tanquam principaliori inter Apostolos et capiti universalis Ecclesiæ, hoc dictum est singulariter, ut quum sit ordo in Ecclesia, hæc potestas credatur primo ac principaliter residere in summo Pontifice, S. Petri vicario, atque ab ipso derivari in archiepiscopos et episcopos, et ab ipsis tanquam a mediis, in simplices sacerdotes. Verumtamen, quamvis omnis sacerdos in sua ordinatione ligandi ac solvendi potestatem recipiat, quum secundum Thomam, realiter idem sint character sacerdotalis, et potestas prædicta, quæ etiam clavis vocatur; non tamen habet hujus potestatis exsecutionem, nisi ei subjiciatur materia, scilicet homines super quos sibi jurisdictio detur, seu cura animarum committatur a superiore, qui sicut dat eam inferiori, sic potest eam ei auferre in toto vel parte, legitima causa occurrente.

Præterea, Christus dicendo discipulis, Quorum remiseritis peccata, etc., manifeste ostendit se esse verum Deum, qui solus potest tantam conferre potestatem hominibus, quæ nec angelis data est. Decuit autem ut postquam Deus assumpsit humanam naturam, homines ab illo acciperent divinam virtutem, et supernaturalem quamdam deificationem : quod maxime datum est sacerdotibus, per hoc quod sunt dispensatores sacramentorum

Digitized by Google

novæ legis, in quibus gratia continetur et
datur. Omnibus quoque fidelibus datur
deificatio talis, per diversa dona et gra-
tiam Spiritus Sancti, secundum quod in
II *Petr.* I, 4. epistola canonica Petri inducitur : Maxi-
ma et pretiosa nobis promissa donavit, ut
per hæc efficiamini divinæ consortes na-
turæ. — Postremo, de hac materia, et
quid sit clavis, et quomodo sacerdos evan-
gelicæ legis dicatur peccata dimittere, an
scilicet aliquid cooperando, vel dumtaxat
ostendendo, de verbis quoque Hieronymi
In Matth. XVI, 19. circa hoc, plurima dixi super Matthæum :
quæ non sunt hoc loco repetenda, quam-
vis ista sine illis plene intelligi nequeant.

Dedit itaque Christus Apostolis eorum-
que successoribus divinam et admirabi-
lem potestatem, qua alios possunt solvere
et ligare, a regno excludere, et in illud
inducere. Sed videant ministri Ecclesiæ
ut tanta virtute digne utantur, exsistendo
in gratia, causasque confitentium sapi-
enter pensando ac discernendo, et priva-
tum amorem ac odium, ceterasque inor-
dinatas affectiones penitus repellendo :
quoniam si indignos absolvant, vel dignos
ligent, dicetur de eis illud Ezechielis :
Ezech. XIII, 19. Interfecerunt animas quæ non moriuntur,
et vivificabant animas quæ non vivunt.

24 *Thomas autem unus ex duodecim,* hoc
est unus Apostolorum, qui ante passionem
Matth. X, 2-4. Christi erant duodecim, quando Judas fuit
unus illorum ; vel, Unus ex duodecim,
quia dum Joannes evangelium præsens
Act. I, 24-26. descripsit, successit Mathias in locum Ju-
dæ, sicque Thomas fuit unus Apostolo-
rum, qui Mathia electo fuerunt duodecim;
qui dicitur Didymus : quod interpretatum
est dubius, quia de Christi resurrectio-
ne præ ceteris fuit incredulus; *non erat
cum eis, quando venit Jesus.* Huic vide-
tur contrarium quod Lucas habet, duos
Luc. XXIV, 33. discipulos regressos a castello Emmaus,
invenisse congregatos undecim, quorum
unus exstitit Thomas. Respondet Augusti-
nus, quod Thomas adfuit redeuntibus il-
lis duobus : quibus loquentibus, Thomas
propter aliquam causam exivit, et inte-
rim apparuit Christus. Potest etiam dici,
quod iste sit sensus verborum Lucæ :
Invenerunt congregatos undecim, id est
Apostolos, qui pro tunc undecim erant,
quamvis non fuerunt omnes collecti. Est
quoque consuetudo Scripturæ, ut aliquid
attribuatur toti communitati, quia majori
vel principaliori ejus competit parti.

Quæritur, quum Thomas defuerit quan-
do Jesus venit, insufflavit, Spiritum San-
ctum largitus est, et dicebat, Quorum re-
miseritis peccata, etc., an ipse Spiritum
Sanctum bis recepit, et potestatem ligan-
di atque solvendi sortitus est. Dici potest
quod post octo dies apparente Jesu, Tho-
mas recuperavit quod in die Paschæ per
absentiam suam non accepit. — Insuper,
teste Gregorio, divina dispensatione fa-
ctum est ut Thomas tunc deesset, videli-
cet ad nostram informationem, quatenus
Thoma dubitante propter suam absen-
tiam, Christus appareret frequentius, su-
amque resurrectionem probaret lucidius.

Dixerunt ergo ei in domum regresso 25
*alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille
autem dixit eis : Nisi videro in manibus
ejus fixuram clavorum, et mittam digi-
tum meum in locum clavorum,* hoc est
in partes manuum clavis fixas, *et mittam
manum meam in latus ejus,* tangendo
lateris aperturam, *non credam.* Tam du-
rus ad fidem et grossus fuerat Thomas,
quod nec tot tantisque testibus credidit ;
nec videre satis putavit, sed voluit etiam
corpus manu tractare seu tangere. Non
enim consideravit omnipotentiam Dei, nec
recordabatur verborum Christi quibus
prænuntiavit se resurrecturum tertia die, *Matth.* XVI, 21; XVII, 22; XX, 19.
sed quam impossibile esset naturaliter ho-
minem taliter passum resurgere.

Et post dies octo, hoc est die octava 26
inclusive, *iterum erant discipuli ejus in-
tus,* id est in domo prædicta, propter me-
tum Judæorum, ut ante, *et Thomas cum
eis.* Puto quod Thomas post præscriptam
apparitionem magis quam ante mansit
cum Apostolis, timens ne Jesus denuo il-
lis appareret se absente. *Venit Jesus januis*

Digitized by Google

clausis. Propter quod dixit Manichæus, A
quod Jesus habuit corpus phantasticum, non attendens omnipotentiam Dei, quæ potest unum corpus per aliud ducere, ambobus integris permanentibus. *Et stetit in medio* discipulorum, *et dixit : Pax vobis.*
27 Ista jam semel exposita sunt. *Deinde dicit Thomæ,* ostendens se verba illius agnoscere : *Infer digitum tuum huc,* in locum clavorum manuum mearum, et palpa fixuras earum, *et vide manus meas* clavis perforatas, *et affer manum tuam, et mitte in latus meum,* tangendo aperturam B
illius; *et noli esse incredulus, sed fidelis,* quia dixisti te non crediturum, nisi videris ac tetigeris ista. Ecce quanta fecit Christus pro conversione unius, quam pie et caritative se ipsum exhibuit Thomæ discredenti : nam et si Thomas plura aut certiora resurrectionis argumenta petisset, non denegasset ipsi ea Salvator.

28 *Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus et Deus meus* es tu. In quo divinitatem Christi fatetur. Tanta enim
Rom. x, 10. evidentia veritatis convictus, corde credi- C
dit, et ore confessus est, quod Jesus cujus humanitatem vidit, esset verus Deus, quemadmodum ante passionem ab ipso
Joann. x, 30. audivit : Ego et Pater unum sumus. Præterea, an Thomas tetigerit latus et manus Christi, an ex reverentia id omisit, non est certum, nec potest ex textu præsenti determinari : unde diversi de hoc diversimode opinantur.

29 *Dixit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma,* oculis carnis, quantum ad naturam meam assumptam, *credidisti* quod non D
vidisti, videlicet quod sim Deus. Aliud itaque vidit, et aliud credidit. Vidit hominem, et credidit Deum. *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Hoc aliqui asserunt dictum de aliis discipulis. Sed non apparet : nam discipuli qui aderant, omnes jam viderant Christum. Propterea Augustinus dicit hoc dictum de nobis ac ceteris qui crediderunt, credunt et credent in Christum fide formata, quem non viderunt oculo corporali, quemadmodum
Petrus habet : In quem nunc non viden- I Petr. I, 8.
tes creditis. Actus enim fidei meritorius est, eo quod ex naturali ratione non habet certitudinem, sed divinæ auctoritati innititur, cui intellectus se subjecit. Qui autem Jesum oculo corporali non viderunt, et tamen credunt, magis innituntur auctoritati divinæ atque Scripturis, quam qui oculo carnis eum intuiti sunt. Ideo sunt nunc beatiores in spe, ceteris paribus : quod addo, quia non est arbitrandum quod aliquis præter Apostolos, qui Christum non vidit, et credidit, sit simpliciter beatior Thoma, quamvis quantum ad aliquid ei præferatur.

Multa quidem et alia signa fecit Jesus 30
in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hoc intelligi potest, tam de signis quibus Christus se resurrexisse probavit, quorum multa omisit Joannes, et aliqua illorum alii Evangelistæ scripserunt, quam de ceteris miraculis quæ operatus est ante passionem coram discipulis, quorum pauca scribit Joannes; alii autem Evangelistæ multa illorum describunt signorum. Singuli tamen et omnes aliqua omiserunt, tam de doctrina quam de miraculis Salvatoris. In quo patet insufficientia Scripturæ Evangelistarum per comparationem ad eminentiam operum documentorumque Christi, quæ a nullo mortalium plene possunt describi, secundum doctores.

Hæc autem scripta sunt, ut credatis fi- 31
de per dilectionem operante, *quia Jesus* Galat. v, 6.
est Christus Filius Dei naturalis ac unicus. Per supernaturalia enim opera sua ostendit Jesus se esse Filium Dei : ideo talia scripta sunt, ut qui ea non vidimus, audiendo seu legendo credamus quod Jesus sit Filius Dei. Potius quoque ait Evangelista, Ut credatis quia Jesus est Filius Dei, quam, Filius Virginis, quoniam principalis sua intentio in descriptione hujus evangelii, fuit ostendere Christi divinitatem atque divinam generationem, quia de Christi humanitate et generatione ejus materna, alii Evangelistæ satis scripserunt.

Digitized by Google

Et ut credentes, vitam habeatis gratiæ in A
præsenti, et vitam gloriæ in futuro. Cognitio enim fidei ordinatur finaliter ad
vitam æternam, quæ est visio Dei per spe-
I Petr. I, 8, 9. ciem. Unde Petrus : Videntes, inquit, exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata,
reportantes finem fidei vestræ salutem,
fructum animarum vestrarum. Itaque, Vitam habeatis *in nomine ejus,* id est virtute
et gratia Christi, vel in ipso Christo, tanquam in causa et objecto beatitudinis no-
stræ, quia non est aliud nomen datum Act. IV, 12.
hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri.

ARTICULUS XLIX

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI PRIMI ET ULTIMI : POSTEA MANIFESTAVIT SE ITERUM JESUS AD MARE TIBERIADIS.

POST hæc Evangelista describit aliam B
Christi apparitionem factam in Gali-
1 læa. *Postea,* scilicet post aliquantulum
tempus a præmemoratis apparitionibus in Jerusalem factis, *manifestavit se iterum
Jesus ad mare Tiberiadis,* id est juxta littus maris situati prope urbem cui nomen Tiberias, quæ in honorem Tiberii
Cæsaris sic vocata est. Quod mare alio no-
Luc. V, 1. mine appellatur stagnum Genesareth, et
Matth. IV, 18; XV, 29. mare Galilææ, quia in provincia Galilææ
habetur. Patet ergo quod ista apparitio
facta sit in Galilæa. Ut enim in Matthæo C
legitur, Jesus in die resurrectionis dixit
Ibid. XXVIII, 10. mulieribus : Nuntiate fratribus meis ut
eant in Galilæam, ibi me videbunt. Discipuli igitur ex præcedentibus apparitionibus confortati in fide et animati, exierunt in publicum, et Galilæam ingressi sunt : ubi quum paucis diebus demorarentur, contigit quod nunc attestatur Joannes. Primo autem refert rem gestam summatim. Deinde refert ordinem quo fiebat, secundum quod subditur.

Manifestavit autem se *sic,* id est modo D
qui sequitur. Christus nempe dum volebat, repente disparuit, et dum volebat, subito rursus apparuit ; nec erat continuo cum discipulis, sed certis locis atque temporibus, secundum præordinationem divinam, prout utile vel necesse fuit ad informationem et consolationem primiti-
væ Ecclesiæ. *Erant simul Simon Petrus,* 2
qui a nativitate vel circumcisione dictus
est Simon, et a Christo nominatus est Pe-
trus, ut patuit primo capitulo; *et Thomas,* Joann. I, 42.
qui cognomento *dicitur Didymus,* id est
dubius, ut dictum est in præcedenti ca- Ibid. XX, 24.
pitulo; *et Nathanael* legis doctor, frater
Philippi apostoli, *qui* Nathanael *erat* ori-
undus *a Cana* villa *Galilææ,* ubi Christus Ibid. II, 1 et seq.
convertit aquam in vinum. Huic Natha-
naeli perhibuit Christus testimonium ta-
le, Ecce vere Israelita, in quo dolus non Ibid. I, 47.
est : ut plenius dictum est primo capitu-
lo. *Et filii Zebedæi* Joannes et Jacobus, Matth. IV, 21.
et alii ex discipulis ejus duo, quorum
nomina reticentur. Omnes ergo simul septem fuerunt.

Dicit eis Simon Petrus, qui in omnibus 3
operosior atque ferventior comprobatur : *Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum.* Licuit autem discipulis ad tale officium reverti propter victus necessitatem, quia in se licitum erat. Matthæus vero ad telonium non rediit, quia hujusmodi opus raro vel nunquam exercetur sine peccato, secundum Gregorium. Hi ergo discipuli, quoniam pauperes erant, et Jesus provisor eorum recessit ab eis, ad piscandum profecti sunt. In quo patet Nathanaelis magna humilitas, quia vir tantus

Digitized by Google

ad humile opus accessit. *Et exierunt, et*
ascenderunt in navim, forsitan accommo-
datam, locatam, communem, sive vacan-
Matth. xix, 27. tem. Proprias enim naves et cetera omnia
reliquerunt. *Et illa nocte nihil prendide-*
runt, hoc est, nullum piscem ceperunt.
Quod licet ex naturali causa accidisse po-
tuerit, tamen divina factum est dispen-
satione, ut mox futura captio miraculosior
appareret, atque ad Christum declaran-
dum efficacior.

4 *Mane autem facto, stetit Jesus in littore.*
Tota igitur nocte permisit discipulos in-
fructuose laborare et fatigari, ut postea,
viso Jesu et piscibus copiosissimis com-
prehensis, cordialius exsultarent. Permittit
namque electos suos in nocte sæculi hu-
jus, id est in tempore præsentis vitæ, quæ
tribulationibus, culpis atque miseriis ple-
na est, multipliciter tribulari, affligi, su-
dare, ut tandem quietem sortiti, plenius
Ps. LXXXIX, 15. jucundentur, juxta illud in Psalmo : Læ-
tati sumus pro diebus quibus nos humi-
liasti, annis quibus vidimus mala. Porro,
mane facto, apparet Jesus taliter laboran-
tibus, id est consummato cursu temporis
hujus tenebrosi, quando traducit eos de
hoc mari magno, turbulentoque sæculo,
ad portum securitatis æternæ seu patriam
Sap. v, 6. electorum, ubi Sol intelligentiæ incessa-
biliter oritur, nec dies tendit ad occasum
aliquando. Potest quoque per mane istud,
intelligi finis tentationis et persecutionis
cujuscumque, in quo splendor gratiæ men-
ti gignitur, spiritualis consolatio datur, et
omnia interiora animæ renovantur. Tunc
Jesus apparet his quibus tale mane con-
ceditur, statque in littore, hoc est in lo-
Ps. xc, 10. co tranquillo, ubi flagellum non appro-
pinquat tabernaculo suo, videlicet extra
et supra hunc mundum inquietudinibus
plenum, invitans suos ministros ut festi-
nent venire ad ipsum, adspirando inde-
sinenter ad patriam.

Denique ad litteram, stetit Christus in
littore maris, non supra aquæ fluenta,
quia volebat discipulos suos paulatim ad
suam cognitionem perducere. Si autem
A stetisset supra aquam, obstupefacti fuis-
sent et territi, arbitrantes phantasma esse
vel spiritum, quemadmodum ante passio-
nem, quando ambulavit super mare. Tunc Matth. xiv, 25, 26.
enim præ timoris magnitudine clamave-
runt. Mystice vero, stetit in littore, ad in-
sinuandum quod amplius cum eis non
erat in aquis tribulationum, et fluctibus
vitæ mortalis, sed ad impassibilem tran-
quillissimamque vitam resuscitatus con-
sisteret. Unde ad innuendum quod hoc
modo cum illis non esset, quibus tamen
B præsens loquebatur, ait apud Lucam : Hæc Luc. xxiv, 44.
sunt verba quæ locutus sum vobis, quum
adhuc essem vobiscum.

Non tamen cognoverunt discipuli quia
Jesus est. In alia namque effigie apparuit
eis, quemadmodum Magdalenæ, ut dictum
est præcedenti capitulo, ubi et declaratum Joann. xx, 15.
est qualiter factum sit hoc. Apparuit au-
tem discipulis, secundum Chrysostomum,
in specie viri volentis emere pisces : quod
convincitur ex eo quod subditur. *Dixit er-* 5
go eis Jesus : Pueri. Pueros vocat disci-
C pulos, non ætate vel indiscretione, sed
simplicitate, puritate et innocentia. Per
quem modum Christus ait in Psalmo de
se ipso : Ne avertas faciem tuam a puero Ps. LXVIII, 18.
tuo. Et de ipso dixit primitiva Ecclesia :
Convenerunt adversus sanctum puerum Act. iv, 27.
tuum Jesum, Pontius Pilatus et Herodes.
De prædictis pueris suis atque discipulis
ait Christus per Isaiam : Ecce ego et pueri Is. viii, 18.
mei quos dedit mihi Dominus. *Numquid*
pulmentarium, id est aliquid cibi quod
decoctum apponatur ac manducetur cum
D pane ut sapidus sit, *habetis?* quasi dicat :
Habetis aliquos pisces? Quærit, ut ex il-
lorum responsione convenienter consulat
atque subinferat. *Responderunt ei, Non.*

Dicit eis : Mittite in dexteram navi- 6
gii rete, id est, rete vestrum projicite in
aquam ad dexteram partem naviculæ, *et*
invenietis quod quæritis, scilicet pisces
in copia. Prædicit effectum futurum, in
se penitus contingentem, ut quum factum
viderent quod prædixit, scirent eum esse
Christum. *Miserunt ergo* rete in aquam

Digitized by Google

designatam, *et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Ex quo elici potest, quod divino nutu pisces subito illuc adducti atque collecti sunt, vel fortassis divina virtute producti. Non enim paulo ante ibi fuerunt, quia discipuli tota nocte circa locum illum erant piscati.

7 *Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Jesus Petro : Dominus est.* Quemadmodum discipuli ante passionem vocabant Jesum, nunc magistrum, nunc Dominum,
Joann. XIII, 13. juxta illud, Vos vocatis me magister et Domine, ita et post passionem. Denique Jesus est ille Dominus de quo ait Psalmi-
Ps. LXXXVIII, 10. sta, Tu dominaris potestati maris : qui in
Gen. I, 20-23. exordio mundi quinto die fecit pisces maris. Loquitur autem Joannes specialiter Petro, tanquam familiariori ac principaliori. Joannes vero cognovit Jesum per miraculosam piscium captionem, et quia vidit verbum ejus tam copiose impletum. Vel Jesus primo ostendit ei speciem sui cognoscibilem.

Simon Petrus, quum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se : erat enim nudus. Quod Petrus dicitur se tunica succinxisse, quia nudus erat, intelligi potest dupliciter : Primo, quod super simplicem vestem qua erat indutus succinxit se, quia discinctus fuit. Erat enim nudus, hoc est parum vestitus, ita quod comparatione solitæ vestitionis dicitur nudus, quemadmodum ei qui parum indutus est dicimus, Cur vadis nudus? Secundo, quod erat simpliciter nudus, saltem usque ad lineas vestes : et ergo tunica se succinxit, illam induendo atque cingendo. Eratque nudus secundum consuetudinem piscatorum, ut expeditior esset ad opus. Porro succinxit se propter reverentiam Christi, ut ad eum honeste veniret.

Dicitque Beda, quod venit, non ambu-
Matth. XIV, 29. lando super undas maris, ut ante Christi passionem, sed natando vel peditando. Quod improbat Lyra, quia si voluisset natare, non succinxisset se tunica, nec poterat peditare propter profunditatem aquæ. Distabat namque a littore quasi ducentis

A cubitis, et potuit ibi currere navis. Videtur autem quod Lyra sufficienter probet quod Petrus non accessit natando. Nihilo minus puto cum Beda dicendum, quod non ambulavit super aquas, sed peditavit : Primo, quia hoc videtur evangelicæ veritati amplius concordare. Sequitur enim in textu : *et misit se in mare.* Ex hoc apparet quod aquam intravit usque ad magnam corporis partem. Secundo, quia non est verisimile quod Evangelista tantum miraculum tacuisset. Pro eo enim quod ait,
B Misit se in mare, poterat dicere, Ambulavit super mare. Quod vero arguitur de aquæ profunditate, non cogit. Quamvis enim Evangelista appellet hanc aquam mare, non tamen proprie fuit mare, sed stagnum. Loquitur quippe secundum consuetudinem sermonis Hebraici, qui quamlibet congregationem aquarum notabiliter magnam nominat mare, juxta illud Genesis : Congregationes aquarum appella- *Gen.* I, 10.
vit Deus maria. Non ergo oportet asserere aquam tam profundam fuisse.

C Misit se ergo Petrus in mare, ex fervore et gaudio, cupiens celerrime venire ad supercarissimum suum magistrum ac Dominum, quem nunc toties vidit; nec dubium quin multa ab eo audivit, quæ non
sunt conscripta. *Alii autem discipuli na-* 8
vigio venerunt, quia non adeo fervidi erant ut Petrus; nec indigebant se in aquam deponere : *non enim longe erant a terra,* id est littore in quo stetit Jesus, vel de prope, *sed quasi cubitis ducentis,* ideo poterant quasi tam cito venire ad Jesum ut
D Petrus; *trahentes rete piscium* per aquam,
ut moris est piscatoribus. *Ut ergo descen-* 9
derunt in terram, de aqua vel navi, *viderunt prunas positas,* scilicet ignem carbonum, *et piscem superpositum* prunis, qui assabatur ut esset esui aptus, *et panem* juxta prunas. Viderunt ergo necessaria victui. Chrysostomus asserit quod Christus hæc tria creavit ibidem de novo, videlicet piscem, panem et prunas ; alii, quod de novo formata sunt ex præjacenti materia. Voluit autem Christus suæ re-

Digitized by Google

surrectionis veritatem rursus ostendere A
per manducationem : ideo tria hæc præparavit, sciens etiam discipulos fame confectos, utpote qui tota nocte laboraverunt. vers. 3.
10 *Dicit eis Jesus : Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.* Quamvis enim Christus potuit omnes satiare de pisce superposito prunis, voluit tamen ut de piscibus captis afferrent : quia dum aliunde habemus, non debemus ad miracula perpetranda confugere ; nec supernaturalia efflagitare præsidia, dum naturaliter habemus quod opus est. Hoc enim esset B
11 Deum tentare. *Ascendit Simon Petrus* præ aliis semper promptior atque ardentior, *et traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* Magnitudinem et multitudinem piscium exprimit Evangelista, ad ostendendum excellentiam tanti miraculi. Propter quod subditur : *et quum tanti essent, non est scissum rete,* quod naturaliter vix triginta pisces poterat sustinere, ut putatur.

Multa mirabilia in ista apparitione peracta sunt : primo, quod Jesus ostendit C se in alia forma, qua cognosci non poterat; secundo, quod tot pisces repente collecti et capti sunt; tertio, quod prunæ et piscis ac panis de novo formata sunt; quarto, quod rete tot piscibus repletum manserit integrum.

Dicit eis Jesus : Venite, prandete. Co- 12
medit autem Christus cum eis de pisce asso nunc, quemadmodum ante in conclavi, quamvis Joannes non exprimat. (Luc. XXIV, 42, 43.) *Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes quia Dominus est.* Quoniam ergo id noverant, non audebant inaniter interrogare. Frustra enim petissent quod certitudinaliter agnoscebant. *Et venit Jesus,* non a longinquo 13
tunc, sed ivit ad panem pro tunc, sicut subjungitur : *et accepit panem, et dabat eis, et piscem similiter,* id est, cibos istos distribuit eis, vel anteposuit : et forte divisit, quemadmodum duobus discipulis, qui cognoverunt eum in fractione panis. (Ibid. 30, 31, 35.)

Hoc tempore jam tertio, id est tertia 14
vice, *manifestatus est Jesus discipulis suis quum resurrexisset a mortuis,* loquendo de apparitionibus in hoc libro descriptis et viris exhibitis. Sæpius tamen apparuit discipulis suis ante hoc tempus, quam ter, ut patet ex dictis. Joannes quoque jam supra descripsit tres manifestationes Christi post resurrectionem, præter istam; (Art. XLVIII initio. Joann. XX, 16, 19, 26.) sed prima illarum exhibita est, non ipsis discipulis, sed Mariæ Magdalene.

ARTICULUS L

EXPLANATIO SEQUENTIS PARTIS HUJUS VICESIMI PRIMI CAPITULI : QUUM ERGO PRANDISSENT.

FACTO itaque prandio Christi cum se- D
15 ptem discipulis, *Dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis* (sic dicitur Petrus, quoniam pater ejus vocabatur Joannes), *diligis me plus his?*

Quum Salomone testante, nemo sciat an amore vel odio dignus sit, cur Christus interrogat Petrum an se diligat, quod esse non potuit sine gratia gratum faciente, quæ facit dignum amore? Rursus, quum teste Apostolo, nemo sciat quid agatur in homine, nisi spiritus ejus, (I Cor. II, 11.) cur Christus sciscitatus est Petrum an diligeret eum plus his, id est ardentius quam alii discipuli qui aderant, quasi Petrus scire posset quantum alii afficerentur ad Christum? — Et respondendum, quod Christus interrogat, non quasi ignorans aut discens, sed docere intendens. Quærit ergo an Petrus diligat eum plus quam alii

Digitized by Google

discipuli, non quod Petrus certitudinaliter A scire potuit sine revelatione divina, quod amaret Christum per caritatem infusam, quæ est virtus theologica, vel quod amaret eum plus quam alii : sed ut doceret, quod aliorum prælatus debet non solum diligere Christum, sed etiam debet eum diligere magis ferventer quam alii ; imo in omni perfectione et gratia debet abun-
Joann. I, 16. dare atque excellere, ut de plenitudine ejus accipiant universi subditi sui, possitque ad instar angelici hierarchæ gregem sibi commissum et unumquemque sub- B ditorum suorum, secundum suam capacitatem, proportionem et indigentiam, purgare, illuminare, perficere. Unde, quamvis secundum jura sufficiat eligere sufficienter bonum sive idoneum, nec oporteat eligere meliorem vel sufficientiorem in foro contentioso, secundum Thomam (aliter electio posset pene semper cassari et irrita fieri, propter quod in foro contentioso judicioque humano sufficit eligere personam idoneam) ; tamen in foro conscientiæ tenetur eligens meliorem elige- C re, eum videlicet qui omnibus pensandis pensatis, melior æstimatur pro honore Dei et utilitate Ecclesiæ.

Dicit ei Petrus : *Etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Paulo ante dixerat Petrus
Matth. xxvi, 33. incaute, se præferens aliis : Etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor. Nunc autem propriam fragilitatem expertus, ampliorique discretione et gratia decoratus, non audet respondere quod plus amet Jesum quam condiscipuli ; sed hoc quod sibi constabat asseruit, D dicens : Tu scis quia amo te. Quasi dicat : Tu melius scis interiora mea, quam ego ipse, idcirco tuo judicio sto ; quod autem ignoro, non dico neque determino. Per quod docemur non præferre nos aliis, nec de illorum interioribus temere judicare, sed in dubiis suspensum dare responsum. Dulcis certe et moderata S. Petri responsio.

Dicit ei Jesus : *Pasce agnos meos.* Tanquam dicat Salvator : In hoc apparebit quod diligas me, si digne paveris servulos meos, homines pios et innocentes. Vel sic : Pasce agnos meos. Quia me diligis, aptus es pascere gregem populi mei, nec aliquid majus requiro mihi dari a te ex dilectione tua ad me, nisi ut spiritualiter foveas plebem credentem. Zelus enim animarum, est sacrificium Deo gratissimum. Debet autem prælatus pascere subditos suos verbo instructionis, exemplo sanctæ conversationis, temporali quoque subsidio dum ratio exigit. Porro de hac materia, scilicet quo modo prælatus pascere debeat gregem Christi sanguine liberatum, dicta sunt multa capitulo de- Art. xxv, xxvi. cimo. Possumus autem per agnos intelligere non solum innocentes, pios et puros, sed quoscumque quos Deus prædestinavit ad gratiam talem, qui finaliter agni erunt, et pascua vitæ possidebunt æternæ.

Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis 16
me ? Quæritur, an Petrus certitudinaliter scivit se diligere Christum. Dicendum, quod Apostoli plus post receptionem illam plenariam Spiritus Sancti factam in die Pentecostes, sciverunt se primitias Rom. viii, 23. Spiritus esse sortitos, atque in bono confirmatos : ideo certitudinaliter sciebant se Christum amare. Ideo Paulus certissime loquitur : Quis nos separabit a cari- Ibid. 35. tate Dei ? An vero post receptionem Spiritus Sancti per insufflationem Christi, quæ Joann. xx, 22. hanc interrogationem præcessit, Apostoli certitudinaliter sciverint se esse in caritate et gratia indesinenter, quousque Spiritum Sanctum plenius acceperunt, non est adeo certum. Si autem Petrus hac vice scivit certitudinaliter se Christum diligere dilectione meritoria et infusa, hoc fuit per revelationem. Verumtamen, palam est quod Petrus certissime novit, et vehementer experiebatur seu sensit, quod amavit Christum, saltem amore naturali et acquisito. Sensit enim se æstuare in Christi affectu atque memoria, præsertim in ejus adspectu. *Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei* Jesus : *Pasce*

Digitized by Google

agnos meos. Ista jam semel dicta sunt atque exposita.

17 *Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me?* Ter Christus interrogat et examinat Petrum de sua dilectione, quia prælatus diligere debet Deum cordiali affectu, affectuosis sermonibus, caritativis operibus; et iterum, ut Petrus trina divini amoris
Matth. xxvi, 69-74. confessione, recompensam faciat pro trina Christi timorosa negatione; vel ad insinuandum quod promovendi ad prælationem, sæpe ac diligenter discutiendi seu considerandi sunt, an sint vere idonei, itemque in caritate præcipui. *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me?* Videbatur enim quasi Christus responsionem suam non approbaret, nec crederet verbis ipsius. Et forte timuit quod ideo Christus toties verba sua replicavit, quia vellet ei aliquid prænuntiare, in quo ostenderetur non diligere Christum : sic-
Joann. xiii, 37. ut quum fiducialiter dixit, Animam meam
Ibid. 38. pro te ponam, audivit : Non cantabit gallus, donec ter me neges. *Et dicit ei : Domine, tu omnia* cordis arcana, et quidquid fuit, est vel erit, *nosti*, non solum per naturam divinam, sed insuper secundum naturam assumptam, per scientiam concreatam seu inditam; *tu scis quia amo te*, ideo non oportet te amplius interrogare, et me famulum tuum affligere.

Dicit ei : Pasce oves meas. Superius dixit bis, Pasce agnos meos; nunc ait, Pasce oves meas. Unde per agnos intelligendi sunt incipientes et proficientes, qui solidum cibum capere nequeunt. Quibus
I Cor. iii, 1, 2. loquitur Paulus ad Corinthios : Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Jam autem per oves de-
Hebr. v, 14. signantur perfecti, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, et quasi aliorum exstant parentes. Præterea Christus committit Petro ter gregem suum, ad insinuandum quod prælatus pascere debet sibi commissos prece mentali, instructione vocali, operationeque vitali, triplici cibo, ut dictum est; vel ideo, ut prælati agnoscant quantam habeat Christus diligentiam, dilectionem et curam pro suis fidelibus, quam sollicite velit eos custodiri, quam districte requiret a pastoribus rationem de eis. Et quia prælati debent esse parati ad moriendum pro fide, pro justitia, pro Christo, pro grege commisso, ideo consequenter Christus prædicit Petro de qualitate sui martyrii.

Amen, amen dico tibi, quum esses ju- 18
nior annis quam nunc, quando etiam moribus junior eras quam modo, *cingebas te* cingulo materiali ad lumbos, cingebas te quoque cingulo continentiæ quantum ad appetitum concupiscibilem, et ab illicitis te restringebas. Unde in Actibus Apostolorum Petrus testatur : Nunquam comedi Act. x, 14.
commune quid aut immundum. *Et ambulabas ubi volebas*, pergendo de loco ad locum ad libitum tuum, tanquam non ligatus ab aliquo, itemque prædicta faciendo propria libertate, sine violentia et compulsione. *Quum autem senueris* ætate et gratia, scilicet morte tua instante, quando dicturus es, Velox est depositio taber- II Petr. i, 14.
naculi mei; *extendes manus tuas* ad brachia crucis cui appenderis : quod utique Petrus promptissime fecit secundum rationem et appetitum superiorem; *et alius te cinget*, hoc est, apparitor imperatoris Neronis manus tuas cruci alligabit. Non enim clavis affixus, sed funibus alligatus fuit patibulo crucis. Ligavit etiam Petrum in urbe Roma antequam educeretur ad mortem. *Et ducet* te *quo tu non vis*, hoc est ad locum passionis, et ad amaritudinem mortis, quam secundum naturalem ac sensitivum appetitum abhorrebis atque refugies, quamvis secundum appetitum intellectivum eam libentissime patieris, cupiens dissolvi et esse mecum Philipp. i, 23.
in regno. Verumtamen appetitus iste inferior refugiens mortem, fuit in Petro finaliter subditus rationis judicio atque imperio, ita quod non timuit immoderate Matth. x, 28.
eos qui corpus occiderunt.

Sancti etenim et perfecti viri appetunt et non appetunt mortem sive martyrium, quemadmodum æger vult et non vult po-

Digitized by Google

tum amarum. Æger namque secundum
sensitivum appetitum refugit potionem
amaram, præsertim si consideretur potio
amara secundum se, in quantum est af-
flictiva. Porro secundum rationem et vo-
luntatem intellectivam vult eam, maxime
prout est valetudinis inductiva. Sic vir-
tuosi appetunt mortem sive martyrium
secundum rationem, in quantum est ja-
nua quædam ad vitam beatam; secundum
appetitum vero sensitivum refugiunt eam,
prout est ultimum maximumque terribi-
lium, secundum Philosophum. Unde hoc
Matth. xxvi, 39. modo et Christus refugiens mortem : Pa-
ter, inquit, transeat a me calix iste. Sed
in Christo, ratio prævenit et imperavit
hunc mortis timorem. In ceteris autem,
motus hujusmodi præveniunt rationem,
quia et primi motus non sunt in potesta-
te nostra. Propter quod Paulus decollandus
fecit sibi oculos circumligari, ne ensem
cernens venientem, pateretur subitum mo-
tum naturalis timoris.

Deinde sequuntur verba Evangelistæ
19 exponentis verba Christi præhabita. *Hoc
autem,* id est præinductum sermonem pa-
rabolicum de Petri martyrio, *dixit* Jesus,
*significans qua morte clarificaturus esset
Deum,* id est, per verba illa Christus in-
sinuavit quali martyrio Petrus honoraret
Deum, moriendo pro fide et æquitate ip-
sius. Quemadmodum enim justi clarificant
Deum recte conversando, quia in sua con-
versatione testantur et pandunt quod Deus
sit sanctus, sublimis et justus; sic pro
justitia moriendo, ipsum clarificant, quia
testantur Deum tantæ esse veritatis, æqui-
tatis, dignitatis et amabilitatis, ut potius
sit moriendum quam ab illo aliqualiter
recedendum. Propter quod ad Philippen-
Philipp. I, 20, 21. ses primo Apostolus loquitur : In omni
fiducia magnificabitur Christus in corpo-
re meo, sive per vitam, sive per mortem;
mihi enim vivere Christus est, et mori
lucrum.

Et quum hoc dixisset, hoc est, post-
quam Jesus prædixit Petro qua morte
clarificaret Deum, *dicit ei : Sequere me.*
A Postquam enim Jesus præmemorata dis-
seruit, surrexit de loco convivii, cœpit-
que abire, et dixit Petro, Sequere me, hor-
tans eum ad corporalem sui imitationem
propter mysticam significationem. Jam
enim verbis reseravit Petro quod cruci-
figendus esset. Volens ergo id ipsum fa-
cto præsignare, locutus est ei : Sequere
me. Tanquam dicat : Per hanc materia-
lem sequelam ad quam te moneo, hoc
designo, quod spiritualiter imitaturus es
me, sustinendo mortem crucis propter
B justitiam sicut et ego. Jam nempe sæpe
prædixi, quod sicut Prophetæ interdum
prophetaverunt verbis, aliquando factis,
pariformiter Christus nunc verbis, nunc
factis aliqua prænuntiavit. Ideo quoque
ait, Sequere me, quatenus Petrus exem-
plo Christi confortaretur ad sustinendum
crucis supplicium.

Conversus Petrus. Christo enim dicen- 20
te, Sequere me, orsus est Petrus ambula-
re corporali gressu post eum. Quod quum
faceret, sensit alium quemdam venire post
C se : propterea, retro adspiciens, vidit quis
esset. Sic ergo conversus, *vidit illum di-
scipulum quem diligebat Jesus, sequen-
tem* motu progressivo : quia ut innuit
Augustinus, nec Petrus, neque Joannes
cognovit propter quid dixerat Jesus : Se-
quere me. *Qui et recubuit in Cœna super* *Joan. XIII, 23, 25.*
*pectus ejus, et dixit : Domine, quis est
qui tradet te?* Per hanc circumlocutionem
significat beatissimus Evangelista se ip-
sum. Non enim ad sui ipsius jactantiam
toties commemorat se specialiter dilectum
D a Jesu; sed ut tanto beneficio gratus con-
sistat, et quia dulcissimum sibi fuit re-
colere quam affectuose ac familiariter se
habuit Jesus ad eum : inferioribus quip-
pe magnum est a superiori specialiter di-
ligi. *Hunc ergo quum vidisset Petrus, di-* 21
cit ad Jesum : Domine, hic autem quid
aget vel patietur pro te? quid ei commit-
tis? qua morte clarificaturus est Deum?
Sollicitus fuit Petrus pro condiscipulo fa-
miliari ac prædilecto; nec dubium quin
in bonis gratiæ sibi collatis et conferen-

Digitized by Google

dis, desideravit eum habere consortem, A
videlicet in cura pastorali atque martyrio.
22 *Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere,*
hoc est, in carne mortali volo Joannem
perseverare sine martyrio, utpote in pa-
ce, *donec veniam* ad eum in hora mortis
ejus, vocaturus et educturus eum de præ-
sentis peregrinationis exsilio ad æternæ
beatitudinis regnum. *Quid ad te* inter-
* [*Tu me sequere.*] rogare de tali secreto futuro?* Quamvis
Eccli. XVII, 12. enim, ut in Ecclesiastico legitur, unicui-
que mandavit Deus de proximo suo, et
I *Cor.* X, 24. juxta Pauli doctrinam, debemus singuli B
quærere, non quæ nostra sunt, sed quæ
aliorum ; non tamen debemus anxiari,
curiose scrutari vel sciscitari quid Deus
ordinavit de proximis nostris, quantum
ad genus mortis eorum, et quoad occulta
futura. Unde Apostolis de tali negotio quæ-
Act. I, 7. rentibus, Christus respondit : Non est ve-
strum nosse tempora vel momenta quæ
Pater posuit in sua potestate.

Quidam præterea hæc verba Christi sic
intellexerunt, quod insinuaverit Joannem
non moriturum ante diem finalis judicii, C
Matth. XXV, 31. quando venturus est Christus in majesta-
te et gloria. Unde quidam dixerunt eum
translatum in paradisum terrestrem cum
Elia et Enoch, cum quibus aliqui dicunt
eum rediturum, et prædicaturum contra
Antichristum, atque ab illo occidendum :
quatenus sicut unus translatus est in pa-
Gen. V, 24. radisum ante legem, videlicet Enoch, qui
IV *Reg.* II, 11. fuit ante diluvium, et alter sub lege, puta
Elias; sic unus sub gratia translatus cre-
datur, ac per hoc tres, utpote de quoli-
bet tempore unus, venturi sint contra D
Antichristum. Quibus repugnare videtur,
quod in Apocalypsi multa dicuntur de his
qui prædicaturi sunt contra Antichristum,
qui non asseruntur nisi duo. De quibus
Apoc. XI, 3, 7. in Apocalypsi Dominus loquitur : Dabo
duobus testibus meis, et prophetabunt
diebus mille ducentis sexaginta; et quum
finierint testimonium suum, bestia quæ
ascendit de abysso, occidet eos. Alii vero
dixerunt Joannem dormientem jacere in
monumento ejus apud Ephesum : quia
et in loco sepulcri scaturitio quædam per-
cipitur et ebullitio terræ, quod dicunt
causari ex ejus anhelitu. Dicunt quoque,
quod in fine mundi morietur pro Christo :
quia ut ait Psalmista, Quis est homo qui *Ps.* LXXXVIII, 49.
vivet, et non videbit mortem? Itemque
Apostolus ad Hebræos : Statutum est ho- *Hebr.* IX, 27.
minibus semel mori, post hoc autem ju-
dicium. Has opiniones non approbat Au-
gustinus. Non enim videtur quod Christus
prædilectum discipulum tam diu retar-
davit a gloria, maxime quod jaceat in
sepulcro ut dormiens. Communiter ergo
tenetur quod mortuus sit. Et asserunt
quidam, quod in anima et corpore sit
glorificatus in cœlo : hoc tamen incer-
tum est.

Exivit ergo sermo iste inter fratres, 23
quod discipulus ille non moritur. Ista sunt
verba Evangelistæ narrantis qualiter di-
scipuli tunc præsentes intellexerunt ver-
ba Christi. Putabant enim quod Jesus si-
gnificaret Joannem non esse moriturum :
et quia erraverunt in hoc, idcirco excludit
Joannes hunc sensum. *Et non dixit Jesus,*
quia non moritur, id est, per verba sua
non significavit quod Joannes moriturus
non esset. *Sed* dixit : *Sic eum volo mane-*
re donec veniam (secundum sensum præ-
tactum), *quid ad te?* Hæc enim fuerunt
verba Christi, quæ modo exposita sunt.
Legitur autem in vita B. Joannis evan-
gelistæ, quod imminente obitu ejus, ve-
nit ad eum Dominus Jesus cum Apostolis,
invitans eum ad felicissimam epulationem
electorum in patria. Ideo Christus dixit :
Sic eum volo manere donec veniam.

Hic de quo Christus ista disseruit, *est* 24
discipulus ille qui testimonium perhibet
de his quæ in isto capitulo, seu in toto vo-
lumine isto, contenta sunt. Perhibuit au-
tem Joannes testimonium de his quæ ad
evangelicam pertinent legem, prædican-
do, docendo, miracula faciendo, irrepre-
hensibiliter conversando, alios quoque
magnos suos discipulos ad prædicandum
mittendo, videlicet S. Ignatium, B. Poly-
carpum, etc. Unde in Apocalypsi asserit

Digitized by Google

Apoc. I, 2. de se ipso : Qui testimonium perhibuit A verbo Dei et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit. *Et scripsit hæc,* post reditum ab insula Patmos. *Et scimus quia verum est testimonium ejus.* Loquitur S. Joannes de se ipso in tertia persona quasi de alio; et quod ait, Scimus, etc., loquitur in persona sui omniumque perfectorum fidelium. Denique Joannes scripsit quæ audivit et vidit propriis sensibus immediate a Christo, saltem pro maxima parte; cetera audivit a fide dignis. Imo omnia scripsit inspirante ac dirigente Spiritu B Sancto. Propter quod ait circa exordium 1 Joann. I, 1, 2. primæ suæ epistolæ : Quod audivimus et vidimus, annuntiamus vobis. Ideo testimonium ejus certum idoneumque consistit, quoniam visa et audita certissime recitantur.

25 *Sunt autem,* hoc est fuerunt, *et alia multa quæ fecit Jesus,* id est signa et opera omni memoria ac descriptione dignissima, quæ Jesus a principio incarnationis et nativitatis fecit per se et per suos usque ad ea quæ hic dicuntur, vel usque C ad missionem Paracleti. *Quæ si scribantur per singula,* hoc est sigillatim, particulariter et seorsum, *nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros,* si omnia illa taliter describerentur per singula : hoc est, omnium hominum in mundo hoc inferiori viventium capacitatem transcenderent. Si autem intelligatur de mundo et captione, quantum ad spatium loci, videlicet, quod mundus continere non posset tot libros, tunc accipienda sunt verba ista per hyperbolen seu excessum. Interdum enim homo aliqua dicit per excessum, ad designandum magnitudinem rei quæ recitatur : ut dum in libro Judicum scribitur, quod filii Benjamin sic ad certum jactabant funda Judic. XX, 16. lapidem, quod capillum tangere potuerunt. Itemque in Genesi Pharao ad Joseph : Absque tui, inquit, oris imperio, nemo movebit manum aut pedem in tota terra Gen. XLI, 44. Ægypti. Talia autem sine mendacio asseruntur, quoniam narrans agnoscit quousque credatur, nec intendit decipere, sed veritatem ipsam evidentius reserare : quod fieri nequit, nisi per sermonem figuralem et hyperbolicum. Porro, quoniam Christus erat Deus et homo, virtus omnipotens 1 Cor. I, 24. et sapientia increata operans per humanitatem assumptam, sicut per instrumentum conjunctum, animatum ac proprium, elucescit quod documenta et opera ejus excellentissima erant.

FINIS COMMENTARIORUM IN EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM

Digitized by Google

INDICES

Digitized by Google

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

I, 1. In principio creavit Deus cœlum et terram, 269 B.

II, 2. Requievit... ab universo opere quod patrarat, 365 A.

VI, 2. Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant, 107 C.

XIX, 26. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis, 141 D'.

XXII, 2. Tolle filium tuum unigenitum... Isaac,... offeres eum in holocaustum, 350 A.

— 18. Benedicentur in semine tuo omnes gentes, 445 A.

XXXII, 30. Vidi Deum facie ad faciem, 294 B.

XLIII, 3. Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum, 72 B', 308 C.

EXODI.

VII, 1. Constitui te deum Pharaonis, 474 D.

XVI, 4. Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, 393 B'.

XXII, 18. Maleficos non patieris vivere, 149 C'.

XXIII, 2. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies, 415 A.

LEVITICI.

XIX, 18. Diliges amicum tuum sicut te ipsum, 17 D.

NUMERORUM.

XXIV, 5. Quam pulchra tabernacula tua, Jacob,... tentoria tua, Israel! 121 C.

— 23. Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus? 15 A.

DEUTERONOMII.

X, 17, 18. Deus magnus... et terribilis,... facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, 144 B'.

XV, 4. Omnino indigens et mendicus non erit inter vos, 150 D'.

XVIII, 15. Prophetam... de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus, 385 C', 421 A.

XIX, 15. In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum, 429 B.

XXIX, 2-4. Vos vidistis universa quæ fecit Dominus... signa illa, portentaque ingentia, et non dedit vobis Dominus cor intelligens... et aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem, 378 B.

XXX, 20. Ipse (Dominus) est... vita tua, et longitudo dierum tuorum, 483 B.

XXXII, 6. Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te? 437 C'.

XXXIII, 2. In dextera ejus ignea lex, 73 B.

— 12. Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet, 537 A.

JUDICUM.

III, 4. (Dominus) dimisit... eos (Chananæos), ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini,... an non, 383 C'.

XIII, 22. Morte moriemur, quia vidimus Deum, 294 C.

I REGUM.

XV, 22. Melior est enim obedientia quam victimæ, 138 A'.

III REGUM.

XIX, 8. (Elias) ambulavit in fortitudine cibi illius... usque ad montem... Horeb, 211 B'.

Digitized by Google

IV REGUM.

IV, 29. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi, 3D.

I PARALIPOMENON.

XXIX, 14. Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi, 187D.

I ESDRÆ.

IX, 6. Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum, 147A'.

II ESDRÆ.

VIII, 10. Gaudium... Domini est fortitudo nostra, 547A.

TOBIÆ.

XII, 15. Ego... sum Raphael angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum, 134D'.

JUDITH.

VIII, 26, 27. Non ulciscamur nos pro his quæ patimur; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini quibus quasi servi corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus, 362C'.

JOB.

IX, 11. Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam, 327C.

XII, 4. Deridetur... justi simplicitas, 232C'.

XIII, 15. Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo, 391A.

XIV, 4. Quis potest facere mundum de immundo...? nonne tu qui solus es? 303B.

— 12. Homo quum dormierit, non resurget; donec atteratur cœlum, non evigilabit, 477C.

XV, 6. Condemnabit te os tuum, et non ego; et labia tua respondebunt tibi, 163A'.

— 12, 13. Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus? 64D.

XVI, 11. Aperuerunt super me ora sua... exprobrantes; percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis, 588A'.

XIX, 27. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, 372B'.

XXIV, 13. Ipsi fuerunt rebelles lumini, 336B.

XXXIV, 10, 11. Absit a Deo impietas et ab Omnipotente iniquitas, opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet, 369D.

— 13. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? 11A, 370C.

XXXV, 6, 7. Si peccaveris, quid ei nocebis?... Si juste egeris, quid donabis ei? 136D'.

XLI, 24. Non est super terram potestas quæ comparetur ei, 37C.

— 25. (Diabolus) est rex super universos filios superbiæ, 438B'.

PSALMORUM.

IV, 7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, 276C'.

X, 5. Dominus in templo sancto suo, 364C.

XV, 10. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, 443C, 523D', 601D.

XVI, 4. Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras, 125B'.

XXI, 15. Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea, 239A'.

— 19. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem, 240A'.

XXXIV, 13. Oratio mea in sinu meo convertetur, 4C.

XL, 10. Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem, 519B'.

XLIV, 8. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis, 483C'.

— 17. Constitues eos principes super omnem terram, 215B'.

XLVI, 10. Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt, 474C.

LIV, 13, 14. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique;... tu vero homo unanimis, 190C'.

LVIII, 12. Deus ostendet mihi super inimicos meos; ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei; disperge illos in virtute

Digitized by Google

tua, et depone eos, protector meus, Domine, 193 B.
LXIII, 2. A timore inimici eripe animam meam, 51 D'.
LXVIII, 4. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, 156 A'.
LXX, 10. Qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, 90 D.
LXXI, 18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus, 324 B'.
LXXII, 3. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, 540 A'.
LXXVI, 11. Hæc mutatio dexteræ Excelsi, 159 B.
LXXVII, 34. Quum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum, 436 C'.
LXXXVII, 16. Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea; exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus, 485 D'.
— 19. Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos, 247 A'.
LXXXIX, 1. Domine, refugium factus es nobis, 467 B'.
CVIII, 24. Genua mea infirmata sunt a jejunio, 346 D'.
CIX, 1. Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, 185 B.
CXVII, 13. Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me, 396 A.
CXLII, 10. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, 33 B'.

PROVERBIORUM.

I, 28. Tunc invocabunt me, et non exaudiam ; mane consurgent, et non invenient me, 455 B'.
IV, 18, 19. Justorum autem semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem ; via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant, 426 A'.
V, 22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur, 80 B', 435 C.
VI, 31. Deprehensus... reddet septuplum, 159 D.
VIII, 22. Dominus possedit me... initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, 269 C.
XI, 2. Ubi... est humilitas, ibi et sapientia, 328 B.
— 31. Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator ? 237 A'.
XII, 15. Via stulti recta in oculis ejus, 508 A'.
XIII, 11. Substantia festinata minuetur ; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur, 32 C.
XVII, 22. Spiritus tristis exsiccat ossa, 194 C.
XXI, 1. Cor regis in manu Domini ; quocumque voluerit, inclinabit illud, 152 C.
— 2. Omnis via viri recta sibi videtur, 71 D'.
— 17. Qui amat vinum et pinguia, non ditabitur, 127 A'.
— 30. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, 425 A.
XXII, 17, 18. Audi verba sapientium, appone... cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi quum servaveris eam in ventre tuo, 420 B.
XXIV, 12. Qui inspector est cordis, ipse intelligit ; et servatorem animæ tuæ nihil fallit, 44 B.
XXV, 27. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum ; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria, 12 A.
XXVII, 23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera, 460 C.
XXVIII, 9. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis, 534 A.
— 13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur, 336 C.
XXXI, 6, 7. Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo ; bibant et obliviscantur egestatis suæ, 242 A.

ECCLESIASTÆ.

IX, 18. Qui in uno peccaverit, multa bona perdet, 43 A'.
XI, 3. Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, 131 B.

CANTICI CANTICORUM.

I, 1. Osculetur me osculo oris sui, 111 C'.
— 4. Nigra sum, sed formosa, 46 D'.
— 6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, 307 C.
V, 1. Veniat dilectus meus in hortum suum, 578 B.
VI, 12. Revertere, revertere, Sulamitis, revertere, revertere, 97 C'.
VIII, 7. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam, 498 D'.

Digitized by Google

SAPIENTIÆ.

VI, 6, 7, 9. Judicium durissimum his qui præsunt, fiet : exiguo enim conceditur misericordia ; potentes autem potenter tormenta patientur... Fortioribus... fortior instat cruciatio, 71 D, 459 D'.

— 13, 14. Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam ; præoccupat qui se concupiscunt, 158 C.

VII, 25, 26. (Filius est) emanatio... claritatis omnipotentis Dei,... candor... lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius, 271 A'.

VIII, 2. Hanc (sapientiam) amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere ; et amator factus sum formæ illius, 105 C'.

XI, 25. Diligis... omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti, 123 B.

XII, 15, 16. Quum... sis justus, juste omnia disponis ;... virtus enim tua, justitiæ initium est, 576 A'.

XVI, 20. Panem de cœlo præstitisti..., omne delectamentum in se habentem, 403 B'.

XVII, 10. Quum sit... timida nequitia, dat testimonium condemnationis ; semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia, 337 C'.

ECCLESIASTICI.

I, 5. Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, 186 C.

VII, 4. Noli quærere... cathedram honoris, 46 C.

— 19. Vindicta... impii, ignis et vermis, 145 B'.

XVII, 12. (Deus) mandavit illis unicuique de proximo suo, 353 B.

XVIII, 31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis, 502 B'.

XIX, 12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti, 49 C'.

— 23. Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo, 412 D'.

XXII, 13. Luctus mortui septem dies ; fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum, 168 A.

XXIV, 29. Qui edunt me, adhuc esurient ; et qui bibunt me, adhuc sitient, 349 A.

— 35-37. Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum ; qui adimplet quasi Euphrates sensum,... qui mittit disciplinam sicut lucem.... adsistens quasi Gehon in die vindemiæ, 266.

XXIV, 41, 43, 44. Ego... sicut aquæductus exivi de paradiso,... et fluvius meus appropinquavit ad mare, quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, 265.

XXVIII, 3-5. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam ? In... similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur ? Ipse quum caro sit... Quis exorabit pro delictis illius ? 29 B'.

XXXI, 8, 9. Beatus dives qui inventus est sine macula,... qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic ? et laudabimus eum : fecit enim mirabilia in vita sua, 120 C'.

— 37. Sanitas... animæ et corpori sobrius potus, 195 B'.

XXXIV, 24. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui, 48 A.

XXXV, 21. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, 31 C'.

ISAIÆ.

VI, 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum ; et ea quæ sub ipso erant, replebant templum, 510 B'.

VII, 9. Si non credideritis, non permanebitis, 49 D, 316 D, 351 B, 405 C.

VIII, 18. Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus, 569 B'.

XI, 2. Requiescet super eum Spiritus Domini, 305 A'.

— 3, 4. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet ; sed judicabit in justitia, 414 C'.

— 10. Erit sepulcrum ejus gloriosum, 597 D'.

XXVIII, 15. Dixistis... : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum, 109 A.

XXIX, 3. Circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, et jaciam contra te aggerem, 168 B'.

XXX, 20. Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, 552 B.

XXXII, 18. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta, 540 D.

XXXV, 4-6. Ecce Deus vester... ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæco-

Digitized by Google

rum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum, 417 C', 475 A'.
XL, 31. Qui... sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ,... ambulabunt, et non deficient, 143 C.
XLII, 1. Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, 433 B'.
— 2. Non clamabit,... nec audietur vox ejus foris, 582 D.
— 6, 7. Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, 41 D, 447 A, 512 A'.
XLV, 3-5. Ego Dominus... vocavi te (Cyrum),... et non cognovisti me, 407 B'.
XLIX, 5, 6. Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur... Et dixit : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas;... dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ, 457 D', 542 C'.
L, 4, 5. Ut audiam quasi magistrum, Dominus Deus aperuit mihi aurem, 484 C.
— 6. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me, 153 D'.
LII, 10. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, 472 C'.
LIII, 4, 6, 7. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit;... et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum;... sicut ovis ad occisionem ducetur, 238 D.
— 7. Quasi agnus coram tondente se obmutescet, 235 B.
— 12. Et cum sceleratis reputatus est, 238 C', 593 B.
LVI, 10. Speculatores... cæci..., canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, 464 D'.
LVIII, 1. Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, 416 B.
LXIII, 2. Quare... rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? 517 C'.
— 16. Tu, Domine, pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum, 27 B'.

JEREMIÆ.

II, 21. Ego... plantavi te vineam electam,... quomodo ergo conversa es... in pravum, vinea aliena? 543 B.
VII, 11. Numquid... spelunca latronum facta est domus ista? 170 B'.
XI, 19. Eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius, 204 C', 430 B.
XIII, 23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, 409 D'.
XIV, 8, 9. Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus? 307 A, 586 D.
XV, 1. Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, 562 A.
XVII, 16. Diem hominis non desideravi, tu scis, 349 B'.
— 18. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego; paveant illi, et non paveam ego, 504 B.
— 18. Duplici contritione contere eos, 179 A.
XVIII, 19, 20. Attende, Domine,... et audi vocem adversariorum meorum. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? 381 A.
XXIII, 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit Rex, et sapiens erit, 389 B.
— 21. Non mittebam prophetas, et ipsi currebant, 281 A, 462 A.
XXXI, 3. In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans, 397 B.
— 22. Creavit Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum, 285 B'.
XXXII, 39. Dabo eis cor unum et viam unam, 571 A'.
XXXIII, 16. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster, 311 D.
XXXIV, 16. Commaculastis nomen meum, 28 D.

THRENORUM.

III, 28. Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se, 24 D.
— 41. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos, 487 D.
IV, 20. Christus Dominus captus est in peccatis nostris, 493 A'.

Digitized by Google

BARUCH.

III, 24, 25. O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus est, et non habet finem; excelsus et immensus, 97 B'.

— 35, 36, 38. Qui fecit illas (stellas), hic est Deus noster... Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, 116 D, 288 A.

IV, 1. Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum; omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam, 513 A'.

EZECHIELIS.

XVIII, 20. Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii, 448 A.

— 21, 22. Si... impius egerit pœnitentiam..., omnium iniquitatum ejus... non recordabor, 455 B'.

XXXIV, 15. Ego pascam oves meas, 463 B.

XXXVI, 25. Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, 348 B.

XXXVII, 9. A quatuor ventis veni, spiritus,... insuffla super interfectos istos, et reviviscant, 88 A.

DANIELIS.

II, 34, 35. Abscissus... lapis... sine manibus... factus est mons magnus, et implevit universam terram, 83 B', 382 C'.

VII, 10. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei, 164 A.

— 14. Omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient, 342 C'.

IX, 24. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum,... ut... deleatur iniquitas,... et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum, 379 C.

— 26, 27. Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas,... et usque ad... finem perseverabit desolatio, 153 D', 236 A, 490 B'.

X, 1. Intelligentia... est opus in visione, 491 C'.

XII, 2. Evigilabunt, alii in vitam æternam,... alii in opprobrium, ut videant semper, 373 B'.

XII, 3. Qui ad justitiam erudiunt multos, (fulgebunt) quasi stellæ in perpetuas æternitates, 354 B'.

OSEE.

II, 20. Sponsabo te mihi in fide, 113 A.

III, 5. Revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum, 497 C'.

IV, 11. Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor, 96 C.

VII, 13, 15. Recesserunt a me;... et ego erudivi eos,... et in me cogitaverunt malitiam. 328 C'.

X, 2. Divisum est cor eorum, nunc interibunt, 35 B'.

XI, 4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis, 397 B.

XIII, 9. Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum, 339 D', 544 B'.

JOEL.

II, 13. Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, 127 B.

AMOS.

IV, 12. Præparare in occursum Dei tui, Israel, 499 A.

V, 10. Odio habuerunt corripientem..., et loquentem perfecte abominati sunt, 410 C.

JONÆ.

II, 8. Quum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, 390 C'.

MICHÆÆ.

III, 11. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, 207 B'.

IV, 8. Et tu, turris Gregis nebulosa,... ad te... veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem, 366 C'.

V, 2. Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis, 437 D', 515 B.

HABACUC.

II, 1. Super custodiam meam stabo, et figam gradum..., et contemplabor... quid dicatur

Digitized by Google

mihi, et quid respondeam ad arguentem me, 480 A.
II, 4. Qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso; justus autem in fide sua vivet, 334 C.
III, 13. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo, 115 A.

ZACHARIÆ.

I, 3. Convertimini ad me,... et convertar ad vos, 484 B'.
III, 9. Auferam iniquitatem terræ illius in die una, 249 A.
VIII, 20-22. Hæc dicit Dominus exercituum : Usquequo veniant populi,... et vadant habitatores, unus ad alterum dicentes : Eamus et deprecemur faciem Domini?... Vadam etiam ego, et venient populi multi... ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, 318 D.
IX, 17. Quid... bonum ejus..., et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum? 501 D'.
XI, 12, 13. Appenderunt mercedem meam triginta argenteos,... decorum pretium quo appretiatus sum ab eis, 207 A'.
XII, 10. Adspicient ad me quem confixerunt, 597 D.

I MACHABÆORUM.

IV, 59. Statuit Judas, et fratres ejus,... ut agatur dies dedicationis... ab anno in annum, per dies octo, 469 C'.
XII, 9. Nos, quum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros qui sunt in manibus nostris, 387 A'.

II MACHABÆORUM.

VIII, 18. Nos... in omnipotente Domino, qui potest et venientes adversum nos, et universum mundum uno nutu delere, confidimus, 125 D'.

MARCI.

VI, 31. Erant... qui veniebant et redibant..., et nec spatium manducandi habebant, 382 B.

LUCÆ.

III, 7, 8. Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, 376 A'.

JOANNIS.

III, 30. Illum oportet crescere, me autem minui, 376 D.

ACTUUM.

I, 1. Cœpit Jesus facere et docere, 518 C'.
— 6. Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? 160 A'.
— 7. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, 139 B'.
— 11. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, 528 B'.
II, 22, 23. Jesum Nazarenum,... definito consilio et præscientia Dei traditum,... interemistis, 212 A'.
— 37. (Judæi) compuncti sunt corde, et dixerunt... : Quid faciemus, viri fratres? 418 C'.
III, 24. Omnes Prophetæ a Samuel et deinceps,... annuntiaverunt dies istos, 309 A'.
X, 34. In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, 180 C.
— 40, 41. Deus... dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, 536 B'.
— 41. Manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit, 258 C.
XIII, 48. Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam, 405 D.
XVII, 23. Quod... ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis, 244 D'.
— 31. Statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, 369 C'.

AD ROMANOS.

I, 20. Invisibilia... ipsius... per ea quæ facta sunt... conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, 268 C'.
V, 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, 33 B'.
VIII, 32. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? 332 C'.
XII, 1. Rationabile obsequium vestrum, 66 B'.
— 21. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, 413 D'.

Digitized by Google

XIII, 1, 2. Non est... potestas nisi a Deo;... qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, 359 B'.
XIV, 23. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est, 335 C.
XV, 3. Christus non sibi placuit, 375 A.

I AD CORINTHIOS.

III, 3. Quum... sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? 363 D'.
IV, 20. Non... in sermone est regnum Dei, sed in virtute, 149 C.
V, 7. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus, 206 A.
VI, 4. Sæcularia... judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia... constituite ad judicandum, 57 C.
IX, 9. Numquid de bobus cura est Deo? 53 B.
X, 16. Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 387 C.
XI, 19. Oportet... hæreses esse, ut... qui probati sunt, manifesti fiant, 189 A.
— 26. Quotiescumque... manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, 113 A'.
XII, 3. Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto, 197 C'.
— 11. Hæc... omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult, 369 B.
XIII, 12. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum, 434 D.
XV, 9. Non sum dignus vocari apostolus, 301 B.
— 26. Omnia... subjecit sub pedibus ejus, 515 A.

II AD CORINTHIOS.

III, 6. Littera... occidit, spiritus autem vivificat, 404 C'.
X, 5. In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, 329 C.
XII, 11. Factus sum insipiens, vos me coegistis, 298 C'.
— 15. Ego... libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris, 463 D'.

AD GALATAS.

III, 26. Omnes... filii Dei estis per fidem... in Christo Jesu, 283 D'.
IV, 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, 106 C', 532 B'.
V, 17. Caro... concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem, 221 D.

AD EPHESIOS.

I, 4. Elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus, 394 D'.
— 17. Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ... in agnitione ejus, 156 D'.
IV, 7. Unicuique... nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, 343 A'.
V, 2. Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis, 197 A.

AD PHILIPPENSES.

II, 8, 9. Factus obediens usque ad mortem,... propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, 523 D'.
III, 20, 21. Salvatorem exspectamus..., qui reformabit corpus humilitatis nostræ, 436 D.

AD COLOSSENSES.

II, 3. In quo (Christo) sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, 411 A'.
— 9. In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, 320 B.
III, 3. Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo, 371 B.

I AD THESSALONICENSES.

V, 2. Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet, 68 B'.
— 22. Ab omni specie mala abstinete vos, 133 A.

I AD TIMOTHEUM.

I, 15. Jesus venit... peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, 214 B'.
II, 4. Omnes homines vult salvos fieri, 333 D'.
III, 15. Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, 109 C'.
IV, 12, 13, 15. Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate;... attende lectioni, exhortationi et doctrinæ;... profectus tuus manifestus sit omnibus, 121 C'.

Digitized by Google

II AD TIMOTHEUM.

II, 4. Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, 322 B'.
— 19. Cognovit Dominus qui sunt ejus, 471 A'.
— 26. Resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, 322 D', 435 B.

AD HEBRÆOS.

II, 7. Minuisti eum paulo minus ab angelis, 291 A.
— 8. Necdum videmus omnia subjecta ei, 344 B.
IV, 12, 13. Vivus est... sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti... Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus ; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo, 377 C'.
V, 8. Didicit ex iis quæ passus est, obedientiam, 290 D.
— 13. Omnis... qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est, 11 C'.
VII, 26. Talis... decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cœlis factus, 440 C'.
XII, 9. Patres... carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus ? 326 B'.
XIII, 12. Jesus, ut sanctificaret... populum, extra portam passus est, 177 A.

JACOBI.

I, 5, 6. Si quis... vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter,... et dabitur ei ; postulet autem in fide, nihil hæsitans, 419 C'.
— 13. Nemo quum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur ; Deus enim intentator malorum est, 383 A'.
— 17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum,... est descendens a Patre luminum, 405 A'.
II, 13. Judicium... sine misericordia illi qui non fecit misericordiam, 128 A.
V, 2. Vestimenta vestra a tineis comesta sunt, 126 D'.
— 5. Epulati estis super terram et in luxuriis enutristis corda vestra, 127 C.

I PETRI.

I, 12. In quem desiderant angeli prospicere, 349 C.
IV, 8. Caritas operit multitudinem peccatorum, 243 A'.
— 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei, 292 C', 308 B, 353 A.
V, 8. Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, 459 C.

II PETRI.

I, 17. Accipiens... a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum... a magnifica gloria : Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui ; ipsum audite, 375 C'.
— 21. Non... voluntate humana allata est aliquando prophetia ; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines, 420 A'.
II, 19. A quo... quis superatus est, hujus et servus est, 122 D'.

I JOANNIS.

I, 1. Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, 294 C.
— 5. Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, 282 C, 427 B.
III, 8. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli, 36 A'.
IV, 5. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit, 119 C'.
V, 10. Qui non credit Filio, mendacem facit eum (Deum), quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo, 335 A'.
— 20. Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, 530 D.

JUDÆ.

19. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, 146 B.

APOCALYPSIS.

I, 5. Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, 516 B'.

Digitized by Google

II, 4, 5. Habeo adversum te quod caritatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam... Sin autem, venio tibi, 152 D'.

III, 4. Qui non inquinaverunt vestimenta sua,... ambulabunt mecum in albis, 18 C'.

XVI, 13. Vidi... de ore bestiæ... spiritus tres immundos in modum ranarum, 190 B.

XIX, 9. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, 67 B, 95 A, 316 B'.

XIX, 16. (Christus) habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium, 380 A.

XXI, 1. Vidi cœlum novum et terram novam ; primum enim cœlum et prima terra abiit, 195 C.

— 3. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, 539 A.

XXII, 13. Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis, 431 C'.

Digitized by Google

INDEX ANALYTICUS

A

ABEL morte sua Christi passionem figuravit, 48B', 238C.
ABNEGATIO propriæ voluntatis quam fructuosa, 395C'. Ex vera Dei caritate procedit, 395D'.
ABRAHAM quare cum Isaac et Jacob specialiter nominetur inter Patriarchas, 87B. — Exsultavit ut diem Christi videret, quo sensu, 444D', 445B. — Præcipue laudatur de magnitudine fidei, 128C, et obedientiæ, 437D. — Sinus Abrahæ quid sit, 128B. — Filii Abrahæ alii sunt per carnem, alii per fidem, 310A'.
ACCUSATIO sui ipsius est humilitatis effectus, 95A'.
ACEDIA gulam consequitur, 127C. — Acediosi quomodo egeant, 108B'.
ACRISIA quid sit, 252C', 446B.
ACTUS exterior habet rationem virtutis ex interiori voluntatis actu, 108A.
ACUS. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei, quo sensu, 151B.
ADAM creatus ad supernaturalem beatitudinem, 198A', qualem contemplationem in paradiso terrestri habuerit, 18C. — Quomodo originalem justitiam posteris transfundere potuisset, 198B', quam sibi et illis amisit, 198C', per originale peccatum, 198D'. — In ipso eramus et cecidimus, 18D. — Ubi sepultus sit, 237B', 592D'.
ADMIRATIO alia est inordinata, alia ordinata, 326D', 413C'.
ADOLESCENS quisnam Jesum vinctum secutus sit, 226C, 581B. — Adolescentiam Dei obsequio expendere, quam meritorium, 149D', 153B.
ADORATIO latriæ soli Deo debetur, 351D'.
ADORATORES in spiritu et veritate quinam sint, 351B', et qualiter Deo assimilentur, 351D'. — Falsi adoratores quinam inveniantur, 352C.
ADRIANUS (Ælius) quomodo in Jerusalem non reliquerit lapidem super lapidem, 169A, 188B.
ADULATIO est grave peccatum, quare, 181A.
ADULTERIUM spirituale quid sit, 340C'. — Mulier in adulterio deprehensa quare ad Christum adducatur, 424A, et cur non adulter loco illius, 423D'.
ADVERSA. Potius in illis quam in prosperis, gloriandum, 130A'. — In adversis patientia est signum exstirpationis privati amoris, 191D'. — *Cf.* Tribulatio.
ADVERSARIUS designat divinum sermonem, vel conscientiam, vel diabolum, 75B'. — Quo sensu pro adversariorum suorum punitione orent justi, 145D.
ÆGIDIUS de Roma, Ord. S. Aug., Bituricensis episcopus, citatur, 199A.
ÆQUITAS simulata, duplex est iniquitas, 124B'.
ÆRA minuta duo, quartam partem denarii valebant, 187C. — Quomodo mystice sint offerenda, 187D'.
ÆTERNITAS quid sit, 15B'. — Momentaneum est quod in præsenti vita, æternum vero quod in altera vita delectat aut cruciat, 130A'.
AGATHA (S.) quomodo Christi servitutem laudaverit, 434C'.
AGATHON abbas (in Vitis Patrum, Migne *Patrol. lat.* tom. 73, col. 141.) citatur, 85D, 352C, 562B.
AGER designat Ecclesiam, 142B'.
AGNES (S.) « sacratissima et innocentissima », de annulo fidei suæ locuta est, 113A.
AGNUS paschalis, qui feria quinta occidebatur ac edebatur, 207C', figurabat esum Sacramenti altaris, et Christi immolationem in cruce, 209A'. — Quo sensu Christus dicatur Agnus Dei, 302C', 303C', et sicut agnos inter lupos discipulos miserit, 2C'. — Agni Christi quinam sint, 616B', 617C.

Digitized by Google

AGRICOLA designat Deum Patrem, vel Trinitatem, vel prælatum, 174B', 543C.

ALBERTUS (B.) Magnus, O. P. theologus celeberrimus, episcopus Ratisbonensis, citatur, 129A, 365A'.

ALCORANUS. Quid in illo scripserit Mahometus de statu justorum post resurrectionem, 183C.

ALCUINUS, Caroli Magni præceptor, citatur, 268A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 100, col. 741.)

ALEXANDER Magnus. Ad ejus instantiam legitur Deus miracula fecisse, 455A.

ALGAZEL (El-Gazzali), philosophus, quomodo erraverit, 283A.

ALPHORABIUS (El-Farabi), philosophus, citatur, 294D'.

ALTARE duplex fuit in templo Jerusalem, 48C'.

ALTUM. Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum, quo sensu, 124D.

AMBITIO quam cæca, 95D. — Ambitiosi arbitrantur alios sibi esse conformes, 408B'.

AMBROSIUS (S.). episcopus Mediolanensis, sæpius citatur, 21C', 42C, 57A, etc. Allegatur ejus Hymnus de Ascensione Domini, 106C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 14-17.)

AMICUS. Quo sensu pro amicis animam ponere maxima sit dilectio, 547D'. — Quomodo faciendi amici de mammona iniquitatis, 120A'. — Exponitur parabola amici tres panes de nocte petentis, 30A' et seq. — Amicus mystice est Deus, 30A', vel Unigenitus Dei incarnatus, 30B'.

AMOR est primum donum, 333D, in quo omnia dona donantur, 30D'. — Virtus unitiva, 202C', 285D', 391C, cor amantis aperit ad susceptionem amati, 604A; oritur ex conformitate, 409A', vel similitudine, 144D', 550A', et voluntati dilecti se ipsum conformat, 538D. — Fervor amoris quid efficiat, 158D, 538C'. — Ad Deum solo amore trahi, quam perfectum, 397A'. — Amare est alicui bonum velle, 546C, sed alius est amor spiritualis, 502B, alius carnalis, 502C. — *Cf.* Caritas, Dilectio.

AMOS propheta a Judæis interfectus est, 175B', in terra decem tribuum, 89A.

ANDREAS (S.) apostolus, quare Petrum ad Jesum adduxerit, 308A.

ANGELI virtutes cœlorum vocantur, 194C, incorporei sunt et invisibiles, 312B, divinæ voluntati plene et inavertibiliter conformantur, 104A, Deo adsistunt, 164A, et Christo subjiciuntur, quo sensu, 160D'. — Quomodo fiat locutio angelorum ad invicem, 130B. — Angeli hominum opera coram Deo proponunt, 117C, orantibus adsunt, 221A, dolent de animarum sibi commissarum transgressione, quo sensu, 105D, et gaudent de conversione peccatoris, 106D, magis quam de justi perseverantia, quare, 104B', 105A. — Unicuique homini datur angelus custos, 282B', quem peccator inhonorat, quomodo, 110B'. — Angelos diligere præcipimur, quare, 22A. — Angeli movebuntur in fine sæculi, quo sensu, 194C, omnes visibiliter cum Christo judice apparebunt, 194B', et erunt divini judicii exsecutores, 162B, 164B, 545A'. — Homines electi ad aliquem pertinebunt ordinem angelorum, 183A, 527A'. — Ministerio multorum angelorum lex vetus data est, 293A, et per angelum de medio rubi Deus Moysi locutus est, 183A'. — Angelus quisnam Christo agonizanti apparuerit, 220B', quomodo illum confortaverit, 220C', et quare, 221A; utrum etiam Apostolis visus fuerit, 221B. — Quomodo duo angeli sanctis mulieribus apparuerint, 250C', et Jesum surrexisse nuntiaverint, 251B, quare in albis vestimentis, 603C. — In Ascensione multi angeli Christum comitati sunt, 312A'.

ANIMA humana, quæ in ordine intellectualium substantiarum infimum tenet locum, 360B, est tamen nobilissima forma, 480D', et pretiosissimum Dei bonum, 117C'. — Simplex et immediate a Deo creata, 447C', immortalis et rationalis sui Creatoris imago, 61D', est corporis forma, 61C, 184C, per quam homo vivificatur et a brutis distinguitur, 439B. Quo sensu sit totum potestativum, 42B. — Quænam sint sex principales ejus vires, et quomodo se ordinate habeant, 317D; quænam dicantur ipsius opera maxima, magna et minima, 62B'. — Quanto nobilior tanto diligentius est custodienda, docenda et perficienda, 21B. Deus qualiter ex tota anima diligendus, 15D'. Qui amat animam suam, 502D, vel quærit illam salvam facere, perdet eam, quo sensu, 142A. — Animæ immortalitas clarissime innotescit ex libris Moysis, 184A', et ex illa probatur corporum resurrectio, 184C. — Animæ separatæ, in quibus sensitivæ vires radicaliter manent, 184D, quomodo ad invicem loquantur, 130B. — Anima æternaliter stat in dispositione qua recedit a corpore, 373C;

Digitized by Google

si tunc ab omni reatu immunis fuerit, mox perducitur ad patriam, 528 A', sed non est perfecte beata donec corpori glorificato fuerit copulata, 397 B'. — *Cf.* Homo.

Anima fidelis, cujus vita est caritas, 110 A, 115 D', cibusque verbum Dei, 39 D', progrediatur ne retroeat, 100 A. — Terrena abjiciens cœlestia requirat, 382 D', et incommutabili bono jugiter adhæreat, 157 A. Coram Deo sinceriter ambulet, nec hominibus placere affectet, 124 D'; propter Deum omne peccatum devitet et omne bonum infatigabiliter persequatur, 122 B', ita ut domus Dei sit, non spelunca latronum, aut domus negotiationum, 171 D'. — Non in suis operibus confisa, 100 A', cum Judice supremo reconciliari satagat, 100 B', Deum ubique præsentem et cuncta adspicientem semper attendens, 111 A, omne bonum Creatori adscribens, 136 A', 487 B', 515 A, et ad ejus honorem convertens, 137 B, non usurpans quod soli Deo debetur, 155 D'. — Quomodo debeat se Dei providentiæ committere, 53 C, cum plena spe et fiducia, 34 A', 63 C, 194 D'; Deum diligere, 15 D', illum orare, 28 B, gloriam ejus in omnibus quærere, 28 B, ipsique non pigro sed ferventi corde obsequi, 73 C. — Quo sensu Deum honorare et a Deo honorari appetat, 380 A. — Diluculo consurgat ad Dominum, 347 B, in quo tota sit ejus delectatio, 349 B'. Illum adoret in interiori templo, quo sensu, 352 A, sed etiam ad vacandum Deo quietum locum requirat, 364 B; ecclesiam visitet, 364 C, speciatim in quamcumque civitatem ingrediendo, 169 B'. Mundetur ut Dei pulchritudinem intueatur, 63 D'. — Quomodo divinam dulcedinem interdum gustet, 388 A, et in Deo absorbeatur, 388 B. — Faciat quod in sua est potestate, 408 B, et pro gratiæ incremento incessanter Deum imploret, 387 C'.

Templum Dei est, 323 A, Christi flagellis aliquando mundandum, 323 B, et sæcularibus curis non profanandum, 323 A'. — Quomodo fiat Christi ovis, 104 D, hortusque deliciosus, 578 A. — Ad Jesum se convertat ut ipse ad eam convertatur, 97 D', 484 C'. Illi studeat uniri, 307 C, 417 D, illum ferventer quærat, 158 C, 306 C', et suscipiat, ipsius vicariis prompte obediendo, 158 C'. Ad illum confidenter accedat, 373 C', et ad crucem ejus confugiat, 157 C'. — Mystice, quomodo Christo cum ramis palmarum obviare debeat, 498 D'. Christum patientem qualiter imitetur, 222 A, 228 D, 231 C', 232 D', 242 C, et sepeliat, 249 D'. — Corporalem Christi præsentiam requirat in Sacramento altaris, 360 B'; antequam exteriora opera aggrediatur, Missam audiat, 65 A, et ad sacram communionem sedulo se præparet, 208 A, 212 A, cum omni puritate ac reverentia, 301 B'. — Cum Christo, cujus est sponsa, 340 B', spirituales nuptias celebret, 316 C', nec adulterium spirituale committat, 340 C'. — Quare interdum non inveniat illum in via rigoris, 602 B'. Quomodo absente Jesu desolata, 390 A', ad illum revertatur, 390 B', ejusque occursum experiatur, 390 D', subitam percipiens consolationem, 391 C'. Qualiter Jesus in illa ambulet, 470 B, et quare illam sæpe relinquat in cordis ariditate, 602 A'. — Christum judicem præstoletur, ut illum prompte in hora mortis suscipiat, 67 B.

Proficiat sibi et aliis, de bonis a Christo acceptis, 163 D'. — Triplicem pacem proximis exoptet, 3 C', omnem hominem viatorem diligat, quantumlibet adversantem, 17 A', et pro toto mundo exoret, 28 D. — Quomodo sit lucerna ardens et lucens, 376 B', et qualis esse debeat ejus zelus, 319 B'. Tam virtuose conversetur ut fidem esse veram omnibus intuentibus ostendat, 112 D'. — De aliorum emendatione maxime exhilarata, 113 C', de perfectione vicinorum gaudeat, 356 B', et de parentum suorum salute sit sollicita, 308 B. — Quo sensu propinquos odire jubeatur, 98 A, 313 B'. — Defleat inimicorum et induratorum peccata, 168 A, necnon Ecclesiæ ac animarum mala, 171 A'. Si tristitiam habeat de suis vel alienis culpis, 560 A', postea lætabitur, quo sensu, 560 B'. — Superioribus quomodo obedire, 7 A', 484 B', et ab illis aliquid postulare debeat, 313 D, 476 D'. — Non tarda ad ignoscendum, 135 B, injurias verborum æquanimiter ferat, 413 D', 469 A. — Neminem spernat, 116 A', vel temere judicet, 147 A, 616 D, vel sibi præferri ægre ferat, 344 C'; nec dedignetur abjectas visitare personas, 359 A', ac illis ministrare, 518 B', quas plus honorare potest quam sublimes, quo sensu, 359 C'. — Celeriter agat bona, præsertim misericordiæ opera, 119 B, non reddat malum pro malo, 442 B', nec curiose scrutetur quid de proximis Deus ordinaverit, 619 B, sed, postquam alios corripuerit, propriam conscientiam discutiat, 425 A'.

Digitized by Google

Primo satagat magis necessaria saluti custodire, deinde et alia ordinate, 46B, in activa, atque in contemplativa vita se exercens, 137B', cogitationes, affectiones et locutiones quantumlibet parvas non negligens, 53A'. — De virtute in virtutem procedat, 543D', sed præcipue ad humilitatem et caritatem tendat, 520C'. — Superbiam vitet, 8B, 137A, et per humilitatem in secreta Dei intrare mereatur, 11A', 92D. Non præsumat de viribus suis, 31D, 212C', neque de sua humilitate, 92C'; sed amet nesciri, 364A, adulationes semper vitans adulatoresque refellens, 181C, gloriam suam non quærens, 442D'. — Interdum occulte bona agat, 410B', nec sine causa sufficienti propria bona manifestet, 518B. — Frequenter orationem publicani usurpet, 147C', et non sit pertinax in proprio sensu, 255B', nec in suis verbis, 429D'. — In caritate et gratia satagat vivere, 68D', peccatum jugiter formidare, 52C, se ipsam odire, quo sensu, 98C, rectam habere intentionem, 42C', ita ut ejus opera coram Deo resplendeant, 43B; et, tanto nobilior quanto in amore Dei ferventior, 333C, non se vilificet, 333A, nec per terrenorum cupidinem evanescat, 101C. — Quomodo probabiliter se in caritate esse noverit, 441B'. — Oportet illam passionibus non subjici, 125C', sed per bonam violentiam se ipsam vincere, 125A', propriam voluntatem abnegare, 395B', in itinere vana vitare colloquia, 252D, non in conviviis se dissolvere, nec tempore mensæ loquacitatem admittere, 132B', potius escam cordis quam corporis requirere, 353C', 392C', et nobilissimarum virtutum epulas degustare, 392D'. Quomodo reficiatur in terra, 462A', et in cœlo, 462B'. — Se ipsam in loco solitario recolligat, 389B', quotidie suam conscientiam discutiat, 65A, semper vigilet et oret, quo sensu, 196A, atque in orando bonis industriis utatur, 487D, nec ejus operatio orationi contradicat, 456A. Verba sacra legat tanquam epistolas divinitus missas, 441A', et quiescendo sit prudens, 557C'. — Fugiat delectabilia hujus vitæ, 502D', indulta pœnitentiæ tempora non negligens, 449D. Tempore quadragesimali quid agere debeat, 322A'.

Adversa cum gaudio toleret, 52C, 391B', 546A', et in illis glorietur magis quam in prosperis, 130A', quia sine tribulationibus in cœlum ingredi nequit, 254C', et flagella Domini ad emendationem eveniunt, 362C'. — In arduis consilium petat, 175D'. In pœnis ad Christum recurrat, 419D', ejusque passionem recolat, 565C, clamans ad eum qui mundum vicit, 565C', et eligens potius nunc affligi quam temporalis peccati habere jucunditatem, 130B', 138B, magis etiam cum electis plangere, quam cum mundo ridere, 560C. — In tentatione oret, 219A, eo ardentius quo majus periculum imminet, 222B'; impugnata ferventius enitatur, 156A', omni suggestioni perversæ reluctetur, 207A, nec diabolum lætificet negligenter se habendo, 99D', sed illum Dei auxilio vincat, 100C. — Non timore mortis cesset a spiritualibus actibus debitis, 170C', incessanter deprecans ne obdormiat in morte peccati, 156C', et judicium supremum recogitans, 373C', ita ut quilibet ejus dies ordinetur tanquam ultimus, 139B'.

ANNAS, socer Caiphæ, quo sensu pontifex vocetur, 581C, et quare ad illum primo ductus sit Christus vinctus, 226A, 580B'.

ANNULUS signaculum veræ fidei designat, 112D'.

ANSELMUS (S.), Cantuariensis episcopus, citatur, 180B, 303C. Allegatur ejus liber de Processione Spiritus Sancti, 559A, 608C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 158 et 159.)

ANTICHRISTUS. Illo occiso quadraginta quinque dies vel circiter ad pœnitendum concedentur, 193A', et, paucis exceptis, 141A', totus mundus ad Christum convertetur, 162B, 467B'.

APOCALYPSIS. In ejus descriptione S. Joanni revelatus est totus Ecclesiæ militantis processus, 272C.

APOSTOLI prophetæ summi erant, 48B, 558D, et lux mundi, quo sensu, 426C. — Quare fratres Christi dicantur, 605B', et duodecim fuerint, 1C. — Ante Resurrectionem erant nimis simplices, 154B, 212D', rudes, 499D, 601B', imperfecti in fide, 478D, 480B, et in gratia, 573C. — Cur fidei petierint augmentum, 135B', et quanam intentione quæsierint quis eorum major esset, 213B. — Nudis pedibus incedentes, 217A', in Jerusalem prædicare cœperunt, 259B'. — Quare non doctores et legisperitos in Apostolos Christus elegerit, 312B'. — Quantum a Christo dilecti, 556D, qualia dona ab ipso receperint, 265, et quo sensu gloriam Verbi incarnati viderint, 288B. — Præsentiam Christi

Digitized by Google

corporalem nimis cupiebant, 556 A, magnam consolationem inde percipientes, 555 A'. — Quare in horto Gethsemani dormierint, 222 B. Quibus gladiis adversarios Christi ferire voluerint, 224 D, et cur illud præsumpserint, 224 A'. — Qualiter contristati sint in triduo mortis Salvatoris, 559 C', et qualem ante Resurrectionem habuerint fidem de Christi divinitate, 562 D, 564 B', et de Patre æterno, 569 A'. — In die Pentecostes quomodo consummata fuerit illorum fides, 136 B, per doctrinam Spiritus Sancti, 499 B', 539 B', 563 B, et in gratia confirmati sint, 563 C', 573 D, 616 C'. — Quo sensu per illos Christum clarificaverit Spiritus Sanctus, 558 A'. Quomodo majora opera quam Christus fecerint, 531 D', et quare, 532 B. — Omnes multiplicem persecutionem passi sunt, 48 C, de mundo non fuerunt, 572 C', et messucrunt quod seminaverant Patriarchæ et Prophetæ, quo sensu, 354 C', 355 C. Persecutores eorum a culpa non excusantur, 554 D. — Super quosnam thronos sessuri sint, 216 A. — *Cf.* Discipuli.

APPARITIONES non semper fructificant, 132 B. — Quinquies in die Paschæ Christus apparuit, 606 D.

APPETITUS sensitivus, qui improprie voluntas nominatur, 220 A, in Christo et Sanctis divinæ voluntati non fuit contrarius, quomodo, 219 D'.

AQUA, per quam aliquando in Scripturis quilibet potus intelligitur, 90 C, designat fluenta sapientiæ Christi, 347 A. — Quomodo in vinum a Salvatore conversa sit, 314 C', 315 B. — Qualiter ex aqua et Spiritu Sancto homo renascatur, 326 A. — Aqua viva mystice est Spiritus Sanctus, vel ipsius gratia, 347 D', 420 B, et flumina aquæ vivæ sunt Spiritus dona, 420 B.

AQUILA. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ, quo sensu, 143 B.

AQUILO designat adversitatis duritiam, 87 C'.

ARABES auctores : Algazel ; Alphorabius ; Averroes ; Avicebron ; Avicenna. *Vide his verbis.*

ARCHITRICLINUS quisnam vocetur, 314 D'.

ARISTOTELES, qui antonomastice « Philosophus » dicitur, 109 B, 122 C, etc., quid doceat de unico rerum principio, 44 B', de origine mundi et hominis, 198 C, necnon idearum nostrarum, 446 C', de vitæ contemplativæ præeminentia, 24 D'. — Allegantur ejus libri Ethicorum, 119 D', 568 A', Primæ philosophiæ, 275 C, Meteororum, 189 D, et Epistola de Principio universi, 365 A'. — Citatur etiam, 137 A, 144 C, 182 C', etc. — Juxta illum, homo solus est deus vel bestia, quo sensu, 474 A'.

ARIUS, « inimicus Filii Dei superbissimus », 541 B, unde suam sumpserit hæresim, 279 D, quæ exponitur et confutatur, 10 B, 37 B, 53 B', etc.

ARS naturam imitatur, nec tamen illi potest æquari, 62 D'.

ARSENIUS (S.) abbas desuper audivit : Fuge, tace, quiesce, 157 B'.

ASELLUS super quem sedit Christus, quid designet, 499 C.

ATHANASIUS (S.), Alexandrinus episcopus, « fidei propugnator sanctissimus », 279 B', allegat Origenem pro confirmatione fidei Trinitatis, 279 B'. — Citatur, 12 D', 53 B', 237 D'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 25-28.)

ATHENÆ. Ibi visa est eclipsis quæ Christo patiente accidit, 244 C'. Quid Athenienses philosophi tunc dixerint et egerint, 244 C'.

AUGUSTINUS (S.), episcopus Hipponensis, quid referat de aliquo principe militiæ Romanorum, 168 B. — Allegantur ejus libri Confessionum, 278 B, Retractationum, 279 D', LXXXIII Quæstionum, 275 D', de Civitate Dei, 25 D, 44 D', 63 D, etc., de Trinitate, 203 D, de Quæstionibus Evangelii, 36 D', de Consensu Evangelistarum, 49 A', 177 B', de Doctrina christiana, 21 D', 93 B, de Videndo Deum, 295 C, Enchiridion, 30 B, Epistola ad Dioscorum, 254 B'. Sæpius etiam citatur, 25 D', 29 D, 32 C, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 32-47.)

AUREOLA boni prælati qualis futura sit in cœlo, 70 B'.

AUSTER designat prosperitatis favorem, 87 C'.

AVARITIA quid sit, 57 A', quam communis, 57 D, et detestanda, 57 B' ; quinam ejus effectus, 95 C'. — In oratione dominica reprobatur, 29 B. — Quare idololatriæ assimiletur, 95 D', 123 B'. — Quanta avarorum cæcitas, 59 A. Quanto plura acquirit, tanto ad plura acquirenda anhelat avarus, 109 D. — Clericorum avaritia quam sacrilega, 58 C.

AVERROES (Ibn-Roschd), æternitatem mundi asserens, confutatur, 274 D'.

AVICEBRON (Ibn-Gebirol) Platonicus. Allegatur ejus liber de Fonte vitæ, 280 A.

AVICENNA (Ibn-Sina) Peripateticus refellitur, 275 C, 283 A. Citatur etiam, 294 D'.

Digitized by Google

B

BALAAM clarissime de tempore Christi et ejus mysteriis locutus est, 15 A.

BAPTISMUS quotuplex sit, 73 B'. — Baptismus Flaminis et baptismus sanguinis quid sint, 326 B. — Non in Joannis sed in Christi baptismo gratia data est, 173 B. — Baptismus Christi, per transitum maris Rubri et per ablutiones legales præfiguratus, 328 C, a Prophetis etiam prænuntiatus, 328 D, est spiritualis regeneratio, quo sensu, 325 C, 327 A'. — Quomodo sit necessarius et non detur nisi fidem profitenti, 284 A. — Quinam sint ejus effectus, 284 B, 326 C, 327 A', etc. Per illum quibus donis induatur anima, 18 C', quomodo curetur, 19 C', et lavetur, 517 B. Per Baptismum salvantur infantes et stolidi, 373 B'. — Potestatem excellentiæ in eo qualiter Christus sibi reservaverit, 304 D'.

BARBARA (S.), virgo et martyr, a patre suo decollata est, 190 D'.

BARTIMÆUS cæcus quomodo prope Jericho fuerit curatus, 154 C, 155 B'. — Per illum figuratur genus humanum, 156 B.

BASILIDES hæresiarcha ab Origene confutatus est, 17 B'.

BASILIUS (S.), episcopus Cæsariensis, citatur, 17 A', 18 A, 24 B, etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 29-32.)

BEATI quo sensu filii Dei, 183 A, et filii resurrectionis dicantur, 183 B. — Omnia in Verbo vident, 563 D, 576 D', Deum clare conspiciunt ubicumque exstiterint, 329 D, et perfecte erga illum præceptum caritatis adimplent, 16 C'. — Inter illos manet ordo dignitatis, 162 C'. — An interrogent et orent, 561 B'. — Utrum possint in infernum descendere, 131 A. Damnatis succurrere nec possunt nec volunt, quo sensu, 130 D'. — Post resurrectionem corpora illorum perfecte animabus obedient, 446 A'.

BEATITUDO quid sit, 15 B', 562 D', 568 D. — Objective una, subjective multiplicatur, 527 D. — Beatitudo regni cœlestis est finis noster ultimus, 64 D'. In quo sistat, 152 D', 199 C', 215 B', 547 B, 568 D, et utrum aliquo modo in cognitione humanitatis Christi inveniatur, 568 C. — Corpore fatigatis, corde tamen infatigabilibus provenit, 346 D'.

BEDA (S.) Venerabilis, Ord. S. Benedicti, citatur, 1 B, 5 A', 15 B, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 90-95.)

BEELZEBUB, deus Accaron, quare princeps dæmoniorum vocatus sit, 35 A.

BENEFICIA non sub spe retributionis concedenda sunt, 94 A. — Beneficia plura qui accepit, districtiorem reddet rationem, 72 C. — Pro benefactoribus orandum est, 93 A'. — Beneficiis ecclesiasticis abutentes redarguuntur, 151 D.

BERNARDUS (S.), abbas Claræ Vallis, citatur, 20 B, 24 B', 59 D, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 182-185.)

BETHANIA duplex fuit : alia trans, alia citra Jordanem, 301 D'. Posterior, in qua degebant Lazarus, Maria et Martha, 22 D, erat villa, castellum etiam vocata, 22 C, non longe a latere montis Oliveti sita, 165 D, 423 C, 476 A. — Domus obedientiæ interpretatur, et designat cor docile, 24 C, vel Ecclesiam militantem, 481 B, 494 A'. — Quid significent quindecim stadia quibus a Jerusalem distabat, 481 C.

BETHPHAGE fuit sacerdotum viculus prope montem Oliveti, 165 D.

BETHSAIDA, civitas in littore laci Genesareth sita, 5 D', de impœnitentia notatur, 6 A.

BLASPHEMIA in Spiritum Sanctum quid sit, 55 B, et quo sensu irremissibile peccatum, 55 D'.

BOETIUS (B.), philosophus, quomodo æternitatem et beatitudinem definiat, 15 B'. Citatur etiam, 130 D, 270 B', 429 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 63 et 64.)

BONAVENTURA (S.), Ord. Min., Albanensis episcopus, citatur, 303 D.

BONUM est sui communicativum et diffusivum, 202 C'. — Bonum aliud est spirituale, aliud corporale, 447 A'. — Vera hominis bona quænam sint, 122 B. — Qualia sint bona spiritualia, 121 D, a quibus dispensentur, 121 A', et quomodo præferenda corporalibus, 58 C', 95 D', 120 A, quæ sunt homini extrinseca, quo sensu, 122 A. — Nullum bonum creatum animam satiare valet, 109 D. — Celeriter agenda sunt bona, 119 B, quorum nullum Deus irremuneratum relinquit, 130 C. — Bona quænam recipiat qui omnia propter Christum dimisit, 152 C'. — Propria bona interdum sancti patres propalaverunt, quare, 518 B.

BRIGITTA (S.). In ejus Revelationibus quid legatur de aliquo damnato, 131 D. Quid ibidem narret de Christi flagellatione, 234 D, adspiciente Maria, 234 A'; necnon de aliis

Digitized by Google

Passionis circumstantiis, 239 C, 240 B, et de B. Virginis Assumptione, 246 C'.
BYSSUS quid sit, 126 B'.

C

CÆCUS quem designet, 97 A. — Mystice, quinam cæci illuminentur, quinam vero videntes cæci fiant, 457 A'. — Cæcus prope Jericho quomodo curatus fuerit, 154 C, 155 B', et genus humanum figuret, 156 B. — Cæcus a nativitate qualiter visum acceperit, 449 C'. Natus erat ut manifestarentur opera Dei in illo, quo sensu, 448 C. Cedonius nomine, 446 C', populum gentilem designat, 447 A. — Utrum statim post illuminationem suam Jesum crediderit esse Christum, 452 C', 453 D', 457 A, et quomodo deinde illum tanquam Dei Filium adoraverit, 457 C. — Magna fuit ejus constantia coram Pharisæis, 454 B, sed parentes ejus timore peccaverunt, 453 D. — Cur potius Lazarum interficere voluerint principes sacerdotum, quam illum cæcum, 497 A, qui postea cum Maria Magdalene expulsus est, 446 C'.
CAIN. Ejus posteri quare « filii hominum » vocati sint, 107 D.
CAIPHAS, quo sensu dicatur « pontifex anni illius », 490 B. — Consilium quod dedit de Jesu occidendo, multipliciter erroneum fuit, 490 A'; et tamen tunc prophetavit, quomodo, 490 D', etsi propheta non sit dicendus, quare, 491 C', 492 A.
CALCEAMENTA quid mystice designent, 113 A, et quo sensu Christi discipulis prohibeantur, 3 C.
CALIGO divina quid sit, 295 B.
CALVARIÆ locus, quare sic vocatus, 237 B', 592 D'.
CAMELUS. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei, quo sensu, 151 B.
CANA, villa Galilææ, 312 C, zelus interpretatur, 316 C'. — Quomodo ibi aqua in vinum a Christo conversa sit, 314 C', 315 B.
CANES Lazaro mendico benigniores fuerunt quam dives, 128 A.
CANONICI redarguuntur qui propter occupationes terrenas omittunt prædicationes et Missas, 57 B, necnon qui, instante electione, convivia ex ambitione faciunt, 94 A.
CAPHARNAUM, metropolis Galilææ, 317 C', in littore laci Genesareth sita, 5 D', quo sensu usque ad cœlum exaltata, 6 D, usque ad infernum demersa sit, 6 B'.
CAPILLUS non peribit de capite discipulorum Christi, quo sensu, 191 D. — Capilli designant minutissimas cogitationes, 53 A', 191 A'.
CARITAS per palmam figuratur, 498 D', et ignis vocatur, quare, 73 B. — Est summa virtus vitaque animæ, 45 B', 110 A, 115 D', 380 C, sine qua nulla actio est meritoria, 45 B'. Est forma virtutum, origo et finis earum, 481 D, decor atque perfectio fidei, 331 B. Ex illa procedit obedientia, 538 A', timor filialis, 52 D', abnegatio propriæ voluntatis, 395 D', observatio præceptorum, 546 C', omne opus meritorium, 110 A, 380 C, 544 D. — Quisnam sit illius ordo, 93 A, 464 A. — Non est otiosa, 534 C, ejusque fervori correspondet præmium essentiale, quo sensu, 527 C. — Eadem est caritas habitualis qua Deus proximusque diliguntur, 524 D'. — Præceptum caritatis erga Deum exponitur, 15 D'; non perfecte impletur nisi in cœlo, 16 C'. — Summa perfectio consistit in actu caritatis, maxime erga Deum, 525 B. — Caritas erga proximum qualis esse debeat, 17 C, et præceptum illius quo sensu novum a Christo datum sit, 524 C'. Pro salute proximi mortem subire, maximæ caritatis est signum, 547 B'. — Caritas cum judicio conjungenda est, quare, 45 A'. — Quomodo timorati se in caritate esse probabiliter noverint, 441 B'. — Quænam sint quatuor ex caritate amanda, 547 B'. — *Cf.* Amor, Dilectio.
CARO. Quod natum est ex carne, caro est, quo sensu, 326 A'. — Spiritus promptus est, caro autem infirma, 223 A. — Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam, 404 B'. — Verbum caro factum est, quomodo, 285 A et seq.
CASSIANUS (Joannes), « illustrissimus pater noster », citatur, 307 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 49.)
CASSIODORUS (Aurelius), Vivariensis abbas, citatur, 170 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 70, col. 500.)
CASTELLUM. Sic vocatur etiam villa, 22 C.
CATHEDRÆ doctorum et judicum atque pontificum apud Judæos fuerunt, 47 B.
CATO (Dionysius) vigilias laudans citatur, 196 D.
CAUSA quotuplex sit, 273 D, 365 C. — Causa prima est dives in se et in aliis, 116 C'. — Quomodo Deus sit rerum causa, 365 D. —

Digitized by Google

Allegatur Liber de Causis, 116 C', 275 D, 295 B, etc., cujus auctor (David Judæus) cuinam errori originem dederit, 283 A.

CEDRON torrens ubi situs, 218 C', et quare sic vocatus, 577 C'.

CENTURIO qui Jesum crucifixum custodiebat, qualiter Deum glorificaverit, 247 A.

CERINTHUS hæresiarcha quomodo erraverit, 287 B. — A S. Joanne evangelista confutatus est, 269 A.

CHRISTIANUS virtutes Christi sequi debet, 225 A', et crucem suam bajulare, 98 D'. — Christiani boni quanta dignitas, mali quanta vilitas, 544 D', 610 A. — Quam perfectos esse oporteat Christianos, 575 A, quorum tamen multi Christum non sequuntur, 85 A'. Fidem formatam non habent mali Christiani, 576 B'. — Ad Christianos potissimum pertinent opera misericordiæ, 255 D. — Christiana religio ad quid ordinetur, 412 B'.

CHRISTUS, qui interpretatur unctus, 483 C', est Deus et homo, 620 B', Deus verus, 308 D', 510 B', Deus incarnatus, 203 D, 318 D. Aliter vocatur Verbum Dei Patris, fons sapientiæ, et sapientia increata ac genita, 190 A, 512 D', Sapientia Patris, 172 C', increata Sapientia Dei, 136 D', Sapientia infinita, 40 D', Filius Dei vivi, 483 D', Unigenitus Dei, Deus majestatis immensæ, 39 B', Dominus, 614 A, Dominus dominorum, 608 B, brachium Domini, 509 B', manus et brachium Patris, 37 A, 472 B', cordium inspector, 44 A, et judex, 413 C, Principium, 431 B', lux, 512 D, dies spiritualis, 479 A, resurrectio et vita, 482 D', ars rationibus plena, 569 D', Sanctus Sanctorum, 302 B', 440 B', 574 B, Filius Virginis, 53 C', 160 A, Filius hominis, 68 D', 159 D', 212 D, 331 A, Salvator, 483 C', 574 B, Messias rex Israel, 160 B', 311 C', 497 C', summus sacerdos, 440 C', mediator et reconciliator noster, 607 C, sponsus animarum nostrarum, 340 C', amicus, 30 B', hominum amator verissimus, 9 D, aptissimus medicus animarum, 20 C', 44 C', et corporum, 91 C, consolator et advocatus, 534 D', fons pietatis, 555 B, rex omnium gentium, 498 A, rex utriusque Testamenti, 586 B', omnium judex, 117 B, omnium fidelium princeps et Dominus, 85 D', præceptor, 138 A, summus unicusque magister, 484 C, ductor infallibilis, 150 C', totius perfectionis magister, 64 C, patientiæ doctor, 580 A, Dominus Prophetarum, 421 C. — Quare dicatur Agnus Dei, 302 C', 303 C', 306 A', lux mundi, 449 D, lucerna, 41 A', ostium ovium, 458 C', 461 B', 462 B, pastor bonus, 463 A, pastor unicus, 463 A', 467 D, filius David, 154 A', 185 B', Samaritanus, 19 C, 442 B, lapis, 178 B', lapis angularis, 467 B, mons, 382 C', vitis vera, 542 C, 544 B', granum frumenti, 501 C', verus panis de cœlo descendens, 393 D', 399 B', panis vitæ, 394 C. — Designatur per pastorem qui ovem perdidit et reperit, 103 A, per vitulum saginatum, 113 D, per hœdum, 115 A', per fermentum, 83 D', per granum sinapis, 83 A', per lapidem abscissum de monte absque manibus, 83 B'.

De Christi divinitate et humanitate. Incomprehensibilis est generatio Christi, sive divina, sive humana, 416 B. — Christus est cum Patre et Spiritu Sancto unus Deus, unusque Dominus, 1 B, omnipotens, immensus in omni perfectione, sanctitate et gloria, 80 C, ubique præsens, 1 B', et universum mundum implens, 167 D, 575 D', cujus esse est infinitum et simplicissimum, 257 D. Filius Dei naturalis et unicus, non adoptivus, 306 B, Patri consubstantialis et coæternus, 295 C', ex substantia Patris incommutabiliter genitus est, quomodo, 269 C', 270 A et seq. Illi idem est generari ac audire a Patre, 342 B', 432 D. Ab illo procedit et mittitur Spiritus Sanctus, 260 A. — Decentissima fuit incarnatio Verbi, 202 B', per quam in Christo ipsum Verbum est persona naturæ assumptæ, 344 B, id est, Filius Dei in propria venit persona, assumpta in unitate personæ humana natura, 103 D. In Christo igitur sunt duæ naturæ et una persona, duæ generationes et una filiatio, 286 A; humana Deo et divina homini conveniunt, quo sensu, 330 C; omnia, etiam humana et infima, gloria et honore ornantur, 288 B'. — Duplex est ejus voluntas, divina et humana, 374 C'. — Quomodo in sinu Patris manens, 295 C', 418 B', a Patre exierit, 428 B, 515 B, 564 A, qui omnia illi tradidit, quo sensu, 12 C', 343 D'. — Pater in ipso est, et ipse in Patre, 475 B, 530 C', 531 D, 537 B. Qui videt illum, videt et Patrem, 512 C', qui in illo se clarificavit, 505 A, 523 B', 533 D. — Quomodo a Patre doctus, 432 C', 433 A, dilectus, 176 A, 202 D, 343 C', 576 C, sanctificatus, 473 D'. — Quo sensu illo major sit Pater, 541 B. — A se ipso Christus non venit, 416 A', 438 B, et nihil facit, 432 B', sed quæ placita sunt Patri semper agit, 433 D. Quomodo ejus opera faciat

Digitized by Google

Pater, 531 D, ab ipso clarificatus, 568 C'. — Quo sensu propter Patrem vivat, 403 C, habeatque vitam in semetipso, 372 A. — Quomodo illi competat æternitas, etiam quoad naturam assumptam, 508 B. — Secundum humanitatem locum mutat, qui secundum divinitatem incircumscriptibilis invariabilisque consistit, 85 D', 514 B. — Quo sensu lux vera sit, 282 C, et omnem hominem illuminet, 282 D. — Qualiter ad Patrem transierit, 513 D', seu redierit, 428 B, 564 B. — Quomodo peccata mundi tollat, tanquam Deus, 303 A, et tanquam homo, 303 B. — Se Filium Dei esse frequenter protestatus est verbis atque miraculis, 229 B', et Deum se affirmavit, 365 C', 366 C', 431 D', 445 D', 472 C', etc.

Quanta Christi humanitatis dignitas, 291 A, 303 B, 472 D, quæ prælata est omni creaturæ, 1 B, 342 B, 514 D', etc., etiam angelicæ, 160 D', 291 B, et cui data est omnis potestas, quo sensu, et quando, 185 C. — Secundum humanitatem quomodo Christus fuerit confirmatus in bono, 440 C, quod eum decebat tanquam mediatorem et summum sacerdotem, 440 C'; qualiter omni virtute donatus, 105 D', 289 D'. — Quanta gratia ejus humanitati collata, 202 B, ab instanti conceptionis, 305 C', gratia unionis, 289 A, 343 D, gratia habitualis, 289 B, 343 A', et gratia capitis, 289 D. Quales gratias gratis datas habuerit, 289 D', inter quas fuit plenissima prophetiæ gratia, 208 B, 253 C. — Comprehensor fuit simul et viator, 383 D', visione beatifica ab incarnationis exordio fruens, ut homo, 10 C, 254 A', 398 C'. Dotem agilitatis poterat assumere, vel virtute Verbi supplere, 346 C. — Quanta Christi justitia, 186 B', sanctitas, 202 A, sapientia, 40 D', 290 B, 368 B, scientia, 290 C, 328 B', 345 B, 405 C, 417 B, 548 D'. Qualem præscientiam futurorum etiam contingentium habuerit, 208 B. Anima ejus, a suæ conditionis exordio, cognovit omnia quæ Deus cognoscit scientia visionis, 368 B', omnium cordium secreta, 180 D'. Non ex ignorantia Christus interrogavit, 405 C', 456 D', 486 A, 517 D', etc. Negligentia aut oblivio in illo non fuit, 444 C'. — Utrum scientiam acquisitam sortitus sit, 290 C; quo sensu dicatur aliquid de novo cognovisse, 388 D, gratia et sapientia profecisse, 290 A'. Quomodo ut homo a Patre audierit, 432 C, a Deo non ab hominibus instructus, 411 D. Quo sensu plenus veritatis sit, 290 A'. — In illo est duplex hominis voluntas, superior nempe, 374 C', et inferior, 375 A, 503 D'; voluntas autem humana divinæ voluntati semper fuit conformis, 219 C', 395 C, 504 C, quoad ipsum appetitum sensitivum, 219 D'. Non quæsivit voluntatem suam, quo sensu, 374 B', 395 B. — Ut viator, quolibet actu nobis meruit gratiam et gloriam, 292 B. Humanitas ejus est Verbi instrumentum animatum, conjunctum et proprium, 400 B, 426 D, 620 C', etc., per quod nobis præstantur divina charismata, 400 B; est etiam Deitatis unitæ templum, quo sensu, 320 B. — Animam ejus in universis direxit Spiritus Sanctus, 9 D', cujus donis Christus plenissimus fuit, 10 A, 289 D', 428 D. Quo sensu exsultaverit in Spiritu Sancto, 9 D', 10 C, qui super ipsum requievit, 305 A'. Incessabiliter fuit in actu interiori dilectionis, 73 B'. — Fides et spes in illo non fuerunt, quare, 290 A. — Corpus ejus a Spiritu Sancto formatum, 342 B, 394 B, 399 C', 431 A, in omnibus animæ promptissime paruit, 20 A', 319 A. Dispensatione divina, non humana necessitate, corporales defectus in eo fuerunt, 346 B'. Quosnam hujusmodi defectus assumpserit, 346 C'. Corpore valde speciosus erat, 382 A', 556 C. — Per somnum non impediebatur ejus anima a cognitione ac dilectione Dei, 444 B', 566 A'. — Passiones in illo movebantur ex prævio rationis judicio, 220 D', 221 C, 485 B'. Quo sensu turbatus fuerit, 485 D', 503 A', 520 D; utrum in anima et in corpore, 521 A. Turbatio ejus nobis fuit meritoria et consolatoria, 503 B'. — Ira per zelum fuit in Christo secundum humanitatem, 96 B'. — Frequenter legitur planxisse, nunquam risisse, 486 B. Quoties lacrimatus sit, 167 B'. — Ut homo oravit, 26 D, 216 D, 219 D, etiam pro se, 26 B'. Oratio ejus semper exaudita est, quo sensu, 220 B, 488 A. Qua ratione pro mundo non rogaverit, 570 A. — Evidentissimis argumentis verus Christus esse probatur, 441 B, et propter opera ejus in ipsum credendum est, 531 C'. — Deus quomodo specialissime Deus Christi dicatur, 606 B. — *Cf.* Deus, Filius, Pater, Verbum.

De Christi adventu et vita. — Christi duplex est adventus, 334 C'. Qualis primus esse debuerit, 408 D', 586 C, de quo prophetiæ referuntur, 75 B, 318 D, 379 B. — Quomodo Christus a principio mundi prænuntiatus, 377 D, Abraham, Isaac et Jacob promissus

Digitized by Google

fuerit, 87C. Quæ in carne exhibuit, fecit et docuit, prædixerunt Prophetæ, 14B', 379B, quorum multi illum videre voluerunt, quo sensu, 14C et seq. — Descendit de cœlo, 330A, et venit in nomine Domini, 497A', non ut judicet sed ut salvet mundum, 334D, 428C'. — Humanum genus qualiter quæsierit, 103D, visitaverit, 169D, curaverit, 156B, et perditum salvaverit, 160A, illi se conjungens, instar boni Samaritani, 19D, vulnera ejus alligans, 19C', infundensque oleum et vinum, 19D'. — Ab ingratis filiis hominum quomodo receptus sit, 169D.

Supernaturaliter conceptus et natus ex Virgine, 342B, 431A, quare non Romam, neque Jerusalem elegerit pro loco nativitatis suæ, 422D'. — Triginta tribus circiter annis conversatus est in hoc mundo, 204C, et usque ad tricesimum ætatis suæ annum latuit, 290D'. — Quo sensu ante Joannem Baptistam factus, 291C, et per ipsum facta gratia et veritas, 293B. — Illum oportuit crescere, quomodo, 341C'. — Christo baptizato, quare Spiritus Sanctus apparuerit in forma columbæ, 305D, quæ super caput ejus remansit, 305A'. An Christus in propria persona baptizaverit, 338D, saltem discipulos suos, 338B', 345D. Per se ipsum sacramenta N. L. instituit, 338C', et in illis potestatem excellentiæ habuit, 426A. — Opera ejus quam perfecta, 315A'. Quidquid gessit in corpore est nostræ conversationis informativum, 22B, 186C, 427D, regula virtutis ac pietatis, 23A, vitiorum nostrorum medela, 19D', efficax ad gratiam et gloriam nobis promerendam, 201C', 307B. — In omnibus diabolum vicit, 37C', et adversarios suos variis modis coarguit, 82C, 91D. — Non erat illi propria domus, quantum ad usum, 306D'. Esuriit, sitivit, æstuavit et fatigatus est, non ex necessitate, sed propter multiplices causas, 346C'. — Nudo capite nudisque pedibus legitur incessisse, 300D', 494D. Vestis ejus fimbriis ornabatur, 347D. Tunica ejus qualis fuerit, 240D, 593D'. — Eleemosynas a quibus acceperit, 495D, et ad quid servaverit, 522D'. — Multis credentibus non se ipsum credebat, quo sensu, 321A', 322A. — Quare cum peccatoribus convesci dignatus sit, 90B, 102A', interdum inimicos fugerit, 408A, 410A', alias autem illos adierit, 411C. — Cur nuptiis in Cana Galilææ factis interfuerit, 313A; Jerusalem ascenderit, 318B; Judæam postea reliquerit, 345D'; inter Samaritanos manserit, 355A'; et aliquando in montem secesserit, 382D'. — Quomodo ad illum adducta sit mulier in adulterio apprehensa, 424A, quid tunc egerit, 424A', quanta prudentia locutus sit, 424D', justitiam per misericordiam temperans, 425A, et qualiter peccatricem absolverit, 425D'. — Quando cœnaverit in domo Simonis leprosi, 205D, 493C, et quare per Bethaniam in Jerusalem redierit, 493D'.

De Christi prædicatione. — Christus solus magister est, quare, 517D', et nunquam homo locutus est sicut ipse, 421B', 438C. — Eloquentissimus, 149B, 382A', et sapientissimus in verbis, 253D, quam delectabiliter auditus fuerit, 196D', et quanta cum aviditate, 204D, ita ut ad illum concurrerent turbæ, 50C, 97D', quanta multitudine, 157A'. Verba ejus, verba vitæ æternæ, 405D', animam purgant, illustrant, perficiunt, 544B; non transibunt, quo sensu, 195D; quantæ virtutis fuerint, 308D', 355C', et quare non semper animas convertant, 436D'. — Discrete loquebatur, 45C, 582A', per corporalia metaphorice exprimens spiritualia, 129D', altitudinem sapientiæ suæ accommodans capacitati intelligentiæ nostræ, 367C', 432D'. — Ex se ipso non locutus, quo sensu, 512D', 531B, 539B, gloriam suam non quæsivit, 413B, 442D', 444A, nemini blandiens, neminem palpans, sed usque ad mortem pro justitia certans, 413B. — Zelus Dei quomodo illum comederit, 319C, 423D. Per comminationes et promissiones ad pœnitentiam hortabatur peccatores, 102A, quos quærere venerat, 102C', et suavissimis modis attrahebat, 102C. — Utrum propheta fuerit, 385D', 386B, 421A, et quomodo testimonium perhibuerit veritati doctrinæ, justitiæ et vitæ, 586C'. Alias verbis, alias factis aliqua prænuntiavit, 618B'. — Qualiter de se ipso testimonium efficacissimum dederit, 427B', 428A, et quomodo illi testimonium perhibuerit Pater, 429D, 444B. — Ad quid tendat ejus doctrina, 35D', quæ est doctrina Patris, quo sensu, 411C', 412A, et tam perfecta ut absque miraculis fide digna sit, 532D'. — Quo sensu prædicans clamaverit, 416B, 419B', palam locutus sit mundo, 581C', 582C, et illum illuminaverit, 426C. — Virtutum magister, 257B, præstitit gratiam adimplendi quæ jussit,

Digitized by Google

293D. — Quare moneat ut diligentes eum præcepta impleant, 534 D, et quo sensu beatificet scientem et operantem, 519B. — Auctoritati ejus, qui est Filius Dei, 295 D', necesse est intellectum subjicere, 329 C, et qui doctrinam ejus non servant, damnabuntur ab ipso ejus sermone, 513 B. — Tribus circiter annis prædicavit, 204 C. — Quare frequenter in sabbatis docuerit, 79 C'. — Orationem dominicam docuit, quomodo, 27 C et seq., et quando, 26 B. — Pharisæos quanto justitiæ zelo increpaverit, 44B et seq. Post rigorosam increpationem adjungebat informationem benignam, 44 C'. — Quomodo allocutus sit Zachæum, 158 A, mulierem Samaritanam, 347 B, Nicodemum, 325 C, Judæos qui ipsum lapidare volebant, 473B. — Explanatur sermo ejus in Capharnaum post panum multiplicationem editus, 392 C et seq. — In templo docuit festivitatis Tabernaculorum die quarto, 411 B, et novissimo, 419 A'. — Sermo post Cœnam habitus elucidatur, 523 C et seq.

Non verbo dumtaxat sed opere docuit, 518B', et discipulos suos instruxit, 165B. — Totius caritatis exemplar, 550A, magister caritatis, unitatis, 574 D', et humilitatis, 91 D', 214B', non sibi placuit, quo sensu, 375B; de mundo non fuit, 572 D'; vitam pauperem elegit, 153 C, 383 A', ut spiritualiter divites efficeremur, 117 A, non opulentiam sed avaritiam reprobans, 124 A. — Quanta ejus misericordia, 395B, humilitas et obedientia, 138 D, 359 D, 361 C, 395 B', etc., animi fortitudo et constantia, 165 B, sobrietas in cibo, 384 C, patientia in injuriis tolerandis, 413 D', 442 B', 445 C', 469 A. — Oculis vagus non fuit, sed summe compositus, 383 C, et in omnibus universæ maturitatis et probitatis dedit exemplum, 383 C, cunctos docens sine personarum acceptione, 84 B. — Tempus nocturnum in oratione expendebat, 578 C. De fonte pectoris ejus processit oratio publicani, 147 B'. — Bonus magister, quo sensu, 149 B, 345 C, quam benignus fuerit erga infantes, 148 C', et quomodo suos dilexerit, 514 C, usque in finem, 514 A'. — Discipulos suos qualiter informaverit, 345 C. Quare non doctores sed idiotas in Apostolos elegerit, 312 B'. Discipulis suis, quos in osculo pacis dimittebat aut recipiebat, 223 C', mysteria patefecit, ceteris obscurius loquens, 353 B'; attamen quod discipulis dixit, ad aliorum quoque retulit instructionem, 50 D. — Sabbatum non violavit, nec ad litteralem ejus observationem tenebatur, 451 B'. De illius transgressione quomodo se excusaverit, 82 D. Perfecit legem, non solvit, 102 B', 125 D, 347 B', cujus finis fuit, quo sensu, 125 D, etsi interdum legalia prætermiserit, qua de causa, 383 B.

De Christi miraculis. — Nullus in V. T. tanta egit miracula ac Christus, 417 C', 552 A, cujus innumerabilia fuerunt signa, 82 B, 417 C', 611 C'. — Præcipua ejus miracula recensentur, 552 A. — Quomodo illa operata sit humanitas Christi, 37 B, 448 D', 488 D', cujus manus erant Deitatis unitæ organa, 384 C'. — Præclara solique Deo possibilia Christus fecit miracula, 173 D', quæ omnem naturalem potestatem transcendunt, 442 D, 446 C, 470 C', 474 B'. — Ejus signa, quam auctoritative, imperialiter ac repente acta sint, 75 A', 80 D, 91 C, etc., ita ut in illis modus agendi mirabilior fuerit quam opus, 155 C', et per illa confirmetur Christi doctrina, 137 D, 321 A', veracitas, 75 D, et sanctitas, 452 D, 470 D'. — Mente curavit quos corporaliter sanavit, 138 B', 155 A', 315 B', etc., quod innotescit ex ipsius verbis, 414 B'. — Propria potestate miracula agens, 474 C', discipulis suis eadem vel etiam majora faciendi potestatem tradidit, 474 D', et illorum prædicatione lupos in agnos convertit, 2 D'. — Spiritualia miracula quomodo egerit, 368 A. — Qualiter aquam in vinum mutaverit, 314 C', 315 B, et utrum tunc primum signum operatus sit, 315 C', 316 B. — Filium reguli quomodo sanaverit, 358 D, 359 A, cur ad illum ire noluerit, 359 A', et quo sensu hoc signum secundum fecisse dicatur, 359 D'. — Vendentes in templo quomodo ejecerit, 318 D', bis, 319 D, et quanto miraculo, 319 A. — Apud piscinam Probaticam infirmum curavit, 362 B', et ita omnipotentiam suam manifestavit, 363 A. — Quid agendo quinque panes et duos pisces multiplicaverit, 384 D', et quid eodem tempore biberint turbæ, 385 B'. Qualiter postea supra mare ambulaverit, 390 C', Petrum similiter incedere jusserit, 391 D, tempestatem sedaverit, 391 A', et navim ad littus repente duxerit, 391 A'. — Quomodo curaverit cæcum et mutum, 34 C, mulierem inclinatam, 80 B, hydropicum, 91 C, decem leprosos, 138 A'. — Bartimæum cæcum sanavit, quanto miraculo,

Digitized by Google

155 C', quare in publico, 154 D', et post interrogationem, 155 C. — Quomodo cæcum a nativitate illuminaverit, 449 C', 450 C', per miraculum omnino divinum, 446 C, et inauditum, 455 C, et quid significent illa quæ tunc gessit, 449 D', 450 D. — Qualiter se subito absconderit a Judæis qui illum lapidare tentabant, 446 B, 475 C. — Lazarum suscitavit, 488 D, quandonam, 205 C, quanto miraculo, 204 D', 477 B', 488 D', et quare ante illud infremuerit spiritu, 485 C', 486 B', lacrimatus fuerit, 486 B, oculos sursum levaverit, 487 D, et Patrem oraverit, 487 B'. — Simonem leprosum curavit antequam apud illum cœnaverit, 493 B', quandonam, 205 D. — Multa ejus signa et opera non scripta sunt, 620 B, nec per singula scribi possent, quo sensu, 620 C. — *Cf.* Miraculum.

De Christi gestis ante passionem. — In die Palmarum duobusque diebus sequentibus Christus Jerusalem venit, 492 D', et in templo docuit, 170 C', 196 C', 205 A'. — Quinam fuerint duo discipuli missi ad asinæ pullum solvendum, 165 B', super quem sedens Christus, 205 A', gentiliumque conversionem præfigurans, 166 B, ovantibus turbis in Jerusalem intravit, 166 B', 497 C. — Quare cum ramis palmarum illi obviaverint Judæi, 497 D, et quomodo illum laudaverint, 497 A', 498 B. — Cur super civitatem fleverit, 167 A'. Deinde ingressus in templum, quare, 169 B', quanta potentia vendentes et ementes ejecerit, 169 D', 579 A. — Petiit ut salvificaretur a sua passione, 504 A, et nomen Patris clarificaretur, quo sensu, 504 D. Quomodo illi responderit vox de cœlo, 504 B', quam turba audiit nec intellexit, quare, 505 D. — Quam fortiter et sapienter confutaverit Pontifices et Scribas, 172 C', Herodianos, 181 C, et Sadducæos, 182 C'. Cur publice clerum Judæorum increpaverit, 186 A'. — Quarta feria post Palmas in Bethania remansit, 196 C'. — Quomodo a Juda venditus sit, 207 B, quare, 207 D, et quanta humiliatione, 207 A'. — Feria quinta ad vesperas incepit festivitas Paschæ, 493 C. Quandonam locum habuerit novissima Cœna, 513 C', in qua Christus, opere et verbo, præcipue humilitatem et caritatem docuit, quomodo, 520 A'. Quo sensu tunc discubuerit, 208 D', et utrum adfuerint cum Apostolis septuaginta duo discipuli, 209 A. — Qualiter laverit pedes discipulorum suorum, 515 C, etiam proditoris, 515 D. — In eadem Cœna instituit sacramentum Eucharistiæ et sacramentum Ordinis, 514 B'. — Eucharistiam instituere ardentissime desideravit, quare, 209 B, 211 C. Antequam illam consecraret, cur gratias egerit, 209 C', 210 D. Explanatur forma consecrationis panis, 210 A', et vini, 210 D'. Panem jam consecratum fregit, quo sensu, 210 D. — Quomodo proditorem indicaverit Joanni, 521 D', et non Petro, 522 B. — Sermonem post Cœnam habitum ubinam compleverit, 542 A', 566 B, 577 B'. — Quare Apostolis præceperit gladium emere, 217 D'. — Oratio Christi ad Patrem elucidatur, 566 A et seq. Ante illam Jesus oculos sublevavit in cœlum, quare, 566 C.

De Christi passione. — Quomodo Christi passio præfigurata sit, 238 C, et prænuntiata, 153 B', 238 D, 239 B, 258 D', 507 D', ab ipsa Sibylla, 153 D'. Passionem suam Christus frequenter prædixit, quare, 153 B', 154 A, 212 B, designans ubi, 493 B, qualiter et a quibus occideretur, 584 D'. — Contra peccatum originale specialiter ordinata, 303 D, 577 B, Christi passio hoc contulit futura quod præstat jam facta, 339 A. — Cur necessarium fuerit Jesum pati pro mundi salute, 198 B et seq., 258 B', 259 A, qua multiplici convenientia hoc decuerit, 201 C, 203 A', et quo sensu illum Pater occiderit, 114 B', 212 A', 468 B'. — Quam efficax fuerit Passio, 201 B', quæ genus humanum Deo reconciliavit, 200 A, igne caritatis inflammavit, 73 D, omniaque peccata delevit, 200 D', etiam illorum a quibus Christus occisus est, quibusnam conditionibus, 201 A, 491 A. Pro omnibus tam Judæis quam gentilibus, 491 B, sanguis Christi effusus est, quo sensu, 211 A, 333 D', 436 A', 466 A', 506 D', etc. Quomodo applicetur fructus passionis dominicæ, 200 C', quæ eo magis meritoria fuit quo amarior, 204 A. Minima ejusdem sanguinis gutta sufficiens fuisset ad totius mundi liberationem, 201 D'. — Quodnam præmium sibi meruerit Christus patiens, 254 A', 331 C', 372 D, 501 C. — Quanto ardore passionem optaverit, 73 A', et quo sensu illam refugerit, 503 D', in ipsa dolens et gaudens, 103 C'. — Ex dilectione pro nobis pati voluit, 197 A, spontanee se offerens, 197 B, tanquam oblatio pacifica, 197 D, et hostia pro peccato, 197 A'. Animam ejus nemo sustulit ab ipso, sed ipse posuit eam, quo sensu, 468 A. — Quomodo tempore

Digitized by Google

Passionis Pater cum Christo fuerit, 565A, et ab illo clarificatus, 504D, 541D'.

Inter decollationem Joannis Baptistæ et Christi passionem unius anni exstitit spatium, 383B. — Sponte locum passionis suæ Christus accessit, 153D. — In horto Gethsemani quare segregatus oraverit, 219B, primo genua flectens, deinde sese in terram prosternens, 219D. Quid petierit tunc a Patre, 219A', quare, 220D, et secundum quam voluntatem, 219B', 220B'. Quis angelus illi apparuerit, 220B', quandonam, 223B, quomodo illum confortans, 220C', et quare, 221A, utrum etiam ab Apostolis visus, 221B, 222D. In agonia quomodo factus sit Jesus, 221B, consideratione mortis imminentis, 221D, et aliorum malorum, 221D'. In illo ratio prævenit et imperavit mortis timorem, 618B. Vere in agonia sanguinem fudit, probabiliter cum sudore, 221A', quod utrum miraculosum fuerit, 221B'. Ter oravit Patrem, et ter rediit ad discipulos, 222C', qui dormiebant, quare, 222B. — Quoties pro nobis sanguinem effuderit, 221C', qui etiam in sua passione sæpius ploravit, 167C'. — Judas, quanta turba stipatus, 223D, 578D, ad Jesum accesserit, ut illum oscularetur, quibus de causis, 223B'. Quomodo proditorem Christus admonuerit, 223D', uno verbo adversarios suos prostraverit, 224B, 578D', Malchum a Petro percussum sanaverit, 225C. — Primo ad Annam ductus est, quare, 226A, 580B', et quomodo ligatus, 226B, 580B'. Quomodo illi illuserint custodes, 228B. — Quo sensu Petrum prævaricantem respexerit, 227C'. — Quare, ad Herodem a Pilato remissus, 232A, nihil huic principi responderit, 232B', et qualiter spretus ac veste alba indutus, 232C', ad Pilatum redierit, 233A. — Quam crudeliter flagellatus sit, 234C, 588B, usque ad costarum patefactionem, 153C', et quam ignominiose, 588C. Quare spinis coronatus, 588C'. — Propriis humeris crucem tulit, peccata nostra super se assumens, 103B', et principatum omnis terræ promerens, 592A'. Quare ad ejus crucem portandam compulsus sit Simon Cyrenensis, 236B', 592A'. — Quomodo admonuerit mulieres quæ illum plangebant, 236D', viridi ligno se comparans, quare, 237D, et quinam viri cum illis fuerint, 236D'. — Cur cum duobus latronibus ad mortem ductus, 237A', et inter illos crucifixus, 238C', 593B, quanam hora, 235A'. — Quanta passus sit dum vestimentis exueretur, 239A', et cruci affigeretur, 239C, a quatuor militibus, 238B'. Hoc genus mortis quare elegerit, 238A. — Quid significet titulus cruci ejus affixus, 593C. — Utrum in cruce nudus remanserit, 240B, 593B'. — In ejus passione sol « eclipsatus est » et luna cursum mutavit, 552B. — Quænam fuerint ultima ejus verba, 594B' et seq. — Quo sensu pro inimicis suis oraverit, 239B', et qualiter exauditus sit, 240A. — Non solum Joanni, 595A, sed et unicuique Christiano Matrem suam dedit, 595D. — Quanta insania, 240D', et quanta crudelitate, illum crucifixum deriserint Judæi, 241A, qui illum oderant, 161C', et persecuti erant, quare, 410C. Occisio Filii Dei quantum fuerit scelus, 177B, pro cujus expiatione per Titum Judæi interfecti sunt, 165A. — Quanta siti Christus laboraverit, 242B, et quare, 242C, 595C'. Qualis potus illi bis datus sit, 241D, 242A, 595D', et utrum illum biberit, 241C', 596A. — Quomodo latronem absolverit, 243A', et illius defuncti animam statim beatificaverit, 243B'. — Quo sensu a Deo derelictus fuerit, 245D. — Quinam ab illo Eliam vocari affirmaverint, 245C'. — Quo sensu dixerit : Consummatum est, 245D', 596B. — Quosnam psalmos in cruce, juxta aliquos, pronuntiaverit, 246B. — Qualiter clamans exspiraverit, 246A, et quare, 246C, 247B, post dira tormenta, 320A. Sponte spiritum suum tradidit, 468A, potestative animam suam a proprio corpore separans, 596B, vera morte, 246C, turpissima et acerbissima, 592B', quæ fuit vita salusque mundi, 596B, mundum vincens, quo sensu, 565A'. — Quisnam ejus latus lancea aperuerit, 248A, et quare, 596B'. Cur inde exierit sanguis et aqua, 248B, 596B'. — Quomodo Christus sepultus sit, 248D', 598C, in quonam sepulcro, 249A, 598A', et quare honorifice, 597C'. A nobis qualiter mystice sit sepeliendus, 249D', 598D'.

Quare passio Christi « exaltatio » vocetur, 331B', et quo sensu Jesus crucifixus omnia trahat ad se ipsum, 506D'. — Qualiter lætandum sit de ejus passione, 541B, quæ sedulo meditanda est, 157C', 228D, quare, 252A', quomodo, 588C, 589B, 592B', etc. Quinam sint ejusdem meditationis fructus, 331D. — Passio quomodo manifestet varia Dei attributa, 203B', 577C, amorem

Digitized by Google

Christi erga nos, 203D', peccati enormitatem, 203A', pœnas inferni et cœli beatitudinem, 203D'. — Per illam Christus nobis dedit exemplar omnium virtutum, 203D', præsertim mansuetudinis et patientiæ, 225D, 592B'. — Ad digne ac meritorie loquendum et audiendum de Passione, necessarium est Spiritus Sancti auxilium, 197B'. — *Cf.* Passio.

De Christi resurrectione et ascensione. — Christi resurrectio quomodo prædicta sit, 258D'. — In triduo mortis, ejus corpus et anima erant unita Verbo, 246D, 286A, 320D. Utrum tunc homo fuerit Verbum, 468A'. — Quomodo in limbum anima Christi descenderit, 246C, et statim animas ibi repertas beatificaverit, 243B', 246C. — Ipse ut Deus, suscitavit se ut hominem, 468D. Surrexit de clauso sepulcro, 250D, cujus deinde lapidem removit angelus, 250D. — Linteamina in sepulcro relicta sunt et ab angelo disposita, quare, 600C', 601A. — Cicatrices vulnerum suorum quare Christus voluerit servare, 257D', 597B', 608A. — Mortui qui cum illo resurrexerunt, multis ejus resurrectionem testati sunt, 132A'. — Quinquies apparuit Christus in die Paschæ, 606D. — Quomodo Mariæ Magdalene apparuerit, 603D', in specie hortulani, quare, 604B; quo sensu noluerit ab illa tangi, 605A', et quid significent verba quibus illam Apostolorum apostolam fecit, 605B'. — Quare ex viris Petro sese primo ostenderit, 256D'. — Quo sensu in alia effigie duobus discipulis apparuerit, 252B', 604D; qualiter se finxerit longius ire, 255A, idque quare, 255B; et quomodo per dotem agilitatis ex oculis eorum evanuerit, 256A. — Quomodo hora vespertina diei Paschæ Apostolis apparuerit Christus, 606D', ostio clauso veniens, 607B; et in medio illorum stans, quo sensu, 257B; quare dixerit : Pax vobis, 607A', 608D, manus, pedes et latus ostenderit, 607D', necnon Spiritum Sanctum per insufflationem discipulis dederit, 608B'. Quare Spiritum Sanctum bis dederit, ante scilicet et post ascensionem suam, 608D'. Quomodo potestatem remittendi peccata sacerdotibus tradiderit, 609C, se ostendens esse verum Deum, 609D'. — Quo sensu comederit et biberit, 258D. — Thomam incredulum quanta benignitate converterit, 611A. — Qualiter se manifestaverit ad mare Tiberiadis, 612D; quare tunc in littore steterit, 613B, et qualis miraculosa piscatio, illo jubente, peracta sit, 613D'. Quomodo eadem occasione prunæ, piscis et panis ab illo producta sint, 614D', et quare, 615A. Quot mirabilia fuerint in ista apparitione, 615C, quæ tertia dicitur, quo sensu, 615B'.

De Christi ascensione quomodo Prophetæ locuti sint, 330B'. — In die ascensionis bis apparuit : primo in Jerusalem, 260D, deinde in monte Oliveti, 260A'. — Quomodo discipulis suis benedixerit, 260A', et in cœlum ascenderit, 260B', propria potestate, 329D', multis angelis illum comitantibus, 312A'. — Quo sensu tunc super angelos regnare cœperit, 160D'. — Qui cum Christo surrexerunt, utrum in cœlum, etiam quantum ad corpus, ascenderint, 329B'. — Quomodo motu locali ad Patrem reversus, 555C, 606B, a dextris Dei sedeat, 185B, 229C, et post ascensionem magis quam antea mundum illuminaverit, 449B'. — Qualiter clarificatus sit, 500D', 504C', specialiter per Apostolorum prædicationem, 501A', etsi regnum ejus non sit de hoc mundo, 585B', 586C. — Regnum diaboli dissipavit, idololatriam destruendo, 413B'. — Omnes regni cœlestis cives ab illo purgantur, illuminantur et perficiuntur, 387A. — Servos suos discumbere faciet illisque ministrabit, quo sensu, 67B'. — Qua unione sibi Ecclesiam triumphantem conjungat, 67A.

De Christo sanctificatore. — Christus est Ecclesiæ caput, 542C, 545B, et sponsus, 316B'. Quomodo illam sibi desponsaverit, 340D, ab origine mundi, 340A', et spiritualibus nuptiis animas sibi conjungat, 316C', 317A. — Quomodo creverit in cordibus electorum, 83B', quorum est caput, quo sensu, 200D', 575D, 577A', qui in illo sunt, 536D', 544D, 545C', et ipse in illis, 537A. Qualiter ad eum veniant electi, 394D'. — In Baptismo illi conformamur et incorporamur, 326C. — Quomodo in Eucharistia sit panis vivus, 400A, et caro ejus mentes fidelium alat, 400C', 402A. Per sacram communionem in nobis est, 537B, et nos sibi tanquam capiti nectit, quo sensu, 401D, 402C'. — Per sacramenta Ecclesiæ, ejus passionis meritum nobis applicatur, 95B. — Pater discipulorum suorum, 536D, Christus illos non reliquit orphanos, 536A', sed quotidie Ecclesiam suam visitat, 322B', et nos

Digitized by Google

ad se vocat, 484B', semper nobiscum manens, 449A', 496B, per prædicatores, pastores et prælatos adhuc loquens, 7B. — Quomodo intret in cor bonam conscientiam habens, 24C. Si quis sitit, ad illum veniat, quo sensu, 419B', et non esuriet nec sitiet, 394A'. Qui credit in eum, habet vitam æternam, 344D, 370D', 398D'; et etiam si mortuus fuerit, vivet, 483C, quia Christus est via, veritas et vita, quo sensu, 529B. — Sine illo nihil possumus facere, 545B, illique adscribendum est bonum quod homo per gratiam operatur, 163C. Nunquam aliquis adultus salvatus est, nisi de illo fidem saltem implicitam habuerit, 529A'. — Quomodo nos diligat Christus secundum utramque naturam, 546C, et pro nobis se ipsum sanctificaverit, 574A. Qualiter diligat diligentem se, 537C', et animam fidelem exerceat, 546A', eam in ariditate relinquens, 602A'. — Quo sensu deificaverit suos sacerdotes, 609D', et fideles, 610A. — Ad nos se convertit, si ad ipsum convertimur, 97D'. Peccatorem quomodo quotidie admoneat, 363B, et liberet, 80B', id est videat, vocet, sanet, tangat et erigat, 81A, necnon de conversione ejus glorietur, 104C'. — Qua ratione sequendus et imitandus, 84B', 502D'. Honorandus est qui illi ministrat, 503C. — Quomodo in membris suis accipiatur, 520A. Quod pauperibus propter ipsum donatur, ipsimet donatur, 150A'. — In nomine ejus Patrem petere, quid sit, 532D'. Preces Ecclesiæ Deo porriguntur per Christum, 320C, qui laudandus est in omni loco et omnibus horis, 499B, cum ignito corde, 499C. — *Cf.* Anima, Ecclesia, Eucharistia.

De Christo judice. — Quid de secundo Christi adventu Job prophetaverit, 372B', et qualis futurus sit ille adventus, 586C, ante quem pseudoprophetæ multos decipient, 140D. — Quomodo Christo competat judiciaria potestas, 369D, 370D, 431D', 443B, et quo sensu ab illo ignorari dicatur dies judicii, 176C, quem non determinate expressit, quare, 188A'. — Quotuplici modo apud illum iniquus diffametur, 117C. — Omnium judex Christus, quem latere nil potest, 117B, instar furis, 68B', vel sicut fulgur adveniet, quo sensu, 140A', quanta cum claritate, 193C', illum comitantibus omnibus angelis, 194B', et omni Beatorum exercitu, 194C'. — Ad ejus imperium mortui resurgent, 372D'. — Tunc videbunt Judæi in quem transfixerunt, quo sensu, 597B'. — Paucos, comparative loquendo, Christus inveniet vere fideles, 145C'. — *Cf.* Judicium.

CHRYSOSTOMUS (S.), Constantinopolitanus episcopus, sæpe citatur, 14A, 29B, 34B', etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 47-64.)

CIBUS multiplex in Scriptura distinguitur, 353C'. — Ante refectionem benedicendus est, 255B'. — Circa illum sex modis peccatur, 64B. — Cibus qui permanet in vitam æternam, quid sit, 392A'. — *Cf.* Gula.

CIRCUMCISIO, quæ primo Patriarchis data est, 414C, fuit remedium contra originale peccatum, 325C'. — In sabbato infantem circumcidere licebat, 414D.

CLAUDI. Per illos designantur qui rectitudinem justitiæ non servant, 97A.

CLAUSTRUM. Qui in claustris claustraliter conversantur, quantam mercedem sint consecuturi, 153B.

CLAVIS. Quomodo peccata remittantur, 609C, vel retineantur per clavium potestatem, 609D, quæ in summo Pontifice principaliter residet, 609B', et cujus exsecutionem non habet sacerdos, nisi ei subjiciatur materia, quo sensu, 609C'.

CLEMENS (S.) Papa citatur, 227D'. — Ejus Itinerarium allegatur, 216C'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 1.)

CLEOPHAS fuit unus de septuaginta duobus discipulis, 252D'.

CLERICI, quam sacrilegi qui de patrimonio Crucifixi thesauros recondunt, 59C, quam præsumptuosi qui vitiis pleni sacra loca ingrediuntur, 147D.

COACTIO est vel absoluta vel inductiva, 97A'.

COELUM empyreum, in quo specialiter residet Deus, 564B, cum Beatis, 97B', 329D, 566C, quo sensu sit immensum, 97B'. Est unum de quatuor coæquævis, 566C. — In illo quomodo omnes sint reges, 162D', et qualis pax inveniatur, 166C'. — Quo sensu cœlum apertum videri possit, 312A. — Quinam præter Christum in cœlum ascenderint, 329B'. — Peccare in cœlum, quid sit, 110A'. — Cœlum et terra transibunt, quo sensu, 195C. — *Cf.* Beatitudo, Regnum.

COEMETERIA. In illis prohibentur ludi aut alii actus vani, 170A'.

COENA mystice quid sit, 94C', et quid hora cœnæ, 94D'.

COENACULUM, in quo instituta fuit Euchari-

Digitized by Google

stia, ubinam situm, 208D, et ejus dominus an dives fuerit, 208A'.

COGNITIO alia est contemplativa, alia approbativa, 465D', 471A'. — Informis est cognitio veritatis absque dilectione bonitatis, 66C'.

COHORS quænam Judam proditorem comitata sit, 578D, 580D.

COLONI designant pontifices, Scribas et seniores, 176D.

COLUMBA. Quare in ejus forma Spiritus Sanctus apparuerit, 305D, et utrum illa columba fuerit vera, 306B. — Mystice, quinam columbas vendant, 322B'.

COMPREHENSIO quotuplex sit, 277D, 295A'. — Quo sensu comprehensores dicantur Sancti in patria, 294D, 295A'.

CONCORDIA. Per illam parvæ res crescunt, 35A'.

CONFESSIO triplex est, 10A', 54B. — Confessio fidei quomodo necessaria sit ad salutem, 53D'.

CONSILIUM evangelicum de vendendis omnibus ad eleemosynam faciendam, quomodo intelligatur, 65B'. — Exponuntur diversa consilia evangelica, 98B', 99A, 100D', 150D, quorum exsecutio utrum necessaria sit ad salutem, 150B.

CONSUETUDO peccati periculosissimam parit securitatem, 168A'.

CONTEMPLATIO viæ per fidem, est quædam inchoatio contemplationis per speciem, 23D'. — Contemplatio altissima, quæ dicitur mystica theologia, in quo sistat, 13D'. — Qualis fuerit contemplatio Adæ in paradiso terrestri, 18C. — Dilectio personarum Trinitatis ad invicem quomodo contemplanda, 367A'. — Vita contemplativa, quæ per Mariam Magdalene figuratur, 481C', quare dignior sit quam activa, 24D'. — Sunt aliqua opera activæ vitæ quæ contemplativæ vitæ perfectionem quamdam præexigunt, 25D. — Contemplativi, aquilis assimilati, 143C', quandonam opera activæ vitæ exercere debeant, 482A. In eorum statu sunt boni et mali, 142D.

CONTRITIO quo fuerit major, eo plus aufert de culpa et pœna, 243A'.

CONVERSIO prima mentis ad Deum, Dei donum est, 545C.

CONVIVIUM instruitur ex novem causis, 93C'. — Quinam ad illud invitandi, 93C. — In illo eligendus est novissimus locus, 92B, non tamen contentiose, 92C.

COPHINI fragmentorum, quæ post panum multiplicationem superfuerunt, quare duodecim numerentur, 385B, et quomodo corda Apostolorum designent, 385D.

COR. Per illud designatur voluntas, 15D', et aliquando intellectus, 510C. — Cor humanum quomodo igne caritatis egeat, 73A. — Deus quo sensu ex toto corde diligendus, 15C'.

CORNELIUS centurio quali fide Deo placuerit, 335C'.

COROZAIN, civitas in littore laci Genesareth sita, 5D', de impœnitentia notatur, 6A.

CORPUS est animæ instrumentum, 62A, et secundum diversas animæ affectiones diversimode movetur, 600A. — Corpora justorum sunt Dei templa, corpora autem peccatorum sepulcra dicuntur, quare, 46C'. — Corpus glorificatum perfecte animæ imperio subjicitur, 604C. — Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ, quo sensu, 143B. — Mystice, corpus designat opera nostra, 42B, seu operum nostrorum universitatem, 43A. — Corporalia ad spiritualia ordinantur, 566B', 568B'. — Quænam corporalia ad internam devotionem provocent, 566C'.

CORRECTIO fraterna quomodo perficienda, 134B', 135A, 186C'. — Unusquisque in primis se ipsum, deinde et proximum corrigat, 413D. — Quinam correctionem libenter accipiant, 337A. — Difficilius corriguntur qui sibi videntur aliis excellentiores, 49C'. — Mali correctionem culpæ reputant contumeliam personæ, 47C, et inde pejores efficiuntur, 179A', 323B'.

CORVI quomodo speciali Dei providentia nutriantur, 62C.

CRATON philosophus divitias male contempsit (in Legenda aurea, cap. IX de S. Joanne), 150D.

CREATOR. Omne bonum creatum est ejus possessio, 107A'. — Qui Creatorem offendit, totius creaturæ meretur offensam incurrere, quare, 110B'. — *Adde* Deus.

CREATURA omnis in infinitum deficit a plena repræsentatione perfectionis divinæ, 294C', nam habet aliquid imperfectionis admixtum, 427B.

CRUX Christi quartam partem ex titulo addito recepit, 242D, et per quatuor ejus cornua signantur quatuor mundi partes, 238B. — Quomodo ad crucem confugiendum, 157C'.

Digitized by Google

— Crucem suam bajulare, quo sensu sit de præcepto, 98D', vel de consilio, 99A. — Crux per sycomorum designatur, 157B'.
CUBILE cœlestem requiem designat, 31C'.
CURIOSI proprios defectus omittunt adspicere, 96B.
CYRILLUS (S.), Alexandrinus episcopus, citatur, 24B, 71C', 76D', etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 68-77.)

D

DÆMON vel Diabolus, quo sensu sicut fulgur de cœlo ceciderit, 8A, inconvertibiliter manens in dispositione qua tunc afficiebatur, 373D. — Detestatur omne bonum et amat omne vitiosum, 122D', 216D, non ex caritate amandus, etsi ejus natura bona sit diligenda, 123B. — Naturalia in dæmonibus integra permanserunt, 439C', sed veritas in illis non est, quo sensu, 439B', nec illis innotescunt futura pure contingentia cordiumque secreta, 443D'. — Diabolus quare princeps hujus mundi dicatur, 108C', 506D, 541A', 557C; qualiter ejectus sit, 506A', et a Christo judicatus, 557A'. — Utrum certo noverit Jesum esse Christum, 541B'. Quo sensu hominem introire perhibeatur, 206D', 522C. — Quanta ejus potestas, 8C', 37C. — Homines tentare non valet nisi a Deo et sanctis angelis permittatur, 216C. Jugiter animas occidere quærit, 18B', magis vero proficientes in gratia, 216C; et de illarum perditione gloriatur, 99B'. — Omnium impiorum caput, 123C, peccatores suo subjecit dominio, 38A, et quasi vasa sua fecit, 99B', 109A, ac mancipia, 60A, 111B, 122D', ita ut ab illo regatur qui mortaliter peccat, 435B. — Illum non amat peccator, quamvis ei consentiat, 123C. — Dæmones hora mortis quomodo peccatorem impugnent, 171B'. — Utrum et quo sensu miracula facere possint, 324C', 469A', et oculos cæcorum aperire, 469B'. — Omne pactum cum illis damnatur, 412A'. — Quo sensu dæmon aliquando surdus et mutus dicatur, 34B. — Dæmones figurantur per latrones, 18B', serpentes et scorpiones, 8A'. Porci vocantur dæmones inferiores, 109A. — *Cf.* Lucifer, Satanas.
DAMASCENUS (S.) citatur, 33B', 89B', 108D, etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 94-96.)
DAMNATI, etsi citra condignum puniantur, 184B, multipliciter dolent, 129A. — Qualiter animæ illorum corporeo igne affligantur, 130A. — Utrum aliquo sensu illos pœniteat de peccatis suis, 129D'. — Immobiliter manent in aversione a Deo, 131B, etsi mallent esse in cœlo quam cruciari, 131A'. — Quo sensu videant in gloria Sanctos, 129C, qui illis succurrere nec possunt nec volunt, 130D'. — Qua ratione aliquando de inferno exire valeant, 131B'. — Ex caritate non sunt amandi, 17D. — *Cf.* Reprobi.
DANIEL, quo sensu Deum viderit, 378D. — Clarissime prophetavit de Christi passione, 153A'.
DAVID, « præpotens rex eximiusque propheta », 185A', « beatissimus secretorum Dei contemplator », 241C. — Ex ejus semine Messiam nasciturum pene omnes Judæi noverunt, 154B'. Clarissime in Ps. XXI passionem Christi prædixit, 153B'. — *Cf.* Psalmus.
DEBITORES. Illis quomodo dimittendum, 29A', et cum quali gratitudine, 29D'.
DECIMATIO triplex in lege fuit, 45D'.
DEDICATIO templi triplex ordinata est, 469D.
DENARIUS est primus limes numerorum, 161C.
DESERTUM gentilitatem designat, 386D. — Erat inter Jerusalem et Jericho desertum, latrociniis infestum, 18B.
DEUS, cui soli convenit nomen tetragrammaton, 272C', quare dicatur Deus non mortuorum sed vivorum, 184A, Deus Abraham, Isaac et Jacob, 183B', lux vera, 120D, lux per essentiam, 427B, sol intelligentiæ atque justitiæ, 277B', pater noster, 64B', pater omnium, 114D, specialiter Judæorum, 114A', omnium Dominus, 10D', amicus, 30A'. — Est summum, incommutabile et immensum bonum, 122B', prima, fontalis, infinitaque bonitas, 17C, 32C', 149A', sapientia et justitia, 6D'; in omni bonitate, dilectione, pietate et opulentia cunctos infinite excedens, 33C'. Ejus divinitas est omnium bonorum interminata possessio, 116C'. — Deus est in se absolute perfectus, actus purus, 280C', 294B', 351D', substantialiter verus, 416C', in quo est omnis plenitudo essendi, 431A'. — Quanta ejus pulchritudo, 63D', cujus intuitio est plena omnis mentis creatæ felicitas, 64A. — Ubique et in omnibus est, 539A, per essentiam, præsentiam atque potentiam, 282C'. Omnia implet, et animabus nostris illabitur, 31D. — Infallibilis ejus sapientia omnia intuetur, 117C, et illi futura sunt

Digitized by Google

quasi præsentia, 335D, 545B'. Prævisa ab illo quali necessitate eveniant, 133D. Ejus proprium est cordium secreta cognoscere, 35D, 311B. Illius idea quid sit, 275B', et quomodo multiplex, 275C'. Notitia approbationis non novit nisi justos, notitia vero simplicis visionis, bona scit et mala, 86B. Falsitatis confirmator esse non valet, 5A. Liberrima voluntate Deus in creaturis operatur, 327A, et movet unumquemque secundum propriam naturam, 396D', in ipsam voluntatem immediate agens, 152C. — Voluntas ejus consequens, non vero antecedens, semper impletur, 89B'. — Deus, quum sit omnipotens, 611A, mundum annihilare posset, quo sensu, 125D'. Quomodo jugiter operetur, 364D', 365B'. — Quo sensu omnia fecerit in sapientia vel per sapientiam, 274B, et sit causa rerum, 365D, necnon actionum nostrarum, 398C. — Ejus possessio est omne bonum creatum, 107A'. Quare ex tempore mundum produxerit, 274D'. Mirabiliter angelos creavit, sed homines mirabilius restauravit, 106B', Filium suum nobis tradens, 332C, quanto cum amore, 332C'. Deus factus est homo, ut nos deificemur, 287C'. Dei attributa quomodo reluceant in incarnatione, 202B', et in passione Christi, 203A'. — Ejus maxima opera sunt opera gloriæ; magna vero, opera gratiæ; minima autem, opera naturæ, 62B'. — Virtus divina, quum sit immensa, in instanti operatur, 488A'. Solus Deus miracula proprie dicta, tanquam principalis effector, operatur, 324B', ad gloriam suam ordinans quidquid efficit, 533B'. Ab illo derivatur et datur omnis potestas, 590A'.

Deum nemo vidit unquam, quo sensu, 293D'. Nullus prorsus viator illum visione fixa ac cœliformi adspexit, 398B'. — Visio ejus per speciem est hominis finis ultimus, 325D. Deus incomprehensibilis est etiam Sanctis in patria, quo sensu, 277A'; nam perfecte comprehendi non valet nisi a se ipso, 13D, 295D, 398B', 416D'. — Quomodo cognoscatur per naturalem rationem, 13B', per revelationem, 13C', et per mysticam theologiam, 13D'. — Ejus majestas philosophis, justitia Judæis, misericordia Christianis innotuit, 293B'. — Deus qui est essentialiter amor, 32C', cui placet omne bonum, 122C', diligendus est primo propter se ipsum, 123B, ex toto corde, ex tota anima, 15D', ex omnibus viribus, 16B, et ex omni mente, 16D; quod præceptum, non nisi a Beatis perfecte impletum, 16C', in via gradu duplici ad actum reducitur, 17A. Illum amandi quadruplex datur causa, 333C. Unusquisque tenetur illum plus amare quam se ipsum et universa creata, 511C, et propter ipsum diligendus est proximus, 17C. — Causa fontana beneficiorum Dei, est ejus dilectio, 333D, qui præstando nobis munera sua, se ipsum præstat, 426C', a quo omnia bona profluunt, 137B, 339D'. — Ejus amor prævenit et causat omne meritum nostrum, 563D', ita ut remunerando nostra merita, remuneret sua dona, 292C, et nihil condignum illi rependere possimus, 137A. — Quantum nostram cupiat salutem, 113B'. Quanta ejus pietas, 135D, et longanimitas erga peccatores, 68A. Ejus proprium est misereri ac parcere, 108D, necnon peccata dimittere, 303A; ulcisci autem ei competit propter malitiam nostram, 108A'. Non malum permitteret nisi posset et vellet inde elicere bonum, 406B'. Nunquam recedit a nobis, nisi primo ab ipso recesserimus, 544B. Nullum bonum irremuneratum relinquit, 130C. — Omnia amat, et tamen iniquos odit, quo sensu, 98B. Quomodo perversi illum odire possint, 123A', qui naturaliter ab omnibus diligitur, 534B', 538B. — Qualiter diligat prædestinatos et non prædestinatos, 537A', et sua divinitate alat comprehensores et viatores, 387C. — Solus timendus est, 52A', cujus est universos homines judicare, 369A', judicio quam perfecto, 77B. Alia sunt mundi, alia Dei judicia, 127B', quæ incomprehensibilia nec temere perscrutanda manent, 77C'. — Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum, 124D, qui affectum potius quam effectum respicit, 375C, eligit quos mundus despicit, 97B, et in vilioribus locis opera magis præclara agit, 422D'. Apud illum magis famosa sunt egenorum quam opulentorum nomina, 127B'. — Quo sensu dicatur statim ulcisci electorum injuriam, 145A', peccatores non audire, 455A; aliquem tentare, 30A, 383A', excæcare et indurare, 510A'. Quare tardet preces bonorum exaudire, 32B. — Ad illum accedimus mentis affectu, 108A, et ab illo tanto elongamur quanto gravius peccamus, 108C'. Possumus quidquid nobis præcipit, quo sensu, 405A'. — Quare coopera-

Digitized by Google

tores aliquos sibi assumat, 112 C', qui glorificantes se glorificat, 569 C. In quibus inhabitet, 539 A, et quo sensu non omnes ex illo sint, 441 D. — Cujusnam specialiter dicatur Deus, 606 A. — Viliora non sunt illi offerenda, sed meliora, 187 D, nec vult coacta habere obsequia, 97 A'. Quomodo in templo interiori adorandus sit, 332 A, cui soli debetur latriæ cultus, 351 D'. Qualiter in optima fidelium conversatione honoretur, 546 A. De ejus inhonoratione summe dolendum est, 110 C'. Illi servire et mammonæ impossibile est, quo sensu, 123 A'. — Nomen ejus quomodo sanctificetur vel maculetur, 28 C. Quare peccata in præsenti ulciscatur vel non, 77 B'. — Frequenter affectu et more humano in Scripturis loquitur, quare, 31 A'. — Osculum Dei quid sit, 111 C'. — Erunt omnes docibiles Dei, quo sensu, 397 C'. Dii vocantur Patriarchæ, Prophetæ, judices sancti, 473 B', et Apostoli, quo sensu, 474 C. — *Adde* Trinitas.

DEVOTIO. Quænam corporalia ad internam devotionem provocent, 566 B'.

DIES pro tempore in Scripturis sæpissime ponitur, 20 D'. — Per diem Christi quid intelligatur, 140 B, 448 D'. — Dies judicii quare novissimus dicatur, 396 A. — Si quis ambulaverit in die, non offendit, quo sensu, 478 C'.

DIGNITATES. Illas injunctas suscipere, caritatis est; appetere vero, ambitionis, 46 D.

DILECTIO sumitur pro actu vel habitu caritatis, 538 D, ejusque multiplex datur causa, 367 C. — Dilectio Trinitatis erga nos æterna est, 537 D, et dilectio Christi est animæ vita, 546 B'. — Quomodo proximus diligendus, 524 D, sicut dilexit nos Christus, 547 C, qui novum de hoc præceptum dedit, quo sensu, 524 C', ita ut per dilectionem discipuli ejus agnoscantur, quare, 525 B. — Ratio proximum diligendi est Deus, 525 A, 547 D, et qui unum hominem odit, nec Deum, nec aliquem alium, neque se ipsum diligit, 525 A'. — Quo sensu pro amicis animam ponere maxima sit dilectio, 547 D'. Quilibet tenetur plus diligere animam proximi quam propriam pellem, 464 A. — Dilectio excessiva rationem non sequitur, 603 B. Dilectionis signum est observatio præceptorum, 534 C, 537 C. — *Cf.* Amor, Caritas.

DILUVIUM universale inundationem vitiorum signat, 141 C.

DIONYSIUS (S.) Areopagita, « princeps theologorum », 294 D', « divinus », 67 B', 86 C', 244 C, etc., operationem Christi theandricam appellat, 542 A. — Ejus humilitas laudatur, 606 A. — Quid narraverit de eclipsi quæ accidit dum Christus pateretur, 244 C, de altari quod Athenis Deo ignoto erectum est, 244 C', et de propria conversione, 244 D'. — Quam amanter S. Joanni evangelistæ scripserit, 267 B'. — Allegantur ejus libri de Divinis nominibus, 37 D, 86 C', 108 D, Mysticæ theologiæ, 295 A, Ecclesiasticæ hierarchiæ, 116 A'; epistolæ ad Titum, 67 B', ad Polycarpum, 244 C, ad Dorotheum, 295 A, ad Caium monachum, 295 B. — Citatur etiam, 13 D', 274 B', 538 C, etc. — (Migne *Patrol. gr.* tom. 3 et 4.)

DIONYSIUS Cartusianus invehitur in pravos prælatos, 2 A', 3 A, 91 A', et in clericos qui patrimonio Crucifixi abutuntur, 59 C. — Quanta ejus humilitas, 268 B', 376 B'. — Ad memoriam revocat suos tractatus de Vita contemplativa et activa, 24 D', et contra Alcorani errores, 183 D.

DIPONDIUM duos asses valet, 53 A.

DISCIPULI Christi, quomodo designati, 1 A, quare septuaginta duo fuerint, 1 B, et bini missi, 1 A', 207 D'. — Qui eos non receperunt magis quam Sodomitæ peccaverunt, qua ratione, 5 D. — Christum non elegerunt, sed illos Christus elegit, quo sensu, 549 C, quantum ipsos diligens, 514 C, usque in finem, 514 A'. — Quare Christi amici, 548 C', 549 A, et pueri dicantur, 613 C'. — Illos singulariter de evangelica lege Christus edocuit, 116 C, 548 C'. Ante Resurrectionem non intellexerunt Prophetarum eloquia, 321 B; perfecti non erant, 517 A', sed rudes, 526 D', et nimis simplices, 479 B', 480 B. Utrum tunc explicitam fidem habuerint de Trinitate, 526 D', et de Christi divinitate, 457 C. — Discipuli Christi, inter quos aliqui divites erant, 208 B', non omnes illum corporaliter sequebantur, 408 A'. — Primum animati ad moriendum cum magistro, postea fugerunt, 542 B'. — Quomodo illis apparuerit Christus post resurrectionem, 257 B; quare putaverint se spiritum videre, 257 B', et quantum deinde gavisi sint, 608 C. — Duo discipuli in castellum quod Emmaus dicitur euntes, quinam fuerint, 252 D', quomodo in alia effigie Christum viderint, 252 B', illum cognoverint in fractione panis, 255 D', et utrum antea in caritate fuerint, 256 B. — Quo sensu post Ascensionem discipuli

Digitized by Google

semper in templo fuerint, 260 D', 261 B. — Illorum pater erat Christus, 536 D, nec illos reliquit orphanos, 536 A'. — Die Pentecostes quænam dona acceperint, 258 C', 260 B, 292 B', et quomodo mutati sint, 553 D. Qualiter de Christo testimonium perhibuerint, 553 B'. — Discipuli Christi odio sunt omnibus hominibus, 191 A, quare, 191 D; nec inter illos annumeratur qui non omnibus renuntiat, quo sensu, 100 C', 101 A. — *Cf.* Apostoli.

DISCORDIA. Per illam res maximæ dilabuntur, 35 A'.

DISCRETIO, quæ per sal designatur, 101 D, est quadriga virtutum, quo sensu, 92 B'.

DISSIMILITUDO rancorem parit, 572 C'.

DIVITIÆ, quare mammona iniquitatis dicantur, 120 B', et quænam vitia foveant, 59 A', 120 C'. — Divitiis non serviunt justi, sed divitiæ illis serviunt, 124 A. — Veræ hominis divitiæ sunt virtutes, 60 C'.

Divites non raro citius moriuntur, quare, 57 D'. Quantus eorum timor, 58 D. Quam difficile sit illos intrare in regnum Dei, 151 A, et qualiter sæpius augeatur defuncti divitis damnatio, 60 A'. — Dives qui Lazarum mendicum suis canibus postposuit, 128 A, quare non nominetur, 127 A'. Putatur fuisse Nabal, 126 B'. Quare petierit ut fratres monerentur de inferni tormentis, 131 D'.

DOCTORES sua quærentes redarguuntur, 110 C. *Adde* Prædicator.

DOGMA. De Ecclesiasticis dogmatibus liber (Gennadii) allegatur, 125 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 58, col. 979.)

DOLOR per lacrimas mitigatur, 485 A. — Magnus dolor verba abrumpit, 485 C.

DOMINUS. Nemo servus potest duobus dominis servire, quo sensu, 122 C'. — Crudeles domini habere solent familiam sibi consimilem, 127 D'.

DONUM est datio irreddibilis, 122 C. — Omnia quæ habemus, dona Dei sunt, 117 B'. — Nescit dare qui dare tardat, 119 B. — Dona Spiritus Sancti, quæ per flumina aquæ vivæ designantur, 420 B, et quorum subjecta sunt ratio et voluntas, 317 A', quid efficiant in anima, 10 A, 36 D'. — Per donum sapientiæ humiles fiunt quasi Dei secretarii, 11 B', et dulcem gustum in contemplatione divinorum sortiuntur, 317 B'. — Fidem quomodo perficiant dona intellectus et sapientiæ, 135 D'.

DRACHMA designat hominem, 106 A, vel genus humanum, 106 A'. — Drachmas decem mna appendit, 161 A'. — Exponitur parabola mulieris decem drachmas habentis, 105 B'.

E

EBION hæresiarcha quomodo erraverit, 269 A, 287 B.

ECCLESIA, cujus caput est Christus, 542 C, vocatur sponsa et uxor Agni, 42 A, 316 B', nigra sed formosa, 46 D', regnum Dei, 28 A', 210 A, hortus Dei, 83 A', domus Dei, 109 C', Christi ovile, 20 B', vinea, 542 D', messis, 2 D, horreum, 2 A. — Designatur per Synagogam, 79 A', per Martham et Mariam, 25 D', per mulierem fortem, 42 A, per agrum, 142 B'; per granum sinapis, 82 D', in arborem magnam factum, 83 C. — Meritum passionis Christi est Ecclesiæ thesaurus, 204 A. — Ecclesiæ catholicæ diffusio quomodo prædicta sit, 259 C. — Quomodo una sit, 467 A, in qua boni malis commiscentur, sed finaliter separabuntur, 435 B'. — Quinam sint ejus duo gladii, 218 D. — Ecclesiæ Romanæ fides nunquam deficiet, 216 B'. — Quotidie Ecclesiam suam Christus visitat, quo sensu, 322 A'. — Propter ruinam ecclesiastici status, perfecti intimo afficiuntur dolore, 85 D. Redarguuntur qui magis respiciunt ad Ecclesiæ ornatum corporalem quam spiritualem, 188 A. — Quomodo tristitiam habeat Ecclesia quum parit, 560 A', et postea gaudeat, 560 B'. — Ecclesia triumphans, in qua mansiones multæ sunt, 527 B, quomodo Christo conjungatur, 67 A.

Ecclesiam primo intremus, quando aliquam civitatem ingredimur, 169 B'. — Quantum peccent qui prava intentione veniunt in illam, 170 A', in qua sæculares actus non debent exerceri, 169 D', 323 A'. — Liber de Ecclesiasticis dogmatibus citatur, 125 C.

ECLIPSIS, quæ accidit dum Christus pateretur, quomodo facta sit, 244 B, multiplici miraculo, 244 C, et visa etiam in Ægypto et apud Athenas, 244 C'.

ELECTI, per oves designati, 460 A, 465 C', 466 B', etc., omnes sunt unum corpus et una civitas Christi, 48 A', ad quem quomodo veniant, 394 D', a Patre attracti, 396 C'. — Quomodo in Christo sint, et Christus in illis, 537 A. Qualiter illum cognoscant et ab illo cognoscantur, 465 C', 466 A, ejusque vocem audiant, 471 D. — De mundo non sunt, quo

Digitized by Google

sensu, 431 C, et illorum congregatio est templum Christi, 537 A. — Qualis sit illorum tristitia, 560 A, et quomodo in gaudium vertatur, 560 B. Illos ad coronam perducit tribulatio, 9 A, 613 B. — Nullus ex illis perire permittitur, 116 A, 395 D', 471 C', sed multi illorum ad tempus errant, 461 D. — Quo sensu aliqui interdum electi nominentur, 407 A'. — Quomodo electi venturi sint ab oriente, et occidente, et aquilone, et austro, 87 A', 88 A. — Perfectam integritatem in resurrectione consequentur, 436 D, et ad ordines angelorum assumentur, 183 A, 527 A'. — *Cf.* Prædestinatio.

ELECTIO prælati idonei, sed non melioris, utrum sufficiat in foro contentioso, et in foro conscientiæ, 616 B.

ELEEMOSYNA, jejunio præstantior, 45 C, non intentione laudis humanæ facienda, 42 C', quo sensu peccata remittat, 44 D', 45 A. — De superfluo eroganda, 45 C, 120 D', fieri potest de divitiis actu pravo sed non injusto acquisitis, 121 A.

ELIAS, quem multi Judæi opinati sunt esse Phinees, 297 D, vel Joannem Baptistam, quare, 297 B, quali contemplatione in paradiso terrestri fruatur, 18 C.

ELISEUS non semper propheticum spiritum habuit, 305 C'.

EMANATIO in divinis quid sit, 269 D'. *Cf.* Trinitas.

ENCÆNIA quid fuerint, 469 C, et quomodo mystice agenda, 470 A.

EPIPHANIUS (S.), Salaminius episcopus, citatur, 11 A. (Migne *Patrol. gr.* tom. 41-43.)

ESSÆI castam et sobriam vitam duxerunt, 299 C.

EUCHARISTIA, in qua non tantum signantur caro et sanguis Christi, 401 D', sed vere et substantialiter adsunt atque sumuntur, 210 A', 360 C', 402 A, quomodo instituta sit, 210 C, 399 D, et quibus de causis, 211 C, 400 D', 402 A', 403 C'. — Quare illam instituere ardentissime Christus desideraverit, 209 A. — In illa transsubstantiantur panis et vinum in corpus et sanguinem Christi, 365 A, et sub specie panis accipitur etiam sanguis, quomodo, 401 A'. — In illa quid sit sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum, 400 A'. — Quo sensu in ipsa corpus Christi sit per modum incorporalem, 404 C', et quænam quatuor sub utraque specie eucharistica inveniantur, 401 B'. — Sacerdotibus convenit Eucharistiam consecrare aliisque porrigere, 400 C', et in eorum manibus non minus splendet Christus quam in throno majestatis, 405 B. — Præstantior et efficacior quam manna, 403 A', fontem gratiæ continet, 211 A', 403 D; panis vivus est, 400 A, nunquam deficiens, 400 D, et spiritualis vitæ alimentum, 402 B. — Quantum sit Christi donum, 402 D', et quinam ejus effectus, 400 C, 401 D, B', 402 C, 403 D. Animam reficit, spiritualiterque saginat, 28 C', et per ejus oblationem ac sumptionem defunctis succurritur, 211 B'. — In ejus institutione cessaverunt legalia quoad obligationem, 209 D'. — Eucharistica communio, per esum agni paschalis designata, 207 D', 209 A', a jejunis accipienda est, 212 B, non sine debita præparatione, 212 A, 301 A'. — Quomodo Eucharistia manducetur sacramentaliter tantum, vel sacramentaliter et spiritualiter, 400 B', vel tantum spiritualiter, 400 C'; et quænam requirantur ad illam fructuose percipiendam, 401 A, 403 A, 407 C', 516 B. — Panem eucharisticum Christiani tanto ardentius cupiunt quanto sanctiores sunt, 387 D, et in primitiva Ecclesia quotidie accipiebant, 113 B'.

EUNOMIUS hæresiarcha quomodo erraverit, 176 C, 269 D, 287 A, 366 A, 568 B.

EUSEBIUS (in Catena Græcorum Patrum) citatur, 101 B'.

EUSTACHIUS (id est Eustratius, Nicæensis episcopus XII° sæculo, Aristotelis commentator), quomodo erraverit dicens ex hominibus prædestinatis decimum chorum constitui, 527 A'.

EUTYCHES hæresiarcha confutatur, 287 C.

EVANGELIUM, in quo loquitur ipsemet Deus incarnatus, 203 D, quomodo scribi decuerit, 293 C'. — Vix aliquid in illo continetur, quod non in veteri Testamento inveniatur prædictum, 379 B'. — Lex evangelica, quæ temporalia abjicere consulit, 150 B', quomodo Mosaicæ præstet, 293 D, et quare pejus sit Evangelio non credere quam olim Scripturis veteris Testamenti, 296 B. — Evangelium Nazaræorum inter falsa computatur, 316 C.

EXACTOR designat vel angelum bonum, 76 B', vel diabolum, 75 D'.

EXCESSUS. Per excessum loqui quandonam contingat, 620 A', et liceat, 620 B'.

EXCUSATIO propriorum vitiorum est effectus superbiæ, 95 A'.

Digitized by Google

EXORCISTÆ Judæorum dæmones expellebant per adjurationes a Salomone editas, 36 C.
EXSULTATIO quid sit, 10 D.
EZECHIEL in Chaldæa occisus est, 89 A.

F

FAMES quanta in obsidione Jerusalem acciderit, 168 C', 192 C'.
FATUUS. Sic aliquem vocare non semper prohibetur, 44 D.
FELICITAS in quo sistat, 562 D'. *Cf.* Beatitudo, Gaudium.
FEMINÆ minus peccant in eodem culpæ genere quam viri, quare, 424 B. — Illas discurrere non decet, 476 B'. — *Adde* Mulier.
FERMENTUM in bonam vel malam partem accipitur, 84 A', et designat sive fidem et caritatem, 50 C', sive hypocrisim, 50 B'. — Parabola fermenti exponitur, 83 C'.
FICULNEA signat Synagogam, 78 A, vel genus humanum, 79 B'. — Ficus primatum habet in fructibus, 78 A. — Elucidatur parabola ficulneæ in vinea plantatæ, 78 A.
FIDELIS dicitur palmes, arbor et oliva, 544 B'. — Quomodo fideles purget Deus, 543 C'. — Fideles gravius peccant quam infideles, 179 B, sed facilius resurgunt, quare, 178 C', 179 C.
FIDES concernit Deum sub ratione primæ veritatis, 281 A', 334 C, 511 D', 512 B, etc. — Quare augenda sit, 135 B', quod fit extensive vel intensive, 135 D', et quo sensu debeat esse sicut granum sinapis, 136 B. — Per illam triplex salus obtinetur, 155 A', primo conjungitur anima Christo, 334 B, et inchoatur in nobis cognitio patriæ, 284 C. — Utrum major sit fidei quam scientiæ certitudo, 355 D'. Quomodo fides probetur testimonio Filii Dei, 295 D', 344 D', et martyrum, 190 D, dispersione Judæorum, 193 A, et miraculis, 377 A, 446 C, 452 A'. — Fides non deneganda est, dum sufficientia signa veritatis apparent, 441 A. Jam vero doctrina Christi tam perfecta est ut absque miraculis fide sit digna, 532 D'. Nihil igitur detestabilius quam quod fidei dissonat christianæ, 573 B'. — Fidem esse veram gestis suis probare debent Christiani, 575 A. Fides formata quid sit, 331 A. Fidem informem quinam habeant, et quomodo pereant, 85 C', 576 B'. — Confessio fidei quando necessaria sit, 53 D', 511 A'. — Implicita fides de Christo quandonam et quomodo ad salutem sufficerit, 335 B'. Qualis fides in adultis requiratur, 344 D, 529 A', et in infantibus sufficiat, 344 A'. Baptismus non datur nisi fidem profitenti, quo sensu, 284 A. — Quomodo meritorius sit actus fidei, 611 A'. Interior fidei actus, quo sensu opus Dei dicatur, 393 C. Nullus ad fidem convertitur nisi cor ejus tangat Deus, 488 D'. — Qualiter fide illuminetur qui voluntatem Dei facit, 412 D. Fides, quæ perficitur dono intellectus et dono sapientiæ, 135 D', 406 B, quam potens exsistat, si consummata sit, 532 C'. — Mysteria fidei quomodo consideranda, 12 A'. — Fidei cognitionem quæ ad vitam æternam ordinatur, 612 A, excludit visio Dei per speciem, 396 B. — Nunquam deficiet Romanæ Ecclesiæ fides, 216 B', pro qua præliari et mori est pugna Dei, 190 A'. — Beati qui non viderunt et crediderunt, quo sensu, 611 D.
FILIATIO quo sensu in Deo inveniatur, 271 B. — Filiatio gratiæ adoptionis ad filiationem gloriæ ordinatur, 284 C.
FILIUS Dei est verus Deus, 271 A', ut probatur ex Scriptura, 272 C', et illi exhibendus est latriæ cultus, 370 B. — Quænam sint ei propria, quænam appropriata, 271 B', 274 A, 290 A. — Quomodo Patrem cognoscat, et a Patre cognoscatur, 466 B. — Quæcumque Pater fecerit, hæc et similiter facit, 366 C', 368 C', nec potest a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quo sensu, 366 A. — Quemadmodum Pater diligit Filium, sic Filius diligit nos, 546 D. — Filii missio alia est invisibilis, 377 B, alia visibilis, 377 C. — Quomodo Filium Pater clarificaverit, 504 B', 567 B, et Filius Patrem, 567 D. — *Cf.* Christus.
FINIS alius est intendentis, alius est operis, 42 A'. — Quonam fine opus efficiatur bonum, 42 B', 554 A'.
FLETUS qualis sit in inferno, 86 B'. — Post resurrectionem damnatorum, an fletus illorum futurus sit corporalis, 86 D'.
FORNICATIO corporalis est peccatum mortale, 108 C. — Fornicatio spiritualis quid sit, 108 C.
FRAGMENTA panum a Christo multiplicatorum, quare collecta fuerint, 385 A, et quid designent, 385 C.
FRATERNITAS naturalis gratia perficitur, 308 A.
FRATRES Christi, quinam vocentur, 317 C', 408 C. — Sæpissime Scriptura fratres nominat homines ejusdem genealogiæ, 317 D'.

Digitized by Google

FRUCTUS. Qui manet in Christo, hic fert fructum multum, quo sensu, 545 A. — Quomodo fructum afferant Christi discipuli, 549 B'.
FULGUR quid designet, 8 A. — Christus judex adveniet sicut fulgur, quo sensu, 140 A'.
FUR signat vel diabolum, vel mortem, aut adventum Christi judicis, 68 B'.

G

GALILÆA, quæ interpretatur transmigratio, contemplativam vitam exprimit, 137 B'. — Ex illa quinam prophetæ orti sint, 422 D'. — Illam ingressis post Resurrectionem discipulis, 612 C, quomodo Christus apparuerit, 612 D. — Galilæi quos occidit Pilatus sequebantur doctrinam Judæ Galilæi, 77 A.
GAUDIUM quid sit, 608 B. — Finis nostræ creationis est gaudium plenum, 547 C, quod in cœlo invenitur, quo sensu, 562 C'. — Gaudium Christi quomodo sit in ejus discipulis, 546 D', et qualiter consummetur, 547 B, 561 A, 562 B'. — *Cf.* Beatitudo, Felicitas.
GAZOPHYLACIUM quid sit, 430 A, et quotuplex in Jerusalem fuerit, 186 D'. — Mystice est anima nostra, quo sensu, 187 B.
GELASIUS (S.) Papa reprobavit librum de Infantia Salvatoris, 316 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 59, col. 162.)
GENERATIO quid sit, 271 A. — Qualis inveniatur in divinis, 270 A, 271 B, et quomodo in V. T. describatur, 271 C'.
GENESAR est nomen sive civitatis sive regionis, 390 C.
GENESARETH. Stagnum Genesareth vocatur etiam mare Tiberiadis et mare Galilææ, 612 B.
GENTES mundi quosnam designent, 64 A'.
GENTILES Judæis fuerunt insipientiores, 107 C. — Inter illos multi noverunt esse unum Deum altissimum, 235 B, sed pauci legem naturalem conservasse leguntur, 107 D'. — Ex diversis mundi partibus in Jerusalem confluxerunt tempore festivitatis Paschalis, 500 C.
GLADIUS. Quare Apostolis Christus præceperit gladium emere, 217 D', et quo sensu duos gladios sufficere dixerit, 218 C. — Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, quomodo, 225 A.
GLORIA quotuplex sit, 288 A. — Quo sensu gloriam Verbi incarnati viderint Apostoli, 288 B. — Vana gloria reprobatur, 380 C'. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, 412 C', et Deo subripit quod ejus est, 413 A. Gloriam hominum magis diligere quam Dei gloriam, quale sit peccatum, 511 B.
GLOSSA ordinaria (Walafridi Strabi) passim allegatur, 40 D', 54 C, 55 D', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113 et 114.)
GORRA (Nicolaus de), Ord. Præd. theologus XIII° sæculo, « doctissimus », 188 B', citatur, 3 A', 30 C, 35 D, 122 D, etc.
GRABATUM, mystice est delectatio peccati, 363 C.
GRÆCI quomodo errent circa diem mortis Christi, 584 B.
GRATIA gratum faciens, quæ vita animæ dicitur, 483 A', quid sit, 199 B', et quinam ejus effectus, 387 B'. — Necessaria est gratia ad beatitudinem promerendam, 544 A', et sine præviis meritis datur, quo sensu, 292 C', 549 D, interdum etiam non petita, 80 D. Primam gratiam gratificantem nemo potest mereri, 291 D', sed facienti quod in se est Deus gratiam infundit, 111 B', et homo in gratia exsistens, de condigno vitam æternam meretur, 300 D'. — Gratia, quæ duplici sensu plena dicitur, 289 B', quomodo augeatur, 164 C, ab uno auferatur et alteri detur, 164 D. — Gratiam non dedit lex Mosaica, sed lex evangelica, 293 D. — Qualis fuerit in Christo gratia unionis, 289 A, gratia habitualis, 289 B, et gratia capitis, 289 D. — Quo sensu gratiam pro gratia, 292 A, et de plenitudine gratiæ Christi accipiamus, 292 D. — Gratia est inchoatio gloriæ, et virtualiter illam continet, 348 D', unde aqua viva dicitur, 348 A, et fons aquæ salientis in vitam æternam, 349 C, ita ut non sitiat in æternum qui ex illa biberit, quo sensu, 348 C'. — Gratiæ gratis datæ bonis et malis communes sunt, 9 B.
GREGORIUS (S.), Nyssenus episcopus, citatur, 32 C, 94 B, 111 D'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 44-46.)
GREGORIUS (S.) Papa sæpissime citatur, 2 B, 8 A, 12 B', etc. — Allegantur ejus Moralia super Job, 60 B, 253 A, et Pastorale, 465 C. — (Migne *Patrol. lat.* tom. 75-79.)
GULA, quam cæca, 59 B', et funesta, 195 D. Quot modis gula peccetur, 64 B, 127 B. — Ex illa procedit luxuria cum aliis malis, 127 C, 195 A'. — Quam reprehensibilis in his qui de Crucifixi patrimonio sustentantur, 127 C. — Gulosi propriam vitam abbreviant, 127 A'. — *Cf.* Cibus, Potus.

Digitized by Google

H

HÆRESES esse oportet, quo sensu, 133D.
HASSIA (Henricus de), Cartusianus, citatur, 30C.
HEBRON, quare Cariatharbe vocata sit, 237C'.
HELIOPOLIS, urbs Ægypti, in qua S. Dionysius Areopagita vidit eclipsim quæ accidit dum Christus pateretur, 244C.
HELVIDIUS hæresiarcha «infelicissimus» confutatur, 317C'.
HERMES Trismegistus scripsit librum de Verbo perfecto, 279B. — Utrum Dei Verbum cognoverit, 278C, 279B, 280B.
HERODES Antipas, qui Judæus fuit religione et natu, 232B, cur voluerit Christum occidere, 88A', et vulpi assimiletur, 88B'. — Quare ad illum a Pilato missus sit Jesus, 232A, quo viso Herodes gavisus est, 232C, sed tacentem sprevit, quomodo, 232C', et remisit ad Pilatum, 233A. Cum Pilato cur se reconciliaverit, 233B.
HIERONYMUS (S.) sæpius citatur, 14B', 34D, 35A', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 22-30.)
HILARIUS (S.), Pictaviensis episcopus, allegatur, 3A', 155B', 269A', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 9 et 10.)
HISTORIA scholastica (Petri Comestoris) citatur, 358C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198.)
HOMICIDA est non tantum qui corpus, sed magis qui animam occidit, 439A. — Homicidium toties committimus quoties mortaliter peccamus, 439B. — Lucifer ab initio homicida fuit, quo sensu, 438D'.
HOMO est animal communicativum, 17A'. — Per animam vivificatur et a brutis distinguitur, 439B. Quare caput habeat erectum, 80B. — Non potest, nisi Deo revelante, singulas singulorum cogitationes certo intueri, 35D. — Duplex est ejus voluntas, superior nempe, 374C', et inferior, 375A. — Dupliciter de illo loquitur Scriptura, 191B, interdum in vitium ejus nomen accipiens, 57C. — Bona hominis secundum quod homo est, sunt bona spiritualia, 58C', 122B, et veræ ejus divitiæ sunt virtutes, 60C'. Per libertatem arbitrii potest mala vitare, 75D'; sed quanta ejus fragilitas, 212B'; proclivior est enim ad mala quam ad bona, 120B. Homo bonus malum, et malus bonum facere nequit, quo sensu, 409C'. — Hominem occidere publica non privata auctoritate fas est, 149C'. — Juxta Aristotelem, homo solus est deus vel bestia, quomodo, 474A'. — Per drachmam designatus, 106A, numisma Dei est homo summæ Trinitatis insignitus imagine, 181B', et mirabiliter restauratus, 106B'. Quisnam sit ejus finis ultimus, 325D, et quomodo ad illum attingendum renasci debeat, 325A'. — Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum, quo sensu, 124D. — De humani generis origine et fine quid doceat Scriptura, 198B et seq.; quare illi necessarius fuerit salvator ac mediator, 199C, qui non pura esset creatura, 199D. Quomodo genus humanum, a cæco curato figuratum, 156B, salvet Christus, 160A, et sublimet per Incarnationem, 286B, in qua nuptiæ Verbi cum natura humana celebratæ sunt, 316A'. — Homines ad angelorum ordines assumi possunt, 118C', et assumentur, si sint electi, 527A'. — Natura humana perfecte reformabitur, quo sensu, 436C. — *Cf.* Anima.
HONOR sequitur fugientem, 148D.
HORA quælibet suum habet opus atque propositum, 478B'. — Horam mortis et judicii quare Dominus voluerit nos latere, 69B. — Hora Christi quid sit, 313D', 417D, 430A', et quo sensu falso ab hæreticis intellecta sit, 417A'. — Non interrumpenda est oratio illorum qui Horas persolvunt, 26B'.
HORTUS Gethsemani erat ad radices montis Olivarum, 577D'. Quare in illum Christus venerit, 578A. — Hortus deliciosus sit cor nostrum, quo sensu, 578A.
HOSPITALITAS tanquam magna virtus laudatur, 255A', sed discreta esse debet, 24B.
HUGO (de S. Victore), canonicus regularis, citatur, 390C'. — Allegantur ejus libri de Tribus diebus, 63A', et de Sacramentis, 200D'. — (Migne *Patrol. lat.* tom. 175-177.)
HUMILITAS est virtutum vehiculum, 92B', et fundamentum, 145C', signumque veræ sapientiæ, 213D'. — Per illam honor acquiritur, 92B, et gloria apud Deum, 301D, ad cujus charismata suscipienda mentem disponit, 11A', 12C, 328B, 422C. — De sua humilitate ne quis glorietur, 92C'. — Accusatio sui ipsius est humilitatis effectus, 95A'. — Humilitas in prælatis qualis esse debeat, 213C', 214B. — Omnis qui se exaltat humiliabitur, 147D', et qui se humiliat exaltabitur, 148A.
HYDRIA mystice quid sit, 353B. — Hydriæ sex in Cana impletæ quantum ceperint, 314B', et quid significaverint, 317D.

Digitized by Google

HYDROPISIS quid sit, 90B', et qualiter septem peccata mortalia figuret, 90C'.
HYPERBOLICE quandonam loqui contingat, 620A', et quomodo liceat, 620B'.
HYPOCRISIS, per fermentum designata, 50B', quantum sit vitanda, 50D. — Vilissimum crimen, 46B', in philosophia morali habetur ut sophisma in philosophia rationali, 47A. — Quomodo loquantur hypocritæ, 180A', 424B.

I

IDEA in Deo quid sit, 275B', 276A, et quomodo in illo sint multæ atque distinctæ ideæ, 275C'.
IDOLOLATRIA, quæ dicitur fornicatio spiritualis, 108C, post diluvium cœpit, 107B, et in toto pene mundo prævaluit ante Christum, 37D, qui regnum diaboli dissipavit idololatriam destruendo, 413B'. — Multi idololatræ cognoverunt esse unum summum Deum, 590B.
IGNIS designat caritatem, vel evangelicam doctrinam, seu legem N. T., 73B. — Igne corporeo qualiter incorporei spiritus affligantur, 130A.
IGNORANTIA est facti vel juris, 72A, 458A', vincibilis vel invincibilis, 72A. — Quænam ignorantia a peccato excuset, 458A'. — Ignorantia incredulitatis aliquo modo culpam alleviat, 179B, non autem ignorantia affectata, 551A', 554C'.
IMPATIENTIA, quæ est privati amoris signum, 191D', quam nociva, 191B', et reprobanda, 580A. — Impatientes laborant morbo qui dicitur : Noli me tangere, 414B.
IMPERFECTI multa venialia in secreto faciunt, 336D', et propter opera bona derideri formidant, 337B'.
IMPII sunt vasa diaboli, 99B'. — Aliqui impii naturalem Dei dilectionem habent, 380C. — Impii pœnitentes frequenter in bono fervent, 105B. — Quo sensu impius « filius Dei » vocetur, 107B.
INCARNATIO Verbi quomodo facta sit, 285A, et quare, 285C', 303B. — Excedit intellectum angelorum, 301C'. — Manifestat Dei bonitatem, dilectionem, 202C', misericordiam, omnipotentiam, 202D', justitiam, 203A, et sapientiam, 203B. — Quo sensu necessaria fuerit, 203C, et qualiter humanum genus glorificet, 286B, fidem, spem et caritatem accendat, 203D, 286C. — *Cf.* Christus, Verbum.
INDULGENTIÆ ex thesauro Ecclesiæ conceduntur, 204A.
INFANTIA. Liber de Infantia Salvatoris reprobatur in decreto Gelasii Papæ, 316C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 59, col. 162.)
INFERNUS. De pœnis ejus reprobus non eruetur, 76A. — Ibi qualis sit fletus et stridor dentium, 86B'. — *Cf.* Damnati, Reprobi.
INFIDELITAS est culpa gravissima, 179C.
INIQUITAS duplex est simulata æquitas, 124B'. — Iniqui quo sensu in diabolo mala videant, 437B.
INJURIA quomodo dimittenda, 29A', 134C', etiam non pœnitenti, 134D'.
INNOCENTIA majus est Dei donum quam pœnitentia, 105A. — Innocens non est interficiendus timore humani periculi, 490A'.
INTELLECTUS, qui reflectitur super proprium actum, 344B', ipsam voluntatem dirigere debet, 42C'. — Donum intellectus quomodo fidem perficiat, 135D', 406B, 412D. — Beatitudo in actu intellectus essentialiter ac directe consistit, 568D.
INTENTIO, per oculum designata, 42B, duplex est, 42D, et speciem operi imprimit, 42C. — Ex intentione bona bonitatem non sortiuntur opera intrinsece mala, 42A'. — Prava intentio si præcedat, sequitur opus vitiosum, quamvis foris bonum appareat, 42C'.
INTERROGATIO quotuplici de causa fiat, 155B.
INVIDIA quid sit, 204C'. — Mentem excæcat, 171B, 422A, non quiescit, 453B', et rationabiliter convicta acrius malignatur, 184D'. — Invidi omnia in pejus interpretantur, 430C'.
INVITATIONES ad convivia ex novem causis procedunt, 93C'.
IRA per zelum quid sit, 96B'.
ISAAC, qui Christum figuravit, 238C, quare cum Abraham et Jacob specialiter inter Patriarchas nominetur, 87C.
ISAIAS, evangelista potius quam propheta dicendus, 14B', clarissime prædixit Christi passionem, 153A', ejusque fructum, 502A, necnon Judæorum incredulitatem, 509C. — Quo sensu Deum viderit, 378D, 510B', et Christum, 14C', quem Nazaræum vocat, 310A. — Serra divisus occubuit, 89C, a Judæis interfectus, 175B'.
ISIDORUS (S.), Hispalensis episcopus, citatur, 314C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 82, col. 594.)
ISRAEL interpretatur vir videns Deum, 310D. — Alii sunt filii Israel per carnem, alii per fidem, 310B'.

Digitized by Google

J

JACOB quare cum Abraham et Isaac specialiter inter Patriarchas nominetur, 87 C. — Non vidit Deum in propria persona, sed per angelum, 294 B, 378 D.

JACOBUS (S.) Minor simillimus Christo fuit corporis dispositione, 223 C'. — Quandonam post resurrectionem illum viderit, 257 B'.

JEJUNIUM aliud est ventris, aliud mentis, 147 C.

JEREMIAS in Ægypto occisus est, 89 A, a Judæis, 175 B'.

JERICHO qualiter interpretetur, 18 A'. 156 A, 157 B, et quomodo prope illam civitatem Bartimæus cæcus curatus sit, 154 C, 155 C'.

JERUSALEM, quam Salomon Jerosolymam appellavit, 469 C, interpretatur visio pacis, et signat cœlum, paradisum terrestrem, ac pacem animæ, 18 C, 137 B'. — Quo sensu castellum dicatur, 165 C', et extra illam non perierit Propheta, 89 A. — Filii ejus quomodo ante Christi adventum ad fidem vocati sint, 89 D, et quare in illa, post Passionem, inchoata sit evangelica prædicatio, 259 B'. — Quomodo Prophetæ ruinam illius prænuntiaverint, 192 D, et quænam signa hanc cladem præcesserint, 189 B. — Anno quadragesimo secundo post Christi mortem, 237 B, per Romanos vallo circumdata, 168 B', extremam angustiam qualiter passa sit, 168 C', 192 C', 237 B, in ultionem sanguinis Domini, 192 D. — Quo sensu, non relicto in illa lapide super lapidem, 168 D', calcanda sit a gentibus, donec impleantur tempora nationum, 193 C.

JESUS. Illum nemo nominare potest nisi in Spiritu Sancto, quo sensu, 197 C'. *Vide* Christus.

JOACHIM abbas quomodo erraverit, 139 B', 571 B'.

JOANNA vel Joannes, pater S. Petri apostoli, 308 D.

JOANNES (S.) apostolus, cujus nomen interpretatur gratia Dei, 602 C, « evangelista aquilinus ac deificatus, 293 D', seu deiformis », 266, virgo fuit, 317 D', nepos B. V. Mariæ, 312 C', pulcher ac nobilis prosapiæ, 226 A'. — Piscator usque ad annum circiter trigesimum primum, 268 D', utrum sponsus fuerit in Cana Galilææ, 312 C'. — An cum Andrea primo ad Jesum venerit, 307 B'. — Quomodo a Christo præ ceteris dilectus, 265, 267 A, 521 B', et quare hoc privilegium toties commemoret, 618 D'. — Qualiter super pectus Jesu in Cœna recubuerit, 521 A', et cur per illum de proditore Petrus interrogaverit, 521 D'. — Quomodo Jesum vinctum secutus sit, 226 D, 580 D'. — Pontifici quare notus fuerit, 226 A', 581 B. — Quanto honore Mariam pro matre acceperit, 595 B. — Quanta ejus cum S. Petro conjunctio, 600 B, et qualiter ambo ad Christi sepulcrum cucurrerint, 600 B'. Synagogam tunc designans, 601 D', quo sensu crediderit postquam linteamina vidit, 601 C. — Qualiter primus Jesum agnoverit post miraculosam piscationem, 614 B. — Quo sensu de illo Christus dixerit : Sic eum volo manere donec veniam, 619 A. — Quid Joannes egerit post Ascensionem, 267 A', 268 A'. — Convertit Cratonem philosophum, 150 A'. — In Apocalypsi describit totum processum militantis Ecclesiæ, 272 C, 558 D. — Quando et qua occasione Evangelium scripserit, 268 B, 620 A, ad divinitatem Christi probandam, 611 D'. — Quo sensu in sinu Jesu reclinans doctrinam suam acceperit, 267 B, qui per aquilam designatus est, quare, 268 A, et vitam contemplativam figuravit, 207 D'. — Scripsit quæ audivit et vidit, quo sensu, 620 A, quale testimonium perhibens de his quæ ad evangelicam pertinent legem, 619 D'. Verba ejus simplicissima sunt et profundissima, quare, 293 C'. Quo sensu ejus doctrina præferenda sit aliis Scripturæ documentis, 266, 267 B'. — Utrum principium Evangelii secundum Joannem inveniatur in libris Platonicorum, 280 A. — Vestes Joannis resurrectionis instrumenta fuerunt, 386 C'. — Imminente ejus obitu venit ad eum Jesus cum Apostolis, 619 C'. — Utrum vere mortuus sit, 619 B', vel cum Elia et Enoch in paradisum terrestrem translatus, 619 C. — An in anima et corpore sit in cœlo glorificatus, 619 B'. — Allegatur ejus Vita, 150 D, 619 C'.

JOANNES (S.) Baptista, Salvatoris præcursor, 297 A, « Veritatis præco, amicus et paranymphus », 296 D', 301 A', 340 D', 341 B, « constantissimus zelator justitiæ », 173 A', consanguineus Domini, 301 A', de tribu sacerdotali fuit; an etiam de tribu regali oriundus, 296 C'. — Missus est a Deo, quando, quomodo, 281 B, et quare, 282 A. — Cur Joannes vocatus, 281 C, dicatur angelus, 281 C, vox Christi, 298 C', lucerna ardens et lucens, 376 C, horizon veteris et evangelicæ legis, 125 D,

Digitized by Google

298 C. — Quodnam fuerit proprium ejus officium, 298 D, 305 B, et ad quid prædicaverit, 125 C. Non erat lux principalis sed instrumentalis, 281 B'. — Quum nullus ante illum ausus esset baptizare, 299 D', quomodo baptizando ad suscipiendum Christi Baptismum homines disposuerit, 300 B'; et quænam fuerit forma ejus baptismi, 281 D', qui gratiam non conferebat, 173 B, 299 D'. Communis populus pro maxima parte ab illo baptizatus est, 173 D, ipsumque tanquam prophetam venerabatur, quare, 173 D. — Quid de illo cogitaverint principes sacerdotum et Scribæ, 173 C'. Quare illum esse Christum opinati sint Judæi, 296 C', aut Eliam, 297 C; et quo sensu Elias dici possit, 297 A', etsi negaverit se esse prophetam, 298 B. — Quanta ejus humilitas, 301 D, et perfectio, 306 D. Nullum fecit miraculum, quare, 475 A', sed tota ejus conversatio mirabilis supernaturalisque fuit, 475 D'. — Quo sensu Jesum aliquando nescierit, 304 A. — Quomodo ad litteram, 301 A, et mystice non fuerit dignus solvere corrigiam calceamenti Christi, 301 B', de quo dixit : Illum oportet crescere, me autem minui, quo sensu, 341 C'. — In Christi amore ardentissimus fuit, 340 D', ejus verbis maxime delectatus, 341 A, et tamen illum nunquam corporaliter secutus est, quare, 341 B, 556 A. — Aliqui ex ejus discipulis Salvatori invidebant, 339 B'. — Juxta multos, ejus decollationem suggerentibus annumerandi sunt etiam Judæi, 376 C'.

JOB quomodo secundum Christi adventum prophetaverit, 372 B'.

JONAS quomodo Christum figuraverit, 40 A', et quot diebus in Ninive prædicaverit, 41 B.

JOSAPHAT interpretatur judicium, 139 D'. — Utrum in valle sic dicta peragendum sit universale judicium, 139 C'.

JOSEPH, filius patriarchæ Jacob, Christi figura fuit, 72 B'.

JOSEPH (S.), sponsus B. V. Mariæ, virgo permansisse creditur, 317 D', 408 C. — Quandonam obierit, 595 C.

JOSEPH, ab Arimathea oriundus, 248 C, 597 D', quo sensu decurio fuerit, 248 C, 598 B. — Quomodo corpus Jesu a Pilato concessum, 248 B', 598 B, juvante Nicodemo sepelierit, 248 D', 598 C, non adhuc perfectus discipulus, 597 D', nec plenam de Christi resurrectione fidem habens, 598 D, sed devote ac reverenter agens, 598 C'.

JOSEPHUS (Flavius) historiographus citatur, 188 D, 189 B, 237 C, etc. — Allegatur ejus opus de Bello Judaico, 168 C'.

JOSUE. Illo jubente, sol et luna immobiles steterunt spatio unius diei, 35 B.

JUDÆA, a tribu Juda nominata, 345 C', ante tribuum divisionem, pro tota terra promissionis accipiebatur, 345 C', deinde pro parte ejusdem, 345 B', videlicet pro tribubus Juda et Benjamin, 407 D'.

JUDÆI, qui fuerunt peculiaris populus Dei, 114 A', a quo acceperunt dona gratiæ ac legem scriptam, 107 D', gentiles multum spernebant, 419 D, 438 B', et detestabilius reputabant illos accedere quam peccatores, 159 C'. — Solebant signa quærere, 35 B, paupertatem non mediocriter abhorrere, 150 D', se ipsos et utensilia sua frequenter lavare, 314 A', sumptuosissimas sepulturas facere, quare, 486 C', 598 A', ab Aprili menses incipere, 513 C', hebdomadam « sabbatum » vocare, 147 C, a vespera in vesperam solennia celebrare, 249 B, et unum ex vinctis in festo paschali dimittere, qua ratione, 233 A', 587 D. — Quandonam Jerusalem ascendere debuerint, 318 C, 356 C', 361 D. — Uxorem fratris sui defuncti Judæus accipere tenebatur, quare, 182 B, et mystice quid per illud præceptum significetur, 182 C. — Trinitatem non omnes cognoverunt fide explicita, 416 D', 429 C', 430 A, 444 D, etc., sed tantum Prophetæ et aliqui eruditiores in lege, 576 B'. — Utrum putaverint solvendum esse Cæsari tributum, 180 B', et illis Romani judicium sanguinis abstulerint, 584 B'. — Multi illorum per proximum non intelligebant nisi Judæum, 17 D', et animas transcorporari opinabantur, 297 D. — Prophetas quomodo persecuti sint, 175 B'. — Populus Judaicus designatur per hominem a quo exiit et in quem rediit spiritus immundus, 38 A'.

Ante Christum pauci illorum Domino servierunt, quo sensu, 78 B', 89 A'; tempore autem Salvatoris, paucissimi inter illos virtuosi erant, 78 D. — Quomodo Christum exspectaverint, 352 A', ex semine David nasciturum, 154 B', et quid de illo venturo senserint, 352 B', 415 D'. Ipsum in primo suo adventu putabant temporaliter regnaturum, 113 D', 160 A', 380 D', etc. — Quinam inter eos Jesum cognoverint esse Christum, 176 A', 239 C', 416 D. Paucissimi eorum in ipsum

Digitized by Google

crediderunt, comparatione incredulorum, 283 A', 328 C', 551 C, quare, 380 D', 438 D, 442 D. — Judæi qui Christum regem facere voluerunt, quomodo illud consilium conceperint, 389 A, et quare, 389 D, 392 D. Judæi Christo infensi, quo sensu ex patre diabolo fuerint, 438 B'. Quandonam Jesum quæsierint et non invenerint, 418 C'. Cur illum odio habuerint, 161 C', 410 C, 552 D. — Invidia excæcati, 169 B, 589 D', ignorantia affectata tenebantur, 551 A', 554 C', nec excusationem habent de infidelitate sua, 551 C', quæ a Prophetis prænuntiata fuerat, 509 B. Quo sensu Deus excæcaverit et induraverit cor illorum, 510 B. — Quam enormiter in Christum peccaverint, 235 D', cui latronem præposuerunt, 587 D'; quare Jesum crucifigi petierint, 236 B, et quanta insania crucifixum deriserint, 240 C'. Quanto callidius famam ejus exstinguere cogitaverunt, tanto plus eum glorificaverunt, 249 D'. — Quomodo post Christi mortem ad illum plures conversi sint, 491 A'; et quo sensu multi ex principibus illorum crediderint, 510 D', qui utrum peccaverint fidem suam non confitendo, 511 D. — De gentilium conversione indignati sunt, 114 D'. — Quare, quadragesimo secundo anno post Christi passionem, 79 D, 188 B, 192 B, pro maxima parte interfecti sint, 77 D, 89 C', 165 A, 192 D', a Romanis occisi, vel fame interempti, vel venditi, 192 D', triginta pro uno denario, 193 A. Tunc multi illorum ad cavernas confugerunt, 237 C. Hanc desolationem a Prophetis prænuntiatam, 192 D, utrum Judæi propter occisionem Christi fieri noverint, 418 D'. — Quo sensu et quare dispersi sint per omnia mundi regna, 193 A. — Quomodo nunc peccent, 39 B. — Circa felicitatem errant, quomodo, 568 B', nec secundum veritatem Moysi, 381 D, aut Prophetis credunt, 509 A'. — Primo et maxime Antichristo adhærebunt, 380 A', donec generaliter ad Christum convertantur, 193 C, per prædicationem Eliæ, 161 B, et Enoch, 380 A'.

JUDÆI auctores : Josephus (Flavius) historiographus citatur, 168 C', 188 D, 189 B, etc. — Rabbi Moyses vel Moyses Ægyptius (Maimonides) allegatur, 272 C', 275 A.

JUDAS (S.) apostolus, frater Jacobi Minoris, Christi consanguineus, auctor est ultimæ Epistolæ canonicæ, 538 A. — Quomodo intelligendum quod in novissima Cœna dixit, 538 B.

JUDAS Galilæus quid docuerit, 77 A.

JUDAS Iscariotes, quare sic vocatus, 206 B', 406 D, et filius perditionis dictus, 572 A. — Cur ad apostolatum electus sit, 406 A', utrum bonus tempore vocationis suæ, 407 C, 495 A'. — Qua de causa officium procuratoris Christus illi commiserit, 495 D. — Fur erat, quo sensu, 495 A'. — De illo Psalmus CVIII scriptus est, 572 A'. — Quanta ejus ingratitudo et duritia, 522 D. Quomodo Christum vendiderit, 207 C, triginta argenteis, quorum quisnam fuerit valor, 207 D. — Eucharistiam in Cœna accepit, 519 A', non sub panis intincti specie, 522 A. Quomodo introierit in eum diabolus, 206 C', post buccellam, 522 B. — Etsi a Christo admonitus, 212 C, 223 D', non correctus est, 212 C', 224 D. — Quanta stipatus turba, 223 D, 578 D, ad Jesum accesserit ut oscularetur eum, quibus de causis, 223 B'. — Quinam illum imitentur, 207 B'.

JUDEX, sic vocatus quasi jus dicens, qualis esse debeat, 144 C, 591 A, potissimum erga personas miserabiles, 144 A'. — Non sit acceptor personarum, 180 C, 415 A, et tantum zelo justitiæ reos puniat, 180 D.

JUDICIUM cum caritate jungendum est, quare, 45 A'. — Quatuor in judicio considerantur, 369 B'. — Quænam requirantur ad rectum judicium, 414 D', 422 A', 424 A'. — Judicia humana sunt imperfecta, 77 B. — Judicium temerarium vitandum est, 147 A, 158 D'. — Judicium Dei est summe perfectum, 77 B. — Judicium aliud est discretionis, 334 D', aliud remunerationis et condemnationis, 335 A. — Nunc judicium est mundi, quo sensu, 506 B. — Judicii divini quantus rigor, 132 A', 557 D.

Judicium generale et particulare distinguuntur, 21 D, 54 D, 67 A, etc. Utriusque hora præsciri nequit sine revelatione, 139 A'. — Dies judicii quare novissimus dicatur, 396 A. Subito veniet, 195 D', non tamen sine præviis signis, 193 D, et judicium ultimum celerrime fiet ac finietur, 140 B'. Tunc separabuntur electi a reprobis, 71 C, cogitationes cordis aperientur, 51 A, virtutes bonorum et vitia impiorum detegentur, 51 D. — An vocali locutione vel mentali dumtaxat peragendum sit judicium, incertum est, 432 A. — Qui non credit, jam judicatus est, quo sensu, 335 C.

JULIANUS apostata confutatur, 309 A.

Digitized by Google

JUSTITIA est res audax, fiducialis et victoriosa, 337 C'. — Justitia originalis in quo sistat, 198 B'.

JUSTUS. Anima ejus est sedes sapientiæ, 537 A. — Justi quomodo Deum vivendo et moriendo clarificent, 618 C. — Illorum mors quare somnus dicatur, 479 C. — *Cf.* Sancti.

L

LACRIMÆ. Quare per illarum effusionem dolor mitigetur, 485 A.

LACTANTIUS circa generale judicium erravit, 140 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 6, col. 798 et 813.)

LAMECH occidit Cain, putans illum bestiam esse, 72 A.

LANGUIDUS, propter peccata sua flagellatus, 364 D, apud piscinam Probaticam quomodo curatus sit, 362 B', 363 A. — Quare Jesum Judæis indicaverit, 364 D. — Figurat pigrum, 363 B, quomodo sanandum, 363 C.

LAPIS quare vocetur Christus, 178 B', et quo sensu super illum cadant fideles qui peccant, 178 C', ipse vero cadat super infideles mortaliter delinquentes, 179 A.

LATRIA quid sit, 370 D.

LATRONES. Per illos designantur dæmones, 18 B'. — Quare Christus cum duobus latronibus ad mortem ductus sit, 237 A', et inter illos crucifixus, 238 C'. Utrum ambo Salvatori exprobraverint, 242 C', et quomodo unus ex illis conversus sit, 243 C, absolutus a pœna et culpa, 243 A', ita ut ejus defuncti anima statim beatificam visionem fuerit adepta, 243 B'.

LAURENTIUS (S.) martyr quid Decio dixerit de facultatibus Ecclesiæ, 65 D'.

LAUS debetur virtuti, non vitio, 119 A'.

LAZARUS, cujus nomen interpretatur adjutus a Domino, 494 C', a Bethania oriundus, 476 A, Christi discipulus, 476 C', fuit vir nobilis et miles, de regia stirpe, 205 A. — Infirmitas ejus non fuit ad mortem, quo sensu, 477 B. — Quam blande ipsius curatio a Maria et Martha postulata sit, 476 A', quæ tamen non perfectæ fuerunt in fide, 477 A. — Ejus sepulcrum quale fuerit, 486 C'. — Quanto miraculo suscitatus sit, 204 D', 477 D, 488 D', et quot diebus ante Passionem, 205 C, 489 C, 493 D. — In quo ejus suscitatio mirabilior fuerit ac famosior quam aliæ suscitationes a Christo peractæ, 477 B'. — Legitur Lazarum redivivum nunquam risisse, 496 D. — Quomodo cum Christo cœnaverit in domo Simonis leprosi, 493 D', et quid tunc narraverit, 494 B. — Quanta perversitate illum suscitatum interficere voluerint principes sacerdotum, 496 B', et quare potius illum quam cæcum natum, 497 A. — Lazarus sepultus figurat peccatores in malo habituatos, 486 B'.

Lazarus mendicus, quare nominetur, non autem dives qui illum sprevit, 127 A', et minus erga ipsum benignus fuit quam canes, 128 A. — Per mala pœnalia quotidianæ ejus culpæ purgatæ sunt, 130 C.

LECTUM designat statum contemplationis, 142 D.

LEGISPERITI. Sic vocabantur Judæorum majores magistri, 15 C, seu scribæ ac clerici, 47 B. — Quomodo unus ex illis tentaverit Christum, 15 D, qui per boni Samaritani parabolam respondit, 18 A. — Alius legisperitus qualiter a Jesu increpatus fuerit, 47 D.

LEO Christum vel diabolum designat, quare, 174 A'.

LEO (S.) Magnus, Papa, citatur, 148 D. (Migne *Patrol. lat.* tom. 54, col. 258.)

LEPROSI decem quomodo a Christo curati sint, 137 D'. — Cur ad sacerdotes missi sint, 138 C, et dum irent, mundati, 138 A'. — Ex illis novem erant Judæi, 138 D', qui non reversi sunt, quare, 139 A, et unus Samaritanus, forte proselytus, 138 D', qui ad Jesum regressus, 138 B', præfigurabat gentilium conversionem, 138 D'.

LEX quotuplici sensu accipiatur, 473 A', 507 B. — Leges mutandæ sunt dum necessitas exigit, 217 C'. — Lex vetus, ministerio multorum angelorum data, 293 A, erat divina et supernaturalis, 107 D', 126 A. Illam perfecit non solvit Christus, 126 D, et quidquid in ipsa continetur, litteraliter vel spiritualiter verificatur, 126 B. — Legalia præfigurabant ea quæ in Ecclesia creduntur et fiunt, 114 A, vigebantque usque ad Evangelii divulgationem, 138 D. — Legis mandata erant moralia, cærimonialia et judicialia, 149 B'. Lex Moysis vix poterat observari quoad præcepta cærimonialia, 47 D. — In V. L. quo sensu promissa sit temporalium affluentia, 124 A, permissum uxoris repudium, 126 D, leprosis injunctum ut post emundationem sacerdotibus se præsentarent, 138 D; et qualis restitutio præscripta sit, 159 D. — Quomodo legi

Digitized by Google

Mosaicæ præstet lex evangelica, **293**D, quam non recipere multo damnabilius est, **344**D'. — *Cf.* Mandatum, Præceptum.

LIBER vitæ quid sit, 9B'. — In illo se inscriptum esse nemo certe novit, nisi ex revelatione divina, 9A'.

LIBERTAS. Per libertatem arbitrii homo potest malum vitare, **75**D', nam liberum arbitrium cogi non potest coactione absoluta, 97A'. — Spiritualis libertas quid sit, 181D, 435C, 436B, et quomodo veritate producatur, **434**A'. — Libertas mala quid sit, 435C.

LIGNUM viride Jesum designat, quare, 237D. — Mystice, lignum aridum est omnis iniquus, 237D.

LIMBUS patrum per sinum Abrahæ designatur, quare, **128**B. — In illo sancti detinebantur pro reatu peccati originalis, **243**A', 303D. — Animas ibi repertas quomodo Christus statim beatificaverit, **243**B'.

LINGUA. Per illam dupliciter peccatur, 130A. — Quid per linguas igneas in die Pentecostes significatum sit, 420D'.

LINTEAMINA in Christi sepulcro inventa, quomodo ejus resurrectionem confirment, **252**A.

LITHOSTROTOS quid fuerit, 591C.

LOCUTIO animarum et angelorum ad invicem quomodo fiat, 130B.

LONGINUS quomodo illuminatus sit a Christo cujus latus percussit, 248A.

LOT. Ejus uxor quosnam figuret, 141D'.

LUCAS (S.) evangelista « lucidissimus », 250B, non semper ordinem historiæ servat, 22B, 26C. — Quo pacto concordet cum Matthæo, 15B, 16B', 26D, etc., cum Joanne, 577D', 591B', 594D, cum Marco, 591B'.

LUCERNA Christum designat, **41**A', vel discretionem aut eruditionem aliorum, 66A'.

LUCIFER qualis fuerit creatus, 439D. — Quo sensu in veritate non steterit, 439C, peccatum propria voluntate incipiens, 439D'. — Quomodo pater mendacii, 440A, et homicida fuerit ab initio, 438D'. — *Cf.* Dæmon.

LUMBI præcingendi sunt vel carnales, 66C, vel spirituales, 66D.

LUNA obscurabitur in fine sæculi, quo sensu, 193B'. — In Scripturis defectum exprimit et instabilitatem, 18A'.

LUPI quosnam designent, 2D', 464C, et quomodo a Christo in agnos conversi sint, 3A.

LUTUM mystice est cor humanum, quo sensu, 450A.

LUX vera est Deus, **120**D. — Quare « lux hominum » Verbum dicatur, **276**A'. — Filii lucis quinam sint, 119D', 508C', cur ita vocentur, **120**D, et quo sensu minus prudentes inveniantur quam filii sæculi, **120**A. — Quisnam tenebras magis quam lucem diligat, 336C. — Omnis qui male agit odit lucem, quo sensu, 336A'.

LUXURIA gulam consequitur, **127**C. — Quinam ejus effectus, 96C, 108A'.

LYRA (Nicolaus de), Ord. Min., notissimus postillator, citatur, **321**C', **406**C', **421**A, etc. — Non semper approbatur, **552**B', **571**A, et tunc sæpe « quidam » vocatur, 311C, 357B, **452**D'.

M

MACROBIUS super Somnium Scipionis quid de Platonicis scripserit, 279A.

MAGIA. Illius artis operatio omnis damnatur, **412**A'.

MAGISTER Sententiarum, id est Petrus Lombardus, citatur, 130A, **292**B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 192.)

MAGISTRATUS apud Judæos quinam vocati sint, 207B, **225**A'.

MAGNITUDO spiritualis in quo sistat, **443**C'.

MAHOMETUS « spurcissimus », **259**A', « totius signifer falsitatis », 183C, gloriam propriam quærens, 412C', quid doceat in Alcorano de statu justorum post resurrectionem, 183C.

MALCHUS quare a Petro percussus, 579D', et quomodo a Christo curatus, **225**C.

MALUM secundum quod tale non appetitur, 71D', 336D. — Illud non permitteret Deus nisi posset et vellet inde elicere bonum, **406**B'. — Omnis qui male agit, odit lucem, quo sensu, 336A'.

MAMMON Syriace est nomen diaboli, **120**B'. — Mammona iniquitatis quare divitiæ dicantur, 120B'.

MANDATUM. Legis mandata erant moralia, cærimonialia et judicialia, **149**B'. — Mandatum de dilectione proximi, quomodo novum a Christo datum sit, **524**D. — *Cf.* Lex, Præceptum.

MANE quid designet, 613C.

MANICHÆUS (id est Manes) quomodo erraverit circa creationem, 11A, **274**A', legem Mosaicam, 138C, 413D', et Incarnationem, **287**D, 611A. — Manichæi quid senserint de Joanne Baptista, 341B, et de Christo, **427**A. Illorum hæresis confutatur, **282**D', **287**C', etc.

Digitized by Google

MANNA, ministerio angelorum formata, 393 B', de cœlo non empyreo sed aerio descendit, 393 C', præfigurans panem eucharisticum, 393 D', 403 B'.

MANSIONES Beatorum quo sensu multæ sint, 527 B, et quomodo a Christo paratæ, 528 B.

MARCION evangelium edidit suo errori accommodatum, 11 A. — Affirmavit nuptias esse malas, 313 A. — Ab Origene confutatus est, 17 B'.

MARCUS (S.) evangelista quomodo cum Joanne concordet, 390 B, 495 B, 526 A', etc., cum Matthæo et Luca, 526 A', 591 B', etc.

MARE, secundum consuetudinem sermonis Hebraici, vocatur quælibet magna aquarum congregatio, 614 B'. — Figurat abundantiam persecutionum et amaritudinem passionis Christi, 386 D. — Maris quæ futura sit perturbatio ante judicium universale, 194 A.

MARIA, amabilissima, 314 D, et sacrosanctissima Virgo, 39 B', comparentalis Deo Patri, eumdem cum illo Filium habens, 25 C', Mater pietatis et gratiæ, 198 A, Christi sponsa singularis, 340 B', vas omnis sanctitatis, Domina mundi, Regina cœli, 595 B, advocata ac Domina nostra, 317 C, quo sensu Filium Dei concipere digna fuerit, 301 C, et quomodo illum conceperit, 285 B', 342 B, 431 A. — In ejus utero factæ sunt nuptiæ Verbi cum humana natura, 316 A', et Christus incepit se ipsum pro nobis offerre, 389 D. — Quanta dignitate a Filio suo ditata sit, 39 B', quem non profuisset illi corporaliter concipere, nisi eumdem spiritualiter concepisset, 39 D'. — Ante partum, in partu et post partum virgo permansit, 288 B', 607 C, et utriusque vitæ, contemplativæ et activæ, perfectio in illa resplenduit, quo sensu, 25 A'. — Nec mortaliter nec venialiter unquam peccavit, 313 A'. — Quanta ejus bonitas, 313 C, et prudentia, 313 D. — Castellum quare dicatur, 25 B'. — Quo sensu Jesus illi dixerit : Quid mihi et tibi est, mulier? 313 A', 314 B, et quomodo hæc verba acceperit Maria, 314 D. — Christi tunicam creditur propriis manibus fecisse, 240 D, 593 D'. — Ad pedes Filii sui prædicantis sedit, illumque audivit multo perfectius quam Maria Magdalene, 25 D'. — Quomodo compassa fuerit Christo flagellato, 234 A', spinis coronato, 589 B, et crucifixo, 239 C, 243 C', 594 B, 595 A'. — Quo sensu Jesus moriens illi dixerit : Mulier, ecce filius tuus, 594 B', et qualiter Maria facta sit mater Joannis apostoli, 243 D', 595 A, imo uniuscujusque Christiani, 595 D. — Doloribus ejus quomodo compatiendum, 595 A'. — Certum est illam in cœlum ascendisse, etiam quantum ad corpus, 329 B'. — Quare in festo ejus assumptionis legatur evangelium de Maria et Martha, 25 A'. — *Cf.* Christus.

MARIA, Cleophæ uxor, 594 D, et mater Jacobi Minoris, fuit soror B. V. Mariæ, 247 B'.

MARIA Magdalene (S.), inter feminas post B. Virginem Christo devotior, 256 D', 599 C', in quem totaliter per caritatem transformata fuit, 602 D', Deo vacans optimam partem elegit, 23 C'. — Ferventior quam Martha, 485 A, quam diligenter verbum Domini audierit, 22 D'. Quanta ejus humilitas, 485 B, 604 A'. — Illam frequenter excusavit Christus, 495 B', quem bis unxit, nempe in Galilæa et in Bethania, 476 A', 494 D. — Utrum ante Resurrectionem perfecta fuerit ejus fides, 477 A. — Qua hora ad sepulcrum Christi venerit, 599 C'; cur steterit ad monumentum foris plorans, 602 D', 603 A', et Jesum apparentem non statim agnoverit, 603 D'. — Explanatur ejus colloquium cum Christo, 604 A et seq. — Quanto gaudio Jesum resuscitatum contemplata, 605 B, et quo sensu illum tangere prohibita, 605 D, Apostolorum apostola facta sit, 606 A'. — Qualiter nobis imitanda sit in Christo quærendo, 602 B. — Signat B. V. Mariam, 25 D', Ecclesiam, 26 A, vitam contemplativam, 481 C', 494 D', vel animam huic vitæ insistentem, 24 D, aut animam pœnitentem, 602 A. — Allegatur ejus legenda, 446 C'.

MARTHA (S.), quæ specialis exstitit hospita Christi, 22 B', non erat mulier a sanguinis profluvio curata, 22 B'. — Nobilis fuit et opulenta, 22 C', tanquam prudens matrona domum regens, 481 B'. — Quo sensu de sorore conquesta sit, 23 C, et quale responsum a Jesu acceperit, 23 D, 24 A. — Quare in domo Simonis leprosi Christo ministraverit, 493 C'. — Utrum ante Resurrectionem perfecta fuerit ejus fides, 477 A, 482 B, 483 D', 486 D'. — Signat B. V. Mariam, 25 C', Ecclesiam, 25 D', vitam activam, 481 C', 494 C', vel animam huic vitæ deditam, 24 D. — Juxta quosdam, ejus ancilla fuit mulier quæ Christum publice laudavit, 39 A'. — Allegatur ejus legenda, 22 B'.

MARTINUS (S.) quid locutus sit de Abrahæ sinu, 128 A'.

Digitized by Google

MARTYR utrum fuerit Abel, 48 C'. — Martyres quam fortiter passi et locuti sint, 56 B', 190 C, atque tyrannos confuderint, 190 D. — Multi ex illis tantam consolationem perceperunt ut vix doluerint, 245 A'. — Illorum passio quomodo Deum clarificet, 504 A'. — Mortua illorum corpora male tractare quanta fuerit insania, 51 C'.

MATRIMONIUM est bonum in se, 313 A; multi tamen illud non bene appetunt, 96 B. — Vinculum ejus indissolubile est, 126 C, sed matrimonio nondum consummato uterque conjux religionem intrare valet, 313 B. — *Cf.* Nuptiæ, Uxor.

MATTHÆUS (S.) apostolus quare ad telonium non redierit post Christi resurrectionem, 612 D'. — Quo pacto concordet cum Luca, 15 B, 16 B', 26 D, etc., cum Joanne, 390 B, 577 D', 583 C', etc., et cum Marco, 526 A', 591 B'.

MAXILLA quo sensu percutienti præbenda, 583 A.

MEMORIA locus specierum appellatur, 109 B.

MENDACIUM triplex est, ejusque pater diabolus perhibetur, 440 A.

MENS. Quo sensu ex omni mente diligendus sit Deus, 16 D. — Mentes peccatorum quare carnales dicantur, 450 B. — *Cf.* Anima.

MENTA olfactum reficit et confortat, 45 D.

MERCENARIUS, id est falsus pastor, 464 B, proprium commodum inhiat, 464 C, et lupo dimittit oves, quo sensu, 464 D. — Mercenarii quomodo in bonam partem, 109 D', 111 D, vel in malam accipiantur, 110 B, 111 D. Designant prælatos et doctores sua quærentes, 110 C.

MERITUM. Amor Dei prævenit et causat omne meritum nostrum, 563 D', nec propter merita nostra nos diligit Dominus, 467 D', sed illa remunerando, remunerat sua dona, 292 C. Juxta quosdam, interdum dat præmium ante meritum, scilicet propter meritum futurum, 447 D. — Omne opus meritorium ex caritate procedit, 110 A, 544 D. — Post mortem non est tempus merendi, 118 B, 449 C. — *Cf.* Præmium.

MESSIAS idem sonat ac Christus, 307 D', secundum Judæorum intellectum, 230 C. *Vide* Christus.

MESSIS quid designet, 2 A, et quisnam sit ejus dominus, 2 C. — Messis spiritualis duplex est, 354 D.

METEORORUM liber (auctore Aristotele) allegatur, 189 D.

METRETA est mensura continens decem sextarios, 314 C'.

MICHAEL (S.) archangelus, princeps Synagogæ, fuit probabiliter angelus Christum in agonia confortans, 220 B'.

MILITES aurati sunt nobiles viri, 234 B'.

MIRACULUM proprie sumptum quid sit. 316 B, 324 B', 452 B, et quid probet, 324 C', 452 B. — Miracula improprie dicta quomodo fieri possint, 324 D', et quid demonstrent, 325 A. — Post Christum omnes qui vera miracula fecerunt, non nisi in ejus nomine ea fecerunt, 417 C'. — Utrum et quo sensu dæmon valeat miracula operari, 469 A'. — Operatio miraculorum ad gratias gratis datas pertinet, 451 D', et miracula sanctitatem non faciunt sed interdum ostendunt, 475 B', 489 A'. Per malos prædicatores evenerunt quædam miracula, quo sensu, 452 C; raro tamen vera miracula aliquis agit nisi sit vir heroicus et perfectus, 455 A. Quid probent miracula quæ Deus per injustos operatur, 325 B. — Innumerabilia miracula operati sunt prædicatores Christi, 386 C', quantis virtutibus pollentes, 412 B'. — Etsi non sufficiant ut aliquis ad fidem convertatur, 488 D', miracula ordinantur ad declarationem divinæ potentiæ et ad conversionem videntium, 408 A', fidem probant, 377 A, 446 C, et promovent, quomodo, 4 D'. — Miracula quando non quærenda, 615 A. — Quomodo spiritualiter renoventur Christi miracula, 532 B'. — *Cf.* Christus.

MISERICORDIA. Adulti cœlum non ingrediuntur nisi per opera misericordiæ, 118 C', quæ celeriter agenda sunt, 119 B, et ad Christianos potissimum pertinent, 255 D.

MISSA. Ejus orationes ad personam Patris communiter diriguntur, 27 B'. — In Missarum celebratione præcipue fit Passionis commemoratio, 113 A'.

MISSIO Filii Dei alia est invisibilis, 377 B, alia visibilis, 377 C. — Spiritus Sanctus a Patre et Filio mittitur, quare, 377 C. — *Cf.* Trinitas.

MNA decem drachmas appendit, 161 A'.

MOLENTES mulieres signant personas in activa vita consistentes, 142 B'.

MONACHUS quis veraciter dicatur, 324 A. *Cf.* Religiosi.

MONS est locus contemplationi et instructioni aptus, 382 C'. — Quare Christus mons vocetur, 382 C', et in montem ascenderit, 382 D'.

Digitized by Google

MONTANUS hæresiarcha quid senserit de Deo legis et Prophetarum, 413D'.

MONUMENTUM in quo jacuit Christus, quale fuerit, 598A', 599D'. *Cf.* Sepulcrum.

MORS triplex est, 128B', 182D'. — Quo sensu dormitio dicatur, 479C. — Mortem omnes quasi debitum solvunt propter originale peccatum, 371B. — In hora ejus quomodo peccatorem dæmones impugnent, 171B'. — Melius est corporaliter mori quam alium spiritualiter occidere, 133C'. — Mortem subire pro proximorum salute, est maximæ caritatis signum, 547B'. — Mortem quomodo sancti appetant vel non appetant, 617D'. — In sepeliendis mortuis qualiter observanda patriæ consuetudo, 598A'. — Mortui ad imperium Christi resurgent, quomodo, 372D'. — Mortui designant peccatores vita gratiæ destitutos, 371C.

MOTUS primi non sunt in nostra potestate, 618B. — Motus passionum sunt actus virtutum, si debite dirigantur, 485B'.

MOYSES utrum Deum per speciem in hac vita viderit, 295C, 398B'. — Illi per angelum Dominus locutus est de medio rubi, 183A'. — Quomodo de Christo scripserit, 309D, 381A'. — Ex ejus libris clarissime innotescit animæ immortalitas, 184A'.

Moyses (Rabbi). *Vide* Judæi auctores.

MULIER quæ parit, designat Ecclesiam vel animam fidelem, 560A'. — Mulieres sanctæ quænam, 251B', quare et quando aromata paraverint ut corpus Jesu ungerent, 249D. Quomodo duo angeli apparuerint illis, 250C', quæ tunc timuerunt, quare, 251A. — *Cf.* Feminæ.

MUNDUS quotuplici sensu accipiatur, 283C, 333A', 431B, 576A'. — Quare ex tempore mundum Deus creaverit, 274D', et quomodo ab illo manifestetur, 283C. — Nunc judicium est mundi, quo sensu, 506B. — Qualiter Christus de mundo non sit, 431C, et pro illo non roget, 570A. — Mundus Christum odit, 410B, 550B, ejusque discipulos, 550A, etsi non omnes mundani bonos odio habeant, 550B'. — Non potest mundus Spiritum Sanctum accipere, 535C', 536B.

N

NABAL, de quo in libris Regum agitur, dives ille putatur cujus damnationem Christus narravit, 126B'.

NARDUS quid sit, 494C.

NATHAN non semper spiritum propheticum habuit, 305C'.

NATHANAEL, excellens doctor in lege, 309D', 311D, erat frater Philippi apostoli, 309B, 612B'. — Quanta ejus perfectio, 310C, et humilitas, 612D'. Quo sensu vere Israelita, 310C, et quanta laude a Christo donatus, 310C'. — Quomodo Jesum agnoverit esse Filium Dei, 311B. — Quare non electus sit in apostolum, 312B'.

NATURA agit successive in transmutationibus rerum de contrario in contrarium, 363A. — Paucis contenta est, 127A', 217B'. — Dona ejus per peccata non penitus tolluntur, sed inficiuntur, 108D. — Secundum se a Creatore quasi filia diligitur, 107A.

NAZARÆUS ab Isaia vocatur Christus, 310A. — Evangelium Nazaræorum inter falsa computatur, 316C.

NECESSARIUM unum est, quo sensu, 23B'. — Necessariorum sollicitudo frequenter inducit sollicitudinem superfluorum, 61A.

NECESSITAS est absoluta vel conditionata, 188D'. — Leges mutandæ sunt dum necessitas exigit, 217C'.

NEGOTIATIO alia est spiritualis, alia sæcularis, 161B'. — Negotiatio qualis illicita sit, 170D.

NESTORIUS hæresiarcha, « inimicus Dei », quomodo erraverit, 287C.

NICODEMUS, qui erat unus de principalibus doctoribus Judæorum, 324B, et Pharisæus, quo sensu, 324A, quare non in apostolum electus sit, 312B', et nocte ad Jesum venerit, 324C. — Quomodo pro Christo locutus, 422A', illum cum Joseph ab Arimathæa sepelierit, 248D', 598C, non plenam fidem habens de ipsius resurrectione, 598D, sed devote ac reverenter agens, 598C'.

NIHIL sine Verbo factum est, quo sensu, 274A'. — Per nihil intelligi potest peccatum, quare, 274B'.

NOE. Ejus prædicationibus coætanei non crediderunt, 141A.

NOTITIA duplex est, scilicet approbationis, et simplicis intelligentiæ, 86B.

NOVISSIMI sunt qui erant primi, quo sensu, 88B.

NOX designat tribulationem, 30C', finem vitæ præsentis, vel horam judicii, 449C. — Si quis ambulaverit in nocte, offendit, quo sensu, 478C'.

Digitized by Google

NUMERUS pluralis pro singulari, et econtrario, in Scriptura frequenter ponitur, 121 C.

NUPTIÆ licitæ sunt et divinitus institutæ, 313 A. Designant unionem mentis cum Deo, 91 D'. — Triplicis sunt generis, 316 A'. — Nuptiæ in Cana Galilææ quandonam factæ sint, 312 C, et quis fuerit sponsus, 312 C'. — *Cf.* Matrimonium, Uxor.

O

OBEDIENTIA quam necessaria, 7 B, præsertim religiosis, 7 C', et quam Deo grata, 158 B'. — Ex caritate procedit, 538 A'. — Qualiter agat perfecte obediens, 158 A'.

OCCIDENS designat occasum mortis, 87 C'.

OCULUS intentionem signat, 42 B. — Oculi ad cœlum quare levandi, 566 B'. — Oculus interior quomodo illustretur, 449 D', et ad Deum in oratione dirigendus sit, 566 A'.

ODIUM oritur directe ex dissimilitudine, 409 A'; indirecte vero ex similitudine procedere potest, 409 B'. — Odium quod spirituali amori opponitur, est summum peccatum, 502 C. — Qui odit alium, facta illius in pejus facile interpretatur, 413 C', 438 A'. — Odium bonum, quod carnali amori opponitur, 502 C, et procedit ex amore spirituali, in quo sistat, 98 D; utrum sit de præcepto vel de consilio, 98 B'.

OLEUM designat Spiritus Sancti unctionem, 19 D', vel compassionem, 119 D.

OLIVÆ pietatem signant, 218 B'. — Oliveti mons quare sic vocatus, 165 A', 218 B', 423 B.

OPERARII quo sensu in Ecclesia pauci, 2 B. — Dignus est operarius mercede sua, qua ratione, 4 A'. — Operarii iniquitatis quinam sint, 86 A'.

OPUS ex quanam intentione judicandum sit, 42 D; vel quo fine bonum efficiatur, 42 A', 554 A'. — Omnia opera meritoria uno peccato mortali mortificantur, 43 A. — Quænam sint Dei et animæ opera maxima, magna, et minima, 62 B'. — Opera fructibus assimilantur, quo sensu, 149 C.

ORATIO quid sit, 33 B', 144 A, 146 A', 352 A, et quo sensu laboriosa, 85 D. — Pro quibus orandum, 93 B'. Magis meritorium est orare pro omnibus quam pro paucis, 28 A'. Quo sensu pro adversariorum suorum punitione orent justi, 145 D. Rectus orandi ordo qualis sit, 146 D'. — Quanta orationis necessitas, 360 D, et efficacitas, 143 D. — Qualis esse debeat oratio, 143 D, 352 B, 562 A; quomodo cum fervore et attentione facienda, 33 D', 219 C, 566 A', 567 A, longe a strepitu hominum, 578 D. Indigentiæ insinuatio est species orationis, 476 B'. Oratio præconiis mixta est efficacissima, 499 A. In orando bonis industriis utamur, 487 D, 566 B', nec contradicat operatio orationi, 456 A. Quare et quomodo in tentatione orandum, 219 A, eoque ardentius quo majus periculum imminet, 222 B'. — Quandonam oratio certo exaudiatur, 33 D, 533 D', 545 D', 561 D. Non exauditur pro superfluis in exterioribus rebus, 32 B'. — Aliquando obtinet non quæ postulantur, sed meliora, 455 D'. Non semper effectum sortitur pro aliis oratio, quare, 33 A, 534 A, 545 D', 561 D'. Oratio peccatoris quandonam exaudiatur, 455 B'. — Quomodo Christus ad orationem instanter nos adhortetur, 32 D', et quid sit orare in ejus nomine, 562 D. — Elucidatur Oratio dominica, 27 C et seq., quæ est remedium contra peccata venialia, 29 D. — Oratio publicani quam laudabilis, 147 B'. — Oportet semper orare et non deficere, quo sensu, 143 D', 196 A, 223 A. — Non interrumpenda oratio servorum Dei, 26 B'. — Utrum Beati orent, 561 B', 563 D.

ORDO. Sacramentum Ordinis in Cœna novissima Christus instituit, 514 B'. — Omnium religiosorum ordinum tria sunt substantialia, 99 A.

ORIENS designat ortum nativitatis, 87 C'.

ORIGENES citatur, 15 B, 17 B', 51 B, etc. — Erravit dicens animas humanas propter peccatum corporibus esse alligatas, 447 C. — Utrum fuerit fons Arianæ hæresis, 279 A', et quid sentiendum de ejus doctrina, 279 D'. — Aliqua ejus sententia a S. Thoma refellitur, 398 C. — Allegatur ejus epistola ad S. Barbaram, 279 B'. — (Migne *Patrol. gr.* tom. 11-17.)

OSCULUM Dei quid sit, 111 C'.

OSTIARIUS signat Spiritum Sanctum, quo sensu, 459 A'.

OSTIUM designat Christum, 458 C', 461 B', 462 B.

OTIA dant vitia, 59 D.

OVES Dei sunt angeli et homines, 103 B, vel electi, 460 A, 465 C', 466 B', aut perfecti, 617 D. — Oves bonum pastorem audiunt, 460 A, et sequuntur, quo sensu, 461 A. — Exponitur parabola ovis amissæ et repertæ, 102 D'.

OVIDIUS poeta citatur, 80 A.

OVILE denotat Ecclesiam, 458 C', 476 A.

Digitized by Google

P

PAGANI dies hebdomadæ nuncupant nominibus planetarum, 599 C. *Cf.* Gentiles.

PALÆSTINA. Ibi majora crimina quomodo punita sint, 133 B'. — In illa plana sunt tecta, 51 D.

PALMA caritatem figurat, 498 D'. — Rami palmarum victoribus dabantur, 497 A'. — Quare cum ramis palmarum turbæ Christo obviaverint, 497 D.

PALMES, id est fidelis, quomodo tollatur si sterilis, 543 A', purgetur si fructuosus, 543 B'. — Mittetur foras et arescet, si in Christo non manserit, 545 D.

PANIS multipliciter intelligitur, 28 C', 29 A, 90 C, 385 C, 463 A'. — Christus quomodo sit verus panis, 393 D', panis vitæ, 394 C, de cœlo descendens, 394 A. — Quibus panibus abundent Ecclesiæ fideles, 109 C'. — Panem de cœlo non dedit Moyses, quo sensu, 393 B'. — Quid sit manducare panem in regno Dei, 94 A'. — Quid designent quinque panes a Christo multiplicati, 387 C, illorumque fragmenta, 385 C; et tres panes in parabola ab amico postulati, 30 D'.

PARABOLA non semper quatuor pedibus currit, 119 A. — Explanantur parabolæ boni Samaritani, quæ potuit esse res gesta, 18 A, amici tres panes de nocte petentis, 30 A', fortis armati, 37 C, divitis qui mortem non cogitat imminentem, 58 A, ficulneæ in vinea plantatæ, 78 A, grani sinapis, 82 C', 83 B, fermenti in farinæ sata tria absconsi, 83 C', hominis qui fecit cœnam magnam, 94 B', turrim ædificare volentis, 99 C, regis ante bellum suas et adversarii vires pensantis, 100 B, ovis amissæ et repertæ, 102 D', mulieris decem drachmas habentis, 105 B', hominis cujus adolescentior filius substantiam dissipavit, 106 D', villici infidelis, 116 D, viduæ quæ sua importunitate impium judicem devicit, 144 B, pharisæi et publicani, 146 C, decem mnarum, 160 C', vineæ cujus heres ab agricolis occisus est, 174 A, furis qui non intrat per ostium in ovile, 458 D, pastoris boni, 463 A.

PARADISUS terrestris. In illo qualis fuerit contemplatio Adami, 18 C. — Ibi exstitimus in Adamo, in quo inde expulsi sumus, 18 D. — Ibi degit Elias, 18 C.

PARASCEVES dies, quare sic vocetur, 249 B, 513 D', 591 D.

PARENTES. Quo sensu illos odire debeant servi Christi, 98 A, et tamen cura debita prosequi, 595 C.

PAROCHIA est uxor spiritualis non dimittenda, 126 A'. — Parochianus Dei vel diaboli quis vocetur et quomodo sepeliatur, 128 C'.

PARVULUS tripliciter in Scripturis dicitur, 11 C'. — Parvulis revelantur Dei secreta, quo sensu, 11 B'. — *Cf.* Puer.

PASCHA multifariam accipitur, 205 D', 584 B. — Quandonam inceperit paschalis solennitas, 205 C'.

PASCUA mystice sunt spiritualia alimenta, 462 A'.

PASSERES quinque designant sensus spirituales justorum, quomodo, 53 D.

PASSIO Christi, qualiter præfigurata, 238 C, et prænuntiata, 238 D, 239 B. — Quanto ardore illam Christus optaverit, 73 A'. — Satisfactoria fuit pro totius mundi peccatis, 19 C', et januam cœlestis regni aperuit, 5 B. — Ejus meritum per sacramenta Ecclesiæ applicatur, 95 B, et commemoratio præcipue fit in Missarum celebratione, 113 A'. — Ex ejus memoria præsertim accenduntur fidelia corda, 73 D. — Quam sedulo meditanda, 157 C', 222 A, ad compassionem, ad imitationem et gratiarum actionem, 231 C', 232 D', 238 D'. — *Cf.* Christus.

PASSIONES, quæ sunt animæ et corpori communes, 521 A, in nobis rationem præveniunt atque impediunt, 221 C, 414 D', 537 C', necnon separant nos a Deo, 277 D'. — Motus passionum sunt actus virtutum, si debite dirigantur, 485 B'. — Homines passionati omnia in pejus interpretantur, 430 C', et secundum omnem ventum mutantur, 393 D. — Passiones quomodo in Christo fuerint, 220 D', 221 C. *Cf.* Christus.

PASTOR bonus bonas efficit oves, 461 A. — Quisnam sit verus pastor ovium, 459 D, et quomodo edoceat illum Spiritus Sanctus, 459 A'. — Frequenter auxilium Dei requirat, 459 D', et gregem suum cognoscat, quomodo, 460 B. — Utrum illi liceat persecutores fugere, 465 A'. — Quandonam pro ovibus animam ponere debeat, 463 C'; qualiter illas protegere teneatur, 464 A', et custodire non minus sollicite quam Christi sanguinem, 465 A. — Pro illo rogent subditi, 2 C'. — *Cf.* Prædicator, Prælatus.

PASTOR abbas omni modo refugiebat occasionem miracula faciendi, 475 B'. (In Vi-

Digitized by Google

tis Patrum, Migne *Patrol. lat.* tom. 73, col. 1002.)

PATER multipliciter in Scripturis dicitur, 27 A'. — In Oratione dominica quo sensu accipiatur, 27 B'. — Paterfamilias Christum designat, 85 D'. — Quomodo inveniamur indigni Deum patrem vocare, 27 D.

PATER æternus, cui nomen patris verissime competit, 567 A, habet vitam in semetipso, 371 D'. — Sanctus, 571 D, justus, 576 D, et verax, 432 B, in cœlo empyreo specialiter residet, 564 B, 606 C, et in domo ejus mansiones multæ sunt, 527 B. — Ejus voluntas est salus, conservatio atque redemptio nostra, 396 C, et mandatum, vita æterna, 513 A'. — Principium sine principio, 269 B', quomodo generet Filium, 10 C', 12 C', 332 B', id est Verbum, 269 C', 270 A, etc., totam divinitatis plenitudinem in illum transfundens, 472 B, 570 D'. — Eum qualiter diligat, 343 C', 367 B, 546 B, 576 C, illique omnia dederit, 343 D', 472 B, speciatim omne judicium, 369 D, 370 A, cuncta demonstrans quæ ipse facit, 367 B'. Quomodo illum clarificaverit, 504 B', 567 B, et ab ipso clarificatus sit, 567 D. Filium dicitur diligere Spiritu Sancto, 577 A. — Jugiter operatur, 364 D', 365 B', per Verbum, 367 A, et opera Christi facit, quo sensu, 531 D. — Quare agricola dicatur, 543 C. — Quomodo Filium suum nobis dederit, 332 C, et quanto cum amore, 332 C'. — Qualiter Christo testimonium perhibuerit, 429 D, quo sensu trahat animas ad ipsum, 396 C', et quotuplici modo, 397 B. — Ad Patrem communiter orationes Missæ diriguntur, 27 B'. — *Cf.* Christus, Deus, Filius, Verbum.

PATIENTIA quid sit, 191 C', quare servanda, 362 C', et quomodo omnes virtutes probet, 191 D'.

PATRIARCHÆ cœperunt principia fidei tradere, 354 C', et Christi adventum præparare, 355 B. — Inter illos quare specialiter nominentur Abraham, Isaac et Jacob, 87 B.

PAULUS (S.) apostolus, cujus deificata erat affectio, 341 D, utrum in hac vita Deum per speciem viderit, 295 C, 398 B'. — Ante decollationem suam fecit sibi oculos circumligari, quare, 618 B.

PAUPERES quomodo per adversa purgentur, 130 C. — Illis compatiendum, 119 C, et subveniendum, 119 D. — Quod illis propter Christum donatur, ipsi Christo confertur, 150 A'. — Pauperes qualiter honorandi, 94 A, 359 C', et ad mensam vocandi, 255 D. — Illorum nomina magis quam opulentorum famosa sunt apud Deum, 127 B'. — Ad voluntariam paupertatem quænam inducant, 153 B.

PAX triplex distinguitur, 3 C'. — Quænam sit pax vera, 37 A', 540 A, 565 B, et pax falsa, 3 D', 37 B', 540 D; pax spiritualis, 74 A, 168 D, 539 D', seu pax pectoris, 74 C, 257 C, et pax mundana, 73 D', 168 C. — Pax pectoris ex caritate procedit, 540 B'. — Pax, quæ est maximum bonum, 607 B', quomodo in Christo habeatur, 565 B, et qualis in cœlo inveniatur, 166 C', 540 C. — Filius pacis quisnam sit, 4 B.

PECCATOR quotuplici sensu aliquis dicatur, 455 C. — Omnis qui peccat est ignorans, quo sensu, 71 D', 508 A'. — Qui mortaliter peccat, servus est peccati, 435 A, a diabolo regitur, 435 B, et non manet spiritualiter in Ecclesia, qua ratione, 435 B'. — Omnem creaturam inhonorat peccator, specialiter vero angelum suum custodem, 110 B'. Quomodo in cœlum peccet, 110 D', nec sit dignus Dei filius vocari, 111 B. Illum qualiter in hora mortis impugnent dæmones, 171 B'. — Peccatores sunt diaboli spolia, 38 A, et mancipia, 60 A, 111 B, illosque non audit Deus, quo sensu, 455 A. In peccatum relapsus quomodo a spiritu immundo vexetur, 39 C. In mortalibus vitiis manens, stultus est, 59 B', et periculosissima est securitas illorum qui in consuetudinem peccati ruunt, 168 A'. — Qualiter peccator in se revertatur, 109 D, illique Deus indulgeat, 54 C'. — Quanto Deus peccatorem gratiosius visitat, tanto se ille profundius humiliat, 112 B. — Peccatores quare ad Christum concurrerint, 102 C. Illis justi possunt se sociare, ut ipsos convertant, 102 A'. — De peccatore pœnitentiam agente quale sit in cœlo gaudium, 104 A', 105 D.

PECCATUM originale quid sit, 198 D', 456 D, quænam quatuor vulnera animæ infligat, 18 D', 456 A', quare propter illud Adæ posteri æterna felicitate priventur, 199 A, 303 D, et quænam fuerint illius remedia ante Christum, 325 C'. Non omnis pœna propter illud inducitur, 447 C. — Peccatum jugiter formidandum, 52 C, et fugiendum, 199 B', quam grave sit, 199 D, 303 C, 577 C, et quinam ejus effectus, 20 C, 96 D', 108 C'. — Per peccatum mortale vita gratiæ aufertur, 18 D', 110 C, 116 A, omnia opera meritoria mortificantur,

Digitized by Google

43B, sed remanet liberum arbitrium, 18D', et dona naturæ non penitus tolluntur, etsi inficiantur, 108D. — Mors eligenda est potius quam peccatum mortale, 52A, et etiam veniale, 199B', 546C'. — Venialia peccata singula, non omnia, vitari possunt, 29D, 424D', 517C. — Veniale peccatum non tollit caritatis libertatem, 435A, sed debilitat Spiritus Sancti gratiam, 305B'. — Qualiter differat timorati peccatum a ceterorum delictis, 217D, quomodo pensanda peccata verborum, 254C, et quo sensu fidelium peccata graviora sint quam infidelium, 179B. Peccatorum conscientia quantum nos stimulet, 60C, illorumque dolorosa recordatio qualiter mentem impinguet, 79C. — Propria excusare peccata quam stultum, 163B'. Quomodo in singulas Trinitatis personas peccetur, 55C', 56C. Sex peccata in Spiritum Sanctum distinguuntur, 55C, quo sensu irremissibilia, 55D'. — Pura creatura non potuit humanum genus a peccato redimere, quare, 199D. — Potestas remittendi peccata angelis data non est, 609D', sed sacerdotibus, sacramenti Pœnitentiæ ministris, 609C. — Quomodo peccata mortalia dimittantur, 29C. — Peccatum quod statim non diluitur, ad aliud trahit, 108C'. — Quo sensu et quare unus puniatur propter peccatum alterius, 447A', et quo pacto ea de re concordent Scripturæ, 447D'.

PECTUS. Illius percussio quid significet, 147B'.

PEDES quid designent, 113B. — Præceptum pedes aliorum lavandi quomodo implendum sit ad litteram, 518D, et spiritualiter, 518B'. — Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, quo sensu, 517B.

PELAGIUS hæresiarcha confutatur, 544A'.

PERFECTI, per oves designati, 617D, quibus consolationibus gaudeant, 85A, 118D, 125B', etsi laboribus non careant, 85C. — Quo sensu non scandalizent, 134B, nec scandalizentur, 134C. — Propter aliorum peccata et ruinam ecclesiastici status intimo afficiuntur dolore, 85D. — *Cf.* Justus, Sancti.

PERIPATETICI utrum Verbum Dei agnoverint, 278C'.

PERSECUTORES. Quandonam liceat illos fugere, 446B'.

PERSEVERANTIA sola coronatur, 371D, 434B, 546B'.

PERSONA. Quinam personam accipiant, 180C. — Personæ Trinitatis. *Vide* Trinitas.

PETRÆ quare scissæ sint dum Christus penderet in cruce, 167C.

PETRUS (S.), « Apostolorum prælatus et vertex », 189C', simul et os illorum, quorum multipliciter fuit primus, 152C, 405D', « summus pastor Ecclesiæ », 222D', erat filius Joanna, 308D. — Per illum vita activa designatur, 207D'. Simon dictus, 308D, et deinde Petrus, quare, 308A', et quando, 308B', inter viros invenitur Christo devotior, 256D', 521C', 614C', et in juventute sua jam justus fuit, 617A'. Simplex tamen et rudis remansit ante Resurrectionem, 69C'. — Utrum fuerit Joannis Baptistæ discipulus, 309C. — Quanta ejus humilitas, 515D', et caritas, 406A. — Frequenter confessus est Christum esse Dei Filium, 406B. — Utrum ejus pedes primo vel ultimo loco Christus laverit, 515A', et qualiter peccasset Petrus si Domino in hoc non consensisset, 516D. — Quo sensu Christus oraverit ut Petri fides non deficeret, 216D. — Incaute de sua constantia Petrus præsumpsit, 217A, 525B', 526A, 581A'. — Quare in horto dormiens, specialiter admonitus sit, 222D'. Quomodo Malchum percusserit, 224B', et quare illum præ aliis, 224C', 579D'. Deinde fugit, sed postea Christum a longe secutus, 226C, illum tandem ter negavit, quomodo, 226C', et ubi, 227A', 583C. Quare illum labi permiserit Dominus, 216D', 227B. — A Christo respiciente conversus, 227C', quali dolore peccatum suum fleverit, 227D'. — Quomodo ad sepulcrum Jesu venerit, 251C', cum Joanne, 600B', et quanta fuerit conjunctio inter illos Apostolos, 600B, 618D'. — Quare Christus resurgens primo, si de viris agatur, apparuerit Petro, 256D', qui postmodum fuit aliis misericordissimus, 257A. — Qualiter post piscationem miraculosam se miserit in mare, ut ad Jesum primus veniret, 614A'. — Cur et quo sensu de dilectione a Christo interrogatus sit, 615D, et quam discreta fuerit ejus responsio, 616C. Utrum certe noverit suum amorem erga Dominum, 616C', qui ter illi commisit gregem suum, quare, 617D. — Quomodo cruci alligatus sub Nerone, 617C', Petrus mortem libentissime passus sit, 617D'. — Ejus baculus resurrectionis fuit instrumentum, 386C'. — Ejus legenda citatur, 216C'.

PETRUS Chrysologus (S.), Ravennensis episcopus, citatur, 128D. (Sermo CXXI, Migne *Patrol. lat.* tom. 52, col. 531.)

Digitized by Google

PHARISÆI, id est divisi, 146D, quorum secta famosior, 299D, et inter quos plurimi sacerdotum erant, 511C', fuerunt religiosi Judæorum, 40C, 47B, 102B', etc. — Quanta illorum avaritia, 123C', 422B, hypocrisis, 46D, 75A, 124B, etc., cæcitas, 422C', superbia, 102B', 145D', invidia contra Christum, 34B', 82A, 91A, 423C', etc. — Quid docuerint, 299C, et quali felicitate se post resurrectionem donandos esse crediderint, 182B'. — Non veri fuerunt Moysis discipuli, 454D. — Quid sit scandalum Pharisæorum, 133C', propter quod vitandum non sunt dimittenda bona spiritualia, 133D'. — *Cf.* Scribæ.

PHILIPPUS (S.) apostolus, utrum fuerit Joannis Baptistæ discipulus, 309C. — Dicitur primus omnium ad apostolatum vocatus, 383D. — Quomodo a Christo inventus sit, 308D'. — Qualiter illum Jesus allocutus sit, antequam panes multiplicaret, 383D, tentans eum, 383A'. — Quanta Philippi humilitas, 500C'. — Cur ad ipsum prius accesserint gentiles qui Christum videre cupiebant, 500A'. — Quomodo intelligenda quæ dixit in Cœna, 530A.

PHILOSOPHI quid docuerint de diis, 474A', de origine mundi et hominis, 198C. — Nullus eorum per rationem naturalem Trinitatem cognovit, 13C', 278A', 280A, 576B', sed quidam præclari philosophi providentiam Dei etiam in minimis agnoverunt, 63B'. — Philosophi aliquot innominati allegantur : Bias, 58C'; Crates, 122C; Anacharsis, 180C.

PHILOSOPHIA quomodo differat a theologia, 268C. *Cf.* Theologia.

PHLEGON (Trallensis). Ejus Chronicæ allegantur, 244D'.

PHOTINUS hæresiarcha confutatur, 272B', 287B.

PIGRITIA quorumdam senescentium increpatur, 170D'.

PILATUS cum Juda qualem jusserit ire cohortem, 223A', 578A'. — Ad Herodem quem offenderat, quomodo, 233B, Jesum remisit, quare, 232A. — Uxor ejus qualiter, diabolo instigante, Christi liberationem petierit, 234A, quam cupiebat ipse Pilatus, innocentiam Jesu agnoscens, 587B, 588A, 589D, et timens ne forte Filium Dei occideret, 235A, 590A. — Dire peccavit, etsi minus quam Judæi, morti Christum tradens, 236C, 590C', et propriis verbis se damnavit, 590D'. — Quo sensu Jesum esse regem Judæorum dixerit, 587A', 591C', et in titulo crucis scripserit, 242B', 593C.

PISCATIO miraculosa in mari Tiberiadis, qualiter peracta sit, 613D', et unde tot pisces coadunati sint, 614A.

PISCES duo, a Christo multiplicati, quid designent, 388A.

PISCINA Probatica prope templum fuit, in qua lavabantur hostiæ offerendæ, 361B'. — Ejus aqua ab angelo, non a causa naturali, aliquando movebatur, 362A, eratque efficax ad curandum, quo sensu, 362B. — Quomodo ibi curatus fuerit infirmus, 362B', 363A. — Mystice est fons Baptismi, vel sacramentum Confessionis, 362D.

PLATO, « summus ille philosophus », 69A', non admittit duo principia rerum, 44B'. — Quid doceat de origine mundi et hominis, 198C, de prima intelligentia a Deo producta, 278D', de meditatione mortis assidua, 69A'. — Citatur, 365A'; et allegatur ejus « Timæus », 270D, 275D', 474A', et « Phædon », 69A'. — Legitur librum composuisse de cogitationibus alterius cognoscendis, 35D.

Platonici dixerunt animas hominum propter peccatum anteactum corporibus esse alligatas, 447C, et illis denuo morituris esse reuniendas, 184A'. — Utrum Verbum Dei agnoverint, 279A, 280A.

PLOTINUS, « magnus Platonicus », 289D', providentiam Dei etiam in infimis intellexit, 63C'.

PLUVIA quomodo generetur, 74C'.

POENA non omnis propter originale peccatum inducitur, 447C. — Pœnæ vitæ præsentis medicinales dicuntur, 145D. — Pœna inferni æterna est, 54C', quæ venialibus peccatis non debetur nisi ratione peccati mortalis annexi, 76A. — Sæpe pœnam peccantibus infligere debent prælati, 29C'. — Pœna injuriarum interdum exigi potest ex caritate, 29A', 134C'.

POENITENTIA est secunda post naufragium tabula, 113C', 259B. — Pœnitentia quæ fit in ætate decrepita raro est vera, 68C, sed de nullo viatore, si pœnitens sit, desperandum, 55D'. — Pœnitentiæ opera viris perfectis dulcia videntur, 118D. — Statui pœnitentiæ præferendus est status innocentiæ, 104D'. — Sacramentum Pœnitentiæ quomodo peccata remittat, 609C, et quinam ejus effectus, 18C', 488C'. — Non indiscreta pœ-

Digitized by Google

nitentia gravandi sunt pœnitentes qui absolvuntur, 47 A'. — *Cf.* Satisfactio.
POMA designant sancta patriæ desideria, 317 B.
POMPEIUS Magnus Judæam Romanis subjugavit, 180 B'.
PONTIFEX summus, S. Petri vicarius, quomodo principaliter potestatem clavium habeat eamque communicet, 609 B'. — Pontifex Judæorum, tempore Christi, quolibet pene anno mutabatur, 580 C'. Pontifices devoratores gregis sui, 591 D', quam sævi contra Jesum fuerint, 589 D. — *Cf.* Sacerdotes.
PORCI quosnam designent, 109 A.
PORPHYRIUS philosophus confutatur, 36 B, 309 A.
PORTA angusta vitam pœnitentialem signat, 84 B'.
PORTICUS Salomonis quid fuerit, 469 D', et quid designet, 470 B.
POTENTIÆ organicæ quomodo sint regendæ, 16 A.
POTUS superfluus quantum noceat, 195 B'. — Circa potum sex modis peccatur, 64 B. — *Cf.* Gula.
PRÆCEPTUM caritatis erga Deum exponitur, 15 D' et seq. Perfecte non impletur nisi in cœlo, quo sensu, 16 C'; in via autem, duplici modo ad actum reducitur, 17 A. — Præcepta cærimonialia V. L. servanda erant Christo adhuc vivente, 45 C', sed vix servari poterant, 47 A'. — Observatio præceptorum ex caritate procedit illamque conservat, quare, 546 C'. — *Cf.* Lex, Mandatum.
PRÆDESTINATIO ad gloriam, cujus causa prima est Dei voluntas, 12 B, 65 A', idem est ac liber vitæ, 9 C'. — De illa cum omni reverentia loquendum est, 12 A. — Non ex meritis nostris, 471 C, 570 C', nec auferens humanam libertatem, 431 D, includit omnia quæ electis necessaria sunt ad salutem, 472 A, etiam preces quæ pro illis funduntur, 570 D'. — Prædestinatos quomodo diligat Deus, 537 A'. — *Cf.* Electi, Sancti.
PRÆDICATOR, per sal designatus, 101 A', quomodo inutilis fiat, 101 C'; qualiter peccet qui in vitiis jacet, 495 B'. — Ante prædicationem oret, 423 D, et post illam Deo vacet, 96 D, 423 C, nam vox ejus non sufficit nisi Deus interius loquatur, 398 C. — Quibus virtutibus ornari prædicatores deceat, 70 C, 121 B', 136 A, 608 B', et quanto zelo succendi, 96 A'; quorum quam meritorium officium, 354 B', et quale præmium, 354 A'. — Neminem in via salutantes, quo sensu, 3 D, qualiter se habere debeant in domibus hospitantium, 23 A, et quam reverenter ac caritative suscipiendi sint, 23 A. Quos cibos accipere jubeantur, 4 D, et quanam intentione, 4 B'. Illis tres panes sunt necessarii, 31 C. — Qui illos audit Christum audit, et qui illos spernit Christum spernit, quo sensu, 7 B. — Quanam coactione eos uti oporteat, 97 D. — Innumerabilia miracula fecerunt Christi prædicatores, 386 C'. — Redarguuntur qui facili occasione prædicationem omittunt aut differunt, 96 C', 411 C, et qui, fortia prædicantes, vix minima servant, 47 A'. — *Cf.* Pastor, Prælatus.
PRÆLATUS, per regulum, 361 A, villicum, 117 A', et sal designatus, 101 B', quibus virtutibus pollere debeat, 70 C, 136 A, 214 B, 223 C, 460 D, 465 B, etc. — Tanto perfectior sit quanto in gradu sublimiori elevatur, 222 D'. — Quomodo debeat Deum diligere, 617 A, gregem suum pascere, 617 D, pro illo orare, 361 A', subditum errantem quærere, 106 C', oleum et vinum infundere, 20 A; sæpe pœnam peccantibus infligere, 29 C', sed tantum zelo justitiæ, 180 D; diligenter verbis et factis præesse, 21 B, 117 B', 121 B', 460 C; in omni perfectione et gratia abundare, 616 A; Christum amare magis ferventer quam alii, 616 A, ita ut, de salute fratrum suorum sollicitus, 308 C, paratus sit ad moriendum pro illis, 165 C, 463 C', 617 A'. — Prælati stent sine personarum acceptione, 50 C, et judicia sæcularia non frequentent, 57 B. Simul sint activi et contemplativi, 482 A. — Redarguuntur prælati qui sua quærunt, 110 C, nec dolent de subditorum spirituali læsione, 91 A'. — Prælatus bonus magnum Dei est donum, 2 B', 461 B, et duplicem in cœlis coronam accipiet, 70 B'. — Prælatus quisnam sit fur et latro, 459 A, 462 B', et qualis futura sit impii vel negligentis prælati damnatio, 71 D, 142 C', 162 D, 459 D'. — Promovendi ad prælationem diligenter discutiendi sunt, 617 A. In foro conscientiæ, melior in prælatum eligendus est, 616 C, etsi in foro contentioso idoneus sufficiat, 616 B. — Tanquam Dei vicariis obediendum est prælatis, 7 A', etiam malis, non tamen in malo, 493 A. — Quo sensu prælati magis honorandi sint quam personæ privatæ, 359 C'. — *Cf.* Pastor, Prædicator, Superiores.
PRÆMIUM æternum quo sensu dandum dica-

Digitized by Google

tur, 122 D, vel reddendum, 122 A'. — Quomodo præmii intuitu Deo ministrare valeamus, 110 A. — *Cf.* Meritum.

PRÆTORIUM quid sit, 583 D'.

PRANDIUM designat orationes aut celebrationes, 93 B'.

PRESBYTERI quidam redarguuntur, qui propter oblationes Missas multiplicant, 186 B. *Cf.* Sacerdotes.

PRIMI sunt qui erant novissimi, quo sensu, 88 B.

PRINCIPES sæculares in pios usus debent superflua convertere, 117 B'.

PRINCIPIUM. Explanatur illud : In principio erat Verbum, 269 A et seq.

PROCLUS, « summus Platonicus », 278 A', citatur, 365 A', et confutatur, 275 C. — Allegatur ejus Elementatio theologica, 44 C', 275 D, 278 A', etc.

PRODIGIA quid sint, et quomodo a signis secernantur, 357 C'. *Cf.* Miraculum.

PROGREDI. In via Dei non progredi, est retroire, 100 B.

PROLES. Ejus monstruositas unde proveniat, 456 C.

PROMISSIO futurorum bonorum, quomodo nos in cultu divino confortet, 387 C', 388 A.

PROPHETA quisnam sit, 386 A. — In sua patria honorem non habet, quo sensu, 356 B. — Prophetæ V. T. abundanter gratiam Sancti Spiritus acceperunt, sed minus quam Apostoli, 420 A'. — Qualiter Spiritus Sanctus in eis habitaverit, 87 A. — Omnes locuti sunt super dies Messiæ, 309 A'. — Christum, quem spiritualiter noverunt, 14 A', quomodo prænuntiaverint, 14 B', 355 B, ejusque divinitatem descripserint, 311 D. — Verbum Dei seminantes, 354 C', interdum verbis interdum factis prophetaverunt, 618 B'. — Ad quosnam missi sint, 48 B. — Illos qualiter Judæi persecuti sint, 175 B'. — Ubi perierint Prophetæ, 89 A, illorumque sepulcra quanam intentione Scribæ ædificaverint, 47 B'. — Illis Judæi non credunt secundum veritatem, 509 A'. — Abel quare inter Prophetas annumeretur, 48 B'. — Apostoli prophetæ fuerunt, 48 B.

PROPHETIA fit etiam de præteritis et præsentibus, 350 A'.

PROPINQUUS. Molestius feruntur quæ a propinquis infliguntur, quare, 190 C'. *Cf.* Proximus.

PROVIDENTIA est pars prudentiæ, 99 B'. — Providentia Dei, sive generalis, sive specialis, quid sit, 53 B. Usque ad infima quæque pertingit, 62 D, etiam in foliis et floribus resplendet, 63 D, et moderatur ea quæ casualiter evenire videntur, 77 D'.

PROXIMUS quisnam intelligatur, 17 D, 21 B'. — Diliges proximum tuum sicut te ipsum, quo sensu, 17 C, 98 C, 341 D. — Quam stultus qui proximo non vult ignoscere, 135 D. — Proximos suos multi observant et proprios defectus negligunt, 179 C', 180 A.

PRUDENTIA est quadriga virtutum, 92 B'. — Prudentes dicuntur superbi, qua ratione, 11 B.

PSALMUS. Liber Psalmorum inter Hagiographa computatur, 258 C'. — De Christo scripti sunt Ps. XXXIV, 552 B', Ps. XL, 519 C'; et de ejus passione tractant Ps. XXI, 153 B', ac Ps. LXVIII, 552 D. — In Ps. LIV Jesus loquitur de suo traditore, 190 C', de quo etiam agit Ps. CVIII, 572 A'. — *Cf.* David.

PUBLICANI quinam fuerint, 146 D, et quare inter peccatores reputati, 102 B. — Oratio publicani laudatur, 147 B'.

PUER tripliciter aliquis dicitur, 384 B. — Erga pueros quam benignus Christus, 148 C'. — Quomodo imitandi mores puerorum, 148 D', 384 B, quorum est regnum cœlorum, quo sensu, 148 C'. — *Cf.* Parvulus.

PULCHRITUDO Dei ex pulchritudine creaturarum probatur, 63 D'.

R

RABANUS (Maurus), Moguntinus episcopus, citatur, 58 A', 193 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 107-112.)

RATIO naturalis Deum aliqualiter cognoscere potest, quo sensu, 13 B', etsi per illam nullus philosophorum Trinitatem cognoverit, 13 C'.

REGES. Sic vocantur justi, quo sensu, 15 B. — In cœlo omnes sunt reges, 162 D'.

REGNUM Dei est Christus, Scriptura, tempus gratiæ, tempus Passionis, 5 B, Ecclesia militans et triumphans, 28 A', 36 A', cœlestis patriæ consummatio, 195 A, cœlum empyreum, activum Dei regimen, 82 C'. — Quomodo appropinquet, 5 A, diversis modis rapiatur, 125 C', et in illud omnis vim faciat, 125 A'. Quo sensu non veniat cum observatione, 139 D, et intra nos sit, 139 D'. Qualiter simile sit grano sinapis, 82 D', et fermento, 83 C'. — Regnum cœlorum est domus pauperum, 118 B', et in illo diversæ

Digitized by Google

sunt mansiones, 118 C', 121 B, quæ æternæ nuncupantur, quo sensu, 121 B. — Regnum cœleste quomodo quærendum sit ante exteriora opera, 65 A. Ad illud amando et juste agendo propinquatur, 95 B. — *Cf.* Beatitudo, Cœlum.

REGULUS Capharnaum, quo sensu sic vocatus, 357 A. — Non idem est ac centurio cujus servus curatus est, 359 B. — Utrum credens ad Jesum accesserit, 358 A, et interfuerit nuptiis in quibus aqua mutata est in vinum, 358 B. — Quomodo, ejus filio curato, 358 D, crediderit, 358 D'. — Per illum designatur prælatus, 361 A, vel spiritus rationalis, 360 A, cujus filius, id est speculativus intuitus divinorum, qualiter infirmetur, 360 B, et a Christo curandus sit, 360 C, 361 A.

RELIGIOSI, omnibus quæ possident omnino renuntiantes, 100 D', quomodo præceptum caritatis erga Deum impleant, 17 A. — Suæ professionis memores, 99 D, et quotidie ferventiores, 99 D', 100 A, quam perfecti esse debeant, 575 A. — Quantum peccent non obedientes, 7 C'. — De victualium tenuitate non murmurent, 242 D. — In die Cœnæ de manu prælati sui corpus Christi accipiunt, quare, 212 A. — Omnium ordinum religiosorum tria sunt substantialia, 99 A. — Sæpe contingit ut filii et filiæ invitis parentibus religionem introeant, 74 B'. — Matrimonio nondum consummato, uterque conjux religionem ingredi valet, 313 B. — *Cf.* Monachus.

REMIGIUS (Antisiodorensis), O. S. B. theologus, citatur, 245 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 131, col. 47.)

REPROBATIO divina non est causa malorum nostrorum, 471 C.

Reprobi omnes sunt unum corpus et civitas una diaboli, 48 A'. — Illis omnia cooperantur in malum, 132 B'. — Quare in hoc sæculo prosperentur, 58 B. — Graviora supplicia sustinebunt qui majorem scientiam habuerunt, 71 A'. — Quomodo electos visuri sint in regno Dei, 87 B. — *Cf.* Damnati.

REPUDIUM uxoris quo sensu a lege Mosaica admissum, 126 D.

RESPONDERE, qualiter in Scriptura accipiatur, 143 A, 184 C'.

RESTITUTIO quomodo facienda sine dilatione, 159 C, 160 C. — Qualis præscripta sit in lege Moysis, 159 D.

RESURRECTIO specialiter dicitur esse justorum, quare, 93 B', 183 B. — Resurrectio vitæ quid sit, 373 B; quid resurrectio judicii, 373 C. — Corporum resurrectio qualiter futura sit, 396 C, et ex immortalitate animæ probetur, 184 C. — Resurrectio Christi. *Vide* Christus.

RETROIRE. In via Dei non progredi est retroire, 100 B.

REVELATIO quid sit, 13 C'.

RICHARDUS de S. Victore, canonicus regularis, citatur, 55 C', 433 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 196.)

ROMANI, quibus nulla gens resistere poterat, 490 B, tempore Christi mundi monarchiam tenebant, 470 B'. — Præceperunt ne quis absque eorum consensu se regem vocaret, 230 B', 357 C, 389 A, etc. — Non damnabant reum nisi præsentes fuissent accusatores, 230 D'. — Abstulerunt a Judæis regiam dignitatem, 357 C, quare, 585 C. — Jerusalem destruxerunt, et plurimos Judæorum occiderunt, vendiderunt ac disperserunt, quando et qua ratione, 165 A, 168 C', 192 B, D'. — Eorum dux quidam (Marcus Marcellus) super Syracusas flevit, 168 B.

RUTA visum acuit, 45 D.

S

SABA. Regina Saba quare vocetur regina austri, 40 C'. — Utrum inter electos computanda sit, 40 C'.

SABBATUM quare in V. L. celebratum sit, 275 A. — In illo prohibebantur opera servilia, non autem opera caritatis, pietatis et necessitatis, 81 B', 363 A', 451 B', et licebat miraculose corpora sanare, quare, 91 B. — Christus sabbatum non violavit, 451 A'. Quomodo de illius transgressione se excusaverit, 82 D. Quare in sabbatis frequentius docuerit, 79 C'. — Apud Judæos hebdomada « sabbatum » vocabatur, 147 C. — Quid sit « una sabbati », 250 B, 599 C, vel « una sabbatorum », 606 D'.

SABELLIUS, hæresiarcha, quomodo erraverit circa Trinitatem, 272 C, 287 D. — Quare Sabelliani dicti sint Patripassiani, 272 D.

SACERDOTES Judæorum Christo invidebant, quare, 172 B'; utrum illum cognoverint esse Filium Dei, 176 A'. — Quanta perversitate Lazarum suscitatum interficere voluerint, 496 B', et cur potius illum quam cæcum natum, 497 A. — Quinam apud Judæos prin-

Digitized by Google

cipes sacerdotum dicti sint, 206 A', et an venerint ad capiendum Jesum in horto, 225 B'.

Sacerdotes N. L. quantam dignitatem habeant ut sacramentorum dispensatores, 609 D'. — Quomodo peccata remittant, 609 C, vel retineant, 609 D. — Digne uti debent clavium potestate, 610 B, cujus executionem non habent nisi eis subjiciatur materia, quo sensu, 609 C'. — Illis præcipue necessariæ sunt fidelitas et prudentia, 70 C. — Redarguuntur sacerdotes qui propter occupationes terrenas omittunt prædicationes et Missas, 57 B; vel pleni vitiis sacra loca ingrediuntur, aut etiam celebrant, 147 D, 599 A'. — *Cf.* Pontifex, Presbyteri.

SACRAMENTA Ecclesiæ instituta sunt a Christo, 338 C', qui habet in illis potestatem excellentiæ, 426 A. — Faciunt quod designant, 293 A', et per illa applicatur Christi meritum, 95 B, 200 C', 303 A'.

SADDUCÆI, pleni hypocrisi, 75 A, quid docuerint, 94 B', 181 D', 299 C.

SÆCULUM. Ante finem sæculi, pene totus mundus ad Christum convertetur, 162 B. — Sæculi hujus filii quinam sint, 119 C', quo sensu prudentiores filiis lucis, 119 D', et quare, 120 B.

SAL, cujus natura et proprietates referuntur, 101 B', terram a fecunditate impedit, 101 B. — Designat prælatum ac prædicatorem, 101 A', vel sapientiam aut discretionem, 101 D.

SALIM, urbs sita prope Jordanem, juxta quam erat lacus, 339 B.

SALIVA sapientiam signat, 450 A.

SALOMON « Jerosolymam » appellavit civitatem Jerusalem, 469 C. Edidit exorcismos ad pellendos dæmones, 36 C. — Porticus Salomonis quid fuerit, 469 D', et quid designet, 470 B.

SALUS difficilis est, quare, 151 C'; quomodo facilis fiat, 152 A.

SAMARIA, quæ interpretatur custodia, 137 B', tum urbem tum provinciam designat, 346 D, et vitam activam significat, 137 B'. — Sebaste est urbs antiqua Samaria reparata, 346 D.

Samaritanus interpretatur custos, 19 C. — Samaritani, quos abhorrebant Judæi, 347 B', quem cultum secuti sint, 350 D', 351 D, 442 A, et quomodo Christi adventum exspectaverint, 352 D. — Samaritanus leprosus, qui curatus ad Jesum regressus est, 138 B', figurat gentilium conversionem, 138 D'. Eumdem typum gessit mulier Samaritana, 347 A, quæ a Christo conversa est, 347 B et seq. — Elucidatur boni Samaritani parabola, 18 A et seq.

SANCTI, gratia pleni, quo sensu, 289 C', et per aquilas designati, 143 B, quomodo mortem appetant et non appetant, 617 D'. — Quare dicantur habere partem cum Christo, 516 D'. — Dei visionem quasi summum bonum omnes desideraverunt, 568 A'. — Nonnunquam ex revelatione diem mortis suæ præcognoverunt, 69 B'. — Quidam illorum leguntur aliquos in peccatis mortalibus defunctos de inferno liberasse, 131 B'. — Cur frequenter perfectionem suam declarent, 574 B. — Quinam Sancti cum Christo resurrexerint, 246 A', et utrum sint iterum defuncti. 246 B'. — Quidam sunt præteritorum Sanctorum cultores, et præsentium contemptores, 47 D'. — Non gaudent Sancti, quando de pecuniis honorantur pro quibus pauperes plorant, 48 A. — *Cf.* Justus, Perfecti.

SANGUIS Christi quantam habeat virtutem, 211 A.

SAPIENTES informari cupiunt, 456 B'; et in judicando Deo se conformant, 124 C', etsi sæpe decipi queant, 124 D'. — « Sapientes » dicuntur superbi, quo sensu, 11 B.

SAPIENTIA per sal designatur, quare, 101 D. — Doni sapientiæ quinam sint effectus, 135 D', 317 B'.

SARRACENI quomodo errent circa statum justorum post resurrectionem, 183 B, 568 B'.

SATANAS est diabolus, humanæ salutis adversarius, 7 D'. — Quo sensu sicut fulgur de cœlo ceciderit, 8 A. — Regnum ejus usque ad finem sæculi durabit, 35 C', sed a Christo infirmatum est, 36 A. — *Cf.* Dæmon, Lucifer.

SATISFACTIO confitenti imponenda est, 426 A. *Cf.* Pœnitentia.

SATUM est mensura unum et dimidium modium capiens, 83 C'.

SCANDALUM quid sit quoad nomen, 132 D', et quoad rem, 132 D, 133 B. — Scandalum activum quando mortale sit aut veniale peccatum, 133 A'. — Scandalum passivum aliud est Pharisæorum, aliud pusillorum, 133 C'. — Interdum propter vitandum scandalum se veraciter excusare licet, 231 D', et bona etiam spiritualia omittenda sunt, 134 A. — Quo sensu impossibile sit ut non veniant scandala, 132 D, 133 D. — Perfecti non scan-

Digitized by Google

dalizant, 134 B, nec scandalizantur, 134 C. — Quam grave sit communitatem vel Ecclesiam scandalizare, 134 D, præsertim si prælati, religiosi ac doctores ita peccent, 134 A'.
SCIENTIA dupliciter sumitur, 482 C'. — Scire est rem per causam cognoscere, 516 A. — Christus beatificat scientem et operantem, quo sensu, 519 B.
SCORPIONES quosnam designent, 8 A'.
SCOTUS (Duns), celeberrimus Ord. Min. theologus, citatur, 538 C.
SCRIBÆ, Judæorum magistri majores, 15 C, vel doctores et clerici, 40 B, 102 B', sua scientia quomodo abusi sint, 49 C. — Simulata devotione Prophetarum sepulcra ædificabant, 47 B'. — Quanta illorum superbia, 102 B', hypocrisis, 185 D', invidia contra Christum, 82 A, 91 A, 172 B'. — Quinam illos imitentur, 49 A', 186 A. — *Cf.* Pharisæi.
SCRIPTURA regnum Dei vocatur, 5 B, 82 D', et designatur per granum sinapis, 83 A', ac per fermentum, 83 C'. — Velut infinita abyssus, 386 C, quam profunda sit, 533 B, et quomodo scrutanda, 378 D', nec proprio ingenio judicanda, 379 A. — Ejus studium a carnalibus deliciis hominem removet, 387 D. — Æterna felicitas est finis in quem ordinatur Scriptura, 327 D. — Quinam in verbis ejus scandalizentur, 287 A. — Plus peccat, ceteris paribus, qui Scripturas cognoscit, quam alius, 458 A'. — Scriptura quid doceat de humani generis origine et fine, 198 B et seq. — Quomodo dupliciter de homine loquatur, 191 B. — In numeranda multitudine non curat de modico excessu vel defectu, 384 B'; fratres vocat homines ejusdem genealogiæ, 317 D'; refert cogitationes cordis quasi dicta sermonis, 177 D'; dicit aliquid fieri quum aliis innotescit, 368 B; et per corporalia designat spiritualia, 215 C'. — Ubicumque de Christi humilitate loquitur, mox aliquid de ejus sublimitate tangit, 533 C. — Scripturas V. T. frequenter quoad sensum allegant Christus et Apostoli, 397 D'.
SEBASTE, olim Samaria, 346 D.
SEDUCTORES negant coram judicibus quod in secreto prædicant, 582 B'.
SENECA (Annæus) philosophus, citatur, 57 D', 69 A', 239 A.
SENIORES apud Judæos quinam vocati sint, 172 C.
SENSUS. Orbatus a nativitate aliquo sensu, caret notitia sensibilium illius sensus, 446 C'.
SEPES designant populos gentiles, 97 C.
SEPTENARIUS numerus universitatem signat, 134 D'.
SEPULCRUM hypocritam figurat, quo sensu, 46 D. — Prophetarum sepulcra quanam intentione Scribæ ædificaverint, 47 B'. — In sepeliendis mortuis quomodo observanda patriæ consuetudo, 598 A'.
SERMO. Quinam sint potentes in sermone, debiles vero in opere, 253 A'.
SERPENS æneus Christum crucifixum figuravit, 238 C, 331 C. — Serpentes quosnam designent, 8 B'.
SERVITUS alia ex timore servili, 548 C, alia ex timore filiali procedit, 548 D. — Servitus caritatis libertati veræ non derogat, 434 B', 436 A.
SERVUS duplicis generis, 112 D, et dupliciter inutilis dicitur, 137 C.
SIBYLLA apertissime prænuntiavit Christi passionem, 153 D', 588 A'.
SIDON. Multi ejus incolæ statim post Christi passionem conversi sunt, 6 B.
SIGNA quænam ruinam Jerusalem præcesserint, 189 B. — Signa in sole, in luna et stellis secundum Christi adventum prænuntiabunt, quo sensu, 193 B'; sed ex signis determinatum non potest prænosci tempus consummationis sæculi, quare, 189 A'. — Signa sunt miracula divinæ potentiæ ostensiva, 357 C'. — *Cf.* Miraculum.
SILIQUA quid sit et quid designet, 109 C.
SILOE natatoria, quæ missus interpretatur, 450 D, ex fonte colligebatur in pede montis Sion, 449 C'. — Quomodo designet Christum, 450 C, vel Baptismum, aut fontem lacrimarum, 450 D.
SIMILITUDO est per se causa amoris, 144 D', 550 A', vel rancoris per accidens, 550 B'.
SIMON Cyrenensis, an Judæus origine fuerit, 236 A', et quare ad crucem Jesu portandam compulsus, 236 B', 592 A'.
SIMON Essæus dixit se esse Messiam, 188 D.
SIMON leprosus, a Christo curatus, 493 B', quando et quomodo ipsi cœnam fecerit, 493 C, quæ mystice a fidelibus renovanda est, 494 A'.
SIMON magus se Christum esse finxit, 188 D. — Quinam illum sequantur, 188 C'.
SIMON Petrus. *Vide* Petrus.
SIMPLICES quare devotiores quam litterati, 422 D.
SINAPIS. Sicut granum sinapis quomodo fides habeatur, 136 B.

Digitized by Google

SINUS Abrahæ est limbus patrum, 128B, vel quies Beatorum, 128A'.
SION est nomen montis in quo erat templum et regis palatium, 498B', sed frequenter designat totum Judaicum populum, 498B'.
SISOIS abbas omni modo refugiebat occasionem miracula faciendi, 475B'. (In Vitis Patrum, Migne *Patrol. lat.* tom. 73, col. 1003.)
SITIS tripliciter in Scripturis sumitur, 349B. — Si quis sitit veniat ad Christum et bibat, quo sensu, 419B'.
SODOMITÆ quo sensu minus peccaverint quam illi qui discipulos Christi non receperunt, 5A'.
SOL obscurabitur in fine sæculi, quo sensu, 193B'.
SOLITUDO ad vacandum Deo est aptissima, 157A'.
SOLLICITUDO triplex est : inquieta, quæ reprehenditur; prudens, quæ permittitur, 61A', et spiritualis, quæ laudatur, 61B'. — Sollicitudo immoderata circa temporalia quam cæca sit, 63D, et quantum vitanda, 195B'. — Sollicitudo necessariorum frequenter inducit superfluorum sollicitudinem, 61A.
SOMNUS diversis modis in Scripturis accipitur, 479D'. — Frequenter est signum curationis, 479B'. — Somnus superfluus, maxime in Christiano indecens, 196C, quantum damnandus sit, 196A'. — Quare « somnus » dicatur mors justorum, 479C.
SPIRITUS. Ita dæmones appellantur, quare, 9A. — Spiritus immundus quomodo e Synagoga exierit, 38B', et ad illam redierit, 39A; quid agat circa peccatorem recidivantem, 39C. — Quomodo intelligenda hæc effata : Spiritus promptus est, caro autem infirma, 223A; Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam, 404B'; Quod natum est ex spiritu, spiritus est, 326A'.

Spiritus Sanctus. Sic proprio nomine dicitur tertia persona Trinitatis, 539D. — Vocatur etiam Spiritus veritatis, 535B', 553A, digitus Dei, 36C', 472B', consolator et advocatus, 534C', 552C', aqua viva, 348A. — Verus Deus, 305C, essentialiter bonus, 33B', est amor Patris et Filii, 333D, ab utroque procedens, 553B, 558D', ita ut Pater et Filius sint unum ejus principium et unus spirator, 36C', 553C, 558 A. Quo sensu ab eorum voluntate procedat, 370C'. — Illi appropriantur donum, 333D, caritas, 305D, et pietas, 326D. — A principio mundi universis electis datus est, 420D, præsertim Patriarchis et Prophetis, quo sensu, 420A'. — Quare in forma columbæ super Christum baptizatum apparuerit, 305D, et utrum illa columba vera fuerit, 306B. — Procedit et mittitur a Christo, 260A, qui illum discipulis dedit ante et post Ascensionem, quare, 608D'. Per insufflationem in die Paschæ datus, 608C', in die Pentecostes quomodo testimonium de Christo perhibuerit, 553D, et Apostolos mutaverit, 556B'; qualiter eosdem docuerit, 539B', 557C', 558A, 563B, a Patre missus in nomine Christi, quo sensu, 539A'. — Cur datus non sit plene et in signo visibili ante Resurrectionem, 420B'. — Imperceptibiliter venit et recedit, 327D, cujus vox quomodo audiatur, 327B. — Ex aqua et Spiritu Sancto quo sensu homo renascatur, 326A. — Non nisi in Spiritu Sancto nominari potest Dominus Jesus, 197C', idemque Spiritus invocandus est ad loquendum ac audiendum de Christi passione, 197B'. — Ad Spiritum Sanctum recipiendum vel servandum quænam requirantur, 536A, et quibusnam dari dicatur, 33B'. — Quomodo semper in electis maneat, 535A', cujus consolatio omnem corporalem consolationem excedit, 534B. — Cur illum accipere non possit mundus, 535C', 536B, quem arguit Spiritus de peccato, de justitia et de judicio, quo sensu, 556B' et seq. — Quantum affectio hominis habet de carnalitate, tantum impedit de Spiritus Sancti receptione, 556D. — Quid sit blasphemare in Spiritum Sanctum, 55B, et quo sensu irremissibile sit illud peccatum, 55D'. — Flumina aquæ vivæ, mystice sunt dona Spiritus Sancti, 420B. — *Cf.* Donum, Trinitas.
STADIUM dicitur octava pars milliaris, 390C'. — Quot contineat passus, 252C, et quot stadia leucam efficiant, 481A.
STATUS Dei servorum varii distinguuntur, 84A. — In omni statu sunt boni et mali, 142D. — Status innocentiæ præferendus est statui pœnitentiæ, 104D'.
STELLÆ non vere sed apparenter de cœlo cadent in fine sæculi, 193D'.
STOLA prima quid sit, 112B'.
STRABUS (Walafridus), Glossæ ordinariæ auctor, allegatur, 566C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113, col. 68.)
STRIDOR dentium qualis sit in inferno, 86C'.
STULTUS est omnis peccator in mortalibus vitiis manens, quo sensu, 59B'.

Digitized by Google

SUPERBIA quotuplex sit, 64 C, 146 B', quam cæca, 72 C', 95 D, 328 B, quantum detestanda, 64 D, 380 A, et vitanda, 8 B. — Incapacem gratiæ animam efficit, 12 D. — Ex illa procedit excusatio propriorum vitiorum, 95 A'. — Superbi dicuntur sapientes et prudentes, quo sensu, 11 B.

SUPERIORES. Illis resistere quantum sit peccatum, 7 C, præsertim in religiosis, 7 C'. — Quomodo aliquid ab illis postulandum, 476 D'. — Inferior facile superioris actum imitatur, 601 B. — *Cf.* Prælatus.

SYCOMORUS qualis sit arbor, et quomodo Christi crucem significet, 157 B'.

SYLVESTER (S.) Papa citatur, 183 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 8, col. 795.)

SYNAGOGA est locus orationis, vel Judæorum collectio, 79 C', 403 D', 582 A. — In posteriori sensu, per ficulneam designata, 78 A, fuit civitas Dei, 96 D', et figura Ecclesiæ, 79 A'. — Quomodo ex illa exierit spiritus immundus, 38 B', et ad illam redierit, 39 A.

SYNDERESIS malo semper remurmurat, 178 A.

SYRACUSÆ. Hanc civitatem oppressurus deflevit quidam princeps militiæ Romanorum (Marcus Marcellus), 168 B.

T

TARTARI quomodo errent circa statum justorum post resurrectionem, 183 B.

TATIANUS hæresiarcha nuptias esse malas affirmavit, 313 A.

TECTA plana sunt in Palæstina, 51 D.

TEMPLUM quinam ingrediantur prava intentione, 146 C, aut præsumptione, 147 D. — In templo Jerusalem tria loca venalibus facta sunt, quare, 170 A; quo sensu in illo fuerint vendentes, 318 B', et nummularii, 318 C'. Per illos vendentes quinam designentur, 322 B'. — Templi dedicatio triplex fuit ordinata, 469 C. — Templum secundum, quadraginta et sex annis ædificatum, 320 B', duplex habuit velum, 245 B. Quid in illo acciderit Christo moriente, 245 C.

TEMPUS promerendi ac demerendi cum vita præsenti finitur, 85 D', 118 B. — Quo sensu idem tempus dicatur malum et acceptabile, 409 D. — Tempus evangelicæ legis tempus gratiæ nuncupatur, 204 B, 293 A'.

TENEBRÆ mystice quid sint, 276 D', 277 A, 336 B, 508 D, et quid potestas tenebrarum, 225 D'. — Quisnam tenebras diligat magis quam lucem, 336 B. — Quomodo tenebræ factæ sint in universa terra quum Christus in cruce penderet, 244 A, 245 A.

TENTATIO alia est probationis, alia seductionis, 383 A'. — Quomodo electis prosit, 216 D'. — Quid sit ejus initium, medium et consummatio, 219 A. — Aliud est tentari, aliud in tentationem incidere, aliud in tentationem induci, 30 C. — Quid sit in tentationem intrare, 218 D'. — Quo sensu Deus dicatur in tentationem inducere, vel etiam tentare, 30 A, 383 A'. — Quare et quomodo in tentatione orandum, 219 A.

TERENTIUS poeta citatur, 191 A.

TERRA. Illam inutiliter occupat qui bonis operibus ipsam non adornat, 79 A. — Terrena nequeunt appetitum satiare, 349 A'. — Terra sancta propter Christianorum facinora infidelibus tradita est, 79 A'. — Cœlum et terra transibunt, quo sensu, 195 C.

TESTAMENTUM. Vix aliquid in Evangelio continetur, quod non in veteri Testamento inveniatur prædictum, 379 B'.

TESTIMONIUM operis certius est quam sermonis, 475 A. — Quo sensu duorum hominum testimonium sit verum, 429 B. — Testimonium quod aliquis de se profert, cur non valeat, 427 C'. — Quo sensu testimonium de se perhibuerint Christus multique Sancti, 427 A'.

THEOLOGIA quomodo philosophiæ præstet, 268 C. — Theologia mystica quid sit, 13 D'. — Multi in theologia eruditi Spiritum Sanctum non recipiunt, quare, 535 D'. — *Cf.* Philosophia.

THEOPHILUS (id est Theophylactus), Bulgariæ archiepiscopus, citatur, 50 C', 68 B', 69 C, etc.

THEOPHRASTUS philosophus allegatur, 294 D'.

THESAURUS cœlestis quid sit, 65 D'. — Ubi thesaurus ibi cor, quo sensu, 66 A.

THOMAS (S.) apostolus, quare Didymus dicatur, 480 D, 610 D, 612 B'. — Quo sensu dixerit : Eamus et nos, et moriamur cum eo, 480 A'. — An contradixerit Christi verbis in novissima Cœna, 528 D'. — Quandonam potestatem clavium acceperit, 610 B'. — Quomodo se incredulum exhibuerit post Resurrectionem, 610 C', sed postea, blande a Christo reprehensus, 611 A, divinitatem ejus confessus sit, 611 B.

THOMAS (S.) Aquinas sæpe citatur, 55 B, 93 B, 131 C, etc. — Allegatur ejus Summa contra gentiles, 274 D', 279 D, 294 A, etc.

Digitized by Google

TIBERIAS, civitas in littore laci Genesareth sita, 5D', quare sic vocata, 612B. — De impœnitentia notatur, 6A.

TIBERIUS imperator. Sub ejus regno passus est Christus, 181D, 235D.

TIMOR quotuplex sit, 51C', 540C'. — Multos ad meliora inducit, 118C. — Timor Dei est vel servilis, vel initialis, 52B', vel filialis, 52C', 112A', 163A, etc., qui a caritate producitur, 52D', 548D. — Timorem servilem quinam habeant, et quomodo pereant, 85C', 112D, 435C'.

TITULUS cruci Christi affixus, quomodo illam quarta parte compleverit, 242D, et quisnam fuerit ejus sensus, 242A'.

TITUS Judæos interfecit, quomodo et quare, 165A, 188B. — Quid egerit in obsidio Jerusalem, 168B'.

TRIBULATIO, per noctem designata, 30C', electos ad coronam perducit, 9A, 613B. — In illa Deus adest, quamvis non sentiatur, 391A. —Tribulationum quænam sint causæ, 448D, et quanti fructus, 554A. — In illis non adsit turbatio, 526C', sed gaudium, 551A, 554A. — Quænam sint perfectorum tribulationes, 85C, 546A', et quid ipsi in illis agant, 390B'. — *Cf.* Adversa.

TRINITAS est unus Deus, 274A', nam Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus substantialiter unum sunt, 115D', unam habent voluntatem, 7D, unam opulentiam, 116C', unam actionem ad extra, 273D', 274C; sunt etiam una omnium lux, 336A, unum principium, beatitudo ac finis, 269B', 428C, 568C, 577A. — In Trinitate, quæ est origo omnis vitæ, 426B', quomodo fiant emanationes divinarum Personarum, 432D', 433B, et illarum missio qualiter intelligatur, 552D'. Quælibet earum est in alia per circumincessionem, 269C', 272B, 530D', ita ut in Trinitate non sit solitudo, 429A. — Quomodo Trinitatis personæ se cognoscant ac diligant, 530D'. Illarum quælibet conspicit non solum in se, sed etiam in alia, se ipsam et cuncta creata et creabilia, 437A. In illis est plenissima ratio mutuæ dilectionis, 367D, cujus contemplatio quam dulcis, 367A'. — In Trinitate principium sumitur vel personaliter vel essentialiter, quo sensu, 431C', et quidquid de una trium Personarum absolute dicitur, de singulis intelligitur, 13B, 269C'. — Opera Trinitatis sunt indivisa, 28A, 520A', ejusque dilectio erga nos est æterna, 537D. — Quomodo Trinitas veniat ad fidelem, 538B', et apud eum mansionem faciat, 538D'. — Quidquid fit ad gloriam unius Personæ, fit etiam ad gloriam totius Trinitatis, 533A', et qui diligit unam Personam, tres diligit, 538A'. — Qualiter peccetur in singulas Trinitatis personas, 55C', 56C. — An Trinitas naturali ratione inveniri possit, 278B, 280C', et ita a philosophis cognita sit, 13C', 278A'. — Fides Trinitatis est supra non contra rationem, 280C'. — Visio Trinitatis per speciem est vita æterna, 334A.

TRITICUM subventionem designat, 119D.

TUNICA Christi qualis fuerit, 240D.

TURBA quomodo multos impediat a spirituali Christi intuitu, 157A'.

TURBATIO qualis abjicienda sit, 526D, 540C'. — Quo sensu fuerit in anima Christi turbatio, 503A', nobis meritoria et consolatoria, 503B'.

TYRUS. Multi ejus incolæ statim post passionem Christi conversi sunt, 6B.

U

UNUM est necessarium, quo sensu, 23B'. — Quomodo unum sint credentes, 571A', 574C', et in unum consummentur, 575A'.

URIAS propheta a Judæis interfectus est, 175B'.

USUS est velut altera natura, 328B.

UXOR quando et quo sensu relinqui possit, 152B'. Illam per repudium dimittere qualiter concesserit lex Mosaica, 126D. — Uxorem fratris sui sine prole defuncti accipere tenebatur Judæus, quare, 182B; quid mystice per istud præceptum significetur, 182C. — Uxor spiritualis est parochia, 126A'. — *Cf.* Matrimonium, Nuptiæ.

V

VALENTINUS hæresiarcha, qui ab Origene confutatus est, 17B', quomodo erraverit, 287D, 330D.

VALERIUS (Maximus) historicus, citatur, 58C', 120C'.

VELUM templi duplex fuit, 245B. — Quid per ejus scissionem figuratum sit, 245C, et quænam tunc etiam accidisse legantur, 245C.

VENTER mentem designat, 420B. — Venter animæ dicitur intellectus, 109B, vel voluntas, 109C.

VENTUS pluvialis ab occidente exsurgit, 74C'.

Digitized by Google

— Nescimus unde ventus veniat aut quo vadat, quo sensu, 327 C', 328 A.

VERBUM. Per illud intelligitur verbum vocale, 270 C, vel mentale, 270 D, vel imaginatio verbi vocalis, 270 A'. Sæpe etiam accipitur pro re per verbum significata, 172 C', 258 A'. — Verba comparantur foliis, quo sensu, 149 C. — Verbum Dei, quod est semen, 443 D, vita cibusque animæ, 39 D', quomodo salubriter audiendum, 371 A', 441 C, et utrum ingratis subtrahendum, 346 A. Quinam illud audiant et custodiant, qualiterque beati, 39 C'. — Quo sensu cuncta creata dicantur verba Dei, 270 B'. — Verba Christi animam purgant, illustrant, et perficiunt, 544 B.

Verbum æternum, imago Patris et exemplar omnium creaturarum, 271 D, 274 D, quomodo generetur, 269 C', 270 C', 273 A, 370 C', et ex Scriptura ostendatur esse Patri coæternum, 273 B. — Explanatur illud : In principio erat Verbum, 269 A et seq. — Quo sensu omnia per Verbum facta sint, 273 C, et Pater per illud operetur, 273 D', 274 A. — Verbum quomodo sit lux hominum, 276 A'. — Quare Christus vocetur Verbum in exordio Evangelii secundum Joannem, 270 A. — Incarnatio Verbi, quæ ordinata est ad generis humani redemptionem, 433 A', quomodo facta sit, 285 A, 287 A', et quare, 285 C', 287 A'. — Cur Verbum, potius quam Pater vel Spiritus Sanctus, incarnatum sit, 286 B'. — Incarnatio Verbi quomodo genus humanum glorificet, 286 B, augeat spem et caritatem nostram, 286 C. — Nuptiæ Verbi cum humana natura factæ sunt in utero Virginis, 316 A'. — Quomodo proferenda hæc : Verbum caro factum est, 286 A'. — *Cf.* Christus.

VERITAS triplex est, 337 A, 573 A'. — Illam negare nunquam fas est, 297 A, abscondere vero quandonam liceat, 296 D'. — Sermo Patris veritas est, quo sensu, 573 A'. — Quomodo veritati doctrinæ, justitiæ et vitæ testimonium perhibuerit Christus, 586 C', cujus vocem audit omnis qui est ex veritate, 586 D'. — Qualiter libertas a veritate procedat, 434 A'. — Qui facit veritatem venit ad lucem, quo sensu, 337 A.

VESPASIANUS quid egerit in obsidio Jerusalem, 168 B'.

VESTES. Multi mortaliter peccant in usu vestium, 127 B, quarum reprehenduntur sumptuositas, multiplicitas, 126 C', curiositas, 126 D', indecentia et ostentatio, 127 A.

VIA eadem est imperfectis dura, perfectis vero amœna, 84 D', 125 A'. — Via impiorum tenebrosa, via justorum luminosa dicitur, 426 A'. — Via Domini quid sit, 299 A. — In via Dei non progredi est retroire, 100 B, 543 D'.

VIDUA pauper quomodo laudata sit de oblatione sua, 187 C, et secundum qualem proportionem plus obtulerit quam divites, 187 D'. — Explanatur parabola viduæ quæ sua importunitate judicem impium devicit, 144 B.

VIGILANTIA. Quomodo vigilent Christi servi, 67 D, 68 D', et quænam sit hujus vigilantiæ merces, 67 B'.

VIGILIA discreta quam fructuosa, 196 B. — Vigiliæ noctis quatuor distinguuntur, 68 D, quæ metaphorice designant varias humanæ vitæ ætates, 68 B.

VILLICUS quid sit, 117 B, et quid signet, 117 A'.

VINDEMIA significat præsentis vitæ tempus, quo sensu, 175 A.

VINEA designat Christum, 174 A', Ecclesiam, 174 B', vel populum Israel, 78 B, 174 A. — Exponitur parabola vineæ cujus heres ab agricolis occisus est, 174 A.

VINUM mystice est exhortatio fervens, 19 D', et spiritualis consolatio, 317 C. — Utrum liceat ponere vinum deterius ante inebriatos, 315 D. — Quomodo aqua in vinum a Christo conversa sit, 314 C', 315 B.

VIRES vegetativæ in actibus suis ratione regendæ sunt, 16 C. — Quo sensu Deus ex omnibus viribus sit diligendus, 16 B.

VIRTUS utrum in medio consistat, 187 C', 257 B, 607 D. — Delectationem habet annexam, 85 B, 353 D, etsi non sine labore exerceatur, 85 C. — Sola comes est defunctorum, 60 D'. — Virtutes sunt veræ hominis divitiæ, 60 C', illarumque forma, origo, finis ac vita est caritas, 481 D. Virtutum fundamentum quodnam sit, 171 C'. — Tribus virtutibus theologicis quænam dotes in patria respondeant, 426 C'. — Virtus divina in instanti operatur, quod naturæ non convenit, 363 A. — Virtutes cœlorum in fine sæculi movebuntur, quo sensu, 194 C.

VISIO Dei quotuplex sit, 293 D', 295 C'.

VISUS ceteris sensibus exterioribus quomodo præstet, 155 D. — Videre, in Scripturis, ad omnes sensus refertur, 443 C.

VITA triplex distinguitur : contemplativa, activa, et ex utraque contemperata, 25 D. — Vita activa figuratur per Martham, 481 C', et Petrum, 602 C'; vita contemplativa, per Ma-

Digitized by Google

riam Magdalene, 481 C', et Joannem, 602 C'. — An et quare dignior sit contemplativa quam activa vita, 24 D', quæ posterior ad priorem ducit, 137 B'. — Sunt opera vitæ activæ quæ contemplativæ perfectionem quamdam præexigunt, 25 D. — Cum vita præsenti finitur tempus promerendi ac demerendi, 85 D'. — Vita Dei quam perfecta, 371 D'. — Quod factum est, in Verbo vita erat, quo sensu, 275 B, 276 A'. — Quid sit lumen vitæ, 426 B', et vita æterna, 152 D', 334 A, 344 B', etc. — Homo exsistens in gratia meretur de condigno vitam æternam, 300 D', quam non videbit incredulus, 344 A'. — Qui credit in Filium, habet vitam æternam, quo sensu, 344 D, 370 D', 398 D'.

VITIA sunt vincula quibus impius irretitur, 322 D'. — Otia dant vitia, 59 D. — Indurati in vitiis indignantur dum reprehenduntur, 123 C'.

VITULUS saginatus Christum pro nobis passum designat, 113 C.

VOLUCRES mystice sunt contemplativi, doctores et prælati, 83 C.

VOLUNTAS proprie dicta quid sit, et quomodo libera, 219 C'. — De se cæca, ab intellectu dirigenda est, 42 C'. — Voluntas Dei consequens, non autem antecedens, semper impletur, 89 B'. — Propria voluntas quomodo et quare abneganda, 395 B'. — Voluntas pro signo voluntatis frequenter sumitur, 395 A'.

VOTUM obedientiæ frangere, quantum sit peccatum, 7 C'.

VULNERA repetita sunt periculosiora, tam in corpore quam in anima, 39 D.

VULPES quomodo principem iniquum figuret, 88 B'.

Z

ZACHÆUS fuit de numero electorum, 157 B, quo sensu Abrahæ filius, 159 B'. — Quam mira ejus conversio, 159 B, et quomodo nobis ipse imitandus, 160 B.

ZACHARIAS filius Joiadæ, de quo locutus est Christus, 48 D', jussu Joas regis lapidatus est in templo, 48 D'.

ZACHARIAS propheta, qui Christi venditionem prænuntiavit, 207 A', an occisus fuerit a Judæis, 48 D'.

ZACHARIAS sacerdos, pater Joannis Baptistæ, utrum interfectus sit a Judæis, 48 D', aut a satellitibus Herodis, 49 A.

ZELUS quid sit, 319 D. — Alius est carnalis, alius spiritualis, 319 A'. — Ira per zelum quid sit, 96 B'. — Zelus animarum est sacrificium Deo acceptissimum, 319 B'.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

ENARRATIO IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Articulus XXVI. Enarratio capituli decimi : Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos. . . . 1
Articulus XXVII. Prosecutio elucidationis hujus decimi capituli, ab eo loco quo dicitur : In ipsa hora exsultavit in Spiritu Sancto 9
Articulus XXVIII. Declaratio residuæ partis hujus capituli decimi, scilicet : Intravit Jesus in quoddam castellum. . 22
Articulus XXIX. Elucidatio capituli undecimi : Et factum est, quum esset in quodam loco orans. 26
Articulus XXX. Prosecutio expositionis hujus undecimi capituli, a loco quo dicitur : Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum 34
Articulus XXXI. Elucidatio residuæ partis hujus undecimi capituli : Et quum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se. 43
Articulus XXXII. Elucidatio capituli duodecimi : Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent. 50
Articulus XXXIII. Prosecutio elucidationis hujus capituli duodecimi, a loco quo dicitur : Dixitque ad discipulos suos . . 61
Articulus XXXIV. Expositio residuæ partis hujus duodecimi capituli : Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? 69
Articulus XXXV. Expositio capituli tertiidecimi : Aderant autem quidam ipso tempore, nuntiantes illi de Galilæis. . 76
Articulus XXXVI. Prosecutio expositionis hujus capituli tertiidecimi, ab eo loco quo dicitur : Et ibat per civitates et castella, docens 84
Articulus XXXVII. Elucidatio capituli quartidecimi : Et factum est, quum intraret in domum cujusdam principis Pharisæorum 90
Articulus XXXVIII. Expositio capituli quintidecimi : Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum 102
Articulus XXXIX. Elucidatio capituli sextidecimi : Dicebat autem ad discipulos suos : Homo quidam erat dives. . . 116
Articulus XL. Expositio capituli septimidecimi : Et ait ad discipulos suos : Impossibile est ut non veniant scandala. 132
Articulus XLI. Elucidatio capituli octavidecimi : Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare. 143
Articulus XLII. Elucidatio capituli nonidecimi : Et ingressus perambulabat Jericho; et ecce vir nomine Zachæus, etc. 157
Articulus XLIII. Elucidatio capituli vicesimi : Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo et evangelizante 172
Articulus XLIV. Elucidatio capituli vicesimi primi : Respiciens autem Jesus, videbat eos qui mittebant munera sua in gazophylacium 186
Articulus XLV. Declaratio residuæ partis hujus capituli vicesimi primi : Quum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem. 192
Articulus XLVI. Præfatio in expositionem dominicæ passionis secundum Lucam. 197
Articulus XLVII. Expositio passionis et capituli vicesimi secundi : Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha 204
Articulus XLVIII. Prosecutio expositionis hujus capituli vicesimi secundi, a loco quo dicitur : Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis 215

Digitized by Google

Articulus XLIX. Expositio capituli vicesimi tertii : Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. . 230
Articulus L. Expositio capituli vicesimi quarti : Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum. . . 250

ENARRATIO IN EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM.

Procemium 265
Articulus I. De dignitate et excellentia sacratissimi evangelistæ S. Joannis, et quod liber evangelii Joannis universos Scripturæ canonicæ libros excedit . . 267
Articulus II. Expositio primi capituli : In principio erat Verbum 268
Articulus III. Prosecutio elucidationis primi capituli, ab eo loco quo dicitur : Quod factum est, in ipso vita erat. — In quo agitur de ideis. 274
Articulus IV. Elucidatio hujus primi capituli, ab eo loco quo dicitur : Fuit homo missus a Deo 280
Articulus V. Explanatio hujus primi capituli, ab eo loco quo scriptum est : Et Verbum caro factum est. 285
Articulus VI. Elucidatio hujus primi capituli, ab eo loco quo dicitur : Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se 302
Articulus VII. Explanatio capituli secundi : Et tertia die nuptiæ factæ sunt. . 312
Articulus VIII. Expositio capituli tertii : Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine. 323
Articulus IX. Prosecutio elucidationis præsentis capituli tertii, ab eo loco quo dicitur : Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret . . 332
Articulus X. Explanatio residuæ partis hujus capituli tertii, ab eo loco quo dicitur : Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam. 338
Articulus XI. Elucidatio capituli quarti : Ut autem cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi 345
Articulus XII. Prosecutio expositionis hujus capituli quarti, ab eo loco quo dicitur : Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur 357
Articulus XIII. Expositio quinti capituli : Post hæc erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam 361
Articulus XIV. Prosecutio elucidationis hujus capituli quinti, ab eo loco quo dicitur : Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat. 368
Articulus XV. Explanatio residuæ partis hujus capituli quinti : Non possum ego a me ipso facere quidquam. 374
Articulus XVI. Expositio capituli sexti : Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ 382
Articulus XVII. Prosecutio explanationis hujus capituli sexti, ab eo loco quo dicitur : Jesus ergo quum cognovisset quia venturi essent ut raperent et facerent eum regem. 388
Articulus XVIII. Elucidatio residuæ partis hujus capituli sexti, ab eo loco quo dicitur : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi 399
Articulus XIX. Declaratio capituli septimi : Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam 407
Articulus XX. Prosecutio expositionis hujus capituli septimi, ab illo loco quo dicitur : Et miserunt principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum. 418
Articulus XXI. Elucidatio capituli octavi : Jesus autem perrexit in montem Oliveti 423
Articulus XXII. Expositio sequentis partis hujus capituli octavi, ab eo loco quo habetur : Ego vado, et quæretis me. . 430
Articulus XXIII. Explanatio residuæ partis hujus capituli octavi : Quis ex vobis arguet me de peccato ? 440
Articulus XXIV. Expositio capituli noni : Et præteriens Jesus, vidit hominem cæcum a nativitate 446
Articulus XXV. Elucidatio capituli decimi : Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium. . . 458
Articulus XXVI. Prosecutio expositionis hujus capituli decimi, ab eo loco quo dicitur : Ego sum pastor bonus. . . 463
Articulus XXVII. Explanatio residuæ partis hujus capituli decimi : Facta sunt Encænia in Jerosolymis. 469
Articulus XXVIII. Declaratio capituli undecimi : Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania 476
Articulus XXIX. Expositio sequentis par-

Digitized by Google

tis hujus capituli undecimi : Collegerunt ergo pontifices et Pharisæi concilium 489
Articulus XXX. Declaratio capituli duodecimi : Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam 493
Articulus XXXI. Prosecutio elucidationis hujus duodecimi capituli, ab eo loco : Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit 501
Articulus XXXII. Explanatio residuæ partis hujus duodecimi capituli : Quum autem tanta signa fecisset Jesus coram eis 509
Articulus XXXIII. Declaratio capituli tertiidecimi : Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus. . . 513
Articulus XXXIV. Prosecutio explanationis hujus capituli tertiidecimi, a loco : Quum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu 520
Articulus XXXV. Declaratio capituli quartidecimi : Et ait discipulis suis : Non turbetur cor vestrum. 526
Articulus XXXVI. Expositio hujus capituli quartidecimi, ab eo loco quo dicitur : Si diligitis me, mandata mea servate. 534
Articulus XXXVII. Expositio capituli quintidecimi : Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. 542
Articulus XXXVIII. Explanatio sequentis partis hujus capituli quintidecimi, ab eo loco : Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. 550
Articulus XXXIX. Expositio capituli sextidecimi : Et nunc vado ad eum qui me misit 555
Articulus XL. Expositio residuæ partis hujus capituli sextidecimi : Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 561
Articulus XLI. Elucidatio capituli septimidecimi : Hæc locutus est Jesus, et sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora. 566
Articulus XLII. Prosecutio elucidationis præsentis septimidecimi capituli : Nunc autem ad te venio, et hæc loquor in mundo 572
Articulus XLIII. Expositio capituli octavidecimi, in quo incipit passio Christi Jesu. 577
Articulus XLIV. Prosecutio expositionis hujus capituli octavidecimi : Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem 583
Articulus XLV. Declaratio capituli nonidecimi : Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum 588
Articulus XLVI. Expositio sequentis partis hujus nonidecimi capituli : Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus. . 594
Articulus XLVII. Explanatio capituli vicesimi : Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane. 599
Articulus XLVIII. Prosecutio expositionis præsentis vicesimi capituli : Quum sero esset die illa, una sabbatorum. . . . 606
Articulus XLIX. Expositio capituli vicesimi primi et ultimi : Postea manifestavit se iterum Jesus ad mare Tiberiadis . . 612
Articulus L. Explanatio sequentis partis hujus vicesimi primi capituli : Quum ergo prandissent 615
Index locorum S. Scripturæ. 623
Index analyticus 633

Emendanda. Pag. 34 B', lin. 3 : auditum, *lege* loquelam ; — 87 C', lin. 9 : ab aquilone,... ab occidente ; — 118 B', lin. 1 : præesse,... prodesse ; — 128 A, lin. 2, 3 : magisterio,... ministerio ; — 189 D, lin. 1 : Metereorum,... Meteororum ; — 268 D', lin. 3 : triginta primum,... tricesimum primum ; — 272 D, lin. 3 : Patrispassiani,... Patripassiani ; — 296 C', lin. 12 : Tu qui es ?,... Tu quis es ?

Dubia. Pag. 2 B, lin. 5 : comparative, *forsan* comparatione ; — 153 B', lin. 9 : opus,... scopus ; — 217 D, lin. 10 : refert,... differt ; — 290 B', lin. 10 : principaliter,... præsentialiter ; — 303 B', lin. 1 : consequentur,... consequantur ; — 372 A, lin. 5 : ipsa est vita,... ipse est vita.

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google

3 2044 105 205 900

Digitized by Google